Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

102920

SYLLOGES EPISTOLARUM

A

VIRIS ILLUSTRIBUS

SCRIPTARUM

TOMUS. V.

QUO

NICOLAI HEINSII

ET

VIRORUM ERUDITORUM, IN SUECIA, GERMANIA, BELGIO, ITALIA, ET GALLIA

EPISTOLAE.

MUTUAE

ET

NIC. HEINSII

AD

CHRISTINAM AUGUSTAM REGINAM SUECIAE

CONTINENTUR.

DENIQUE INDICES QUATUOR IN OMNES TOMOS SUBJICIUNTUR.

EX BIBLIOTH *PUB* COLLEG. LUGDUN.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON 1893

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE

Digitized by Google

Digitized by Google

JOHANNIS SCHEFFERI
ET
NICOLAI HEINSII
EPISTOLAE.
MUTUAE.

EPISTOLA I.
JOH. SCHEFFERUS
Nic. Heinſio.

Leidam.

NON poſſum non gratiſſima memoria ſubinde mecum recolere id tempus, quo me praeſentem vel hîc, vel Holmiae humaniſſimis tuis colloquiis beare non es dedignatus. Etſi enim in me nihil ſit, quo conciliare mihi magnorum virorum amicitiam poſſim, abunde tamen tua illa erga quosvis artium bonarum cupidos propenſa voluntas ſupplevit, quod deſiderari poterat. Qua etiam nunc fretus tibi ſcribo, ſimul atque quae de ſubſidiis iſtis ad rem Navalem Roma petendis benigne es pollicitus, in memoriam tibi revoco, oroque, ut, ſi abſque moleſtia tua fieri poſſit, mihi ea compares. Indicatum mihi nuper eſt, te neſcio quae *Pyrrhi Ligorii* (niſi fallor) pro me curaſſe exſcribi. Scire igitur velim, an res ita ſeſe habeat, & a quo, quaque ratione petere id poſſim. Nam horum nihil apud noſtros explorare potui. Ignoſce, quaeſo, vir optime, confidentiae meae, & ſi ita videtur, reſcribe. Nobiliſſimum Parentem tuum, virum vere Maximum, ex me diligenter velim ſalutari, ſicut & *Boxhornium*, e cujus animo nomen noſtrum, etſi poſt tot annos, quibus ei primum coepi innoteſcere, tamen nondum penitus deletum exiſtimo. Vale. Dabam Ubſaliae 17. Julii CIↃIↃCLI.

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON 1893

Digitized by Google

EPISTOLA II.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upſaliam.

SIngularibus tuis meritis, vir Clariſſime in rem litterariam ſit, ut conſuetudinis ac familiaritatis vinculo arctiori tibi adſtringi exoptem, cujus nodo jampridem me illigatum tenes, ex quo ante ſeptennium Upſaliae nonnunquam te compellare mihi obtigit. Ex eo conſtantiſſimus virtutum tuarum cultus pertinaciter huic animo inhaeſit, atque inhaerebit porro ad extremum vitae diem. Quare, cum publico Procerum noſtrorum mandato ſedem denuo figere ſum juſſus in aula Suecica, majori beneficio me cumulare non potes, quam ſi hoſpitem te mihi praebeas, ac apud me divertas, quotieſcunque aut privata negotia aut Academiae publica te evocabunt. Quod ſine fuco ac fallaciis dictum, quaeſo, interpretare & boni conſule. Lautiora enim alibi hoſpitia facile invenias; non tamen ulla, quae te libentius ſint exceptura. Mitto interim nonnihil hîc nugarum mearum, nuperrime ex patria allatum, & me abſente in lucem protractum. Quod ſecundis curis aliquanto ornatius politiuſque mox praeſtabo, ſi otium continget. Meae ſunt in Pub. Ovidium caſtigationes, quarum alterum exemplar tibi a me deſtinatum eſt, alterum eximio viro [1] Socero tuo. Ab eodem cum ante ſeptennium utendos acceperam libros duos, non mihi, ſed illuſtriſſimo regni hujus Cancellario *Erico Oxenſtierniae*, qui eos inſpectos ſibi unice cupiebat; non ſine ſummo rubore meo inter manus ejus uterque codex periit. Certe cum identidem repeterentur, non ſunt redditi. Alter librorum *Cambdeni* Brittanniam complectebatur, alter Eliſabetham, ſi recte memini. Utrumque ex patria advexi, quos cum Naſone accipies, clariſſimo Socero tuo tradendos. Mallem profecto ipſa, quae utenda mihi dedit, reddidiſſe exemplaria, hoc quia non poſſum, ſimillima iis nunc reddo. Amiciſſimus *Gronovius* plurimam ſalutem tibi dicit, cujus Senecam Tragicum in dies expecto. Vale, vir Clariſſime: dabam feſtina manu Holmiae Suecorum Anno CIↃIↃCLXI. ad di. XXII. Auguſti Juliani.

1. *Johanni Loccenio*, J. U. D. Hiſtoriarum & Eloquentiae, mox Juris Profeſſori, & Hiſtoriographo Regio & Bibliothecario Academiae Upſalienſis, & deinde Regii collegii Antiquitatum Praefidi. Vide *Schefferum* de Scriptoribus Suecis pag. 175. Edit. Molleri, & Epiſt. *Heinſii* ad *Gronevium* Tom. III. 199.

EPI-

EPISTOLA III.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

FRuſtra diu verba quaero, Domine, ut humaniſſimis tuis litteris reſpondeam. Videlicet inexpectata omnia, meritumque meum longe ſupergreſſa comprehendunt. Animum favoris ac benevolentiae erga me pleniſſimum; familiaritatis & hoſpitii jucundiſſimam pollicitationem. Accedit induſtriae judiciique ſummi opus tuum, quo, qui olim pannis & quiſquiliis ineptorum hominum erat inductus, nec praeter nomen praeferebat ſui quicquam, reſtitutus nunc Ovidius integritati nitorique priſtino legentium cunctorum oculis animiſque ſe commendat. Pro quibus omnibus ſinguliſque, quas tibi debeam gratias, intelligo, quas agam, invenire nequeo. Quanquam autem omnem loquendi facultatem mihi eripuerit meritorum tuorum magnitudo, quantam tamen poſſum operam impendam, ut ne penitus benevolentiae tuae indignus deprehendar; totque beneficia perpetua memoria ſervare ac recolere haud deſinam. Interim tibi, Domine, gratulor ex animo ſplendidiſſimum munus, tuae nuper fidei prudentiaeque commiſſum, oroque Deum, ut, quod augurantur alii, ego firmiter perſuaſum habeo, humanitate ac dexteritate tua vetus illud inter Regnum hoc Rempublicamque veſtram amicitiae vinculum firmetur, ac in commoda utriuſque populi ſervetur integrum quamdiutiſſime. Socero meo tradidi, quod mandaſti; agit is tibi gratias maximas, ſicut amplius ex litteris ipſius liquebit. Clariſſimi & mihi amiciſſimi viri, Domini *Gronovii* Senecam, cujus mihi ſpem in nuperis fecit litteris, impatienter exſpecto. Ipſum perofficioſe, cum ſe offerat occaſio, reſalutari cupio, hocque officium, niſi grave eſt, ab humanitate tua oro. Vale, vir Illuſt. Nobiliſſimeque, coeptumque favorem tuum porro erga me ſervare perge. Upſaliae 3. Septemb. Anno CIↃIↃCLXI.

EPISTOLA IV.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

TU vero, quod optavi ſemper, nuper vero abs te petii, me amare pergis. Conatus meos, quamvis exiguos, placere tibi teſtaris, nec verbis modo, ſed ut re ipſa juvare ac promovere quaeris. Pertinet huc cura tua ſingularis in comparandis mihi eis, quae ad Phaedrum aut Mauritium videntur eſſe neceſſaria. Ceteros quoque libros tuos, optimos rariſſimoſque offers. Quibus ſane rebus nihil mihi eſſe poteſt vel utilius, vel gratius. Scilicet in mundi quodam velut angulo hic degimus. Libros ad nos adferre ſolent paucos, &

ex iis ipſis nobis utiles pauciſſimos, ut noſti. Cum viris eruditis alibi viventibus commercia litterarum exercere, conciliare nobis amicitias & colere propter longinquitatem viarum, & cauſas alias vix licet. Ita fit, ut eonemur multa, expedire pauca valeamus. Accedit inopia eorum, qui, ſi tandem aliquid elaboramus, deſcribere typis, ac publicare velint. Manet ergo intra Muſaei noſtri parietis clauſum, quod edere jam olim & promiſimus & paravimus. Nec ideo ceſſamus agere aliquid, & ſi non aliis, nobis ſaltem cura iſta eſſe utiles. Quod ad Phaedrum obſervavimus, eſt ejuſmodi, ut ad neminem, quam adoleſcentes noſtros ſtudioſos pertineat. Locutiones ejus Latinas eſſe collatione cum aliis, cumprimis Virgilio, quem obſervo prae aliis voluiſſe imitari, inſtituta oſtendi, *Schoppiique* adverſus eum cenſuras, nimis aliquando rigidas, mitigavi. Senſum & connexionem, ubi videbantur obſcurae, explicatione brevi aperui. Unum quoque alterumque locum ſuſpectum mihi curare ac emendare conatus ſum. Nam caetera omnia jam occuparunt alii ante me, cumprimis vir eruditiſſimus, *Tanaquillus Faber*, cujus nuper admodum, una cum *Praſchii*, in auctorem dictum notas, Argentorato ad me miſſas accepi, & cum voluptate ſumma legi. Ante *Meurſii* editione uſus ſum a *Raphelengio* Anno 1610. procurata. Vitioſa paſſim, uti ſcis, ſed fruſtra a me emendata, quando pleraque ſic edidiſſe *Fabrum* video, ut ego conjectaveram. Non omittam tamen retractare mea, & ſi aliquem invenero, qui deſcribere typis volet, ſaltem in juventutis ſtudioſae commoda adornare. Cum praeſertim Phaedrum hunc in opuſculo de ſtylo vehementer olim commendaverim, iiſque ſuaſerim legendum, qui litteras Latinas incipiunt, & earum rectitudinem ac ingenuitatem, ut ſic dicam, comparare ſibi conantur. In Mauritio, quem beneficio operaque Sereniſſimae Reginae *CHRISTINAE*, munere vero ac dono *Lucae Holſtenii*, una cum caeteris Tacticis ad MS. codices collatis, beneque auctis poſſidemus, hactenus nihil tentavimus, cum quia morbo diuturno fui vexatus, tum quia quae antea ſub manibus habebam, prius putavi abſolvenda. Quod ſi vitam valetudinemque Deus largietur, quamprimum illi operi ſuſcipiendo me accingam. De Panegyricis nunquam magnopere cogitavi. Et puto non ita pridem editos eſſe Pariſiis, cum *Acidalii*, *Livinei*, & nonnullorum aliorum commentariis. Quanquam mihi non contigerit videre illud opus, licet ſaepius quaeſiverim. Pacatum ante annos quoſdam publicavi, tantum ut haberent textum ſtudioſi, quibus eum explicabam ratione mei muneris. Etiamſi & in ipſo obſervarim hactenus cum aliunde, tum ex MS. meo, cujus adjutorio in editione illa uſus ſum, quod tum non vidi. Quod ſi plura ſubminiſtrare tuus codex poterit, erit, de quo & privatim mihi gratuler, & apud alios liberalitatem tuam laudem. *Schelii* de re veterum militari adeo non vidi, ut ne audiverim quidem nominari. Quare mihi quidem nihil fuerit jucundius, quam eorum copiam nanciſci. Maxime cum ſperem, habiturum me ex illis, quo quae olim de maritima iſtius parte ſum commentatus, locupletiora & inſtructiora faciam. Id quod hactenus omni ſtudio ſum conatus, effecique ut prodire poſſint altera parte non auctiora ſolum, ſed & meliora. Quod ſi comparari poſſent illi, neſcio qui, ſcriptores

Grae-

Graeci, quorum alter de Pyratica, alter de Partibus navium ſcripſit, ſicut memini me audire ex Cl. *Iſaaco Voſſio*, res foret optatiſſima. *Salmaſium* ajebat habuiſſe, quod facit, ut ignorem, an non una cum ipſius filio tranſierint ad *Fabrum*. Sed de his hactenus. Interea ego totus ſum in abſolvendis illis, quae de Natura Conſtitutioneque Philoſophiae Pythagoricae olim meditatus ſum. Velut quaedam ſunt praeludia majoris operis de Philoſophia ipſa, quod ſequetur, niſi deo viſum fuerit me ante ex humanis evocare. Sed ego mei immemor prolixius, quam debebam, ſcribo, teque, tot aliis majoribus occupatum, nugis meis detineo. Quod ſi vires dare deus volet, excurram ad vos circa tempus imminens nundinarum, & coram me tibi ſiſtam, Domine. Denique illos librorum theſauros apud te perſcrutari, cura diligentiaque, qua poſſum, maxima conabor. Interim te Deus ſervet, & ex voto vivere ſinat. Vale, &, ut coepiſti, me amare perge. Scripſi Upſaliae a. d. 9. Septemb. CIↃIↃCLXI.

EPISTOLA V.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

NON poſſum ita gratias humanitati tuae agere, ut oportet: tot namque beneficiis officiiſque devinctus, quantum tibi debeam, intelligo, quomodo quod debeo ſolvam, non invenio. Gaudeo interea benignum facilemque me habere creditorem, & quem ſcio ponere in ſolutionis parte, quod tam multa me debere ipſi grato animo agnoſco. Neque tamen, ſi ſic feret occaſio, unquam officio meo deero, quod de me perſuaſum habeas, vir Nobiliſſime, oro. De cetero en tibi aliqua nugarum mearum, ſicut nuper promiſi, tu, ſi videbitur, leges, & judicium tuum feres de iis, quo vel ſtabunt olim, vel aeternis tenebris damnabuntur. Apud Cornel. Nep. vita Miltiad. cap. 5. *Deinde poſtero die ſub montis radicibus acie e regione inſtructa, nova arte, vi ſumma praelium commiſerunt: namque arbores multis locis erant rarae, hoc conſilio, ut montium & tegerentur altitudine* &c. Cruciant eruditos verba, *namque arbores multis locis erant rarae, hoc conſilio.* vide *Boeclerum*; ego parentheſi haec includo, & iſta, *hoc conſilio*, non ad *arbores*, quod vulgo faciunt, ſed praecedens *praelium commiſerunt*, refero. In eodem Cornelio prima cujuſque libri verba titulum eſſe puto, ut *Miltiades Simonis filius, Athenienſis. Themiſtocles Neoclis filius, Athenienſis, Pauſanias Lacedaemonius, Cimon Miltiadis filius, Athenienſis.* Apud Tacitum vita Agric. cap. 12. *patiens frugum, fecundum.* τὸ *fecundum* puto gloſſema eſſe, ſuadetque ſequens *miteſcunt.* Ibid. cap. 23. *Juventus in ipſa Britannia terminus:* mallem, *in ipſa Britanniae terminus*, ut eſſet ratio emphaſeos in voce *ipſa*, & qualem *terminum* innueret, intelligeretur. Ibid. cap. 31. *neque enim arva nobis aut metalla, aut portus ſunt, quibus exercendis reſervemur*, lege, *aut paſtus ſunt:* nam de portubus & eorum exercitio nihil legimus. De pecore vero ex Britan-

nia copioſe docet Caeſar de B. G. lib. IV. cap. 12. *Mox & libertatem non in praeſentia laturi*, vetuſtiſſimi libri Rhenano laudati, *& in libertatem, non in praeſentiam laturi.* ſcribo, *& in libertatem, non in praeſentia mala duri:* duri in mala, pro *ad* mala i. e. tales, qui magno animo poſſint ſubire. Ibid cap. 33. *& vix monitis exercitum militem adhuc ratus.* Urſini liber vetus, *& vix munimentis coërcitum militem accendendum adhuc ratus:* ſcribo, *& vix munimentis exercitum militem adhortatus*, nam illud *accendendum* natum ex *adhuc ratus* exiſtimo, ut expleretur ſenſus. Ibid cap. 36. *in aperto pugnam:* lege, *in aperta*, & expono de Britannis inermibus, nec ſatis munitis propter breves cetras. Ibid cap. 42. *paratus ſimulatione*; mallem, *parata ſimulatione.* Apud Apuleum libro de Dogm. Plat. edit. Lugdunenſi Beroaldi, & Florentina, (quas habeo ſolas) *pueri ejus in aere partiendo ingenium:* Scribo, *p. e. acre in percipiendo.* Mox, *verum etiam labore & elegantia illuſtravit ſapientiam, ab eo ſibi traditam*, conjunctim lege, cum dicti libri a voce *ſapientiam* novam periodum conſtituant: paulo poſt, *labore quoque aſſerere*, & quae ſequuntur corruptiſſima ſunt verba, quorum abs te medicinam exſpecto. Rurſum poſt pro *neque pugnari inter ſe tantummodo:* ſcribo, *neque pugnare non inter ſe* &c. Apud Sarisberienſem edit. Lugd. Batav. Mairii lib. II. Polic. cap. 4. *quae ſi per ſingula, prout aut auctoribus digeſta ſunt, coepero enarrare, vel ſola haec proprium tempus deſiderabant.* non dubito, quin τὸ *aut* ex prava repetitione ſyllabae ſequentis natum, debeat deleri; Mox. cap. 15. *cum enim majeſtatem urbis principes viſibili ſpecie cenſuerunt honorandam*; ſcribo, *majeſtatem urbis principis.* & cap. 17. pro *noctiſculam*, pono *noctilucam*, & pro *conſilia*, *concilia.* Idem lib. III. cap. 2. *haec enim contemplatio quadripartitum parit fructum, utilitatem ſui, charitatem proximi, contemtum mundi, amorem dei.* Puto Sarisberienſem ſcripſiſſe, *vilitatem ſui.* Apud Auctorem Virorum illuſtr. ex edit. Schotti, vita Numae, *cum diu interregno ſeditiones orirentur*, Scribo, *cum de interregno.* Sed ego nimium jam te detineo his nugis meis. Unum peto, ut cum jam in manus ſumſerim denuo Phaedrum, ſi quae habes ad eum, ut te habere ſcio, mittere haud graveris, ſumul atque procurare mihi lectiones varias ex codice Remenſi, quarum compotem te poſſe fieri nuper putabas. Oro inſuper, ut mihi explices illius locum, qui eſt ſtatim ab initio opuſculi, ubi excuſare velle videtur, *quod arbores loquantur.* Nam quia toto in opuſculo arbores loquentes non invenio, quo pertineat illa excuſatio, aut metus calumniae, haud profecto video. Vale, vir Nobiliſſime, meaeque confidentiae, quam tua peperit ſingularis & inuſitata humanitas, ignoſce. Scribebam Upſaliae a. d. 29. Octob. CIↃCIↃLXI.

Cl *Gronovium*, ſi feret occaſio, velim a me ſalutes. Scriberem ipſe, ſi haberem fidum aliquem, cui litteras committerem.

EPI-

EPISTOLA VI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upſaliam.

CUM nuper a me diſcedebas vir celeberrime, totus eram, ut potes meminiſſe, in exſpectatione literarum noſtri *Gronovii*, quas tamen nullas hactenus ab eo tempore accepi. Quapropter eſt, ut ſuſpicor, aut meas, quas non ita pridem binas, & quidem ſatis verboſas, ad illum dederam, non fuiſſe curatas, aut ſi quas ille reſcripſit, eas in via intercidiſſe. Dum alius ex alio tabellarius ſpes meas hic fruſtrantur, ad longe jucundiſſimas tuas, quae poſtea ſupervenere, reſponſum quoque diſtuli diutius, quam fieri oportuiſſet. Grates operoſe quod agendas mihi duxiſti pro tenui prandio, exoſculor ſummam benignitatem tuam, quod preces amico animo rogantis non es aſpernatus: domui meae felicitatem gratulor eximiam, quam talis & tantus hoſpes intravit. Ex Belgio noſtro, aut Gallia, aut Italia quod nunciare poſſum, nihil nunc occurrit, cum omne litterarium commercium, quod eum Viris eruditione praeſtantibus illic terrarum pridem exercebam, penitus interruptum ſit mea ad Suecos profectione. Revocavi tamen ad officium ceſſantes nuper, & alloquiis meis ad mutuas confabulationes inſtaurandas excitavi. Ut ſpes ſit in poſterum fore, ne ignarus vivam eorum, quae foris inter Muſarum cultores geruntur. Codicem Phaedri Rhemenſem qui conſultum a ſe ac excuſſum fuiſſe mihi vere praeterito per literas ſignificabat, eſt *Marquardus Gudius*, domo ac gente Holſatus, vir ſane & ingenioſus & eruditus. Is tum in procinctu erat, Italos aditurus, perluſtrata jam Gallia, quod iter breve admodum, & vix annuum fore perſcribebat. Ubi is locorum nunc haereat, prorſus ignoro. Auguror tamen aut Italos aut Gallos de illo nonnihil edoćturos eſſe, cum ad me ſcribent. In Belgium rediiſſe hominem ubi intellexero, non deſinam illi obſtrepere, donec copiam tibi faciat eorum, quae ex codice Rhemenſi ad Phaedrum annotavit. Pariſienſes mox publico committent typis illis ſplendidis deſcriptos, Agathiam, Procopium, & Themiſtii orationes, omnia, quam hactenus circumferuntur, auctiora & caſtigatiora. Voſſianum de LXX. interpretibus commentarium nuper apud nos editum indies exſpecto. *Iſaaci* ille foetus eſt, ne tu de patre forſan intelligas. *Gronovii* Senecam quando viſuri ſimus, haud ſcio, quem tamen prodiiſſe jam pridem ſum certus. Magiſtratus ille Academicus, quo nunc fungitur, ab amicis illum ſtudiiſque invitum frequenter avocat. Deſtinari hunc *Freinsbemio* ſucceſſorem ab Electore Palatino, jamque ad ſpartam illam adornandam eſſe invitatum, *Langermannus* ejus agnatus ad me Hamburgo proxime perſcripſit. Literis tuis ſi illum compellandum cenſes, eas mihi committe. Ita enim fiet, ut recte curentur. Caeterum quod neglexeram propemodum flagitare, cum praecipue flagitandum mihi propoſuiſſem, hoc eſt: ut hoſpitio meo utaris, cum feriae proximae excurſum ad nos

tibi

tibi permittent. Dies hybernos perbreves foris inter amicos tum licet exigas, veſperas longas & intempeſtas domi in mea bibliotheca. Hoc quemadmodum enixe peto, ita te gratificaturum hîc mihi confido. Ad Nepotem, Tacitum, Apulejum, & Sarisberienſem quae obſervas, docta, ingenioſa & te digna ſunt, praeſertim quae ad vitam Agricolae notaſti. Eorum copiam jam feci Perillustri *Schelio*, cujus exactos de Caſtrametatione Romanorum commentarios apud me vidiſti. Is enim & tui perquam ſtudioſus eſt, & Urbicium a te votis ardentiſſimis expectat. Suas etiam in Tacitum conjecturas typis deſcribendas nunc curat. In Nepote locum male affectum neceſſaria diſtinctione feliciter ſanaſti. Lemmata etiam ſingulis virorum illuſtrium vitis reddenda eſſe opportune mones. In Tacito quoque, quae corrigis, perplacent omnia. Illud unum, quod in *Fulvi Urſinii* codice legitur, *& vix munimentis coercitum militem accendendum adhuc ratus*, ferri poſſe cenſeo. niſi mavis *militem voce accendendum*. Ut τὸ *voce* τοῖς *munimentis* opponatur. *Accendere* hac ſignificatione etiam Silio Italioc ſemel iterumque me recordor reddidiſſe. Noſti Virgilianum illud.

Aere ciere viros, Martemque accendere cantu.

Apud Apulejum τὸ *acre in percipiendo ingenium* jam occupavit poſtremas editiones. Alter apud illum locus foede interpolatus eſt. Quod τὸ *labore & elegantia* bis repetitum ſatis innuit. Quod ſi legas. *Verum cum ſe Socrati dediſſet, non ſolum ingenio atque doctrina caeteros Socraticos vicit; verum etiam ſapientiam ab eo ſibi traditam labore illuſtravit, aſſerere niſus eſt, & eleganti* (hujus periodi omnia ex antiquis membranis caſtigantur) *perque venuſta majeſtate verborum plurimum ei adhibuit dignitatis*. Paulo ante, *Tantoſque progreſſus exercitatio contulit ei, ut Pythia & Iſthmia de lucta certaverit*. Viri eruditi in poſtremis editionibus ex fide veterum membranarum repoſuerunt, *deluctata*, perperam. Scribendum enim nulla mutatione, *Iſthmiade lucta*. Sic Ἰσθμιὰς νίκη apud Graecos. Apud Phaedrum libelli initio, *quod arbores loquantur*, merito tibi negotium faceſſit. Quare aut, ſtatuendum Phaedri multa intercidiſſe, aut locum eſſe mendoſum: fuit cum opinarer, librariorum ſupinitate naevum obrepſiſſe ex veteri ſcriptura, quod *abiquole loquantur*, pro *aviculae*. hinc *arbores* a male feriatis Criticis formatas eſſe. Apud eundem aliud nunc mihi agenti haec duo loca ſeſe offerunt. Fab. LX. editionis Ritters.

Sic valeas, inquit, ut farina es, quae jaces.

Nihil urbanitatis aut acuminis in hoc dicto agnoſcas, quare ſuſpicor a manu Phaedri eſſe litteris tranſpoſitis, *ut farina es, quae necas*, vel *neces*. Sic valeas, inquit, ut per te valent illi, quos occidiſti, ſarcaſmus eſt cum imprecatione conjunctus. Ibidem ſcribe, *comprenſus occubuit neci*, non *compreſſus*. Alter locus eſt fab. LXIV. de Medea

Quae ſaevum ingenium variis involvens modis.

Rectius opinor fore, *variis involvens dolis*. Naſo Met. VII. 297. in hac ipſa de Peliae filiabus narratione,

Neve doli ceſſent, odium cum conjuge falſum
Phaſias adſimulat.

hinc

hinc πολυκηδὴς Apollonio dicitur

Μνήσατο Μηδείης πολυκήδεος ἐντεσιάων.

percurram elegantiſſimum ſcriptorem brevi denuo, cum tantillum otii eram nactus; ſi quid conjecturarum ſuper locis depravatis inter legendum mihi ſubnaſcetur id omne tui, juris tuique arbitrii ſum facturus. Habes hîc epiſtolium ad *V. C.* Socerum tuum. Vale, vir eximie, meque benevolentia tua complecti perge. Dabam Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXI. ad diem XV. Novemb.

EPISTOLA VII.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

INgens tuae litterae mihi nuper attulerunt gaudium, cum propter alia, tum praeſertim ideo, quod videbam non diſplicere tibi, quae tanta libertate nuper ſcripſi. Erant pleraque hujuſmodi, ut dubitarem ipſe, nec monſtrare tibi auſus fuiſſem unquam, niſi ad temeritatem hanc ſingularis tua bonitas humanitaſque meum animum natura ſua timidum alioqui, & ſibi ipſi diffidentem, provocaſſet. At tu ea putaſti eſſe tanti, ut & communicare aliis dignatus ſis; perilluſtri cum primis *Schelio*, a quo ſi, quae ipſe de nugis hiſce meis judicaverit accipies, perſcribere ad me non omittes, quando paratos habeo in Agricolam commentarios, quibus expono libellum illum, prout quondam feci hîc in Academia publice. Qui cum lucem forſan aliquando ſint viſuri, mea intereſt noviſſe, quid alii viri magni de conjecturis meis ſtatuant. Caeterum, cum ſemel inter nos coeperimus de hoc genere confabulari, ecce tibi alia nonnulla, quae in Cornelio obſervavi. Vita Miltiadis cap. 4. ita legitur. *Hoſtes eadem re fore tardiores, ſi animadverterent auderi adverſus ſe tam exiguis copiis dimicare:* non ſcio an Latinum ſit, *audetur dimicare*, *audetur facere:* exemplum ſane fateor me obſervare nullum. Ergo puto pro *auderi*, *audere* ſcribi oportere, confirmatque conjecturam meam codex vetus optimae notae, quem a me dono accepit *Boeclerus*, & in adornanda poſtrema ſcriptoris illius editione non ſine fructu adhibuit, licet, unde codicem acceperit, diſſimulet: nam in eo clare legitur *audere*, quod tamen monere *Boeclerus* ſomiſit. Mox. cap. 7. *copias e navibus eduxit*, habent; verum illud e *navibus* non agnoſcebat codex ille meus, ex quo fit, ut gloſſema eſſe putem. Ibid. c. ult. pro, *tum mira comitas*, lego, *communitas*, ut & *Schottus* fecit, nec placet expoſitio *Boecleri:* agitur hîc enim de facilitate admiſſionum, quae poteſt eſſe abſque comitate; quod oſtendit *Cicero* in epiſtola quadam ad Q. Fratr. *nihil intereſt habere oſtium apertum, vultum clauſum*; Vita Themiſtoclis cap. 6. *triplex Piraeei portus conſtitutus eſt, iſque moenibus circumdatus, ut ipſam urbem dignitate aequaret.* Ita habent omnes editi, quo fit, ut τὸ *iſque* referretur ad praecedens *portus:* ego autem obſervavi, meum illum codicem *i* duplex jungere, ſicut ſaepe fit in MS. Sic ubi ſupra cap. 4. legitur *ingratiis*, in meo fuit *ingratis*; ubi in Miltiad 3. legitur *interiiſſent*,

meus habuit *interiſſent*; ſimili ergo modo hîc pro *iſque* ſcribendum *iiſque*, & ad *moenibus* referendum videtur; ita ſimul reſpondebit optime quod ſequitur, ut *ipſam urbem* &c. Cap. 7. vulgo ſic diſtinguunt, *dedit operam, ut quam longiſſime tempus duceret, cauſam interponens, ſe collegas exſpectare. Cum Lacedaemonii quererentur opus nihilominus fieri, eumque ea re eruari fallere, interim reliqui legati ſunt conſecuti:* Ignoro, an non melius poſt *exſpectare* comma, & poſt *fallere* punctum poneretur; ſenſus eſſet, cum quererentur Spartani ducere tempus, & nihilominus procedere opus, Themiſtocles interpoſuit hanc cauſam; quae facta veriſimilis, quia interim legati venerunt. Sed de his plura alia vice. Venio ad Phaedrum, proque locis dubiis in eo indicatis ſanatiſque ſummas ago gratias. Quod reſpondiſti *ad arbores* in praefat. libri primi, ingenioſiſſimum eſt; ſed vellem libri veteris auctoritas accederet, omnino enim locum cenſeo corruptum, non deeſſe fabulas multas. Fab. 12. l. 1. pro *retentis impeditus.* mallem *retentus impeditis.* Id f. 16. pro *mala videre*, mallem, *mala ridere.* Lib. III. f. 1. *qualem te dicam bonam*, varie hoc immutant, quid ſi dicemus ordinem eſſe, *qualem te dicam fuiſſe antehac bonam. Bonam* id eſt cum adhuc eſſes bona; Quid? ſi pro *bonam*, legamus *vivam*, ut alludatur ad vocabulum *reliquiae*, quaſi obierit nunc epota. Ibid. f. XII. vellem ſcire, quid de iis verbis *amiſſo corpore* cenſeas. *Praſebius* tentabat, *abſciſſi corporis*, *vel*, *amiſſi roboris*; neſcio an non *corpus* hîc virilem partem poſſet denotare ſenſu peculiari. Simile tamen exemplum apud alios requiro, nec invenio. Ibid f. XV. ſcribo, *cur hac ſit potior? quod jacentis miſerita eſt.* Duo ſunt, qui loquuntur; canis quaerit cauſam tam pravi, ut rebatur ipſe, judicii, reſpondet agnus. Lib. IV. f. 14. hanc fabulam jungendam cum ſuperiori puto. f. 17. pro *adeunt* ſcribunt, *abeunt:* nam ſequitur mox de aditu. Mox pro *confuſus* puto reponendum, *confuſi*, ut referatur ad canes, nam illud *confuſus fragor* diſplicet. Fab. 23. pro *mori contractum cum te cogunt frigora*, mallem *contracta.* Sic *contracto frigore* Virg. & *contrahere morbum.* Mox fab. 24. pro *laudes duae*, mallem, *laudis duae*, ſcio *Faburn* ſcribere, *laudes*, *duo:* ſed pondera mecum & judica. Statim poſt emendant varie illud *irate*; ego retineo, & pro *ſentiam* ſcribo *ſentias*, ut referatur ad Simonidem: cur enim de ſe ipſo metueret? Mox pro *corpora*, ſcribo, *corpore*, & jungo cum ſequentibus, *humanam ſupra formam:* nam *diffluentes corpora* non bene cohaeret. Fab. 23. pro *exiſtima*, ſcribo, *exiſtimo*, ut ſit formula confitentis importunitatem; Item pro, *qui ſinceras conſcius*, puto, *ſincere*; nam *ſincera integritas* tautologiam ſapit. Lib. V. f. 1. pro *repetunt*, mallem *adreptant*; Habes, nobiliſſime domine, meas de his locis cogitationes, quas ideo hîc congeſſi, ut de iis ſemel judicium tuum audiam. Non placebunt omnes, ne mihi quidem placent. Quia tamen venerunt in mentem volo per has provocare ac velut elicere tuas longe meliores, vel ſi quae placebunt, eas tua ſtabilire auctoritate contra aemulos, ac invidos. Interea te oro amiciſſime ignoſcas nugis hiſce meis, & per eas tempus tibi eripi ne aegre feras. Habeo neminem alium, cui communicare iſta commode queam, & in mea unius ſententia acquieſcere non ſuſtineo. Quod ſi tamen praeter opinionem meam haec moleſta tibi videbuntur, ſcribe, operam-

ramque dabo, ne te amplius in posterum offendam. De *Gronovio* quae scribis, mira sunt. Etsi autem commode vivatur Heidelbergae, non patior tamen mihi persuaderi, ut vel suspicer *Gronovium* cum illa Leidam velle permutare; Sed qui! tu sentias, cupio intelligere. Video & optimum ac candidissimum *Langermannum* adhuc vivere ex tuis, atque vehementer laetor; nihil de eo audivi, ex quo ante tot annos Upsaliae vale dixit. Quod si occasio fuerit ejus salutandi meo nomine, res mihi erit gratissima, si eam non omiseris. Vale, nobiliss. domine, ac festinationi meae turpiterque formatis litteris ignosce, aliter non licuit propter negotia diversa, & brevitatem temporis, iterum vale. Scribebam Upsaliae 26. Novemb. CIↃIↃCLXI.

EPISTOLA VIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upsaliam.

ALloquia tua, vir ornatissime, cum per se admodum grata sunt, tum hoc nomine longe gratissima, quod reconditae semper eruditionis multum depromant & secum trahant ex uberrima illa scientiarum penu, quam longis vigiliis instruxisti. Hoc quoque benignitatis tuae est, quod obloquentem liberrime non adversaris, in qua re si nonnunquam nimis mihi indulgeo, arbitrari te velim, non studio dissentiendi id a me dari, aut vitilitigandi prurigine me laborare, sed invitari te hac tessera ad eandem libertatem, quam mihi vindico. Ab illustri *Schelio* ubi responsum accepero, quid ille de locis in Tacito per te restitutis sentiat, ut intelligas, operam dabo. *Audere* pro *Auderi* quod reponis apud Nepotem vita Miltiadis, ut & caeteras ad eundem scriptorem conjecturas tuas laudo & amplector. etiam illud apud Phaedrum, *retentus impeditis cornibus*. Alter ille locus apud eundem valde perplexus ex libro I. fab. XVI.

Fraudator homines cum advocat sponsore improbo,
Non rem expedire, sed mala videre expetit.

Claudicant enim numeri priore versu. Veteres membranae apud *Rigaltium* agnoscant, *fraudator nomen cum locat sponsu improbo*. De utraque lectione hanc constituebam jampridem,

Fraudator nomen cum advocat sponsu improbum,
Non rem expedire; sed malum dare expetit.

Modus loquendi ex jure depromptus. *nomen improbum*, pro valde improbo, ut *bonum*, *malum nomen*, & similia. Possit & refingi, *Fraudator nomen cum obligat sponsu improbum*: & *locat* & *obligat*, cum *c* & *g* in antiquis membranis, frequenter confunduntur. Sed alteram conjecturam longe veriorem duco, cum, inquit, fraudulentus homo alium pro se hominem improbum fistit vadem, non hoc agit, ut rem expeditiorem reddat, sed ut malum det. *Malum dare* passim apud Comicos occurrit. Ita jam olim conjeceram, tu videris, an feliciter. τὸ *mala videre* tuum illud ad vulgatam scripturam propius accedit: Fab. XVIII.

Onus naturae melius quo deponeret. Non damno hanc ſcripturam, meliorem tamen fore exiſtimo, ſi reponas, *onus maturum*, ut apud Naſonem, II. Faſt. 541.

Parce, precor, gravidis, facilis Lucina, puellis,
Maturumque utero molliter aufer onus.

Humi jacebat ibidem malo, quam *humo*. Libro III. fab. 5. videtur ſcribendum

— — — Qualem te dicam, ô bona,
Ante hac fuiſſe?

ô bona, quomodo *ô bone*, paſſim apud Comicos. Eadem fabula malim,

Adhuc Falernae faecis teſta e nobili
Odorem quae jucundum late ſpargeret:
Hunc poſtquam totis avide attraxit naribus.

Quae Falernae faecis odorem adhuc ſpargeret e teſta nobili. fab. XI. *amiſſi roboris* Praſchianum placet. Aliud certe non ſuccurrit, quod propius accedat ad vulgatam ſcripturam. Nam *corpus* pro virili parte ſumi poſſe vix exiſtimem. Lib. IV. fab. XVII. verſ. 2. *tempus oratum ſuae.* aut *ſuos* legendum eſt, videlicet *legatos*, aut *ſibi*, qui pro ſe orarent melioris vitae tempus. Quod poſterius praefero, cum & *ſeſe* mox ſubſequatur. Pro eo, *vix tandem invenit eos Mercurius*, vide an *reos* ſit a manu Phaedri. Reos, quia citati non reſpondebant. Pro eo, *nunquam carebunt hominis contumelia.* malim *omni contumelia*, vel *hominum. Confuſus ſubito quod fuerat fragor*, merito te offendit, & placet τὸ *confuſi.* Sed τὸ *fuerat fragor* non concoquo, puto, *canes confuſi*, *ſubito*, vel *ſubitus*, *quod ruerat fragor:* ut apud Horatium lib. I. od. XVI.

— — — non tremendo
Jupiter ipſe ruens tumultu:

hoc eſt tonans, & apud Lucretium I. 1098.

Neve ruunt coeli tonitralia templa ſuperne.

Fab. XXIII. optime *contracta frigora* caſtigas. fab. XXIV. placet *laudis duae*, Quod ſequitur,

Verum ut ne irate dimiſſum te ſentiam

In aliis eſt,

Verum ne irate dimiſſum te ſentiam.

Scribebam jampridem,

Verum ut ne ingrate te dimiſſum cenſeas.

Vel etiam,

Verum ut ne iratum dimiſiſſe cenſeas.

Et mox,

Ne male dimiſſus gratiam corrumperet,

non *dimiſſam gratiam* quod vulgo circumfertur: deinde nil mutandum videtur illo verſu,

Sudore multo diffluentes corpora.

Ut ſit Graeciſmus. Poteſt etiam diſtingui poſt *diffluentes*, ut ſubſequatur, *corpora humanam ſupra formam.* neque tamen diſplicet tuum illud *corpore.* Denique

pro

pro *omnes ſcierunt*, lego *ſciverunt*, a *ſciſco*, hoc eſt pronunciarunt. Feſtus *ſciſcere ſententiam dicere* interpretatur. Sil. Ital. VII. 544.

Aequent imperio & ſolem concedere nocti
Sciſcant.

Fabula proxima ut probam conjecturam τὸ *exiſtimo* amplector. Initio fabulae legendum *diſtringit*, hoc eſt diſtrahit: *deſtringere* idem valet, quod ſtringere, ut *deſtringere gladium*: pro quo ſaepe apud optimos ſcriptores perperam *diſtringere gladium* legas: hominem variis negotiis diſtractum deſignat. *Integritatis ſincerae* ferri poteſt. *Sincerum* enim pro illibato aut intemerato ſaepe ſumitur. ut *Sincera voluptas*, *ſincera gaudia*. Lib. v. fab. 1. *adreptant* impenſe placet, aut *arrepunt*, ut propius inſiſtamus ductui litterarum. Si quas praeterea ex conjecturis tuis ſilentio praeterivi, iis a me ſubſcribi tacita relligione velim tibi perſuadeas. Et hactenus quidem tuis veſtigiis inſiſto, alias fortaſſe meae conjecturae tuam cenſuram elicient. Nunc illud addo in tranſcurſu libri III. initio.

Momentum ut horae pereat officii mei.

Malo, *officiis meis*. paulo poſt,

Quamvis in ipſa natus ſim poene Schola.

Miror eruditos interpretes praeteriiſſe, ſcribi oportere, *poenae Schola*. proxime praecedentes verſus eleganter & facete invidiam barbarae patriae a poëta amoliuntur. Thrax enim Phaedrus, & Pieria mons Thraciae Apollonii Scholiaſtae, licet alii Macedoniae eum aſſignent, unde *Pierides Muſae* dicuntur, ut oblique innuat eandem ſibi & Muſis patriam eſſe. Quamvis, inquit, in ſervitute natus, laude invita in hanc vitam incubui. *paenae Scholam* ergaſtulum aut piſtrinum vocat. τὸ *pene* verſus reſpuit, qua voce ſi uti Phaedrus voluiſſet, poterat tranſpoſitis vocabulis jambum omnibus numeris perfectum dediſſe, *Quamvis in ipſa pene ſim natus ſchola*. Sed τὸ *quamvis* ſatis oſtendit illum deflectere a priori oratione. Quare & ſubdit. *invita laude*, ut ſe ſervum natum oſtendat. Illud *curamque habendi*, quo opum conquirendarum ſtudium denotatur, hoc loco intempeſtivum & parum facere ad rem videtur, cum de laude & fama conquirenda agatur; Illud quoque paulo ante, *artium peperit chorum*, nonnihil ſuſpectum eſt. Nam quid eſt *chorus artium*. *artificem chorum*, aut *praeſidem artium chorum* rectius dixiſſet. Sed hoc minimi momenti, & fortaſſis dictum, ut Horatio, *centum puer artium*. A *Gronovio* noſtro tandem litteras accepi, quibus ſignificat *Tanaquillum Fabrum* revixiſſe, de cujus morte falſus nuncius in Belgium erat allatus. Addit praeterea Senecam ſuum in lucem jam prodiiſſe, ejuſque exemplar tibi a ſe deſtinatum eſſe, quod *Elzevirii* Amſtelodamenſes ſe curaturos promiſerint. Sed mari jam clauſo, ne ante tempeſtatem vernam liber huc perferatur valde metuo. Habere praeterea paratum ſe praelo novum de re pecuniaria opuſculum, quod ab Antagoniſta *Schoockio* provocatus conſcripſerit. *Voſſii* de LXX. interpretibus jam proſtare venalem commentarium, in quem Theologi noſtri magna mole ſe involaturos eſſe minentur. Haec ſunt, de quibus ille. Ex Gallia Italiaque litteras rerum novarum

indices expecto quotidie. Tardiorem ad tuas responsionem boni ut consulas etiam atque etiam te rogo. Interventu enim amicorum jam bis factum est, ut inchoatam epistolam coactus sim abrumpere. Tum illud praecipue peto, nequid harum ineptiarum tuis in Phaedrum observationibus inseras, nisi quod probaris ipse. Sine cura enim aut meditatione ulla chartis illevi, quicquid se mihi obtulit, dum Phaedrum cum tua epistola committo. Vale, vir celeberrime, & nisi molestum est, quando nobis exspectandus sis, verbis vel tribus indica. Dabam Holmiae Succorum Anno CIↃIↃCLXI. a.d. XIII. Decemb. Juliani.

EPISTOLA IX.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

QUod de meis nuper ajebas litteris, id ego potiori jure dixerim de tuis. Nihil enim est in iis, nisi singulare ac eximium, & quod non modo satisfacit meis desideriis, sed & jucundissimis accessionibus ea supergreditur. Scilicet de uno alteroque Phaedri loco tibi sententiam meam aperui; tu non modo quid judicares de iis, sed & quid de aliis censeres similibus, benignissime juxta & doctissime significasti. Quo magis miror, nolle te communicari ea publice cum aliis, cum a nemine meliora doctioraque queant. Sane si haec talia sunt occultanda, quid facere meis debeam, vel te judice, intelligo. Sed audebo boni publici gratia peccare in imperia tua, & si non omnia, pleraque tamen meis admiscere, ut ex his auctoritatem illis conciliem, & pro singulari hoc amicitiae officio gratias tibi agam debitas. Quod autem nuper non speraveram modo, sed & firmiter propositum habebam excurrere ad vos, pluribusque diebus uti selectissima Bibliotheca tua, prout liberalissime benignissimeque concesseras, id totum nunc mutare cogor, partim valetudine minus prospera impeditus, partim ob difficultatem viarum in tam remissa hyeme: interea pro humanissima invitatione tua summas tibi ago gratias, usurus bonitate tua, cum primum per meliorem corporis constitutionem, & caetera, quae me nunc impediunt, licuerit. De litteris nunc nihil addo, ne te nimis frequenter interpellando nugis hujusmodi iratum mihi faciam. Caeterum quod de optimi *Gronovii* sententia in loco Taciti adnotasti, ante ignoravi, quoniam illae quidem ejus curae in Statium mihi nunquam visae sunt. Quanquam autem de acerrimo viri doctissimi judicio nil dubitem, nescio tamen, quomodo mihi mea conjectura magis placeat, cum quia, sicut vulgo dicitur, suum cuique pulchrum, tum praesertim, quia & a veteris scripturae vestigiis minime recedit, & sententiam habet obviam clarissimamque. De ceteris impatienter judicium illustr. *Schelii* expecto, quem interim, si putabis non ingratum fore, meo nomine salutabis officiosissime. Cupio enim per te innotescere & ipsi, & aliis viris magnis amicis tuis, si modo me putabis eum, cujus non dedignaturi sint obsequia officiaque; Interea tu vale, domine, & me porro

amare

amare perge; Deus te ſervet, novumque annum cum ſequentibus plurimis proſperum laetumque tibi eſſe jubeat; Iterum Vale, Upſaliae 17. Decemb. CIↃIↃCLXI.

EPISTOLA X.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upſaliam.

PArum intelligis elegantiam tuarum literarum, vir eximie, & voluptatem ſummam, quam ex iis percipio, ſi opinaris fieri poſſe, ut ſis nimius, utcunque me compelles aſſiduus. Ad Phaedrum quae tibi ſuggeſſi hactenus, tenuia & jejuna prorſus ſunt, quorum ſterilitatem meliora forſan aliquando compenſabunt. locus ille, qui me nuper exercebat,

Quamvis in ipſa natus ſim pene Schola,
Curamque habendi penitus mente eraſerim,

Recte ſe habere mihi poſtea viſus eſt in vulgatis editionibus, niſi quod priore verſu *poenae* reponendum eſt, ut tum monui, ſive vocem illam cum *Schola* conſtruas, & *poenae Scholam* ergaſtulum interpreteris, ſive *natus poenae* dixerit Phaedrus, pro *natus ad poenam*, quod verius opinor. Sic *natus bello*, *natus foro*, *natus rebus* gerendis, cujuſmodi frequentiſſima exempla apud optimos ſcriptores paſſim occurrunt. Sic Naſo

Non tu natus equo, nec fortibus utilis armis.

Verſu poſteriore, *curam habendi* pro ſtudio opum conquirendarum poſuit, ut apud eundem Naſonem arte Amatoria,

Nec nos ambitio, nec amor nos tangit habendi,

Et alibi quoque non uno loco. Hoc igitur vult Phaedrus, vix potuiſſe ſe emergere & eluctari ad famam prae auguſtiis rei familiaris, cum arduum ſit prorſus & perquam difficile homini omnium indigenti ad gloriam eniti. Huc ſpectant, quae de divitiis amici ſui mox ſubjungit. Superiora mire elegantia & feſtiva ſunt, ubi barbaros natales excuſat, matrem Threſſam, quod gens mulieres per Graeciam contemptiſſime olim habebantur, quod facx meretricularum ex Threſſis potiſſimum conſtaret, quo & illa Herûs apud Naſonem ſpectare monui in notis ad Epiſtolam XIX. verſ. 100.

Interdum metuo, patria ne laedar, & impar
Dicar Abydeno Threſſa puella toro.

Ita enim ex optimis membranis reſtitui, & pluribus ea illic loci illuſtravi. Quae tamen cum chartis illinebam, haud ſuccurebat, Antiſtheni quoque Philoſopho, teſte Laertio Diogene, matrem Threſſam exprobatam fuiſſe. Extat praeterea locus inſignis hujus argumeti apud Theophraſtum in Characteribus, capite περὶ κακολογίας, ubi pro inſigni contumelia iſtud ingeritur, ἡ μὲν τολμήτης εὐγενὴς Θρᾴττα ἐϛι; τὰς δὲ τοιαύτας ἐκτῆ πατρίδι εὐγενεῖς εἶναι φασίν: erant enim ancillae plerumque, & quidem impudicae, ut jam dixi: ſed haec praeter inſti-

ſtitutum, de quibus plura, cum ad Phaedrum revertemur. Nunc monendum te duxi, habuiſſe me ab *Elzeviriis* literas, quibus nunciant, exemplaria duo Senecae Gronoviani homini amico in Sueciam contendenti eſſe tradita, quae is ſe perlaturum ad me ſit pollicitus; horum alterum cum tibi deſtinatum ſit, ſcire pervelim, qua illud via ad te curari velis, ne diutina ejus expectatione torquearis incaſſum. Praeterea exploratos habere velint mores *Curionis* noſtri iidem *Elzevirii*, meque percunctantur, hominemne & probum & diligentem eſſe cenſeam, cuique libros per Sueciam diſtrahendos tuto poſſint credere. Operam enim hîc ſuam a me offerri *Elzeviriis* ambitioſe jam pridem contendit ipſe *Curio*. Si opinaris e re illorum non fore, ut commercium hoc cum illo exerceant, mone me, quaeſo, vel tribus verbis. Index ut celeris, ipſos etiam *Elzevirios*, religioſe operam dabo. *Voſſii* Etymologicum jam credo lucem aut videt, aut mox videbit. Apud Gallos Italoſque quid rerum geratur ut cognoſcas, mitto hîc *Bigotii* epiſtolam, quanquam difficili charactere conſcriptam, cum in ea ſint nonnulla, quae te ſpectent; eam, ubi oportunum ac commodum erit, remittes. Quanquam ejus te latorem complecti malim. Eris certe hoſpes longe mihi acceptiſſimus. A *Schelio* necdum accepi reſponſum. De loco Taciti ut Gronovianam ſententiam plenius intelligas, deſcribenda curavi, quae ille ad ejus illuſtrationem congeſſit. Vale, & cura corpus infirmum diligenter. Exarabam Holmiae Suecorum Anno CIↃIↃCLXII. quem tibi tuiſque proſperum ac fortunatum voveo. a.d. III. Januar.

EPISTOLA XI.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

DUplici beneficio me affeciſti nuper, Domine, nam & locum Phaedri difficiliorem explicando, reddidiſti eruditiorem me, & tranſmittendo litteras Cl. *Bigotii* dediſti operam, ut intelligerem, quicquid fere per orbem eruditum hodie geratur. Ac ut de *Bigotii* literis primum agam, video ex eis viri optimi egregiam erga me voluntatem, hocque nomine non parum mihi gratulor, tibi autem ago gratias, cujus opera, etiam tacente te, intelligo ſatis effectum, ut *Bigotio* notum eſſet *Schefferi* nomen. Quod vero attinet Mauritium vel Urbicium mihi miſſum ab *Holſtenio*, ſunt illius libri XII. ex quatuor MS. duobus Barberinis, Mediceo & Farneſiano. Integri omnes cum ſuis lemmatibus, exceptis pauculis locis; totum opus conſtat centum & triginta circiter paginis in folio, ut vocant. Si, quae ipſe ex Mediolanenſi codice deſcripſit, mittere huc volet, faciat mihi rem gratiſſimam, quando finitis eis, quae de natura & conſtitutione Philoſophiae Pythagoricae nunc habeo ſub manibus, Mauritium toto animo aggrediar exponere. Quod de Aeliani & Leonis tacticis addit *Bigotius*, pariter eſt gratiſſimum; miſit quidem & ea ad me *Holſtenius*, collata cum codicibus MS. ex quibus expletas habeo lacunas omnes, quae hodie in edi-

editis comparent; ſed codicis Mediolanenſis nullam facit mentionem unde ſuſpicor, *Holſtenium* eum non conſuluiſſe, atque ſic ex eo aliqua haberi poſſe, quae in caeteris non inveniebantur. Interea cum ad Cl. *Bigotium* ſcribes, velim explores, num quid habeat aut ſciat de peculiari *Aeliani* opere περὶ τῶν ἐν ταῖς ναυμαχίαις συντάξεων, ut appellat ipſe cap. 2. & *Arcerius* ſupereſſe putat, ac deliteſcere in Bibliotheca Regis Sereniſſimi. Nam ſi hoc foret, neceſſe eſſet, ut hoc opus illi alteri adjungeretur. Atque iſta quidem ad illam partem litterarum Cl. *Bigotii*, quae ad me ſpectabat. Venio nunc ad tuas, ac de *Curione* quidem ante omnia reſpondeo; videri recte facturos *Elzevirios*, ſi quid ſuarum rerum ipſius fide committant; notus mihi *Curio* eſt tredecim retro annis, & ita notus, ut de ipſo nihil dubitem, diligens eſt in rebus & negotiis ſuis, ut qui maxime. Praeterea ſobrius, ut nec aleae nec veneri deditus, quibus alias virtutibus vulgo noſtri ſe ſuaque peſſime perdere conſueverunt: itaque & Academia typos ſuos totamque officinam ei committit, effecitque apud Regem Sereniſſimum, ut pulcherrimis privilegiis & immunitatibus fruatur. Senecam Cl. *Gronovii* per neminem huc ad me curaveris, quam affinem meum, rectius, cujus nomen *Petrus Salanus* Regii dicaſterii Notarius, ut vocant, apud quem nuper, cum Holmiae eſſem, divertebam; & ſcribam hodie ad ipſum eo nomine. In Phaedri loco habes me conſentientem tibi, atque ſimul devinctum, ſicut dixi; non tamen aegre feres, ſpero, ſi quae mea prius fuerit ſententia de eo, hîc adſcripſero. Videbatur mihi Phaedrus toto eo loco hortari Eutychum, ut, ſi velit operam dare literis, & eruditioni, ſerio id agat, non obiter, nec per otium, ut fere faciunt, qui in aulis vivunt, cujuſmodi aliquis Eutychus ille fuiſſe videtur: cauſam autem addere, quod eruditio, niſi multo ſerioque labore, non poſſit comparari, atque ut hoc efficacius diceret, addere proprium exemplum, & dicere, licet ego ſim editus in monte Pierio, ubi Muſae habitant, omnemque eruditionem produnt, licet adeo in ipſa paene Schola & officina litterarum (ſic montem Pierium propter Muſas vocare videbatur) ſim natus, ac neque opibus corradendis operam dederim, nec adeo gloriae aut famae, quae longe aliam viam jubet incedere ſectatores ſuos, hoc praeſertim tempore, quo litterae contemnantur ſcilicet, tamen aegre obtineo a Muſis, ut me recipiant in coetum ſuum, & me ſolidae participem faciant eruditionis. Quomodo tu putas ad eruditionem eos poſſe pervenire, qui obiter hoc agunt, de caetero toti ſunt in cumulandis opibus & ſimilibus rebus? Hoc putabam velle Phaedrum, quia enixam ſe eſſe jugo Pierio matrem ſcribit, non tam a ſerva exiſtimabam natum (cum Thrax a Thrace editus in Thracia non videbatur fuiſſe ſervus) quam poſtea caſu quodam ſervum eſſe factum, & idcirco neque *libertinum*, ſed *libertum* dici fine libri tertii. Poſtremo captum forſan eſſe puerum eo bello, quod adverſus Thracas geſtum eſt ductu patris Octavii Auguſti, cujuſque meminit Suetonius in Aug. cap. 3. Haec ego quondam, ſicut dixi, de hoc loco ſuſpicabar, quae tu amplius examinabis, ſi ita videbitur, nec tam diſſentientem me, quod jam ſum teſtatus, quam haerentem confirmabis. Remitto ſtatim ad te epiſtolam *Bigotii*, proque ea gratias maximas

ago, denique per te amplius innoteſcere illi deſidero; quare ſalutabis eum per officioſe meo nomine & ad praeſtationem promiſſorum adhortabere. Faciant ipſe, ſi per te non ingratas illi fore meas litteras intellexero. Nam nunc quidem non audeo, niſi tu prius conciliator interveneris. Et quia paulo ante Aeliani mentio eſt facta, ſcire velim, utrum non & variae hiſtoriae ipſius exſtent plura in Bibliothecis, quam hodie circumferuntur, & an ejus variae lectiones aliunde poſſint haberi, quia enim eum ſemel iterumque edidi, & fortaſſis denuo edam, non poterunt non talia mihi magno eſſe uſui. Sed ego longis nimis nugis te detineo, nec niſi moleſtiam faceſſo tibi meis litteris, itaque claudo, teque, nobiliſſime domine, plurimum valere jubeo, huncque annum cum ſequentibus multis cum hilaritate proſperaque valetudine tranſigere. Quod votum coram ipſe apud te pronunciaturum me ſperabam; nunc me prohibet virium imbecillitas & labores publici, quos jure ſuo exigit a nobis Academia, & juventus ſtudioſa, itaque hac quidem vice gratias humanitati tuae ago ſummas, uſurus oblato beneficio occaſione proxima. Iterum vale; Upſaliae a. d. 7. Januar. CIↃIↃCLXII.

P. S. Quis eſt is in litteris *Bigotii*, qui de optimo genere interpretandi Graecos auctores ſcripſit? nam nomen ejus ob maculam in charta delotum legi non potuit.

EPISTOLA XII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upſallam.

HAud invitus ex tuis intellexi, vir Clariſſime, nequaquam ingratum tibi fuiſſe tenue officium, quod epiſtolam *Emerici Bigotii* tecum communicarim: faciam id ipſum porro, quoties ad me perferentur nuncii peregre, quos tua cognitione non indignos eſſe judicabo; ſignificavi interim *Bigotio*, quae perſcribi ad illum volebas: nec dubito virum egregrium, cum in aliis omnibus mecum ſentiat, pari quoque tui demerendi ſtudio flagrare. Sed & *Curionis* cruſſam egi apud *Elzevirios*. A *Schelio* litteras accepi, quae teſtantur epiſtolam meam cum tuis in Tacitum conjecturis illi redditam fuiſſe. De ipſis tamen conjecturis ſententiam ſuam non tam prodit, quam proxima occaſione ſe proditurum pollicetur. Habui & Florentia literas a *Carolo Dato*, cui *Gudium* ad Italos contendentem verbis ſeriis commendaram. Ejus ille cum non meminerit, vereor, ne quid adverſi juvenis eruditus in via ſit expertus, quem ſalvum unice velim, vel Phaedri tui cauſa, quod certo perſuaſum habeam, terſiſſimum ſcriptorem ex Rhemenſibus membranis longe caſtigatiorem prodire poſſe. Si quid oportunae occaſionis ſe tibi offeret, commodis ejus invigilandi ac proſpiciendi apud Procerum Suecorum nonnemines, qui liberis erudiendis praeceptorem quaerat, *Gudii* noſtri ne graveris meminiſſe, quaeſo. Nam aut ſub tarnam tempeſtatem ille in Belgium revertetur, aut revertetur nunquam. Se-

neca

neca doctiſſimi *Gronovii* nondum ad me perlatus eſt. cum perferetur de tuo exemplari ſtatuam, quemadmodum voluiſti. Meas in Phaedrum conjecturas, quas alibi occupatus chartis illeveram, nimis indulgenter habuiſti. Sunt enim in iis nonnullae, quas damno ac rejicio ipſe. Locum illum initio libri III. non ſatis diligenter perpenderam. Quare accedo tibi in alia omnia cunti. Verſus tamen ille non ſatis videtur reſpondere menti ſcriptoris,

Et laude invita in hanc vitam incaluerim.

Nam ſi neglectus opum conquirendarum, ſi literata educatio ad famam comparandam faciunt, cur *laude invita* ſe natum ſubjungit? Poſterior ſyllaba *i pene* producta videri poſſet ob ſequentes duas conſonantes. Nunc ſententiam tuam explorandam duco de initio libri IV. Verſus pauciores ſunt, ſed valde mendoſi, numeris etiam turbatis, praeſertim illa, *fabulae exaudiant adeo fugatae.* Quae temerario prorſus conſilio ab editione ſua *Faber* relegavit, ejecta etiam voce *detrito*, unoque pro duobus verſu exhibito. Ad *Bigotium* nihil impedit, quominus ſcribas ipſe. Eſt enim vir officioſiſſimus, & qui nobilitatem gentis cultu literarum egregie exornat. Literae, ſi quas parabis, diligenter a me curabuntur. Aeliani variae hiſtoriae veterrimum exſtare exemplar in Medicea bibliotheca *Voſſius* ſubindicavit. Quam vere hoc ab illo affirmetur, ex *Dato* mox reſciſcam. De optimo interpretandi genere qui ſcripſit, eſt *Flaetius*, quem Holmiae noviſſe potuiſti, domo Gadomenſem, ni fallor. Fuit enim in Suecia, ſed illo tempore, quo Italiam ego perluſtrabam. Vale, vir Celeberrime. Exarabam Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXXII. a. d. XVII. Januar.

EPISTOLA XIII.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiae.

BInas tuas, Domine accepi. Adjunctum poſterioribus *Iſaaci Voſſii* opus avidiſſime evolvi. Quaeris, quid de eo ſentiam, non ſum is, qui de talibus judicium ferre ſuet poſſim ſive debeam. Hoc ſaltem ajo, plus in eo eruditionis ac ingenii me reperiſſe quam putarem, & a me quidem *Voſſius* facile fidem impetrat eorum, quae diſſerit de aetate mundi. Sunt quidem aliqua, quae majorem expoſitionem poſtulant, ut ea de diluvio non orbis univerſi, verum partis, item ſera primorum hominum faecunditate, & id genus. Verum haec & explicari poſſunt, ut opinor, & ſi vel maxime non poſſent, caeterae ſententiae nil derogant. Dabo uni alterique noſtrorum Theologorum id ſcriptum legendum, quidquid ipſi ſentiant, de eo proxime ſignificabo. *Meurſium* remitto cum ſummis gratiarum actione, liber eſt utiliſſimus, ſicut omnia ejus viri, quae in Graecas antiquitatibus ſcripſit. Nobiliſſ. *Sabelli* eruditiſſimas in Tacitum conjecturas ſumma cum voluptate legi, ſunt omnino ejusmodi, quales recipi ab omnibus meruerunt. Fabula de *Maro* prorſus eſt ridicula. Novi eum ab annis bene multis, producente me in notitiam ipſius Cl. Domi *Jacobi Got-*

Iofredo, cum adhuc Genevae eſſet. Quid? ſi reviviſceret *Salmaſius*, quam latum dicendi campum haberet? Ex *Dati* litteris pauciſſima intellexi, tum quia linguae Italicae parum dedi operam, tum quia valde contorti ſunt literarum ductus, ut in multis divinare fuerim coactus. Video tamen neſcio quid de pictura videri promittere, quod utinam prodiret cito, & ad manus meas perveniret; ſcripſi ego jam olim ea de re nonnihil, quod cum his conferre opto. Ad Phaedri verba, *laude invita*, iſta noto: *invita*, quippe quae me alio trahebat, cum in iſto vitae genere intelligeret, ſe mihi non poſſe prodeſſe; vult, ſe nullam ſpectaviſſe laudem gloriamque in eligendo hoc vitae genere, Scholiaſtico ſcilicet ac litterato, non magis, quam divitias; ſi enim iſtoc voluiſſet, debuiſſe aliud vitae genus ſequi, quod vulgo magis laudatur, cui laus eſt favorabilior; Tu videbis, Domine, num ſenſum attigerim. Verſus libri v. *detrito Myronem argento &c.* expoſueram in primis meis ad Phaedrum curis, pro ut intelligendus videbatur; ſed quia poſtea cognovi, non ſolum *Fabrum*, ſed & ante ipſum *Rigaltium* aliter eos legere, hunc que poſteriorem codicis Remenſis allegare auctoritatem, malui hoc ſequi. ſcis, quid de ipſis ſentiat *Salmaſius* in Exerc. Plin. Sed nec ex expoſitione ejus, nec ex emendatione ſenſum commodum percipio. Si meam voles mentem ſcire, ſcribam proxime, nunc enim vix has paucas literas aeger & in lecto jacens conſcribere valeo. Peto, ut, niſi grave eſt, exponas mihi mentem tuam de loco libri III. f. 2. ubi utitur *ſ pro vita rogare*. Emendat hunc locum *Schoppius* in infamia Famiani velut minus Latinum: & ſane *rogare pro aliquo* non memini legere, ſi quid noſti communica, & inibis magnam gratiam, non ſolum apud me, ſed & omnes alios, in quorum manus venient. Sed cogor hanc epiſtolam claudere propter cauſas, quas jam dixi, Vale, pluraque expecta, ſi rurſum, id, quod brevi fore ſpero, convaluero. Iterum. Vale, a. d. ſ. Febr. CIↃIↃCLXII.

P. S. mittere has cum *Curione* ante biduum conſtitueram, ſed neſcio quae cauſae ipſi injecerint moram, igitur *Meurſii* opuſculum tradere alii ſc. Dn. *Iberingio* coactus ſum, qui ſe redditurum tibi poſt diem unum alterumque recepit. homo eſt probus & in aula illuſt. Cancellarii notiſſimus, ut de fide ejus non dubitem, de valitudine mea non habeo, quod hac vice ſcribam amplius.

EPISTOLA XIV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upſaliam.

VAletudinem tibi parum pro votis ceſſiſſe jam pridem, equidem invitus audio. Eam igitur ut cures diligenter te adhortor. Quod feceris ſi & omnem animi contentionem ex ſtudiis ſubnatam procul habeas, & aëris mutationi nonnihil indulgeas, quo feriae Paſchales proxime vel ultro te invitant. In antiquis ſcriptoribus nihil temere mutandum eſſe aſſentior omnino tibi. Sed dele-

delectus adhibendus eſt, ne ſordibus librariorum pertinacius adhaereamus: qui plurimum in optimis quibuſque ſcriptoribus ſibi permiſere: ad naevos detergendos: via tritiſſima eſt, ſi membranarum veterum veſtigiis inſiſtatur. Sed ubi mendum liquido apparet, nec quidquam opis adfertur a caſcis codicibus, ad conjecturas confugiatur ſatius eſt, quam ut veſcamur glandibus, cum fruges ſunt in promptu. Quid Nonio Marcello eſt depravatius, nec deſunt exemplaria ejus ſcriptoris oppido vetuſta, quae miro conſenſu tamen in naevos etiam perquam manifeſtos conſpirant. Lucretii tria exemplaria ante annum DCCC. exarata mihi contigit pervolvere. Parum nihilominus auxilii doctiſſimo poëtae huic a me latum eſt. Naſonianarum Metamorphoſeon codices membraneos centum & plures non vidi tantum, ſed majori ex parte perlegi. Reſtant tamen illic plurima, quae ſolo conjecturae ductu ſunt ſananda, aut ſanabuntur unquam. Nonium Marcellum, quem modo dixi, & Priſcianum ſuo tempore uſos exemplaribus parum emendatis veterum auctorum, quorum teſtimoniis frequenter, ut ſcis, utuntur, in confeſſo eſt apud homines literatos. Idem Plinio patruo uſui veniſſe ad Melam *Voſſius* noſter docuit. Quid de Phaedro dicemus, quem peſſime a librariis excerptum eſſe, ex iis, quae Rhemenſis libri ope in illo reſtituit *Rigaltius* poſt Pithoeanam editionem, liquido apparet, cujuſque membranae veteres vix ullae occurrunt? In Bibliotheca Reginae noſtrae pagellae duae aut tres Phaedri extabant in veterrimis membranis exaratae. Opinor *Petri Danielis* olim fuiſſe. Nam quae ex ſchedis illius profert *Rigaltius*, cum Regio fragmento ut plurimum conſentiunt; quod poſtea videbimus. Diverſus ex iis ſchedis lectiones communicavit mecum *Voſſius*. Quae laudibus meis defers nimia & immodica ſunt. Quare te rogo, ut amotis phaleris familiariter poſt hac agamus. Apud Phaed. fab. III. quod *ſuſtulit* pro *tulit* interpretatur *Rittershuſius*, vellem exemplis id confirmaſſet, quae quamdiu in promtu non ſunt, vulgatae ſcripturae non poſſum acquieſcere. legebam jampridem

Tunc illa talem lis tulit ſententiam.

Sententiam non tantum *ferre* judex dicitur; ſed actor quoque & reus. quomodo praemium & munus ferre tam qui accipiunt, dicuntur, quam qui dant. Ad librum II. Triſtium Naſonis ſimile mendum ſuſtuli. ubi pertinacia mira *utque* pro *liſque* in antiquis membranis legebatur. Nunc minimum abeſt, quin ſcribendum in Phaedro opinor,

Tunc illa litem ſuſtulit ſententia.

Mira eſt ſimplicitas orationis & nativus quidam lepos in hoc ſcriptore. Itaque cum erectum aliquid aut longe quaeſitum occurrit, non poſſit non eſſe mendi ſuſpectum. *Fab.* II. *Qui diſſolutos mores vi compeſceret*, neque credibile eſt ranas rogaſſe à Jove, ut vi compeſcerentur diſſoluti mores. in prima voce opinor mendum eſſe. *Sive* pro *ſibi* nempe exaratum fuit ſolenni errore: unde *qui* factum,

Sibi diſſolutos mores ut compeſceret.

vel *qui compesceret*, si τὸ *vi* placet, insistamus ei, quod ex Rhemensi codice *Rigaltius* haud dubie protulit. Sic fab. XLV. videtur corrigendum, *Non quis citius progredi?* a *queo*, nunc *vis* legitur. *Sibi*, hoc est ranis. Eleganter & Latine apud Nasonem Epistola Laodamiae,

Pugnet & adversos tendat Menelaus in hostes,
Ut rapiat Paridi, quam Paris ante sibi.

Sibi, Menelao. Plura exempla alibi congessi: nec monerem, nisi *Johannes Crojus*, vir caetera eruditus, hoc tanquam barbarum in Parente meo sugillasset. Eadem fabula sub finem, leve est, sed monendum tamen, videri scribendum, *majus ne eveniat malum*. Quanquam *venire* pro *evenire* nonnunquam sumitur. Fab. II. bene *pavlum*, *Schoppius*, ut numeris consulatur. Nollem pro vulgata lectione stetisset *Barthius* Adv. XLVI. cap. v. Idem perperam Adv. eodem capite & libro, Fabula proxima, *ab alio ferri putant*, contra legem carminis. Fab. VIII, *Socii fuere cum leone in saltibus*; plebejum hoc videtur & minus elegans, quare legebam, *sociati iere*, & proximo versu, *hic cum cepisset*. Leo videlicet. Nam aut vaccam, aut capellam aut ovem cepisse cervum vasti corporis quis credat? Fab. VIII. idem odiose mutat, *quia jam non potest*, in *jam nunc potest*, vel *tunc*. Fab. IX. putabam,

Lepus semianimus, mortis en solatia!

ut verba leporis sint. Male paulo post idem *Barthius* ad Claud. pag. 220. *deplores tua*. Sera enim est imprecatio post poenam. Fab. 10. *te credo furripuisse*. puto *furpuisse* a Phaedri manu esse, nam alterum duriores reddit numeros. Sic Catullus, Horatius, Martialis, alii: quamquam parum refert. Fab. XI. Barthius Adv. XXIX. cap. VIII. *Ignotus fallit: notis est derisui*. non male. Ibidem. vers. 5. *fugientes ipse ut exciperet*. Tolle τὸ *ut*, neque aliter schedae reginae, mox eaedem, *auriculus* (pro *auritulus*) *clamorem subitum totis tollit viribus*; bene, & paulo post, *leonis adfliguntur*. denique, *simili fugissem metu*, eaedem. fab. XII. in iisdem

Saepe esse utiliora quae contempseris,
Ejusce rei testis haec narratio est

in priore versu τὸ *utiliora* contra metrum est, forte *utilia vere*. posteriori *reji* legendum, producta syllaba, quomodo & apud Lucretium non semel. Vulgatum si tuemur, pro *exerit narratio*, reponi satius erit, *asserit*, vel *disserit*. ut pag. 69. ed. Ritters. *ego plures dissero*. ibid. *ut illa mihi profuerunt*, schedae reginae, *utilia mihi quam fuerint*. fab. XIII. optime eaedem, *Quae* (leg. *qui*) *se laudari gaudent verbis subdolis Serae dant poenas turpes poenitentiae*. Paulo aliter ea *Danielis* codice *Rigaltius*. Versus ultimus istius fabulae, metuo ut sit spurius. Antepenultimus insigni glossemate est conspurcatus in Schedis Regiis. *tum demum ingemuit corvus, cur dolosis fuisset deceptus fraudibus ignavius*. Holmiae Feb. CIↃIↃCLXII.

EPI-

EPISTOLA XV.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

PRO nuperis tuis, Domine, ſummas tibi debeo agoque gratias. In exponendo confirmandoque Phaedri loco abunde ſatisfeciſti mihi, credo aliis omnibus, qui has litteras intelligunt. *Schoppium* pro eo ſemper habui, ut tu depingis, atque adeo eſſe talem ſemel iterumque ex ipſius in praedictum Phaedrum annotationibus intellexi. Quod a me doceri cupis ſenſum aliquot in Phaedro locorum, fruſtra es: ego enim ſum, qui diſcere debeo, non docere. ne tamen apud te, ut eum virum, quem tantopere colo venerorque, non omnia mea cogitata deponere velle videar, en tibi, quae ad Fab. 4. lib. IV. *quacunque ſumma tradet luxuriae domum*, annotavi. *domus luxuriae*, pro ea, quae inſtructa eſt ad luxum, ante *domum politam* appellavit, addiditque *delicatos hortulos*. Sic *exilii domum* uſurpavit Hor. 1. carm. ode 4. ſicut docti viri legunt eo loco. Simillimaque ratione in Eccleſ. cap. 7. leguntur ἐις ἡυφροσύνης, ἐις πένθου, ἐις πότυ. ergo *tradere luxuriae domum*, eſt vendere inſtructas & paratas ad voluptatem aedes alii, *quacunque ſumma*, etiam levi & exigua, tanquam rem inutilem, & quam habere nolis. De loco altero dixi jam, me nolle repugnare ſententiae *Rigaltii*, delentis aliqua in his verſibus; ſi tamen major accederet auctoritas, quae retinenda omnia ſuaderet, putarem ego ipſa verba, *fabulae exaudiant adeo fugatae*, velut in Parentheſi poni, eſſeque verba hortantis cum voto ac deſiderio, quaſi cupiat fabulas contemtu fugatas, & ſic longiſſime in ſitu ac ſqualore recumbentes, audire hoc inventum ſuum, ac ſpe bona progredi in lucem; fore namque, ut in precio majori ſint futurae; inventum, de quo agit, eſt in eo, ut recentioribus, & a ſe excogitatis fabulis affingatur auctor Aeſopus. Quod inventum ait accepiſſe ſe a ſtatuariis ſimilibuſque artificibus, qui ut pretioſiora faciant recentiora opera, delere nova & vetera inſcribere nomina in conſueverunt; Hoc, opinor, indicat his verbis, *pretium operibus majus inveniunt, novo ſi marmori adſcripſerunt Praxitelem, ſuo detrito, Myronem argento*; ſi, inquit, marmori ſeu operi marmoreo inſcribunt vetus nomen Praxitelis, tanto tempore ante laudati ob hanc artem, detrito & eraſo ſuo, id eſt proprio ejus nomine, quod revera competit marmori novo; ſi argento, id eſt, operi ex argento, quod recentis eſt artificis, extrito & abolito ejus nomine inſcribunt vetus nomen Myronis, pretium faciunt impetrantque majus, quam alias habere ſolent nova iſta opera, propter ſingulare hoc inventum, ex quo novis operibus nomina veterum magiſtrorum imponere conſueverunt. Vult, recentia illa nomina artificum, qui feciſſent illa opera, extriviſſe ac deleviſſe alios artifices, & ut divenderent pro vetuſtis, in-

inſcripſiſſe nomina artificum vetuſtiſſimorum atque celeberrimorum. Illud *ſuo* non accipiendum eſt de artificibus, ut puto, quaſi ipſi ſuum detriverint nomen; nam ſi hoc voluiſſent, quid ita inſcripſiſſent prius; ſed de marmore. Marmoris nomen ſuum eſt, quod ei competit, quod ejus eſt proprium. Ut Cic. 1. off. *Id maxime decet, quod eſt cujuſque ſuum maxime.* Negat quidem *Meurſius* in *ſuo* poſſe ac debere intelligi *nomine*, quia hoc vocabulum non praecedat, verum nemo eſt, qui non *Praxitelem* & *Myronem* pro vocabulo & nomine utriuſque poni intelligat. Haec ſunt, nobiliſſime domine; quae de loco jam hoc olim conjectaveram, ſi exiſtimas eſſe digna, quae in manus aliorum veniant, ſignifica: nam ego quidem de his nil exiſtimavi agendum mihi, quia permotus auctoritate *Rigaltii* verba haec ex textu pleraque, quae dubia & obſcura ſunt, ejeci. Opus Cl. *Voſſii* exhibui cuidam ex noſtris Theologis, amico meo. Laudat is impenſe diligentiam & ingenium viri, eaque, quae proponit, non deſtituta eſſe ait omni ratione: unum inquit, eſſe rem amplioris diſquiſitionis, de auctoritate textus Hebraici: metuendum namque eſſe, ne ſi ea vileſceret, tandem haberemus nihil, cui in controverſiis cum adverſariis tuto ac velut ultimo, ac infallibili fundamento inniteremur. Quae pro auctoritate LXX. adferuntur, non carere omni dubitatione, deque iis, quae habentur hodie, Graecis bibliis eadem, imo plura & majora dici poſſe, quam quae ipſe objicit textui Hebraeo. Hoc privatim, & ad te: nollem enim publicari hoc judicium, vel mei, vel cujuſquam alterius in tali argumento fieri mentionem, Opus ipſum *Voſſii* remittam proxima occaſione. Interim quia offers commodam occaſionem, non potui, quin his ſalutarem *Bigotium*, teque orarem enixe ut & curare litteras ad eum, & conciliare me ipſius gratiae ac favori, haud graveris. De *Gudio*, de quo ſcripſiſti in ſuperioribus litteris, cogitabo, operamque omnem impendam, ut prodeſſe ipſi poſſim. Quamquam non diſſimulem eſſe rem difficilem in his locis, cum propter alia, tum propter linguae diverſitatem, ſicut ipſe facile potes aeſtimare. Reſtituo tibi litteras quoque reliquas, quas adſociaſti tuis, proque iis ago gratias. *Fabrum* laudo, tanquam eum, qui ſe patiatur ab aequitate atque veritate ſuperari, de caetero, ne in Phaedro quidem ubique aſſentiri ei valeo. Litteras meas ad Cl. *Gronovium* perveniſſe gaudeo, eoque nomine plurimum tibi debeo. Non quod continerent, quae vel mea vel ipſius intereſſent, ſed quod ſemel inter nos initam amicitiam promovere nuda ſcribendi conſuetudine deberent; ſed jam charta nugis meis deeſt, itaque finio, teque plurimum valere jubeo. Upſaliae a. d. 18. Februar. CIↃIↃCLXII.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XVI.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

REmiſi ante hoc biduum *Iſaaci Voſſii* opus per amicum: ſpero id bona fide tibi redditum eſſe, interea denuo tibi ago gratias pro humaniſſima talium communicatione. Raro & plerumque tarde ad nos deferuntur iſta, ut propterea non poſſint non gratiſſima nobis eſſe, quae cum propter alia, tum novitatem ſuam ſe commendant. De *domo luxuriae*, quae ſcribis apud Phaedrum ſunt omnino talia, qualia nemo temere repudiaverit, ſed ego neſcio quomodo ſim tardior & timidior in immutandis, quae quocunque modo ferri poſſe videntur, maxime ſi correctionis cauſam ex vetuſtis libris, & eorum diſcrepantia habeamus nullam: ſcilicet ex plebe ſum eorum, qui has tractant litteras, neque aliquid majus conari audeo. Alia tua eſt conditio, cujus meditationes nomen olim ingenioſiſſimis operibus partum, & exiſtimationem inter eruditiſſimos hujus aevi facile tuentur. Sicut autem in hoc loco tuam mihi humaniſſime ſententiam expoſuiſti, id oro facias & in caeteris, quemadmodum promittis; ſpero enim, habiturum me occaſionem primo quoque tempore edendi ejus auctoris. De *ſuſtulit ſententiam* mihi quidem viſum eſt ſufficere, quod judicaverit *Rittershuſius* cum nonnullis, eſſe compoſitum pro ſimplici; adjeci tamen poſſe cui videri legendum, *talem in hos tulit ſententiam*, ut *in hos* ſit adverſus hos, fucos videlicet, ſed & hoc ſic poſui, ut nollem temere quid immutari; Quid tu judices de loco hoc, ſcire avidiſſime deſidero, atque utinam ſic vires tuae permitterent, quas ut nondum rediiſſe intelligo, ſic ex animo deum precor, ut quamprimum integras reddere tibi velit. Quod me attinet, ita jam per annum ampliuſque vivo, ut nec aegrotem vere, nec valeam; interdum decumbo, mox ſurgo iterum, & libros ſumo in manus. Paulo poſt ad eos ita nauſeo, ut ne intueri quidem valeam mira quadam, & ante hoc tempus ignota mihi mutabilitate; Sed parco fatigare te querelis hiſce de mea valitudine, hoc ideo ſcripſi, ut ne ignores cauſam tarditatis meae in ſcribendis litteris: ea enim aliquando eſt mea conditio, ut ſtivam citius, quam calamum in manus ſumſerim; De gloſſariis, quae excuduntur Pariſiis, aliquid accuratius noviſſe deſidero, qualia ſint, quae in corpus illud conjungentur. Utrum & majora iſta opera, ut Heſychius, Etymologicum Sylburgii, Pollux, & id genus. Imprimis ſcire cupio de Thoma magiſtro, num & ille caeteris adſocietur; ſi quid noſti, ſcribe quaeſo. Interea bene vale, ac ſi merebor, me amare perge. Upſal. 4. Martii CIↃIↃCLXII.

EPISTOLA XVII.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiae.

NON poſſum non & gratulari mihi, & tibi ſummas agere gratias, quod ſepoſitis, aut certe dilatis ad tempus negotiis gravioribus tam diligenter profixeque, quodque majus eſt, tam benevole humaniterque ad nugas meas reſpondere ſuſtines: ſcribo, ſicut nuper dixi, ſaepe cum taedio, hinc adeo in chartam conjecto, quicquid in mentem venit, nunquam depromptūrus apud quenqam, adeo non apud te, niſi ad neſcio quam fiduciam, temeritatem rectius fortaſſe dixerim, me invitaret ſingularis tua, totieſque explorata mihi bonitas. Et tu tamen non ceſſas benigne excipere, qualiacunque denique ſint, quae ad te perferuntur, non ceſſas labantem erigere, dubitantem firmare, errantem in viam reducere. Igitur mihi quidem nihil ſuavius, nihil utilius eſt tuis litteris, quas utinam tam frequentes, tam optimarum obſervationum plenas etiam in poſterum queam impetrare, ſicut hactenus obtinui. Nec omittam agere hoc apud te ſummis precibus, vel Phaedri cauſa, qui quandocunque tandem lucem eſt viſurus, plus debebit tibi, quam cuiquam alii. Verſum fab. LII. feliciſſime abs te emendatum judico. In fab. II. illud *ut* exponere *Vlitius* conatur, ſicut noſti; ſed & hîc, ſi retinendum *ut* videtur, in ſententiam tuam concedo. Quae de iſto *ſibi* mones, optima ſunt, & notaveram nonnulla ejus generis ad lib. III. fab. 48. iis verbis, *aedes ſibi fundaſſet*. In fab. v. tuum *ſociati ierunt* mirifice placet; at quod vis; *hic cum cepiſſet*, de eo dubium mihi facit, quod in Graeco ſimiliter eſt, ἐπεὶ δὲ ζῶα τινα ἐθήρευσαν, ſed & Anonymus referens hanc fabulam.

Cervus adeſt, cervum rapiunt.

Nempe, quod vacca & capella non potuerunt viribus, agebant voce, curſu, vel ſimili ratione. Fab. IX. illud, *mortis en ſolatia*, tam eſt ingenioſum, ut non poſſim ſatis commendare. Aliter quidem ſentit Cl. *Gronovius* in litteris quibuſdam ſuis ad me, ſed hoc praevalet. Saltem meo judicio. Fab. X. non intelligo illud *auriculus*, puto enim ab *auritus* neceſſario venire non *auriculus*, ſed *auritulus*. Igitur peto enixe, ut in hoc vocabulo intelligendo amplius me inſtruas, caetera quoque ad Phaedrum pertinentia, ſic ut coepiſti, liberaliter ac benigne communicare velis oro: praeferent utique nomen tuum, quae abs te communicata in notis noſtris reponentur. Addam hîc, quod diebus hiſce inquirenti nonnihil apud Ovidium tuum occurrebat lib. I. Epiſt. ex Ponto 5. eo verſu *ſcribimus invita, vixque movente manu*. Ais Voſſianum habere *notata*, inde videtur *motata* ſcribi poſſe, ut ſit a *motare*, habeatque locus eum ſenſum, ſcribimus manu invita & reluctante, quaeque ſe vix patitur moveri ad formandas

das litteras. Ineptum eſt, dices, ſed vel hinc conſtare tibi volo, quantum confidam tuae erga me benevolentiae, qui ne talia quidem depromere apud te ambigam. Non habeo amplius hac vice, quod ſcribam, & urget tabellarius, itaque hic finio, teque diu multumque valere jubeo. Vale: Upſaliae XI. Martii CIↃIↃCLXII.

EPISTOLA XVIII.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

REdditae mihi ſunt binae tuae, quarum prior multas optimaſque in Phaedrum continebat obſervationes, poſterior adſociatas habebat Cl. *Bigotii* amantiſſimas litteras. Non poſſum non prolixe gratulari mihi de favore tanto ejus viri. Nam, ut vides, pollicetur offertque ultro, quae ego petere ab ipſo nunquam ſuſtinuiſſem. Imprimis vero gratum eſt, quod de Arriano ſcribit. Utinam daretur occaſio, qua huc poſſent omnia illius deferri. Petoque enixe, ut cum ipſo agas iſtoc nomine. Hieroclis lectiones varias ex MS. ejus enotari opto, & conferri cum editione Pariſienſi *Curterii* Anno 1583. vulgata, quia ea ſola mihi eſt ad manus. Anglicanam nuperam habere non potuimus. Quod exiſtimat Cl. *Bigotius*, poſſe eum opuſculo de natura & conſtitutione Philoſophiae Pythagoricae praefigi, in eo adhuc haereo, cum propter cauſas alias, tum quia ei locus aptior in Philoſophia ipſa dari poterit, ubi conſtitui hoc genus ſcriptorum integrum adhibere. Ut ſunt carmina Pythagorae, Demophili & Democratis & Sexti ſententiae, & hujuſmodi. Atque ut melius intelligat inſtitutum meum in praedicto opuſculo, en tibi argumenta capitum, hîc in ſcedula adjecta. Quae ſcribit de τὸ ἴπαρμα δόντες τῇ βαλλομένῃ, ſunt ejuſmodi, ut optarem invenire me quid poſſe, quo ipſi ſatisfieret. Sed agnoſco meam ignorantiam libenterque hîc profiteor. ἴπαρμα vocabulum eſſe nauticum non puto, certe apud neminem ad hunc diem legere me recordor. Dabo tamen operam ut in poſterum ſtudioſius obſervem, ſi quid de eo occurrat. βαλλομένη quoque navis eſſe partem minime exiſtimo. Quin potius, ſi, quod primo intuitu occurrit, depromendum eſt, iſta τῇ βαλλομένῃ ſejungo a prioribus, & cum ἐπιόντι χειμῶνι compono. Puto aut ἴπαρμα eſſe antennam, cum velo, ita dictam, quod attollatur, cum religanda eſt ad malum & velificatio inſtituenda. Ut ſit τὸ ἴπαρμα τιθέναι, quod apud Senecam Epiſt. 77. *antemnas ſubmittere*, pro lege ac conſuetudine navigationis, cum ventus, praeſertim adverſarius, eſt validior. In βαλλομένῃ autem puto intelligendam eſſe vocem νεώς, ſicque appellari, quae a vento huc & illuc agitur. Ut ſit ſenſus loci totius, *cum notus inciperet vehementius flare, Nautaeque metuerent, ne ab eo agerentur in Proconeſum, ſubmiſiſſe antennas & vela, poſtque multam navis jactationem veniſſe tandem ad promontorium, ibique anchoras*

jeciſſe. [1] Sic in praeſens ſtatuo de loco, cujus utinam adſcribere auctorem voluiſſet. Inveniretur forſitan ex aliis ipſius locis, quibus lumen huic adferri poſſet. Quod de Phaedro ſcribit idem Cl. *Bigotius*, plurimum me turbat, neque ſcio, quid cum meis facere debeam. Atque adeo conſilium ſententiamque tuam ſcire deſidero, ſi, quod putat *Bigotius*, tranſmittere huc obſervationes ſuas volet *Gudius*, vel inſerentur meis, vel etiam ſeorſum ſubjungentur, pro ut ipſi viſum fuerit. Sin minus, & hoc obtineri ab eo non poterit, expectandum mihi video, donec ſua ediderit. Quamquam alterum mallem, & ut agas cum eo meo nomine, enixe rogem. Interea non ea minus cupio noviſſe, quae de caeteris in Phaedro locis ſentias. Sive enim edentur mea aliquando, ſive non edentur, poterunt conjecturae tuae multum adjuvare me interea, ad ipſius auctorem meliorem intellectum. Itaque ne graveris pergere, mihique aperire ſenſum tui animi etiam de reliquis, ſummopere oro ac contendo. Fab. XIII. de qua quaeris, eſt inter Aeſopicas 208. inter Aphthonii 29. inter Anonymi Latini 15. Sed in iis nihil, quod ad verba, *cum de feneſtra*, faciat. Velim, mihi dubium indices, nam ego quidem iſta hactenus habueram pro ſanis. In MS. meo Panegyrico perinde, ut in tuo legitur. Sed *n* & *u* eadem forma ſemper ſcribitur, ut ambigam, an non *ſaevos labores* ſcribi debeant, eſt alias MS. meus minime vetus codex, verum ab optimo deſcriptus. En ſpecimen in Paneg. Pacati cap. 34. quod in editione mea olim minime obſervavi. Vulgo ita legitur. *Teſtis eſt Siſcia, teſtis pulcherrimus amne conflictus.* In meo ita haec ſe habent *pulcherrimus acie conflictus.* Non dubito quin ſcripſerit: *Teſtis eſt Siſcia, Teſtes pulcherrimi Savi conflictus.* Cap. 35. *Quanto exertiorem operam*, vulgo, in meo *exerciorem.* Puto compendium ſcripturae eſſe, pro *exercitatiorem.* cap. 36. *mutilis excifiſque membris:* in meo expreſſe, *inutilis.* Eſt autem *inutilis* pro *inutiles*, ut ſaepe; ſed haec obiter, & hac occaſione. Interea ut coepi, ita porro te officioſe oro, ut ne defatigeris pergere in hoc genere, mihique communicare, quae ad rem meam ſpectare intelliges. Cl. *Bigotio* ſi ſcribes, velim perofficioſe ſalutem meam nuncies. Idem peto apud *Gronovium* facias. Cujus quo evaſerit Seneca, ſcire vehementiſſime deſidero. Vale, vir Nobiliſſime, litteriſque deterrime pictis ignoſce. Dextrae enim exulceratione laboro, quae cauſa quoque fuit, quod cum priori tabellario nullas litteras ad te dederim. Iterum Vale, Upſaliae 25. Martii CIↃIↃCLXII.

1 Integrum ex *Bigotii* ad Heinſium Epiſtola adſcripſi, ut plenius *Schefferi* mens percipiatur. ἵμβας εἰς πλοῖον ἀναίρει τ πάλιν; ἐπιχειρεῖν δὲ σοφοῦ ἀνδρὸς βαίου, φοβεῖσθαι δὲ τοιοῦτόν ἵνα μὴ εἰς τὸν Περσέως ἐχεφῶνα, ὃ ἔπαθεν ἅπτης τῷ βασιλεῖ ἐπιτρέχων ὁ ἐχθρὸς ὁ Τείτου, κρύπτει βίψαντες τὰς ψυχὰς ἵνα ἐκδιδράσκωσι τάχα, ἵνα ἀποβάλωσι τὴ Κυπρίᾳ.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XIX.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upſaliam.

QUanquam jure optimo videor ſubvereri, ne futilis putiduſque ſim, vir Clariſſime, qui in Phaedro tuo & in aliena meſſe non ſpicas tantummodo legam, ſed paleas quoque, & quidem cum pulviſculo, quod ajunt, corradam omnes inutili diligentia; ut intelligas tamen nihil deſideriis tuis ac mandatis eſſe mihi antiquius, pergam tibi gratificari. Ac primo quidem, quod fab. XIII. libri primi occurrit *de feneſtra*, e qua caſeum ſurripuiſſe corvus narratur, cum parum oportune mentionem injici hoc loco cenſerem, dubitabam an non relictum eſſet a Phaedro *de caniſtro*. Quod in caniſtris panem caſeoſque & id genus alia ad victum pertinentia recondi ſolere meminiſſem. Sed haec, ut dixi, dubitantis ſunt. Libro II. ipſo ſtatim initio occurrit,

Exemplis continetur Aeſopi genus

Ubi *Aeſopi genus* pro fabulis Aeſopicis inſolentior loquendi modus nonnihil me offendit. Quare minimum abeſt, quin excidiſſe voculam opiner diſſyllabam, & reponi debere *Aeſopi id genus*, fabellarum intellige. Quod addi neceſſe non erat, cum verſu proximo ſubſequatur. Initio libri III. noſter,

Nunc fabularum cur ſit inventum genus,

Et libro IV. ſub finem cum ait de ſe, *Uſus vetuſto genere, ſed rebus novis*, intellige ſcribendi genere, vel fabularum genere, Fab LXXXVII. *Ut ſpectatorum mos eſt, & lepidum genus. Lepidum genus*, tubicinum ſubaudi. Nam ſi ad ſpectatores referas, potius *cupidum genus* ſint dicendi. inſerta ſane, quam dixi, vocula ſenſus erat apertus & facilis. Quae *Barthius* Adverſ. pag. 965. ad loci hujus illuſtrationem profert, ea parum ad rem facere mihi viſa ſunt. Mox diſtinguo, *ſi libuerit aliquid interponere, dictorum ſenſus ut delectet varietas. Aliquid interponere*, ſubintellige, quod ad rem & argumentum non faciat. Quales fabellae de atrienſi & tibicine, & tribus ſororibus, & patre filii interfectore, aliaeque id genus. *Dictorum varietas*, pro fabularum & jocorum varietate; *multarum rerum varietas* lib. IV. 25. *Dicta* pro facetiis ponunt optimi auctores Latinitatis. Noſter fab. *L. obſcaena dicta & petulans jurgium*, pro dicteriis. Naſo Faſt. III. 695.

Inde joci veteres obſcaenaque dicta canuntur.

ita libri veteres. ubi plura notavi. Ut & Faſt. VI. 408. hinc *jacere dicta*. & *dicteria*, & *dicere probra alicui*, quare & forſan paulo ante in Phaedro ſcribendum, *quicunque fuerit ergo narranti jocus:* non *narrandi locus*. Quanquam & vulgata ſcriptura poteſt ferri, ut hoc velit, quicunque ergo locus meae fuerit narrationi, *Re commendetur* (ita enim malo, quam *commendatur*) *non auctoris nomine*. Non ideo, inquit, ſordeant tibi ac ſpernantur ex hiſce fabellis nonnullae, quod a me excogitatae ſint. Fab. XXXII. *Et quae debetur pars.* ſcribo, *En*

quae debetur pars tuae modeſtiae, Audaciter tolle. Fab. XXXIII. *quum ſe putaret pingi:* legebam, *fingi*, ad Amores Naſonis libro El. XIV. verſ. 2. nec poenitet. Video id ipſum *Schoppio* quoque in mentem veniſſe: niſi quod vulgatam ſcripturam ex Poenuli Plautinae iſtis immerito tuetur, *Poliri, expoliri, pingi, fingi.* nam *pingi* illic pro fucari ponitur. Cui verbo in hac fabella non eſt locus, ubi de ornandis capillis agitur. Caeterum, ut & illud in tranſcurſu moneam, pro *poliri* in Plautino loco fortaſſis reponendum *moliri*, cum *expoliri* ſequatur, ne bis idem dicat. Noſti Terentianum illud,

Dum moliuntur, dum comuntur, annus eſt.

Fab. XXXIV. *morſu vehementis canis, vehementi* legebam, & verſu proximo, *panem miſit maleficio.* Quod recordarer fab. XXIII. *panem mittere*, & Fab. XLI. *panem mittere pantherae*, occurrere. Sed vidi poſtea occupaſſe conjecturam utramque *Gronovium* ad Senecam pag. 56. ubi plura ad rem, poſtrema editione: male igitur *Rittershuſius*, qui *immittere* alicubi his notis pro *mittere* reponit, locus nunc non eſt in promptu. Fab. XXXV. *ſus nemoris cultrix: nemoricultrix* caſtigaram in ora editionis Rittershuſianae, qua ſolebam uti, addideramque confirmandae caſtigationi Catullianum illud, *cerva ſilvicultrix*; *aper nemorivagus*, & Petronianum, *ciconia pietaticultrix.* Tum illud ex fabula proxima *alticinctis atrienſibus*, addito gloſſarii loco, *Alticinctus*, ἀνεσταλμένος. Sed praeviſa ea omnia ab accuratiſſimo *Rittershuſio* haec ſcribens agnovi. Quapropter unice rogatum te cupio, ut ſi quid chartis illevero, quod ab aliis ante me ſit monitum obſervatumque, id illis integrum cedas, quibus debetur, tanquam primis auctoribus. Ibidem,

Terrore effuſo & perturbatis ſenſibus.

Scribe,

Terrore offuſo perturbatis ſenſibus.

Aliquid vidiſſe video *Rittershuſium*, non omnia. *perturbatis ſenſibus ad* Aquilam refer, quam hoc monito perculerat ac conſternarat ſceleſta Felis: *offundi* ſaepiſſime in *effundi* degeneravit apud optimos ſcriptores librariorum culpa. Qua de re nonnihil in obſervationibus noſter *Gronovius*, ego plura ad Val. Flaccum lib. IV. 482. annotavi, quae ſi tanti putabis, libens excerpam. Pro *derepit* male *direpit* editio Rigaltii. Mox, *Doloſa toto condidit ſeſe cavo.* Rigaltius, *tuto cavo.* Sed cum nihil periculi eſſet ab aquila & apro feli, minus epitheton *cavi* illud hic arridet. Legendum opinor, *noto cavo.* Fab. IX. *nota pernicitas.* XI. *exitus noti.* XXXVI. *noti flexus.* LXXXVII. *notum canticum.* Sic & alibi. Fab. XXXVI. *Proſpectat Siculum, & proſpicit Tuſcum mare.* Tuſcum mare, quod Etruriam verſus vergit, Siculum quod verſus Siciliam; nam mare Siculum hinc proſpici non poteſt, quare ut medeamur tautologiae, legendum fortaſſis, *& reſpicit Tuſcum mare.* ut villa Luculliana a fronte Siciliam habuerit oppoſitam, a tergo Etruriam. Vulgata ſcriptura ſic defendi quodammodo poterit, ut dicatur villa haec ab uno latere Siciliam, ab altero Etruriam proſpexiſſe. Sed concurſus ille *& proſpectat* & *& proſpicit* parum concinnus videtur. Mox, *perambulante laeta domino viridaria.* Numeri huic verſui non conſentit,

cui

cui malo conatus succurrere *Faber* tollit τὸ *laeta*. Sed sic quoque claudicabit versus.

Peran-bulan-te domi-no viri-daria.

Tres Syllabae sunt in ultimo pede praeter exemplum, & quinque pedes versui. non enim video, qui aliter scandi possit: lego,

Peram-bulan-te las-ta domi-no viri-dia.

Viridia pro *viridariis* dixit quoque, & quidem bis, scriptor elegantissimus Plinius Secundus lib. v. Epist. 6. in pulcherrima villae Etruscae descriptione, *Acanthus in plano mollis, & (poene dixerim) liquidus; ambit hunc ambulatio pressis varieque tonsis viridibus inclusa.* Postea, *sunt locis pluribus disposita sedilia e marmore, quae ambulatione fessos, ut cubiculum ipsum juvant. Fonticuli sedilibus adjacent, per totum hippodromum inductis fistulis strepunt rivi, & qua manus duxit, sequuntur, his nunc illa viridia, nunc haec, interdum simul omnia juvantur.* Mox, *id ut putavit esse nescio quid boni.* nisi *nescio* contrahas in duas syllabas, pedes vix constabunt, quam licentiam vix concoquo. Deinde illud τὸ *boni* quid ad rem hîc faciat non video. Forte, *Id ut putavit nescio esse quid doli.* Subodorabatur quippe Caesar, hoc ab Atriensi fieri callido consilio, ut videlicet libertatem hocce officio consequeretur. Sub finem istis verbis, *Multo majoris alapae mecum veniunt*, velim doceri, an *venire mecum*, pro apud me Latinum esse arbitreris. Non quod id negem ego, sed quod haesitem, ac profitear non satis liquere mihi, quod ex te quaero. Fab. XXXVII. *inducta verbis Aquila monitis paruit. veris monitis* probe *Gronovius* Diatr. Stat. XIII. Fab. XXXVIII. *Comes quieto sequitur.* Quia de duobus est mentio, & praecessit τὸ *ille*, sensus videtur requirere, ut legatur, *Comes hîc quieto* &c. mox,

Interque caedem ferro mulum trusitant.

Quia de mulionibus nil praecessit, τὸ *interque caedem* abruptum videtur, putabam aliquando, *interque se dum ferro mulum trusitant*, dum, inquit, ictibus gladiorum alternis mulum fiscos ferentem trudunt ac sauciant. *inter se* ut apud Maronem,

Illi inter sese magna vi brachia versant.

Sed haec conjectura tantum, & cui ipse nimium non fidam. Fab. XXXIX. *Ut venatorum fugeret instantem necem*, malebam *instantum*. Quanquam concinniora omnia videntur fore, si legas, *ut venatores fugeret instantes neci*, vel, *venatore effugeret instanti necem*. Mox, *nec ideo videt.* Scribendum videtur, *nec adeo videt.* Eleganter enim redundat ea vox optimis scriptoribus. Fab. IV. *Nec quem petebat, adeo potuit attingere.* Deinde *quantum est laboris?* malo, *quanti est laboris?* Sed minimum refert. Deinde, *Et arte fictas*, τὸ *arte* non satis appositum videtur huic loco, quod vero sequitur, *Sin autem ab illis doctus occurrit labor*, quomodo intelligas cupio doceri. Nam nescio quid mendae vereor, ne isti loco subsit. Vale. Exarabam Holmiae CIↃIↃCLXII. XXVII. Mart. Ad *Bigotium* cras scripturus operam dabo, ut intelligat, quid ad postulata sua responderis. De Phaedro *Gudii* etiam meminero. *Gudius* ipse sub aestatem proximam Florentiae futurus est. Hortabor igitur *Datum*, ut aurem illi vellat de Phaedro, quod

Digitized by Google

quod a me quoque fiet, & quidem ſerio. Interim ut de ſcriptore diſertiſſimo edendo cogitare pergas vehementer te adhortor. Hieroclem cum MSS. collatum vidiſſe me opinor in bibliotheca *Menagii*, qui vir doctiſſimus *Bigotio* contubernalis eſt. Sed *Holſtenii* exemplar luculentum Reginae noſtrae opera facile impetrabis, ad quam hereditatis jure pervenit. Editionem Britannicam uſibus tuis paratam ſemper apud me fore ſcito. Senecam *Gronovii* qui adferre huc debuiſſet, negat ſe attuliſſe, aut de hoc libro quicquam ſibi conſtare, cujus inexpectatae rei *Elzevirium* jam certiorem feci. iterum vale. In Panegyrico Plinii cum *bis ſenos labores* reſtituebam, oportune admonebar illorum, quae notavi ad Librum xv. mei Naſ. verſ. 39. *τὸ pulcherrimi Savi* a Livineo jam occupatum eſt. idem tuetur *exſertiorem* operam, ut & *Gruterus:* & ſane *exſertus* ſaepe pro promto & parato apud aevi hujus ſcriptores haud raro ſumitur, qua de re ad Claudianum notaſſe nonnulla recordor.

EPISTOLA XX.

JOH. SCHEFFERUS
Nic. Heinſio.

Holmiam.

NUlla praeterire ſolet hebdomas, in qua non novo ſingularique beneficio me afficias. Sic nuper tranſmiſiſti, quae & Phaedrum, & ob ipſum me mirifice juvant ac delectant. Referam ſingula ad ſuum locum, quantumque uterque tibi debeat publice indicabo; ſi in publicum unquam mea venient; de quo tamen paene deſino deliberare, poſtquam tu mihi auctor exſtitiſti prodendi hujus laboris. Verum quid de *Gudio* ſperare debeo? video, tarda fore omnia; nobis vero properandum eſt, praeſente typographo, iiſque inſtructo rebus, quae huc faciunt; itaque opto maturari ea, quae a *Gudio* habere poſſum; ſin minus, poterit & ipſe ſuam contribuere operam ad ſcriptoris hujus illuſtrationem, cum praeſertim mihi ſit propoſitum non quaerere ex hac editione gloriam, ſed auctorem eum ita edere, ut juventus Sueçica ex eo poſſit aliquam habere utilitatem; maxime tenera illa & rudis, cum qua non pigebit ubique deſcendere ad minuta, & verborum ſingularem vim ac efficaciam exponere. De Hierocle ſuo tempore videbo; pro editione ejus noviſſima gratias tibi ago. De *mecum veneunt* apud Phaedrum, cenſeo *τὸ mecum* pro *apud me* Latinum eſſe, ſed in phraſi alia, ut cum dico *hoc eſt mecum:* at *hoc venit mecum* non puto; Itaque legebam olim *alapae meae veneunt*; ſi quid habes melius, communices mihi oro. Verſus, *ſin autem ab illis doctus occurrit labor*, pravus eſt. *Rigaltius* & *Faber*, omiſerunt illud *ab*, ego arbitrabar pro eo & legendum, atque ita vidi nuper edidiſſe & *Urſinum*. *Occurrit* eſt quod ſupra, *pervenit ad aures*, mea opinione; ſi erro, tu me meliora doce, denique caetera, quae ad auctorem hunc notaſti, liberaliter ac benigne caeteris adde. Non enim potero quieſcere, quam iſta omnia abs te conſecutus fuero, Vale, & feſtinationi meae, quam imperant amici, moleſte hiſce feriis officioſi, ignoſce. Upſaliae ad 1. April. CIↃIↃCLXII.

EPI-

EPISTOLA XXI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upſaliam.

PHaedri illuſtrandi telam, quia ſemel exorſi ſumus eam, porro detexamus, praeſertim cum id te cupere ac flagitare cognoſcam, vir Clariſſime. Ad fabulam libri primi undecimam ſcriptura Regii codicis, *ſimili fugiſſem metu*, proba ac ſincera eſt, lectione vulgata in leges metricas peccante, ac proinde e contextu Phaedri noſtri eradenda. Initio libri ſecundi ſi admittis & probas diſtinctionem noſtram, *Dictorum ſenſus*, *τὸ ſenſus* quartum caſum pluralem accipe, & *animos* interpretare. Scis Virgilianum illud

— — — tantum, vicine Palaemon,
Senſibus haec imis (res eſt non parva) reponas.

Sic & *ſenſus advertere* obvium optimis ſcriptoribus. Fab. XXXVI. quando *mecum venire* parum Latine dictum judicas, quod & mihi videbatur, duarum litterarum mutatione facili locum cenſeo ſanari poſſe, ſi pro *mecum* refingatur, *mihi cum*; pro *veniunt*, *vaeneant*. *Multo majoris alapae mi cum vaeneant*. *mi* pro *mihi* etiam admitti poteſt, ſed praeſtat alterum. Hercules apud Naſonem lib. IX. Met.

Nec mihi centauri potuere reſiſtere, nec mi
Arcadiae vaſtator aper.

Vaenire cum tertio caſu eleganter conjungitur, ut in Catonis de R. R. capitis CXLIV. initio. *Oleam legendam hoc modo locare oportet. Oleam cogito recte omnem arbitratu domini, aut quem cuſtodem fecerit, aut cui olea vaenierit.* Caeterum, ut & illud addam, quod homines literati per *alapas* intelligi *libertatem* volunt, fieri poteſt hanc mentem fuiſſe Phaedri, ſed mihi ſimplex locutio hîc loci, quam figurata magis arridet. Advolabat atrienſis ad herum vocantem, in ſpem certam praemii erectus, ob operam concinne & oportune, uti opinabatur, domino navatam. At ille quaevis alia expectanti atrienſi, quanquam inquit, ob operam futilem ac nugatoriam vapulare meruiſti, ſcito tamen, alapas tam vili apud me non conſtare. Ejuſmodi dicteria quo magis inopinata promuntur, eo plus urbanitatis habere noſti. Sub *donationis* voce, quae praeceſſit, videtur quodvis praemium potius, & quamcumque largitionem intelligere, quam ipſam libertatem, quae ob tantillam operam donari non ſolebat. Agnoſcebat Tiberius ſubdole haec fieri ab Atrienſi, quem propterea ludendum ſaſſe joci inexſpectati argutia ſibi proponebat. Unde fit, ut malim paulo ante reponi, *id ut putavit neſcio eſſe quid doli*, pro *boni*. intelligebat nimirum hoc officium gratis ſibi non praeſtari, ſed ſpe fiduciaque remunerationis. *Putare* ſcriptor Latiniſſimus poſuit pro judicare, arbitrari, ut in illo Terentiano, *nolunt, ubi velis, ubi nolis, cupiunt ultro*. THR. *bene putas*. *Parvi putare* apud Catullum, *noli ſpernere, nec putare parvi*. Naſo Met. x.

Quid? quod amat, tantique putat connubia noſtra,
Ut pereat.

Exempla paſſim apud optimos ſcriptores ſunt in promtu. En nunc de hoc loco, quae ſi tibi ſatis facient, gaudebo. Sin minus, ne ſic quidem operam omnem cum Atrienſi noſtro luſero, qui tibi gratificari ſim conatus. Sequitur nunc alter ille locus ſub finem libri ſecundi, *Sin autem ab illis doctus occurrit labor.* Hunc ego mendoſum videri in ora codicis mei notaveram, nunc tanto confidentius id ipſum affirmo, quod te quoque ſic ſentire intelligebam. Conjiciebam igitur pro *occurrit* literis tranſpoſitis & parum immutatis *arcetur*, quod ab *vrcitur* minimum abit, ex quo tranſpoſitis a feſtinante librario ut jam dixi litteris *occurrit* natum, ſi, inquit, doctus hic labor arcebitur tuis auribus, tuaque lectione, per invidos & malignos homines, quos ſub livoris nomine jam ante tetigerat, forti animo feram & concoquam fatale exitium: τὸ *ab* tolli minime poteſt, ne verſus claudicare jubeatur. Hoc certo velle Phaedrum opinor, ut ſi verba ejus non ſum aſſecutus, a mente ejus non multum aberraſſe me credam. τὸ *occurrit* commode interpretaris, ſed ne bis idem dicat Phaedrus, alio confugiendum eſſe arbitror. Pro eo, *ſi livor obtrectare* &c. malo, *ut livor obtrectare*. Nam repetitio illa & *ſi* parum concinna mihi apparet: utcunque livor, inquit, hanc curam reprehendat & carpat, non tamen effecerit, ut mihi laudis non ſim conſcius. Quod ſi ſtudium noſtrum perveniet ad aures tuas, hac felicitate ſubmovebitur facile omnis de livore querela. Sin autem ille apud te quoque mihi moleſtus erit, & ſcripta mea auribus tuis excludet & arcebit, malum fatale forti animo tolerabimus. Pro *arte fictas*, quod neſcio quomodo diſplicebat, vide ne Phaedrus ſcripſerit, *& forte fictas animus ſentit fabulas.* quomodo apud Martialem lib. I. Epigr. V.

Contigeris noſtros, Caeſar, ſi forte libellos

Quanquam vulgata lectio defendi omnino poteſt, ſi verbum ſubſtantivum *eſſe* ſubintelligis, ſi animus ſentit fabulas haſce ex arte fictas eſſe, non deeſſe iis artem; qua propter temere nil mutandum. Libro III. ſub initium jam monuiſſe videor *officiis tuis* rectius videri, quam *officii tui*. Paulo poſt videtur ſcribendum, *otium des corpori, Ut ad rietam fortius perſtet vicem*, etiam bene, ſi ex vetuſtis membranis deprompta eſt lectio, Naſo artis tertio tamen,

Nec nimium vobis formoſa ancilla miniſtret,
Saepe vitem dominae praeſtitit illa mihi.

Paulo poſt,

Et laude invita in hanc vitam incubuerim.

Neſcio an fatale mihi ſit in hunc locum impingere, audebo tamen denuo tibi obſtrepere, etſi bis terve jam id inconſulte ſatis eſt factum. Primo ut conſtent numeri, repono trajectis vocibus, *vitam in hanc incubuerim.* Ita locus non erit iis, quae *Faber* hic monet, cum nullo exemplo aut auctoritate adſtruantur. Deinde ſupra ſe *laudis conſcium* dixerat, agens de livore.

Nec tamen eripiet laudis conſcientiam.

Et lib. IV. ſub finem, *mihi parta laus eſt*. Huc adde, quae poſt fabulam LXXXVI.

mag-

magnifice de ſe praedicat apud Particulonem. Succurrunt tibi & Horatiana de Graecis poetis?

Grajis ingentum, Grajis dedit ore rotundo
Muſa loqui, praeter laudem, nullius avaris,

Laus igitur peculium poëtarum: Naſo, *quid petitur ſacris niſi tantum fama poëtis?* qua propter valde metuo, ne affirmativa particula in negativam ſit mutanda hoc modo, *Nec laude invita vitam in hanc incubuerim*, ita omnia erunt perſpicua, & ſequentia his reſpondebunt. Sed, niſi calculus tuus acceſſerit, falſum me conjecturae opinabor. Illud *natus ſim poene Schola* quomodo excuſari poſſit jam oſtendi alias. Puto nihilominus trajectis vocibus reliquiſſe Phaedrum, *poene ſim natus Schola.* Certe in ſchedis regiis frequentiſſime voces alieno loco poſitae verſus claudicantes efficiebant, quas minutias piguit annotare. Denique eodem hoc carmine,

Rem me profeſſum dicet forſan aliquis gravem.

Scribe, ne verſus claudicet, *dicet forſan quis graveni: quis* pro *aliquis* eleganter ponitur. idque ſaepe in Ciceronis aliorumque ex optimis ſcriptorum vetuſtis membranis offendi, cum *aliquis* in libris vulgatis legeretur. Fabri illud; *fors aliquis* durius videtur. τὸ *candore noto* ſub finem carminis refer ad *noto cavo*; de quo agebam proxime. Fab. XL. malo *adhuc Falernae faecis teſta nobili*, vel, *e nobili*, quam quod vulgo circumfertur *Adhuc falerna fuce.* odorem quae ſpargeret Falernae fecis; mox probe Faber, *qualem, te dicam, bona*, quod & mihi in mentem venerat. Videtur autem fabula referenda ad ſervitium. Fab. XLI. *Saevit irato impetu*; non damno hanc ſcripturam. Vide tamen, ne Phaedrus reliquerit, *iterato impetu.* Nam & ſaeviſſe jam ante pantheram ex iis, quae ſubſequuntur, apparet, *illis revertor hoſtis* &c; mox pro, *& illa*, malo *at illa.* Fab. XLII. *Uſu peritus hariolo velocior Vulgo eſſe fertur*, de velocitate hariolorum ſi quid obſervaſti, cupio doceri. Fab. XLIII. *Pendere ad lanium quidam vidit ſimium*, puto excidiſſe voculam, *ut*, ob cognationem ſequentium litterarum: *ut vidit ſimium. Quidnam ſaperet* pro quomodo. Fab. LIX. *quidnam feciſſent*, pro quare, quod neſcio an recte in *quianam* mutarit *Rittershuſius.* Fab. XLIV. *tanto, inquit, melior*, Elegans loquendi modus, quem bene obſervat *Faber.* Similem locum caſtigavi Metamorph. Naſonis XIV. 657. Fab. XLV. *Namque ubi tricandum*; bene *ſtrigandum Rigaltius.* Quod editionem anni MDCXVII. jam occupavit, cum *Salmaſius* Solinianis exercitationibus pag. 56. perperam id ſibi vindicet. Fab. XLVI. *& vigilem, cum nox venerit*, malebam *evigilem.* Mox, *age ſi quo eſt abire animus, eſt licentia.* Verſus mendoſus: nam repetitio *ſi eſt* hîc ingratum quid ſonat. Forte, *Age ſi quo fert ire animus, eſt licentia*, vel, *an licentia eſt?* Fab. XLVII. *Saepe te conſidera*; τὸ *ſaepe* corruptum videtur & alienum hoc loco. Mox puto,

Hi ſpeculum, ut cathedrae matris appoſitum fuit,
Puerititer ludentes forte inſpexerant, vel, *oppoſitum.*

Nam faeminae in cathedra ſedentes ſpeculum habebant oppoſitum, ut id intueri ſic commode poſſent, dum ornabantur. *Faber* legit, *in cathedra matris ut poſitum*

fuit, propius veſtigia veteris ſcripturae, fateor, ſed docere debuerat ſpeculum in cathedra poni ſolere. Fab. XLVIII. *& cedo invidiae*, non ſatis locutionem aſſequor, tu certiora me doce. Fab. XLIX. *dum concurſant familia*, perperam hoc in *concurſat* mutavit *Rigaltius*. videantur, ſi tanti eſt, quae notis ad Naſonem hujus generis obſervavi Remed. Amor. verſ. 164. Faſt. III. 189. Met. II. 188. & IX. & 26. quibus non pauca curae ſecundae allinunt. Mox *lucerna allata*, puto *illata* ſcripſiſſe Phaedrum. ita loquebantur veteres; Apulejus III. Met. *illatis luminibus epularis fermo percrebuit*. Met. X. Naſo. *illato lumine vidit*, *Et ſcelus & natam*. Faſt. II. 35.

Fit ſonus, inclamat comites, & lumina poſcit
Maeonis, illatis ignibus acta patent.

Contra apud Propertium lib. IV. El. IX.

Lumina ſopitos turbant elata Quirites.

Q. Curtius lib. VIII. *Itaque apertis foribus & lumine illato ſopitum mero ac ſomno regem excitant*. Fab. L. *En, ait hoc unum eſt*, & quae ſequuntur ſatis frigide dicta videntur. & mendoſa eſſe opinor, ſententiam tuam de his quoque ſcire deſiderans. Nunc abrumpo: jamdudum enim ſum nimius. Quod petii frequenter, id denuo nunc repeto, vir celeberrime, ut delectum adhibeas iis, quae ad Phaedrum nonnunquam ſoleo annotare. Ago enim tecum familiariter, & ut quidque ſe mihi offert, ita in chartam conjicitur. Unde fit, ut ex iis multa, poſt maturam meditationem, ipſe improbare ſoleam eorum, quae primo arridebant. Interim, ut pergas de edendo quamprimum Phaedro cogitare te adhortor. Cum proxime literas in Italiam hinc dabo, enitar *Gudio* perſuadere, ut quae ad Phaedrum obſervavit, ad me mittat, ſi omnia non poteſt (nam ſchedas ſuas fortaſſis in Gallia reliquerit) ſaltem ea, quae majoris & praecipui momenti in his videbuntur. Quanquam id ipſum *Bigotio* quoque curae jam fuiſſe confido, qui frequenter Florentiam literas ſolet exarare. Vale. Exarabam Holmiae CIↃIↃCLXII. a. d. II. April.

EPISTOLA XXII.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

HAbebant multa nuperae tuae, quae me mirum in modum delectabant, ut; cum fab. XXXVI. pro *mecum* ſcribis *mi cum*, cum initio l. III. pro *praeſtes vicem* ponis *perſtet vicem*, ac ſimilia: audebo tamen in nonnullis meam quoque aperire mentem, pro libertate ea, quam mihi totiens conceſſiſti. Primum Fab. XXXVI. ſi verba, *id ut putavit &c.* referimus ad Tiberium, non video primum, quomodo cum praecedentibus τὸ *id* cohaereret, deinde, dixerat ante *rem* Tiberium *intellexiſſe*, & ſtatim ſubdit, judicaſſe dolum aliquem ſubeſſe. Videtur illa eſſe repetitio ſupervacua. Itaque aut haec verba expono de ſervo, tanquam ipſe, viſo quod intelligeret Caeſar hoc officium ſuum, exultaret, ac neſ-

neſcio quid boni allaturum ſibi crediderit: aut pro *id ut*, *& ut* ſcribendum cenſeo; cupio autem amplius doceri, cum hos verſus *Rigaltius* & *Faber* in editionibus ſuis omiſerint, unde ita putes factum, an quod ipſis viderentur ſpurii, num potius, quod in libris melioribus non comparerent. *Rigaltii* editionem olim habui, & contuli cum meis, nunc in poteſtate mea non eſt, ideo nec conſulere poſſum & videre, num de hac re quid monuerit. In fine libri, verſu eo, *ſi livor* &c, ubi vis, *ut livor*, putabam propius ad veſtigia ſcripturae veteris reponi, *ſin livor*, & ſic olim notaveram: eodemque modo ſequitur, *ſin autem ab illis*, ubi olim ſcripſeram, *ſin autem & illis.* Libri tertii initio fateor me nondum ſatis vel tuam vel auctoris mentem percipere. De hoc ita opinabar, agi omnino de eo, qui *intrare Muſarum limen cogitat*, de quo ait noſter, *mutandum ipſi eſſe vitae genus*, quale ſequitur Eutychus, non curis publicis onerandum animum, nec rei domeſticae invigilandum, vel ſimilibus aliis incumbendum, quae tamen vulgo laudari ſolent. Scilicet eos vulgo pro prudentibus peritiſque habent, qui noverunt rem augere ſuam, amplificare potentiam, dignitatem, & id genus; caeteros incumbentes litteris, ut ignavos, imperitos, & infructuoſa re ſe delectantes rident, ac contemnunt. Quo reſpectu, qui laudari cupit, eum oportet litteras omittere, curare ſe domumque ſuam, publicas ambire dignitates &c. At noſter ait ſe feciſſe contra, & poſtpoſita neglectaque illa laude incubuiſſe litteris, etſi ultro ſe offerret, offenderetque vias, quibus poſſet obtineri, adeoque invita negligi ſe a noſtro intelligeret. Quamquam autem iſta omnia fecerim, inquit, quamquam laudem, ſicut vulgo ſolent, & ego potuiſſem conſequi, neglexerim, tamen limen illud Muſarum intrare ſumma difficultate datur, *faſtidioſeque in coetum recipior.* Quo pacto intraturum, vel admiſſum iri putes eum, quem a litterarum ſtudio abſtrahunt tot curae aliae. Sic, inquam, de hoc loco ſuſpicabar, ſi erravi, meliora cupio abs te edoceri. Ad fab. XLII. non habeo, quod de *velocitate* hariolorum dicam, putavi artis aliquam, vel praeſagitionis felicitatem, aut celeritatem intelligendam eſſe, quaſi diceret, celerius eos, qui edocti ſunt uſu, videre, quomodo futuro malo debeat occurri, quam hariolos. Nempe quaerebat ruſticus, quomodo avertere periculum prodigio ſignificatum deberet: ad quod reſpondebant harioli, victimis opus eſſe; contra Aeſopus, & certius, uſu ſcilicet edoctus, illam paſtorum nequitiam ſubjicit, quae apud Auctorem noſtrum legitur. Fab. XLVIII. pro *& cedo invidiae*, ſcribendum olim opinabar *accedo invidiae:* nam *cedere invidiae alicujus* dicitur, ut *cedere honori alicujus*, hoc eſt minus eſſe, quam pro honore, ſicut apud Virg. lib. III. Aen. At hoc utique non vult noſter, itaque *accedere invidiae* putavi dictum, ſicut apud Ciceronem, *accedere virtuti alicujus*, pro vicinum, propinquum eſſe, non refugere velle, ſed ultro ſubire; iſta fuit mea ſententia, tu de ea videris; Fab. L. hunc putabam eſſe ſenſum, hoc unum, h. e. maximum ſummumque eſt, cur tanto ardore ſtudeam laboremque famam meam bonam ac integritatem adverſus te tueri ac defendere, quia non habeo teſtes, per quos facere hoc poſſum; ſi enim eos haberem, facile te plures redarguerent, nunc cum ſim ſolus, om-

nia pro innocentia mea & fama conſervanda mihi facienda ſunt. Caeterum apparet facile, in vocabulis *laborare*, *integritas*, *teſtes* propter ambiguitatem jocos ſubeſſe. Mallem tamen, ne & hoc omittam; pro *en ait* ſcribere, *& ait*, ſi ſic tibi videatur. Habes properanter breviterque ad ea, quae ſcripſiſti nuper, quae velim ita legas, ut ſimul memineris, me iſtaec aliaque omnia judicio ſubmittere tuo. Interea te oro, ut ne defatigeris addere caetera, quae ſpectare ad auctorem hunc videbuntur; praeſertim cum jam partem maximam tanta benignitate communicaveris. *Meurſii* denarium Pythagoricum una cum Gloſſario Graeco Barbaro habere te exiſtimo, ſi carere libro utroque potes ad tempus exiguum, mittam aliquem ex affinis mei domeſticis, qui petat abs te, & huc ad me curet deferri, reddam fide optima, neque longius, quam permiſeris, detinebo; A. *Gronovio* habere litteras ſolebam olim, nunc longo tempore vidi nullas, itaque vereor, ne aegrotet, aut alia quapiam de cauſa minus grata detineatur, ſi quid noſti, ſcribe, vir nobiliſſime. Nullaſne litteras habuiſti ab Ill. Dn. *Schele?* quid agit is in Tacito, quo uſque progreſſus eſt? Sed claudo, quia charta me jam deſtituit, & te porro, ſicut hactenus ſcripſi, me amare velle etiam atque etiam oro. Vale; Upſaliae Anno CIↃIↃCLXII. XVI. April.

EPISTOLA XXIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upſaliam.

Curionis negotium diu eſt, quod *Elzeviriis* commendavi, uti eram pollicitus: videtur quidem commendatio ipſa pondus habuiſſe ſuum apud illos, cum & gratias mihi egerint hoc nomine, & ad nonneminem ex propinquis ſuis in hac civitate negotiantem literas dederint, quibus is jubebatur *Curionem* ſuper hac re convenire, ſed noſter ille nullibi jampridem comparet. Ad officinam certe ejus cum pueros frequenter miſerim ſciſcitatum, ubi lateret bonus *Curio*, aut quando rediturus eſſet, incerta omnia ad me relata ſunt. Itaque qui & alios bibliopolas ex noſtratibus conciliare illi coeperam, ſuperſedendum hac opera judicavi, dum ex latebris ſuis tenebrio noſter emergat. Literas peregre cum complures nuper acceperim, in iis tamen vix deprehendi quicquam, quod tua curioſitate eſſet dignum. *Schelium* de caſtris Romanorum parare Commentarios, *Gronovium* de novo Obſervationum volumine edendo cogitare nunciatur. *Holſtenii* & *μακαρίτου* bibliothecae quid factum ſit, ex Furſtenburgiana epiſtola cognoſces. Frivola mea & tuum Phaedrum & te jam enecuerunt, credo. Pergam nihilominus te obtundere hiſce ineptiis. In illo verſu, *Et arte fictas animus ſentit fabulas*, nihil omnino mutari placet. etiam in illo, *Pendere ad lanium quidam vidit ſimium*, non eſt neceſſe inſeri τὸ *ut*: cum Phaedrus brevitati impenſe ſtudens minus curare videatur periodum cohaerentem & nexum ejuſmodi. Fab. III. *immiſcuit ſe pavonum formoſo gregi*. Probabam autr Schoppianum

num illud *Pavim*, quod ſyllaba in hoc verſu redundaret. Nunc ſatius fore opinor vocibus tranſpoſitis, *ſi immiſcuit pavonum formoſo gregi.* nam quod Tanaquillus Faber τὸ *immiſcuit* τετράσυλλαβον ſtatuit, nolim me hercules factum, cum nulla auctoritate id nitatur. Nam Virgilianum *Miſcuerunt*, & Phaedri noſtri ex fab. XV. libri II. *praebuerunt*, nihil ad rem faciunt: cum in altero verſu *Miſcuerunque*, *herbas* dactylus ſit, in altero ſit anapaſtus, *Feliſ-que catu-lis lar-gam prae-buerunt-dapem.* nam veteres *miſcuerunt*, *praebuerunt*, atque hujuſmodi infinita alia tam correpta, quam producta tertia ſyllaba enunciabant, quomodo & in *tuleritis*, *dederitis*, ſimilibuſque. Scis illud Naſonianum

— — — Vitamque fatebor
Accepiſſe ſimul. Veram dederitis in undis.

Ubi productam habet tertiam ſyllabam. apud Maronem ſecunda in *tulerunt* & in *ſteterunt* corripitur. *obſtupui ſteteruntque comae & vox faucibus haeſit.* tum, *matri longa decem tulerunt faſtidia menſes.* egi de his nonnihil ad Naſonem variis locis. Praeſertim ad Epiſtolam Didûs verſ. 53. & 165. nam in vulgatis codicibus ut plurimum ejuſmodi loca depravata circumferuntur. Miror doctiſſimum *Fabrum* hoc aut ignoraſſe aut diſſimulaſſe, ſi ſcivit. Fab. XLIX. inconcinna videtur repetitio ὃ *damnanda*: *damnandam exiſtimo*, *damnanda crimina.* Poſterius forte corruptum. Fab. LI. *olim rediſſes ad ſplendorem maximum.* Vide, ne reliquerit nobis Phaedrus, *colli rediſſes ad ſplendorem maximum.* monilia enim collo, ut ſcis, appendebantur, atque illa ex baccis ſive margaritis, ut plurimum, conſtabant. Verſu proximo, *Ego qui te inveni*, non video, quî cohaereat oratio: nam *poſſum* pro *potes* erat dicendum puto,

Ego quod te inveni, potior cui multo eſt cibus,
Nec tibi prodeſſe, nec mihi quicquam poteſt.

niſi mavis,

Nec tibi prodeſſe, nec mihi quicquam queo.

Caeteris, uti vulgo ſeſe habent, in priori verſu intactis, ſed malo alterum. Fab. LII. *in dubium plane res ut merito venerit.* malebam, *plana res*, ne duo adverbia concurrant. *planam rem* pro facili liquidaque poſuit, & quae in facto conſiſteret, ut juris periti loquuntur, ita *planum facere* & *probare* conjunxit. Lucretius lib. II.

Huic ſatis illud erit planum facere atque probare,
Non fieri partum. & libro I.
Hoc tibi de plano poſſum promittere, Memmi.

Liquido & facile poſſum promittere. *rem* igitur *planam*, *dubiae* & difficili opponit. hinc & illa ducta videntur apud juriſconſultos *de plano cognoſcere*, *de plano judicare*, & ſimilia, quod res perplexae & dubiae e tribunali judicarentur, faciles ac dilucidae in plano. Eadem fabula non opus eſt, ut repetam, cum memineris ſcribendum videri, *Tunc illa litem ſuſtulit ſententia.* Fab. LIII. *Expedi, quod fecerim*, Rectius editio Rigaltii, *expedi quid fecerim.* Quare fecerim. Fab. LIX. *quidnam feciſſent*, quod male mutant. Sic *quid veniant*, pro

quare

quare veniant apud poëtas frequenter. de quo loquendi loquendi modo egi pluribus apud Naſonem Pont. lib. I. El. I. verſ. 9. Fab. LIV.

Age porro, ſciſſet cum crearer maſculus.

Non videtur ſatis Latinum eſſe, nam aut *ſcierit* dicendum erat, aut *ſciſſe*. de quo ſententiam tuam ſcire deſidero. tum an *age* ſatis commodum hoc loco arbitreris. Nam id ſi mendo non vacat, videtur ſubintelligendum, demus, concedamus ſciviſſe. Fab. LV. *cavoque ramo*, malebam *rami*, quod vox *cavi* ſubſtantive paſſim apud noſtrum occurrat, uti etiam infra hac ipſa fabula, *noctua egreſſa e cavo*. ita & Horatius frequenter. Ibid. *Sonare cithara quos putes Apollinis*. rectius fore videtur aut, *ſonari cithara*, aut *ſonare citharam*, aut *ſonare cithara Apollinem*, non *Apollini*. nam *cantus ſonant cithara Apollinis*, videtur modus loquendi paulo inſolentior. Fab. LVI. *& Myrtus Veneri, at* praeſtiterit, ni fallor. Ibid. *At mehercule narrabit*, τὸ *narrabit* non opinor ſanum eſſe. *mehercules* etiam legendum, ut ſyllabis conſulatur forte

At mehercules pararit, quod quis vobuerit

pararit, ſibi legerit, compararit. Sic *aere parare*, pro emere. Atque haec ſuffecerint hoc loco. *Juſtus Pluymerus* Typographus Amſtelodamenſis ſignificavit proxime literas Roma ſe habuiſſe nuper admodum a *Gudio*. Die craſtini rogabo illum, ut obſervationum nonnihil ab illo conetur impetrare meis verbis ad Phaedrum. Vale, vir Clariſſime, & me ſolito affectu perge complecti. Holmiae exarabam Anno CIↃIↃCLXII. a. d. XX. Aprilis. Ex Dania allatam nuper huc Sefeldianam bibliothecam narro, cui locus in arce regia eſt datus. Multa illic Meurſiana vidi ἀνέκδοτα aut editis auctiora.

EPISTOLA XXIV.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

REmitto ecce tibi, quas ad me miſiſti nuper literas, proque illarum communicatione gratias humanitati tuae ago ſingulares, quando mihi nil jucundius, quam ſcire, quid viri eruditi per regiones externas in re litteraria moliantur. Fab. XLIX. pro *damnanda crimina* quod merito improbas, legebam olim, *clam ante*, quod quale ſit tu videris. Fab. LI. pro *nec mihi quicquam queo*, ut putabas, mallem retentis omnibus ſcribere *potis*, ut ſit eclipſis, pro *potis ſum*, quomodo Virgilius, quem ſemper reſpicit, Aen. III.

Nec potis Jonios fluctus aequare ſequendo.

Fab. LIII. pro *quid fecerim*, legebam, *qui id fecerim*, etſi tecum alterum non improbem. Fab. LIV. non ſatis ſcio quid cum illo *fuiſſet* facere debeam, nam video & Ciceronem illud *age porro* ponere ſic abſolute: ut de Invent. II. *age porro, quid ſi velint judices adſcribere, paſſuruſne ſit populus*. Itaque ſuſpicor hunc eſſe ſenſum verborum: concedamus interim, etſi ſciſſet, niger an albus eſſem, tamen cum crearer maſculus. Puto autem hîc deficere orationem agni,

&

& ſequi aliam canis interrumpentis: quia enim videbatur agnus allaturus quidpiam contra matrem, arripit occaſionem canis praeveniendi ejus ex eo, quod ſexus mentionem feciſſet, aitque, ingenti beneficio affectum eſſe a matre, quod marem, non faeminam ediderit, cui mox reſpondet agnus, monſtrato periculo praeſentiſſimo ex hoc beneficio, ut canis putabat. In iſtud *ſonari citharа*, vel *ſonare citharam* facile tecum conſentio; peto tamen, ut me erudias, num non, ſicut apud Horatium II. *ſonare plectro aureo* dicitur, ſic *ſonare citharа* dici queat, & ſicut apud Fabium lib. I. cap. 10. legitur, *cantus hortatur remigio*, ſic rectum ſit *cantus ſonat citharа*, cantuſque canentem ſignificet. Fab. XLVIII. pro *accedo invidiae* ſuſpicabar nunc, *& me do invidiae*, vel ſit dictum ſicut apud Ciceronem in ſomnio Scipionis, *dare ſe ſermonibus vulgi*. Sane Idem *dare materiam invidiae* dixit alicubi. Sed de hoc ſententiam tuam exſpecto, peto autem, iterum iterumque, ut ne, quae in libris ſequentibus admonitione indigent, velis omittere taedio laboris, cum ex eo fructus non ad me ſolum, ſed & totam juventutem ſtudioſam perveniat ampliſſimus. *Meurſii* Gloſſarium cum ejus Pythagorico denario huc mecum referre auſus ſum, ſingularis benevolentiae tuae erga me fiducia, dabo autem operam, ut & hîc a me habeantur munde, & poſt tempus breve ſalvi ad te perveniant. De caetero ſummas tibi ago gratias pro nuperis diebus exhibita humanitate, nec in votis habeo amplius, quam ut excurrere ad nos quoque velles, domumque noſtram praeſentia tua beare. Darem profecto operam cum meis, ut conſtaret tibi, quantum & debeam, & debere velim omni tempore, Vale. Upſaliae a. d. 29. April. CIↃIↃCLXII.

EPISTOLA XXV.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

OPtima pulchetrimaque ſunt, quae nuper tuis litteris indicaſti, imprimis placuit illud, *age poro ſciſſe*, *num crearer maſculus*, ut prope jurem, ſic ſcripſiſſe Phaedrum, nec minus ingenioſum eſt illud, *circum in quaeſtus ducere*. Fab. LX. pro *& ſane bene* legitur in prioribus editionibus, *& ſane leve*; quare putabam, *joculare id tibi* (vel *hoc tibi*) *videtur*, *ſit ſane leve*, ut preſſius inhaereatur ſcripturae veteri; alias amplector tuam emendationem lubentiſſime. Illud *Pelii in nemoris* Fab. LXIV. haud dubie eſt tale, ut ambigere de eo ſtultum ſit: verba iſta, *juſtoque vindicavit exemplo impetum*, ſic intelligebam, Minos vindicavit incurſiones piratarum juſta poena: *impetum* putabam poſitum pro iis, qui impetum faciunt, quomodo paſſim noſter in talibus ſolet, ut Fab. V. *improbitas abſtulit*. Fab. 13. *ingemuit corvi ſtupor* &c. *Exemplum* credebam ſignificare *ſupplicium*, ut apud Caeſarem, Terentium, & alios. tu videris, quam bene iſta a me dicantur. Fab. LXXVII. *ſordidum perjurium* putabam dictum, quod committitur ex cauſa ſordida, propter avaritiam ſcilicet, quam dici *ſordidam*

est notum, & pauculos quosdam nummos. Ut sit sensus, tu, qui non cessas etiam Deos provocare ad iram, & patientiam eorum irritare continuis perjuriis, etiam ex levissima & sordida plane causa, tantumque, ut vel quadrantes pauculos aggreges patrimonio tuo; itaque ergo intelligebam, si erravi, tu aberrantem reduces in viam. Nunc oro enixe, ut significes, quid censeas de isto versu, qui est Fab. ex. *aliquot venit saeculis vete tervitus*. *Rigaltius* postremo edidit, *aliquot secutis venit & retorridus*, quod non displicet. Sed quia semper huerco incertus, num sic scripserit ex codicibus antiquis, an ingenio, scire cupio, quae tua sit sententia. Vexatissimum locum, qui est ab initio libri quinti, nescio, an possim ita emendare, si scripsero.

Qui pretium operibus majus inveniunt, novo
Si marmori adscripserunt Praxitelem, sub
Detrito, Myronem argento, fabulae & audeant
Adeo fugatae.

Suo id est proprio, vero, justo, ipsi debito; intelligitur autem nomen, quod non quidem expresse, virtute tamen inest *vō Praxitelem*: illud *Myronem argento* intelligendum est ex repetitione praecedentium: si *novō argento adscripserunt Myronem*, sequitur deinde, *audeant hoc ipsum facere fabulae*, praesertim cum nunc adeo sint fugatae ac ejectae ex usu hominum per nescio quem novorum contemptum. Porro *fabulas* hic puto poni pro scriptoribus fabularum, more solito apud Nostrum, de quo ante dixi. Quaeso te etiam etiamque, ut ignosces meis his ineptiis. Non possum non significare tibi, quae in mentem quoquo modo mihi veniunt, si forte sternere viam possint ad inveniendum verum, aut id saltem, quod est vero proximum. Verum haec de Phaedro. Non possum autem non occasione hac apud te conqueri de fortuna mea Aelianique mei, quem Argentorati demum in lucem edere paraveram. Nam cum in prioribus notis meis multa viderem esse immutanda, multa explicanda uberius, explendaque, feci illud, quanta cura potui, perque partes misi Argentoratum, & in magna expectatione fui, fore, ut editio secunda liberaret me ab iis, quae per incuriam & festinationem perperam in prima admisi. Nunc ecce, quid acciderit; primum partem maximam eorum foliorum, in quibus scripta erant, quae secundis curis annotaveram, Typographus per incuriam amisit. Deinde ipse paucis diebus post prolapsus ex equo, vitam cum morte permutavit, ita editus est deinde Aelianus, maxima parte retentis notis veteribus & omissis illis omnibus, quae postea notavi; quae res quantum mihi afferat dolorem, credere non potes. Scripsi, ut ne publicarent quidquam editionis hujus, priusquam videam, quid desit, ut supplere possim, adjecto appendice. Sed quia metuo, ne plus lucrum suum, quam famam meam attendant, agi per te, domine, volim cum Typographo quocunque ex vestris, exploraque voluntatem alicujus de edendo eo auctore tertia vice. Qualis si posset reperiri, vel in ipso titulo ostenderem, hanc secundam esse veramque editionem, illamque Argentoratensem pro mea me non agnoscere; sed hoc tuo judicio permitto, qui scribes, quid hoc casu faciendum mihi censeas, & si putas facere id, quod

pro-

propoſui, debere, ſignificabis, an me repertorum aliquem Typographum inter veſtros exiſtimes. Nam *Curio* quidem noſter omnibus his non ſufficit, & periculum eſt in mora, uti vides. Atque utinam hic Phaedrum ſaltem poſſet edere, dum omne tempus in deſcribenda Soceri mei hiſtoria inſumit, vereor, ne ea finita diſcedat, Phaedrumque relinquat mihi; quo magis oro rogoque, ut occaſione data editionem ejus urgeas apud *Curionem*, hominemque eo impellas, ut primo quoque tempore praelo committat, plus enim apud eum tua unius valet auctoritas, quam decem aliorum. Vale, ac iſtis nugis meis ignoſce. Upſaliae a. d. 6. Mai. A. C. CIↃIↃCLXII.

EPISTOLA XXVI.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

ET tuas & Cl. *Bigotii* literas, quibus hic reſpondeo, accepi, redditus & ante biduum eſt Seneca *Gronovii*. Attulerunt mihi omnia non mediocre gaudium, non & *Gronovium* non prorſus oblitum eſſe noſtri, facile ex argumento tam egregio illuſtrique collegi, & te in continuatione favoris erga me minime defatigari, cum ex tuis, tum ex Cl. *Bigotii* litteris abunde intellexi, cujus amicitiam, & promtum rerum mearum promovendarum ſtudium totum bonitati tuae me debere profiteor; Atque utinam in me quid eſſet, quo vicißim declarare tibi animum meum poſſem, nunc in me nihil ſupereſt, quam ut ſimpliciter agnoſcam, tantum debere tibi, quantum ſolvere nunquam potero. De Aeliano meo ſcribis optime, atque utinam hanc mihi operam praeſtare velles, ſcribereque ad eos, per quos juvari poſſe me exiſtimas. Memini me legere ſemel iterumque Aeliani variam hiſtoriam in indice Regiae Bibliothecae, itaque ſcripſi Cl. *Bigotio*; addes & tu meis precibus vota tua deſideriaque, ita ſpero nihil nobis negaturum. Etiam in Anglia MS. eſſe audio, ſed cujus generis, ignoro. De Phaedro nunc non habeo magnopere, quod ſcribam, cum impediant me operae Typographicae, abſente Socero meo. Gudiana conjectura, de qua ſcribis, placet optime, interea neſcio, quomodo illud *in te* mihi videatur obſcurum, nempe ſermo eſt de *anima*, quae hic odorem ſignificat, itaque non in odore bonum, ſed odor ipſe bonus longeque melior fuiſſe olim videtur, ſcilicet cum non ex vacua amphora, ſed vino ipſo proveniret. Si de lagena ſermo eſſet, viderentur omnia melius quadrare, nunc *magnum bonum eſt in anima*, *majus bonum eſt in anima*, pro anima eſt bona, anima eſt melior, ſeu odor eſt gratior, eſt praeſtantior, duriuſculum videtur, verum hoc non ſcribo, tanquam non amplectar ingenioſam viri praeſtantiſſimi, ac litteris ipſis veteris ſcripturae inhaerentem emendationem, ſed ut pro libertate mea, quam conceſſit mihi tua bonitas, ſententiam tibi aperiam mei animi, & erudiri abs te cupiam. Cl. *Gronovio* ſi quando ſcribes, quaeſo, ſignifica, ut & accepiſſe me egregium illius munus indicem, & gratias pro eo agam. De caetero te oro,

ut & festinationi meae, & litteris pessime scriptis ignoscas, cum enim morbi subinde me vexent, factum est, ut in lecto istas exarare coactus sim, per summam animi molestiam, & corporis non mediocres labores. Vale, vir Nobilissime. Upsaliae a.d. 13. Mai. CIↃIↃCLXII.

EPISTOLA XXVII.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinsio.

Helmiam.

SEro tuis amantissimis respondeo, nam citius non poteram, propter corpus aegritudine afflictum, quae cum subinde revertatur, dabis, opinor, veniam tarditati, quam imposuit non ignavia, sed extrema necessitas. De caetero, unde incipiam, quove desinam, gratiarum actionem, quam pro tot tantisque beneficiis tibi debeo maximam, Domine, non invenio. Totiens interpellavi negotia tua, totiens ad scribendum te compuli, nugisque meis ac quisquiliis negotium feci tibi. Quicquid denique eruditissimè in Phaedrum annotaveris, mira promptitudine ac facilitate abs te impetravi; scio saeculi consuetudinem, & invidiam aliorum, haud secus atque nescio quae secreta recondentium ista, sibique solum servantium, quo magis praedicanda tua est humanitas, & amor ac benevolentia erga me singularis, pro qua utinam in me esset, quod vicissim rependerem. Nunc nec ignota tibi mea est infirmitas, & ego eam non dissimulo, non ut hac ratione debitum exsolvam, sed ut me in aere tuo esse & profitear nunc, & in posterum omni tempore agnoscam. De Phaedro, nondum sic convalui, ut scribere multa queam. De Aeliano potius rogo, ut, quantum potes, institutum meum promoveas, tam enim male me habet casus nuperus, ut quaeram omni ratione, qua potest fieri, corrigere, quod in dedecus meum vergit, absque mea culpa. Esse in Bibliotheca Parisiensi MS. certum est ex catalogo. Quid igitur? quando, si non per Cl. *Bigotium*, per alium aliquem varias lectiones codicis ejus occupare possemus. Quid? si & ex Anglia opera Cl. *Bigotii* subsidia accederent; sed de Anglia scio nihil, totum tuae fidei curaeque committo, quem scio nihil omissurum eorum, quae in rem meam pertinere poterunt. Phaedrum *Rigaltii*, cum ejusdem Glossario reddidit mihi Socer ante dies aliquot: restituam utrumque librum una cum caeteris occasione proxima. Interea Vale, & brevitati meae ignosce, plura scripturus, cum plene convaluero. Upsal. a. d. 27. Mai. CIↃIↃCLXII.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XXVIII.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Helmiam.

REmitto ad te literas *Bigotii* cum multa gratiarum actione. Quae de Phaedro ſcribit placent, verum metuo ne ſint fruſtra curae meae futurae, poſt tot aliorum in eo collatam operam, nam & *Gujeti* ais prodiiſſe notas in eum, quas videre cupidiſſime deſidero. Vir fuit, ſicut mihi quidem videtur, perſpicax, & in genere hoc ſtudiorum optime verſatus; verum nimis fidens ſuis conjecturis, & ad corrigendum audax, ne dicam, temerarius; tanto magis aveo cernere, quid ipſe de nonnullis Phaedri locis cenſuerit; Quod autem ad *Bigotium* attinet, oro te, per quicquid poſſum, ut cum eo agas ſerio meo nomine, petoque enixe, ut, ſi quae ad Aeliani Variam comparare mihi poſſit, comparet, quando prodiiſſe illam, de qua ſcripſi nuper, editionem intelligo, publicatamque eſſe, licet prohibuerim, petierimque; ut expectarent, donec per modum addendorum ea, quae amiſſa ſunt, reſtitui, & caeteris conjungi poſſent. Quia itaque famae meae intereſt prodire tertiam editionem, quanta maxima celeritate poteſt, iterum iterumque te oro ac obteſtor, ut me hac in parte juves, ac ſi per alios quoque comparare mihi poſſis quidpiam ad hoc negotium idoneum, id facias. Mauricii liber ſeptimus jam in Latinum ſermonem eſt tranſlatus: reſtant libri quinque, quos bono cum deo abſolvere conabor quatuor, vel quinque hebdomadum ſpacio. Interea velim, ſi ſic ferat occaſio, ut explores *Elzeviriorum* animum ac voluntatem, videaſque, num edere eum ipſi velint. Nulla erit in me mora, curabo brevi omnia deſcribi, ut typis edi commode queant. Etſi autem de interpretatione mea polliceri nihil auſim, id tamen citra arrogantiam dixero, me plus centum locis oſtenſurum, Leonis interpretem *Johannem Checum* adeo non percepiſſe ſcriptoris ejus mentem, ut mirum ſit, interpretationem illam etiam *Meurſium* ſervare voluiſſe. Sed hoc plenius ex ipſo opere intelliges. Si parare mihi Cl. *Bigotius* Arrianum volet, rem faciet gratiſſimam, quamquam non exiſtimem expectare me debere, donec & hic accedat, cum Mauritio: quum conjungi nequeant, niſi magno volumine, ad quod tardiores eſſe typographi conſueverunt. Cl. *Gronovii* ſilentium vehementer miror: ſcripſi ei quinquies & amplius, ſed reſponſum vidi nullum. Mutaſſe ipſum animum priorem erga me, ſumma viri tantoque tempore probata mihi humanitas & ſinceritas ſuſpicari prohibent; malo credere, id fieri per otii penuriam, aut quamvis aliam cauſam, quam averſationem. Haec ſcripſeram, in vicina praedia mea iturus, cum ad me venit nobilis ille Germanus cum Italo quodam, litteraſque tuas reddit. Feci, quantum potui, pro ratione loci hujus, & noſtrarum facultatum. Neque puto negaturos, voluiſſe me teſtari, quantum tibi debeam, ac debere ſemper velim. Nomen utriuſque iterum excidit memoria, quod per te reſcire deſi-

dero. Vale, vir Nobiliſſime, ac ſi moleſtum non eſt praeſentiae tuae honore nos aliquando dignare, non eſt toto anno tempus opportunius, ut puto. Upſaliae a. d. 15. Juli. CIↃIↃCLXII.

EPISTOLA XXIX.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiae.

Sicut multis nominibus gratae mihi fuerunt tuae literae, ſic illud ingratiſſimum, quod poſt Sororis tuae, Illuſt. Domini *Schelii* quoque obitum, & ex duplici hoc caſu, duplicem moeſtitiam tuam nunciarunt. Nec profecto leviter animum meum tetigit mors immaturna tanti viri, quem tu rectiſſime ais potuiſſe multum ſtudiis meis prodeſſe, ſi diutius vixiſſet. Teſtatur id ſatis, quod in Polybium nuper eſt commentus. Teſtantur pauca, quae in poſtremis ad te ſuis de nonnullis Taciti locis diſſeruit, cujus cum ampliſſimas feciſſet nobis ſpes, ignoro, an nunc quidquam ſperare audeamus. Atque iſta quidem eſt conditio mortalium. Quo magis ego feſtinare ſoleo, ut mea quoquo modo abſolvam, & ſcripto ſaltem comprehendam, maxime ea, quae in libros ante a me compoſitos emendandi atque illuſtrandi gratia meditari ſoleo, inter quae non poſtrema ſunt illa in Aelianı Variam Hiſtoriam, pro qua tantopere te laborare gaudeo, gratiſque tibi ago. Recte autem monet Cl. *Bigotius*, non debuiſſe me ſic feſtinare cum editione illa, verum amplius eſt quam biennium, poſtquam mea miſi Argentoratum, quo quidem tempore de ſingulari tua iſta erga me benevolentia, multoque minus de notitia *Bigotii* polliceri mihi nihil quidquam poteram. Agebam ergo tum, quantum erat in viribus meis, atque utinam ſic omnia fuiſſent publicata, ſicut ego deſtinaveram. Nunc dupliciter male mecum actum eſt, nam & ſubſidiis neceſſariis fui deſtitutus, & quae deleri, immutari, ſuppleri volui, partem maximam manſerunt, ut fuerunt in editione prima. Quare, ne diutius haec macula operi illi inhaereat, ad editionem tertiam feſtino, ad quam juvabunt me plurimum ea, quae tam amice liberaliterque pollicetur *Bigotius*, & te aliunde conquiſiturum ſignificas. Et non poſſum non denuo te orare, ne graveris pergere in hoc amicitiae officio, & ſtudia mea etiam hac in parte promovere. Notae *Gujeti* in Phaedrum traditae mihi ſunt. Breves eſſe video, quaſdam quoque minoris momenti, ſed quia nihil tam exile eſt, ad quod non interdum offendat juventus, propterea recte me facturum ſpero, ſi omnes, quotquot ſunt, ſeorſum edam, notiſque meis ſubjungam. Interea pro iis, ut caeteris multis tuis, ſummas tibi debeo gratias. Cl. *Gronovii* literae, & pro quibus tranſmiſſis pariter tibi ago gratias, nil continebant praeter quorundam Phaedri locorum emendationem ex Cl. *Gronovii* mente, de quibus olim ad eum ſcripſerim, ac ne verbo quidem meminit eorum, quae nunc habeat ſub manibus. Tantum de multitudine negociorum ſuorum queritur. Itaque nil tale eſt in iis, quod tu ſperabas, ut videres ipſe,

ſi

ſi non deſcribere cogerer ea, quae ibi ipſi continentur, & adjicere meis notis. Mauricius ad finem eſt perdoctus, nunc deſcribitur; a me vero notae in eum adornantur. Quae Cl. *Bigotius* monet de verſione *Gazae*, non ſunt contemnenda. Vellem itaque, ut exploret, ſi poteſt, amplius. Vereor tamen, ne ſit res multiplicis, ſi non irriti laboris, cum de eo nemini hactenus innotuerit, cum tamen cactera *Gazae* ſatis ſint cognita. Ego ſane propter ipſum mea non differo. Si haberi poteſt, bene eſt, ac ne ſic quidem poenitebit me impenſi laboris; ſi non poteſt, cum mea erunt confecta, publicabo. Niſi forte tibi ſecus videatur. Pro nobili iſto Germano nullae mihi debentur Gratiae abs te, verum ex adverſo a me tibi, quando ea hac ratione facis, ut mea innoteſcant viris bonis, per quos promoveri poſſint. Sic enim & ipſe mihi eſt pollicitus. Neque dubito de fide ejus, ſi modo ſalvus eo veniat, quo iter ſuum deſtinarit. Mitto alias hic litteras ad Cl. *Grupvium*, quas, niſi grave eſt, adſociabis tuis, quandocunque ſcripſeris. Nam ut ſtatim mittantur, nihil opus eſt, quia nihil continent, ad quod reſponderi mihi cito cupiam. De caetero conſtanti tuae gratiae ac benevolentiae commendo me meaque, teque plurimum valere jubeo. Upſaliae a. d. 12. Auguſt. CIↃIↃCLXII.

P. S. Cl. Dominum *Bigotium* quaeſo erixe, ex me ſalutes plurimum, ſi forte ei ſcribes, moneaſque, ut pergat promiſſa exſolvere. Nihilne reſcripſit ad locum illum auctoris Graeci neſcio cujus? Nihilne de Arriani Tacticis? An per eum haberi poſſent Baſilii Patricii Naumachica? Memini *Voſſium* mihi nominare aliquem Graecum ineditum, qui ſcripſerit de partibus navium, & alium, qui de Piratica. Si quid ex eo ſuper his potes amplius informare, quaeſo, ne omitte ſcribere mea cauſa, cum occaſio dabitur.

EPISTOLA XXX.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

PRO nuperis tuis ſummas tibi ago gratias, vir nobiliſſime, praeterquam enim quod humanitatis tuae, favorisque erga me ſoliti ſunt plenae, nova quoque continent promiſſa de implendis eis, quae proxime rogavi. Neque defuturos arbitror viros bonos petitioni meae, ſi tua inſuper auctoritas acceſſerit. Memini me audire quondam ex Cl. *Voſſio*, vidiſſe ipſum neſcio quem ſcriptorem Graecum de partibus navium inter MSS. *Salmaſii*. Velim, ut de eo ſcribas ad Cl. *Bigotium*, atque utrum, ſive ex illo codice, aut ſimili fortaſſis Bibliothecae Regiae, ſi ibi poſſit reperiri, deſcriptus haberi queat, explores. Eſt Pariſiis Ephorus ille Dom. Baronis *Bielkii*, diſcipulus quondam meus, per quem caetera poſſent expediri. Nomen ejus eſt *Andreas Nicolai*, qui mea cauſa quidvis faciet. Pro his, quae de Aviena ſcribit, gratias ago ſummas. Non poſſum eum bene jungere Phaedro, quia metuo, ne libelli magnitudo creſcat plus, quam ego velim propter noſtros homines, qui nullam in rem aegrius pecunias erogant,

gant, quam in libros. Itaque ipſum quidem induſtriae alienae relinquo. Nec me intellexerit ſatis *Curio*, cum de Avieno tecum ageret. De *Gujeti* notis ſolis ſcripſeram, ſignificaveramque velle me eas ſeorſum peculiari appendice addere meis annotationibus in Phaedrum: ſperaveram fore, ut excurrere ad vos liceret hiſce nundinis, ac videre apud te libros, quorum hactenus in tuis feciſti mentionem. Nunc id fieri haud poſſe intelligo propter cauſas varias. Quamprimum autem abſolvetur Phaedrus, quem nunc ſub manibus habet Typographus, veniam. Quae de rebus *Mori* innuis ſubobſcura ſunt, vellem explicares amplius. Doleo vicem eruditi viri, & quondam Genevae mihi cogniti. Socer meus paucos dies fuit Holmiae, ut offerret Hiſtoriam eis, quibus inſcripſerat, & ſtatim diſceſſit cum uxore, propter nundinas, quae tum in hac urbe celebrabantur. Queritur non datam ſibi fuiſſe occaſionem, qua te ſalutaret, dum nunc hujus, nunc illius ex Proceribus regni frequentare domum, & quaerere admiſſionem ac colloquium cogitur, & cum petitione excuſationis, ſalutem ſimul plurimam perofficioſe tibi impertit. Caetera expediet *Curio* coram, cui ſimul commiſi MS. Horatium; ſi quid eſt in eo dignum obſervatione, gaudeo, ſin minus, de voluntate tamen mea vel hinc conſtare tibi volo. Vale, vir nobiliſſime, ac favere mihi perge. Upſaliae a. d. 30. Septemb. Anno C. CIↃIↃCLXII.

EPISTOLA XXXI.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

QUod raritatem litterarum tuarum excuſas, in eo facis pro ſolita humanitate ac civilitate tua, Domine: nam tu tot publice privatimque occupatus laboribus, quid opus habes excuſatione apud eum, qui cum vivat in otio, ne ſic quidem ſatis diligens eſt, aut frequens in ſcribendo; nec neceſſe arbitror hoc excuſare tibi, quando ultro te noviſſe arbitror, quam ſaepe interveniant etiam nihil agentibus, quare ſcribere non queant; itaque tu quidem ſcribis, quando voles, voles autem ſemper, ſcio, quando argumentum otiumque erit. Promtitudinem voluntatemque tuam in juvando Aeliano meo ſumma reverentia amplector ac oſtentor. *Bigotio* ipſi meis litteris importunus eſſe non ſuſtineo, ad quem ſi ſcribes, ſalutabis eum ex me perofficioſe, ſimulque exquires ex eo cuncta, quae nuper de Auctore partes navium explicante ſcripſi. Phaedrus magna parte ſua jam eſt deſcriptus, quae tu feliciſſime, ingenioſiſſimeque ſuggeſſiſti mihi, adeo non cenſeo premenda, ut injurius eſſem & adverſus Phaedrum, & adverſus omnes ejus lectores, ſi publico non communicarem. Faciam tamen, quod totiens mones, & de quibus amplius deliberandum putabo, omittam. Non quod judicium mihi aliquod ſumam in tua, ſed ut voluntati tuae paream: erit forte, cum & illa promere, ampliorique cura ſtabilire dabitur. *Mori* negotia plane mira & perplexa ſunt. Ego non video, qua facun-

cundia ſua eluere hanc maculam valeat, quamquam credam eum eſſe, qui caſus quoſvis animo, neſcio an bene dixero, magno ferre ſoleat. Non habeo, quod magnopere hac vice ſcribam, hoc ſolum oro, ut me gratia tu, ſicut hactenus, ſic in poſterum complecti ne ceſſare velis; Cl. *Gronovium*, ſi forte ad eum ſcribes, ſalutari ex me perofficioſe cupio. Vale. Upſaliae a. d. 28. Octob. CIↃIↃCLXII.

EPISTOLA XXXII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upſaliam.

Chriſtianus Hugenius Zulichemius Conſtantini filius, Juvenis nobiliſſimus, & Matheſeos inprimis peritus, tum arcta mihi junctus jampridem conſuetudine, cum commentarios de Phaenomenis Mathematicos moliatur, mox in lucem proferendos, rogavit me verbis ſeriis, ut, ſi quid hujus argumenti per hoſce terrarum tractus a me corradi poſſet, ornamento ſtudiis ſuis futurum, id ne gravarer ad ſe mittere. Phaenomena tria aut quatuor in hiſce regionibus ſpectata, in quibus & claſſem navalem, vivis coloribus deſcripta jam ad illum, ut poſtulabat, miſi. Nunc cum ex fama partim publica, partim ex hiſtoria viri Clariſſimi Soceri tui ſim edoctus, ante expeditionem Regis Caroli Guſtavi, nuper defuncti, ſpectatum in agro Upſalienſi phaenomenon a viris compluribus fide digniſſimis fuiſſe, rogatum te volo, ut ejus ectypum, ſi haberi poſſit, mihi obtineas, ſin minus, accuratam ſaltem narrationem, quam amicus meus lucubrationibus ſuis inſerat, ac bono publico divulget. Si quid praeterea ſimilis argumenti aut hi, aut alii ex amicis tuis viri literati huc conferre poteſtis, multum vos demerituros eſſe & me & *Hugenium* certi eſtote. *Bigotius* Kal. Octobribus epiſtolium breve admodum ex Neuſtria ad me dedit, quo ſignificabat de repetenda Lutetia ſe cogitare. Quinctili & Septembri menſe ad illum ſcripſeram verboſe, etiam ad alios amicos Celtas: neutrius epiſtolae cum is meminerit, facile perſuadeor ut credam eas in via periſſe, una cum his quas addideram. Sperare me jubet uberrimas rerum novarum literas, quas ex urbe regia ad me ſit daturus. Ex Italia nihil dum accepi, quapropter impatiens diuturnae ſollicitudinis occupavi per literas nuper amicos taciturnos, in his *Datam* quoque, cui de Aeliano negotium operoſe commendavi. Metuo tamen, ne aut ad plures abierit, aut valetudine parum proſpera utatur. Plane enim inſolens eſt, & miraculo ſimillimum, hoc ejus ſilentium. A *Gronovio* etiam nil ad me perfertur, etſi Obſervationes ejus prodiiſſe, cum ex Catalogo Nundinarum Francofurtenſium autumnali, tum ex Graevianis literis intelligam. Idem Livium & Tacitum ſuis aliorumque animadverſionibus illuſtratos praelo typographico jam commiſit. Phaedrum tuum avidiſſime exſpecto, Virgilium MS. recte accepi. Vale, vir Amiciſſime, Holmiae a. d. VII. November. CIↃIↃCLXII.

EPISTOLA XXXIII.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

DEbuiſſem ante octiduum reſpondiſſe tuis, verum interveniebant neſcio quae negotia, quae me alio trahebant. Caeterum quod tum diſtuli, nunc quantum poſſum, expediam verbis. Nam imaginem rei nemo expreſſit pictura. Faciam hoc autem ea fide, qua mihi relatum eſt ab illis, qui coram aſpexerunt ſignificaruntque litteris ipſi requirenti, quas de verbo ad verbum in Latinum converſas attulit Socer meus in notis ad Hiſtoriam ſuam. Accidit Anno MDCLV. d. 18. Febr. cum ſolemnis haberetur verbi divini concio in Pago Rasbokil, non multum Upſalia diſtante, ut ſerius veniens miles quiſpiam, dum contendit ad portam templi, haud procul ab ea parte animadvertit ingentem equitum peditumque numerum, qua re non parum commotus templum ingreditur, unumque & alterum ruſticorum in proximis ſubſelliis excitat, oratque, ut egreſſi videant ipſi quoque, quid negotii foris ſit. Dum exeunt illi, ſtatim rumor per templum circumfertur de copiis militaribus in proximo. Ergo egrediuntur omnes, ſequitur Paſtor ipſe, ſolliciti de ſe, rebuſque ſuis. Cum veniſſent extra portam, vident arcem pulchre conditam aedificatamque, & ad eam exercitus pedeſtres equeſtreſque praelio concurrentes in illis ipſis campis, qui proxime templo adjacent. Erant omnia vero tam ſimilia, ut ambigerent omnes, juſtumne praelium, an ſpecies tantum ejus aliqua oculis oblata foret. Adeo conſpiciebantur omnia, galeae, criſtae, haſtae, ſclopetae, frena & id genus. Ipſi vultus omnium dignoſci poterant, tantoque pugnabant ardore, ut perſequerentur ſe per virgulta, fruticeſque paſſim extantes, ipſiſque bombardis in defectu rerum aliarum caedere ſe cernerentur. Paulo longius ab iis conſpiciebantur naves bellicae velut per fumum aut nebulam ultro citroque vectae, ut ſolet in praeliis, impetentes ſe omni genere armorum. Micabant undique ignes ex tormentis bombardiſque pugnantium. Haud procul ab arce velut a latere ambulabat vir corpore procero, pallio demiſſo, pileo bene lato, velut ſpectator totius negotii. Qui tandem verſus arcem contendens evanuit, & una cum ipſo quicquid erat militum naviumque. Durabant haec tempore bene longo, quamobrem aliqui ſive propius ſpectandi ſtudio, ſive quia de rebus ſuis in vicinia erant ſolliciti, eo contendebant, ubi videbant iſtaec geri. Verum quo appropinquare ſe propius putabant, hoc ſimul intelligebant ſe abeſſe longius, denique cum partem bonam confeciſſent itineris, quae ante a fronte, eadem poſt a lateribus, & mox a tergo animadvertebant. Sequenti die circa idem tempus eodem in loco non exercitus aliqui conſpiciebantur, verum turba quaedam atratorum, palliis ad pedes lugentium more demiſſis, & pileis latis, ſtans immota in illis ipſis campis, quae paulo poſt diſparuit. Iſtaec ſunt, quae in dictis Rasboenſibus campis ſunt viſa, nemini

mini non tum ſtatim habita pro omine, quando in illis ipſis campis eo tempore, quo glorioſiſſimae memoriae Rex *Guſtavus Adolphus* cecidit in acie Lutzenſi, tumultus incredibilis pugnantium inter ſe auditus eſt iis, qui tum forte iter per eos faciebant. Quorum unus hodieque ſuperſtes in hac urbe vivit, verum praeter tumultum illum & clamores caedentium, fugientium, inſequentiumque nihil obſervare potuit, cum de nocte illa fierent. De ſimilibus aliis Phaenomenis non memini alias me hîc audire quidquam. Dabo tamen operam, ut per occaſiones explorem, & excutiam memoriam ſeniorum. *Bigotii* litteras aliquas ſaltem ad te avidiſſime expecto. Aelianum meum ipſi, aliiſque viris eruditis per te commendari gaudeo. De hiſtoria ejus animalium vellit mihi aurem Cl. *Thom. Bartholinus*, offertque MS. excerpta, in quibus ait contineri plura, quam quae hodie vulgentur. Verum nihil efficit, nunc quidem, cum tot aliis ſim occupatus, nec inſtitutum meum fuerit, Aelianum edere totum. Illuſtr. *D. Biörnklou* a me exigit, ut finito Phaedro Ciceronis edam Epiſtolas ad familiares, eo ordine modoque, ſicut a *Sibero* ſunt diſpoſitae. Nec negare poſſum meam operam. Interea ne penitus eadem recudantur, notas paucas difficiliorum locorum adjiciam. Si quae habes ad eam rem ſpectantia, pro humanitate tua liberaliter communicaturum te confido. Id quod ſimul enixiſſime abs te oro ac contendo. Phaedrus aegrotante Typographo decumbit ipſe quoque, neque ſcio, quando proditurus ſit in lucem. Vehementer metuo, ne libros tuos nimis diu apud me detineam, ſi repetis, dabo operam, ut per fidum hominem ad vos tranſmittam. Cl. *Gronovium* cum amicis caeteris, ſi quando ad eos ſcribes, ex me perofficioſe ſalutari cupio. Tu quoque, Nobiliſſime Domine, ſalve atque vale. Upſaliae 20. Novemb. CIↃIↃCLXII.

EPISTOLA XXXIV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upſaliam.

NArrationem de Phaenomeno agri Upſalienſis celebertimo, quam ad me miſiſti proximis diebus, vir Clariſſime, pergratam equidem & longe acceptiſſimam habui, eamque ut *Hugenius* quampridem conſequatur, operam enixe dabo. Aliud, quo claſſis navalis exprimeretur, in Helmſtadienſi tractu nuperrime ſpectatum rumor conſtantiſſimus ubique differt. Sed ejus accuratam deſcriptionem nondum ſum nactus. De Phaedro tuo doleo & indignor tam lentum negotium eſſe. Promittit *Curio* Ubſaliam ſe jam excurſurum eſſe, ut operas ceſſantes urgeat & impellat, quo ſperatus finis volumini propemodum detexto imponatur. De Ciceronis epiſtolis quod cogitas edendis, laudo inſtitutum. Harum principem poſſideo editionem, & variorum obſervata ad eaſdem epiſtolas, quae apud me videbis, cum huc excurres. Sin adventum tuum propediem nobis exſpectandum eſſe abnuis, quod abominor, mittam liben-

tiſſime quicquid hujus generis in ſcriniis meis deliteſcit. Recordor in Italia me vidiſſe elegantem harum epiſtolarum editionem, quam *Petrus Victorius* jam ſenex typis Florentinis curarat deſcribi ad exemplar Medicaeae Bibliothecae antiquiſſimum, ſed ejus editionis copia mihi hactenus quidem facta non eſt. A *Bigotio* literas accepi tandem, ſed breves, quas hîc vides. Uberiores me habiturum, ſimulatque Lutetiam revertetur, ſpem faciat. Quas Quinctili menſe ad illum dederam una cum tuis, eas, malo fato, in via periiſſe invitus animadverto. *Gudium* necdum Florentiam Roma rediiſſe ex hiſce cognoſces, ut mirari jam deſinam, quid ille de Phaedri Rhemenſis excerptis ſuſpenſos nos tam diu teneat. Lutetiae prodierunt familiae Romanae *Fulvii Urſini* altera fere parte auctiores. Ingentem quippe vim nummorum veterum ad haſce familias pertinentium, qui diligentiam Urſinianam fugerant, *Carolus Patinus* hinc inde collegit, operique inſeruit, cujus exemplar indies expecto. Vale, vir Celeberrime. Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXII. a. d. IX. Kal. Decembr.

EPISTOLA XXXV.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

REmitto tibi cum ſumma gratiarum actione litteras *Bigotii*. Meas ad eum periiſſe invitus intelligo, cum quia metuo, ne inofficioſus ei videar, tum quia ſcripſeram de Arriano, aliiſque, ad quae reſponſum ejus expectabam. Quae de prodigio nuper, aut phaenomeno Halmſtadienſi ex diverſis fide dignis accepi, breviter commemorabo. Die 13. Octob. circa tertiam pomeridianam prope Halmſtadium, Hallandiae oppidum, ex ipſo mari emergebat inſtar onerariae minoris navis aliqua, curſum ex meridie in ſeptentrionem tendens, quae tamen paulatim in magnitudinem bellicae maximae excreſcebat. Apparebant quoque cuncta ejus vela & caetera inſtrumenta eo modo, ſicut ſolent in bellicis navigiis. In ſumma quippe habebat vexillum atro-purpureum. Mox emergebant alia aliaque navigia ſimili modo, quaedam majora, quaedam minora, qualium uſus ſolet eſſe in bellis. E quarum juſto ordine diſpoſitarum medio deinde prominebat arx, haud diſſimilis ei, quae eſt Halmſtadii, ſupra quam ſpectabatur quidam cultu regio ornatus, vultum verſus oppidum Halmſtadium dirigens. Paulo poſt dividebantur naves velut in duo agmina, mutabanturque circa occaſum Solis in duas urbes, cum turribus ſuis templiſque ac aliis aedificiis. Plerique nullos milites, nulla ſigna hoſtilia memorant conſpecta inter eas claſſes. Unus ſe velut ex majore tormento, verum e longinquo explosum bombum audiviſſe ſcribit, cum tremore terrae fumoque. Idem e ſeptentrione venientem ingentem claſſem ſeſe ait obſervaſſe; quam viderit, donec viſum noctis tenebrae adimerent. Verum utrum una iſta fuerit duarum ante dictarum, an tertia quaedam, non commemorat. Habes, Domine, quod mihi com-

Digitized by Google

compertum eſt de Phaenomeno illo ex litteris plurium, partim Halmſtadii, partim in vicinia degentium, qui ſe obſervaſſe ac vidiſſe ipſos iſta teſtantur. Phaedrus meus alias aliaſque nectit moras. Neque ipſe feſtino, poſtquam ex *Curione* noſtro intellexi, eſſe inter familiares tuos quemdam *Tollium*, qui ſe Notas quaſdam *Scaligeri* comparaturum primo quoque tempore promiſit. Quem idcirco velim, ut meo nomine humaniſſime compelles, & ad ſolvendam promiſſi hujus fidem incites. Quae liberaliter ad Epiſtolas Ciceronis promittis, ea ſunt gratiſſima. Quamquam adhuc ſim incertus, num hac hyeme in eis elaborare aliquid poſſim, cum propter corrigendi moleſtiam ad lucernam, & oculorum meorum imbecillitatem, tum quia *Curio* nondum ſatis ea de re egit cum Generoſo Dno. *Biörnklou*, qui editionem illam urget. Nam niſi certus fuerit de eo opere in Scholis & Gymnaſiis hujus regni recipiendo, ſumptus in id fruſtra & cum damno ſuo facturus videtur; in tanta ejus per orbem univerſum frequentia, & copia. Spem viſendi vos, coramque vobiſcum agendi intercepit partim Phaedrus nondum abſolutus, partim uxor mea ex puerperio decumbens. Puto tamen poſt menſem unum aut alterum mihi ſpatium futurum. Vale, vir nobiliſſime, ac me amare perge. Upſaliae a. d. 9. Decemb. CIↃIↃCLXII.

EPISTOLA XXXVI.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

PArum proſpera te uti valetudine, cum non levi dolore animi ex proximis tuis intellexi. Sentio videlicet, quanto id non tibi ſolum, & mihi, ſtudiiſque in univerſum omnibus ſit detrimento, quibus tanta cura diligentiaque prodes. Quamquam vereor ne haec ipſa res valetudini tuae ſit adverſa, illique tui animi ardori vires corporis parum ſufficiant. Ut fortaſſe te non ſine gravi cauſſa jubeam inſpicere temet ipſum, & ex veteri formula curare valetudinem, ne dum nimis vis prodeſſe omnibus prodeſſe parum valeas. Deus ſervet te; vir optime, ac cito vires tibi reſtituat. De *Tutarchis* Hygini dixi olim in Milit. Nav. pag. 309. ex quo loco petes ſententiam meam, ſi tanti videbitur. Quid de *Pitulo* habet idem auctor, bene eſt, nec mutari, vel alteriſco, ut fit vulgo, inſigniri debet. *Pitulus* eſt ex Graeco πίτυλος, quod percuſſionem denotat, ſonumque inde natum. Qualis erat, quem ciebat hortator in navi, portiſculo ſuo, ſive pertica, qua remigantibus dabat modum in impellendis remis obſervandum. Eumque intelligit Heſychius, quando πίτυλον exponit, τὸ σφὶς κίνημα ἐλάσαι. Πίτυλος eſt primum κίνημα, quod fit portiſculo. Deinde junctum ei ἐλάσαι, ſive pulſus ille remorum, ad pulſus ejus modulum ſeu numerum, quem edebat baculo Hortator. Hinc *ſedere ad pitulum*, eſt ſedere in propinquo, ſive vicinia pituli, hoc eſt eo loco, ubi pitulus editur. Eſt hoc autem perinde, ac ſedere verſus puppim. Nam in pup-

pi ſtabat vel ſedebat Hortator, ibique pitulum dabat. Stat. Lib. VI. Theb. verſ. 791.

Et ſigno de puppe dato, poſuere parumper
Brachia; vix requies, jam vox ciet altera remos.

Neque aliud quid innuit Hyginus. Nam poſtquam de Gubernatore, Proreta, Tutarchis Argo navis retuliſſet; de remigibus quoque addere quid vult, & ex iis commemorare, qui ad proram, quive ad puppim ſederint. Id ergo profert illis verbis: *ad proram & remos ſederunt Peleus & Telamon, ad pitulum ſederunt Hercules, &* (in mea editione quae eſt Lugdunenſis Anno 1600. edita perperam *ad* eſt excuſum) *Idas, ceteri ordinem ſervaverunt.* Hoc vult, verſus proram remigum officio fungentes ſediſſe Peleum & Telamona, a dextro alterum, alterum a ſiniſtro latere, verſus puppim vero, ubi hortamentum datur, Herculem & Idam. Caeteros obſervaſſe ſuum quemque ordinem. Facit autem horum ſpecialem mentionem, quia erant velut duces quidam ceterae remigum turbae in ſuis verſibus, ſeu potius ordinibus, haud ſecus atque in militia terreſtri λοχαγοὶ vel ἡγεμόνες unde & peculiari nomine πεζάρχαι & ἱππάρχαι appellabantur, ſicut dixi cap. 3. Lib. II. de Mil. Navali. Neque aliud opinione mea, quam Hyginus, voluit Flaccus, quando cecinit lib. I. Arg.

Hinc laevum Telamon pelagus tenet, altior inde
Occupat Alcides aliud mare.

De quo loco tamen amplius videbo in curis ſecundis meorum de militia navali librorum. In quibus haec, & centum alia explicabuntur, & a me omiſſa, & a nemine adhuc expoſita, ſi vitam Deus dederit. Phaedrum nulla cauſſa eſt, cur tam avide deſideres. Si quid boni habebit, id a te profectum erit. Caetera erunt levia, & in uſus juventutis noſtrae ſolum ſcripta, ſicut aliquoties teſtatus ſum. Ego tamen nullo ſum impedimento, quo minus prodeat, ſed typographus, qui nos omnes per ſex ſeptem hebdomadas habuit ludibrio, nec manum operi admovit. Pro indicio, quod feciſti de Naumachicis Leonis ago tibi gratias. Quamquam ego de Baſilii Naumachicis nuper ſcripſerim, & auctore Anonymo (certe nomen ejus mihi excidit memoria, ſi quod habet) de partibus navium. Nec ſcio, an Naumachica Leonis alia ſint, quam quae extant in ipſius Tacticis cap. 19. ſi ſunt alia, ſignifices mihi velim. Auctoris ejus de partibus navium aliquoties mentionem fecit apud me Cl. *Iſaacus Voſſius*, ex quo proinde certiora omnia de eo poterunt haberi. Nec omittes inquirere meo nomine, ſi quando ad eum ſcribas. Vale, vir Nobiliſſ. ac me, ut ſoles, amare perge. Deus te ſervet, annumque novum, cum plurimis ſequentibus ſalvum tutumque tranſigere faciat. Iterum vale. Upſaliae 30. Dec. CIↃIↃCLXII.

EPI-

EPISTOLA XXXVII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upſaliam.

DE *Tutarchis* & *Pitulo* quae docere me non es gravatus, vir Clariſſime, perquam accepta habui. Negligentius, fateor, conſulueram indices commentarii de re nautica tui. Leonis Naumachica Gottorpii olim a me inſpecta cujus ſint molis, non ſatis memini: anni quippe duodecim & plures ſunt, quod codex ille in manus meas primum incidit, nec poſtea eſt perluſtratus. Bis jam aut ter itineri accinctus fui, ut coram te ſalutarem: ſed inopinati ſemper aliquid negotii intervenit, & a propoſito me revocavit, ne viae committerer. Nunc cum brevi proceres ſint conventuri, vix opinor a rebus meis impetrari poſſe, ut de itinere hoc cogitem. Te tamen hic complecti unice deſidero. A *Bigotio* literas accepi tandem, quales ſperare me juſſerat, hoc eſt uberes & copioſas. Phaedrum tuum non a me ſolo impatienter expectari inde colliges. Vale, vir eximie, & me affectu tuo conſtanter proſequi, ut hactenus, perge. Holmiae Suec. CIↃIↃCLXIII. a. d. XIX. Januar.

EPISTOLA XXXVIII.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

MIhi ad te nuper Phaedrum per novercam uxoris meae D. *Lorenii* conjugem. Spero tibi redditum eſſe, judiciumque tuum avide exſpecto. Quamquam, cur expectem, cauſſa nulla ſit, cum ipſe ſciam pleraque eſſe minuta pueriliaque. Verum ego non tam quid placere huic aut illi poſſit, verum quid huic noſtrae juventuti eſſet utile, debui attendere. Quod proinde tu pro humanitate tua excuſabis. Quemadmodum & vitia typographica haud pauca, quando ad hoc corrigendi munus plane fum ineptus, libereque id profiteor. Pro litteris *Gudii* ſummas ago gratias. Video virum eruditum ſuis uſibus propriis ſervare, quae in Phaedrum annotavit. Minime aegre fero, atque adeo nunc etiam in multis ab ipſo erudiri cupio. Quamquam ſi miſiſſet, nihil diſſimulaturus eram; quod apparet vel ex loco unico lib. III. 2. *Bigotium* de me adhuc cogitare gaudeo, ſperoque adjumentum aliquod ab eo cum in aliis, tum in Aeliano. Pro cujus variantibus lectionibus tua ope procuratis tranſmiſſiſque gratias ſummas ago, idemque per te fieri apud *Gudium* per te data occaſione meo nomine nihil rogoque. Vellem vero longe humaniſſimo Dn. *Bigotio* mittere exemplum Phaedri mei, ſed qua ratione poſſim, non invenio. Si tu rationem noſti, ſcire eam cupio. Mauricius hebdomade ſequenti praelo committetur, uti ſpero. Utinam & caeteri Tactici ad manus meas pervenirent, qui nec

dum

dum editi ſunt in publicum. Scripſi aliquoties de duobus ſcriptoribus, altero, qui agit de Piratica, altero, qui agit de partibus navium, quorum ſemel iterumque mentionem fieri praeſente me a Cl. *Iſaaco Voſſio* recordor, ut tua opera ſcire licet, ubi locorum degant lateantve; & num ipſe eos habeat *Voſſius*, & communicare velit. Nam finito Mauricio nihil agam prius, quam ut mea de Militia Navali emendem, longeque alia faciam, quam ut nunc ſunt. Et habeo innumera jam nunc in eam rem collecta. Fac itaque, ſi potes, ut de his ſimilibuſque per te intelligam. Sed nimium abutor tua facilitate, Domine, meiſque litteris nil, praeter moleſtiam tibi creo. Itaque finio, & te gratiae Divinae commendo. Vale, Upſaliae. a. d. 3. Martii CIↃIↃCLXIII.

EPISTOLA XXXIX.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

NUdius tertius eſt, ex quo *Gronovii* Obſervationes ad me pervenerunt. Debebat ſecum attuliſſe ſoror uxoris meae, ſed ea ciſtae incluſerat, quae nunc demum navigio huc eſt advecta. Dedi ſtatim bibliopegae, ut conferre poſſim cum priori editione, ac videre quid acceſſerit. Miror, quod non librum quartum eadem forma excuſum addiderit. Livium ejus impatienter expecto, ac ſubinde moneo noſtros, ut differant emere ſibi eum auctorem, donec editio iſta fuerit publicata. Pro cura, quam adhibuiſti in tranſmittendo Phaedro, gratias tibi ago debeoque maximas. Te potiſſimum auctore ac ſuaſore verto nunc Arrianum, eique quantum mihi ſupereſt temporis ab aliis laboribus tribuo. Quo ſucceſſu, tu aliique olim videritis. Quae de Petronio ſignificabas litteris ſuperioribus, fateor me feciſſe parvi. Scilicet ſimilia de Livio aliiſque ſuperioribus temporibus jactabant. Etiam vereor nunc, ne quis Italus ſub nomine Petronii ludum ſibi faciat de credulitate aliorum. Valerii Flacci editionem Bononienſem ſcribis te non vidiſſe, utrum vero videre deſideres non ſcribis. Fac itaque ut intelligam voluntatem tuam, eſt enim in Bibliothecae Academiae Catalogo editus Bonon. 1519. Si putas eſſe tanti, tranſmittetur liber molis non exiguae, ut qui alia quoque contineat, idonea occaſione. Nuper quid notabam de ſiglis veterum. Obſervabam *Hermannum Hugonem* in de prima ſcribendi origine diſtinguere a literis ſingularibus, eoque fine citare Ciceronem pro Murena & Gellium Lib. XVII. cap. 9. Mihi neque Cicero neque Gellius agere de ea re videtur, longeque aliud quid velle, quam id genus, de quo *Hugo* loquitur, & deſcripſit Valerius Probus. Si otium fuerit, inſpice quaeſo locum utrumque ac ſententiam tuam aperi. Nam & *Voſſium* pro parte *Hugonis* ſtare hactenus video, quod verba attinet, Lib. I. Art. Gramm. cap. 40. Sed jam nimium eſt nugarum. Tu, vir Nobiliſſ. Vale, ac me amare perge. Upſaliae a. d. 19. Maii CIↃIↃCLXIII.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XL.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upsaliam.

EXspectavi hactenus nequicquam, si aut *Bigotius* noster, aut exterorum alii, e numero sodalitii nostri significarent rei literariae nonnihil, quod a te haud ignorari meretur, aut mihi scriptionis argumentum qualecumque suppeditaret, vir clarissime: sed nil epistolarum jampridem peregre ad me defertur, quod tua cognitione sit dignum. *Gronovius* tamen noster, quod nomen in deliciis tibi esse minime nescio, postremis pollicebatur mox fore, uti per literas te conveniret, sed promissi hujus memoriam illi haud dubie refricabit tuus Phaedrus, cujus exemplar jampridem in manus ejus perveniisse debuit. Nam is, qui fasciculi curandi provinciam susceperat, in Belgium nostrum jam advenit sospes, uti asseverare non dubitant, qui hominem propius novere. Exspecto, ut & *Elzevirius* me rei hujusce faciat certiorem, cui fasciculus erat inscriptus. Libellos recens editos nonnullos diebus proximis accepi e patria, quos inter Vossianum de fluxu ac refluxu marino commentarium, Lucretium *Tanaquilli Fabri* observationibus novis illustratum. Poëma panegyricum de rebus a Berengario gestis, quod cum Patavii olim in monasterio quodam inveniissem, tineis blattisque expositum, curavi describendum, & *Hadriano Valesio*, *Henrici* fratri edendum tradidi, cujus animadversiones luculentae accedunt. Denique praeter alia historiam nostrorum temporum spectantia catalogum Bibliothecae Dufrenianae. Studia Cl. *Brunneri* mihi sunt commendatissima. De Valerii Flacci editione Bononiensi quid vellem, ex *Curione* jam intellexisti, credo. *Sigla* veterum non videntur fuisse occultae litterarum notae, de quibus agunt Gellius, & Cicero, aut notae, quales illustravit Valerius Probus, hoc est singularium litterarum, sed σημᾶα, quod & ipsum nomen evincit. Talem codicem Arateorum Germanici se vidisse *Petrus Bembus*, si recordor, alicubi narrat. Vidi & ego Glossaria complura ejusdem notae. Teneoque nunc in manibus veterrimum Maronis codicem, in cujus margine scholia occurrunt hujuscemodi siglis ut plurimum exarata. Extat id genus Scholiastes quoque Juvenalis in Leidensi Bibliotheca. Merito autem cavêre Imperatores Graeci ac Romani, ne libri Juris hujuscemodi characteribus describerentur, quia librarii, nisi memoria uterentur praesentissima, in hac re labi facillime atque aberrare poterant. Simile scribendi genus apud Seras seu Sinenses etiam nunc in usu est. Vale, Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXIII. XII. Junii Juliani.

Digitized by Google

EPISTOLA XLI.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

QUI has tibi offeret, filius est [1] *Laurentii Fornelii*, Poeseos apud nos Professoris, amici mei singularis. Qui cum certis de caussis iter ad vos instituisset, atque tibi potissimum propius vellet innotescere, per me, cujus preces posse nescio quid apud te persuasum sibi habet, commendari gratiae ac favori tuo voluit. Et est juvenis ingenii doctrinaeque haud vulgaris. Qui cum fructu Gallias & Angliam perlustravit, binisque vicibus in patria tua vixit, Leidaeque publicos honores impetravit. Studiis imprimis Mathematicis est deditus, Mechanicisque, in quibus paucos creditur habere pares. Quod ipse facile intelliges, si admittere eum voles. Et quia multa de humanitate singulari inaudivit, praeterea nescio quo peculiari gentis vestrae amore tenetur, nefas esse putavit, si non redux nuper factus, te quoque salutaret, officiaque sua, qua posset comitate, offerret. Peto autem, quantum possum, vir Nobilissime, ut ipsum resque ejus tibi habeas quam commendatissima, cum ipsius caussa, quippe qui meretur, tum & mea caussa, qui diligo Juvenem propter rarum ejus singularemque ingenium, propterque parentem ejus, virum vere bonum cordatumque. Neque dubitare debes, collocaturum te beneficium in hominem gratissimum. Pluribus orare pro eo apud te non debeo, quem scio suomet ingenio pronum ad hoc genus beneficii, illisque omnibus bene cupere, qui rerum honestarum studio tenentur. Flaccum misi heri cum studioso quodam, apud Praefectum rei monetariae Dn. *Koch* degentem. Eum librum obtulisse minime dubito. Vale, vir Nobiliss. ac me, sicut soles, ames. Upsaliae a. d. 20. Juni CIↃIↃCLXIII.

[1] de hoc viro & ejus scriptis vide *Schefferum* de Scriptoribus Suecorum pag. 141. Edit. Molleri, qui eum obiisse 8. Jul. 1673. notat. de Filio, cui praenomen *Jonae*, ibid. pag. 230. qui obiit 17. Febr. 1679.

EPISTOLA XLII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upsaliam.

ULtimas meas, quae de libris in Batavia nostra Galliaque nuper admodum editis, atque inter hos de Lucretio *Tanaquilli Fabri* agebant, recte curatas esse confido, vir Celeberrime. Valerium Flaccum *Johannis Baptistae Pii* commentario libro illustratum & accepi, nec inutilem fore mihi, in eundem poëtam nonnihil observationum paranti, auguror. Videram quidem castigationes *Pii* in Valerium non nullas laudari a Criticis scriptoribus, sed eas ex

in-

Digitized by Google

integro hujus commentario esse delibatas ignorabam. *Fornelium* quod mihi conciliasti, plurimum te amo: dignus est enim ob eximias animi dotes, non mea tantum benevolentia, sed studio atque adfectu horum omnium, qui literis favent. A *Bigotio* geminam nuper habui epistolam, qui Lutetia jam digressus in Neustria paterna sedem hoc anno est fixurus. *Brunneri* nostri studia, ut curae mihi fuisse apud illum intelligas, offert & pollicetur vir humanissimus Moerin Atticissam hactenus ineditum, cujus apud Photium in bibliotheca fit mentio. Nam de versione Palaephati quod addit, jam serum est. Ipsas literas ecce. Ex iis cum alia scitu non indigna cognosces, tum illustrissimum *Montoserii* Marchionem, cui poëmata mea inscripsi olim, praefectura provinciae Normannicae nuper auctum esse. Ipse etiam Marchio ejusdem rei per literas me certiorem facit. Addit idem, quod & alii nunciant, regem Christianissimum inter plurimas animi heroici dotes, amore literarum conspicuum, viris per Europam compluribus, eruditionis fama praecipuis, annuum stipendium nuper esse largitum. Inter hos *Hevelii* & *Boecleri* Germanorum, tum nostratium *Vossii* atque *Hugenii* junioris, habitam fuisse rationem audio. Nam meum quoque nomen quod principibus Achivis permixtum agnosco, id ruborem mihi exprimit, & quidem maximum. Sed cum rei publicae, ut scis, foederatorum Belgarum operam & obsequia addixerim, de admittenda hac munificentia nihil hactenus decrevi, dum intelligam posse id fieri dominis meis minime invitis ac nolentibus. Phaedrum tuum nostro *Gronovio* se tradidisse significabat ultimis suis *Daniel Elzevirius*, ac curae sibi rem fore pollicebatur de altero exemplari ad *Bigotium* mox mittendo. Vale, mi Scheffere. scribebam Holmiae Anno CIↃIↃCLXIII. a. d. IV. Julii.

EPISTOLA XLIII.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinsio.

Holmiae.

PRimum gratias tibi ago, quod ad petitionem meam tanta facilitate admittere, tanta humanitate excipere *Fornelium* nostrum es dignatus. Non potest satis apud me praedicare benevolentiam promptitudinemque tuam, quam summopere suis rebus, etiam in posterum utilem futuram sperat, planeque sibi pollicetur. Facit autem nobis spem fore, ut ad nos excurras hisce diebus. Quod ut vehementer opto, ita etiam enixe oro, ut nostro qualicunque hospitio uti ne graveris. Excipieris a nobis, sicut non pro dignitate tua, quod per facultatum nostrarum tenuitatem non valemus, ita saltem pro copia nostra animo simplici, candido & erecto. Remitto quoque litteras *Bigotii*, quodque *Brunnerum* nostrum attinet, fore ei acceptissima, quae pollicetur, scio certissime. Nam ipse quidem abest ab urbe, neque spatio unius vel alterius hebdomadis revertetur. Honorem tibi habitum a Rege Christianissimo

gaudeo, gratulorque tibi, Domine, hoc magis, quia judicio factum intelligo, quod in tanto Rege admiror venerorque. Utinam ſic pergat magnus princeps. Non deërunt ingenia praeclara, omnemque impendent operam in illuſtrandis bonis artibus ac litteris, poſtquam patronum ſibi alicubi terrarum, praemiumque paratum eſſe ſentiant. Mauricius noſter lente procedit, dum eſt unus tantum, qui ſcit Graece ſcribere, ex typographis noſtris. Et is ſaepe aliis negotiis impeditur. Utinam, quod petiiſſe abs te ſcribit *Curio*, id impetrare poſſit, ut huc ex Hollandis unus alterque typographus ad rogatum tuum veniret, ſic omnia rectius celeriuſque poſſent expediri. Interea ego Arrianum verto, cujus exemplum ad me miſſum mire pravum eſt, licet, qui deſcripſit, ſummam ſe adhibuiſſe curam teſtetur. Paſſim ſunt lacunae, verba ipſa miſere corrupta, laborque tanto major, quanto minus ſubſidiorum aliunde ſuppetit. Nam tametſi prima ejus pars in multis cum Arriano conveniat, tamen ea, qua de priſcis Romanorum exercitationibus equeſtribus agit, non habet, unde ei poſſit medicina aliqua afferri. Praeterea fragmentum ex Alanica Hiſtoria Arriani, ut opinor, ad quod emendandum pariter, praeter ingenium, nil afferri poteſt. Ego tamen faciam, quantum in me erit, atque prout ad me miſſa ſunt exhibebo omnia, deinde meam in notis declarabo ſententiam. Vale, vir Nobiliſſ. ac me amare perge. Upſaliae a. d. 14. Juli CIↃIↃCLXIII.

EPISTOLA XLIV.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

ECce tibi duo folia Mauricii noſtri, quae Cl. *Bigotio* mittes, ſi videbitur. Plura mittere cum tabellario commode non poſſum, nec ſunt multo plura edita, dum ad alia aliaque typographi trahuntur. Quae Cl. *Bigotius* in primo folio annotavit, nobis pridem ſint proviſa, indicataque in animadverſionibus. Nec eo minus grata, quia noſtram ſententiam confirmant. Caeterum ne ea ipſa, quae in mentem venerunt mihi, iterum recipiam, adſcripſi conjecturas in margine, prout hactenus occurrebant. Eas vel firmare, vel rejicere, noviſque acceſſionibus locupletare poterit Cl. *Bigotius*. Quanquam cum ſubſidii non parum habeam ex Leone ad emaculandum Mauricium, rem mihi faceret longe gratiorem Cl. *Bigotius*, ſi quae ad Arrianum habet notata vel ipſe, vel alius ex amicis ejus, mihi mitteret, ejuſque illam partem maxime, quae agit de exercitatione equitum apud Romanos. Nam illius quidem rei aliunde nulla, vel omnino pauca ſuppetunt ſubſidia, & ſunt nonnulla ibi, ſive primi codicis, ſive exſcriptoris vitio corrupta manifeſte, ac hiulca. Ut ex. gr. ab initio: ἀποτεμνόμενοι ξ παντὸς πεδίε τὸ σφῶν ξ βάματ@ ἐς παλαιὸν ἱππόλυτρε χῆμα. Paullo poſt: ἀπόθεν μάλιςα ἐκ ξ ἀφάνες ἐπιλαύνειν δόξαντα ξ μὴ ἁπλῶν. ἀλλ' ὡς ἐκ παλίνπ

κίνην ἢ ἐκδρομὴν ποιεῖσθαι. σημεῖοις δὲ διακεκριμένοις ἀπαλάττειν &c. Hujus generis alia ſunt pluſcula, quae non poteſt non obſervaſſe *Bigotius*. Et quia nemini, nec Graecorum, nec Romanorum, quantum ſcio, prodita eſt iſta exercitatio, haereo subinde, doctorumque opus habeo ſubſidia. Quod ſi praeſtare mihi ipſe dignaretur, non modo mihi rem gratiſſimam, ſed & omnibus, in quorum manus aliquando venient, utiliſſimam faceret. Tu, ſi grave non eſt, ei potes indicare hanc petitionem meam, virumque ſponte ſua pronum ad talia, auctoritate inſuper tua adhortari, agereque cum eo, ut, quae mittere velit, celerrime mittat, quando finito Mauricii textu, Arriani textus deſcribetur a typographo, atque tum ad notas demum veniętur. Vellem ipſe ei ſcribere, ſed quia intelligo, diſtrictum curis multis, praeterea ad priores meas reſponſum expecto, hoc quicquid eſt officii, differam in tempus aliud. Tu velim interea cum meo nomine ſalvere jubeas, & favere porro rebus meis, ſicut coepit. Id quod abs te quoque fieri opto, enixeque rogo, quem propediem coram viſurum ſpero, cum ad nundinas autumnales venero. Vale, Nobiliſſ. Domine. Plurimum te *Brunnerus* noſter ſalutat. Upſaliae. a. d. 15. Nov. CIↃIↃCLXIII.

EPISTOLA XLV.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Helmiam.

PRO amica gratulatione, litteriſque *Bigotii* & *Falconerii* ſummas ago tibi gratias. Remiſiſſem has cum tabellario nupero, niſi me affixum lecto tenuiſſet morbus per dies aliquot. Video *Falconerium* habere aliqua parata in Arrianum. Utinam ea velit edere in lucem, & a ſua quoque parte juvare rem litterariam. Neque enim mea poterunt impedimento eſſe ei, qui ſubſidiis ad talia, quam ego, eſt inſtructior. Quod ſi tamen malit forte ſua huc tranſmittere, dabimus operam, ut una edantur cum noſtris quam diligentiſſime. Quae narras de Plauto Livioque *Gronovii*, mihi jucundiſſima fuerunt. Spero habituros nos cum primis navibus. Quid autem Virgilius tuus? quando ipſum habebimus? Noſtra lente procedunt, neque ante feſtum Paſchatis eorum quidquam video me polliceri poſſe. Sed eſt finiendum abituriente tabellario: Quare te, cum amicis jubeo ſalvere, ac valere optime. Upſaliae feſtinante calamo a. d. 19. Febr. CIↃIↃCLXIV.

EPISTOLA XLVI.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

PRO Epistola *Bigotii* gratias tibi ago maximas. Video subiraſci mihi *Fabrum*, quod recesserim nonnunquam a sententia ipsius. Ferendum erit, quod non poterit mutari. Judicabunt inter nos eruditi. Nam quod ait affinxisse me nonnulla ipsi, quae nunquam cogitaverit, id equidem, quale sit, non intelligo. Si quid factum est, errore factum est, & quia rudis ego stylum ejus parum intelligo. Tu si observasti quidpiam, indica quaeso. Scripsi hoc nomine ipsi *Bigotio*, cui, nisi grave est, mittas epistolam. Negotium cum *Falconerio* tuae fidei diligentiaeque committo totum, eumque perofficiose ex me salutari cupio, si quando litteris invisas. Quae *Bigotius* de *Valesio* promittit, fac, ut expediat, meis que precibus tuas adde. Nostra negotia lente hîc procedunt, cum ob alia, tum quia multis laboribus, ob molestissimum, quo fungor, officium, obruor. Vale, vir Nobilissime, & me amare perge. Upsaliae a. d. 8. Mart. CIↃIↃCLXIV.

EPISTOLA XLVII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upsaliam.

CUM proxime nonnihil litterarum dabam ad *Bigotium* & tuas misi eadem opera, & de Arriani Tacticis, ut quantum in se esset, tibi gratificaretur, verbis enixissimis denuo rogavi hominem, atque obtestatus sum. Eram & de Plutarcho additurus, nisi quod nimia *Brutuori* nostri festinatione nuper factum est, ut parum recordatus sim, quaenam is ex magni scriptoris opusculis potissimum recensenda ac in lucem proferenda sibi proposuerit. Hoc ubi certius ex te cognoscam, opera a me dabitur, ut, si quid operum Plutarchi latet in vetustis apud Celtas bibliothecis, unde editiones vulgatae castigari atque emendatiores fieri possint, id ut in gratiam amici nostri a *Bigotio* excutiatur quamprimum, & ad nos mittatur. Hesterno die litteras Dantiseo accepi, per quas amicus non nemo me rogat, uti copiam faciam navalium ac maritimarum legum Suecicae gentis, si quae in publico circumferuntur, praesertim Latino aut Germanico sermone conscriptae. Esse enim in illa civitate hominem juris peritum, qui luculentos ejus argumenti commentarios paret. Si quid harum rerum a Suecis in lucem sit prolatum, ex Socero tuo omnium optime poteris doceri, ni fallor. A *Bigotio* recentes admodum ante triduum accepi, quas hîc vides.

Digitized

vides. Is cum valetudine adversa diu conflictatus tandem nunc convaluit. Ex Belgio aut aliunde, quod nuntiare possem, nihil omnino rerum novarum ad me perlatum est. Vale, vir eximie, & salve cum clarissimo *Brunnero*. Exarabam propere Holmiae Suecorum a. d. 24. Martii Juliani CIↃIↃCLXIV.

EPISTOLA XLVIII.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

REcte meas ad Cl. *Bigotium* curatas esse gaudeo, eoque nomine tibi me debere plurimum agnosco. Pro cura tua de Arriani Tacticis ago gratias. Ea, prout reperi in meo codice, converti pridem in Latinum, notas quoque uberes adjeci, quibus, quae suspecta sunt, indicantur. Si quid aliunde interea accidet subsidii, in lucro veluti ponetur. Quod *Bigotius* de aetate ejus scribit, pluribus jam ante exsecutus sum ex ipso scriptore. Neque in me quidquam deerit, quod ad divulgandum eum pertinere intellexero. Sed en tibi nova obstacula. Typographi dico, quos nupet ex Belgio conduxit noster *Curio*, a conterraneo suo *Joh. Pauli* pessime corrupti, parant abitum, & contra fidem datam, scriptoque comprehensa pacta plus exigunt a *Curione*, quam ipse dare sine damno potest, cum praesertim plus jam ante promiserit, quam vulgo dare solent in Hollandia. Nempe postquam eos vestimentis omnique alia re necessaria instruxit, nimis diu esse sibi videntur in opere, prius quam possint & pecunias accipere. Et quia *Curio* paratus est ad aequa omnia, impositum ipsis in Consistorio Academico, ut ne prius excedant urbe, quam rationes crediti solutique reddiderint. Sed homines licentiosi abituros se minantur omnibus invitis. Quod propterea scribo, ut si eis accidit quidpiam, quod nollent, ipsorum, nulla nostra factum culpa intelligas. Simul videas, quam misera nostra sit conditio, qui cuneis velut atque machinis extundere singula, quae in lucem dare volumus, adigimur. Quin imo huc scriptum nuper est Argentorato, etiam *Freinshemii* in eum notas ibi publicari. De *Fabri* indignatione scripsi nuper, petiique ut quid judicares de ipsa, mihi significare velles, dicereque, si quae observaveris, quibus eam sim promeritus. Quod quia nondum factum est; idem proxime abs te expecto. Quae Socer meus respondet, addidi in scedula ipsius manu scripta. *Brunnerum* hactenus non vidi, nec adire ipsum licuit per occupationes alias. Dabo operam, ut ipse tibi scribat proxime. Vale, vir Nobilissime, ac festinationi meae ignosce. Upsaliae a. d. 29. Marti CIↃIↃCLXIV.

EPI-

EPISTOLA XLIX.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upsaliam.

OPeras illas Typographicas ſocordes & nequam, recte omnino feceris, ſi pro ea, qua polles, auctoritate in ordinem redegeris, & pro meritis haberi juſſeris, vir Clariſſime. Ne mireris tamen occaſionem querelae juſtae tibi eſſe ſubnatam: teſtor & adfirmo, mihi quoque, ex quo hîc ſedem fixi, non diſpar negotium a tribus quatuorve nebulonibus ex numero meorum popularium fuiſſe exhibitum, quos aut ipſe ex Belgio in comitatu meo adduxeram, aut meis impenſis poſtea huc devehendos curaram. De ancillis noſtratibus eadem omnia aſſeverant, qui opera non paucarum hîc ſunt uſi: eas nempe ipſas, quae frugaliter naviterque in patria ſeſe geſſiſſent, ſimulatque huc delatae eſſent, ita mores atque inſtituta harum imbibiſſe regionum, ut ſupinas pigerrimaſque & immundas in omnibus ſe praeſtarent. Quod niſi in hac civitate frigerent leges, de meis ſycophantis poenas ſumſiſſe poteram, quod ut apud vos fiat de veſtris a te pendet. Die craſtini expoſtulabo cum *Plumero* ſuper hac re, hominemque hortabor, ut officii ſui fungos noſtros admoneat: nam ejus conſilio haec ab illis fieri minime opinor. Proxime ſcribebat idem *Plumerus*, praelo ſe ſubjeciſſe Minervam *Scioppii* Sanctianam. Habere ſe & praelo paratos integros *Trajani Boccalini* in omne Taciti corpus commentarios, vernaculo ſermone conſcriptos. *Paſchalii Groſippi* Grammaticalia opuſcula, vulgatis exemplaribus longe auctiora, aliaque cum *Schioppii*, tum *Sanctii*, quae aut lucem hactenus non viderint, aut pretio haberi non poſſint: haec ille, quid *Bigotius* ad me perſcribat ex hac ejus epiſtola uberius cognoſces. in tuis ad Phaedrum animadverſionibus nil recordor occurrere, quod *Fabrum* offendiſſe potuit, ſed vir ille eo eſt ingenio, ut, quo benignius habeas, eo plus ſibi indulgeat. Vale Holmiae v. April. CIↃIↃCLXIV.

EPISTOLA L.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

NON incuria ignaviaque factum, ut tam diu retinuerim litteras *Bigotii*, ſed quia intervenicbant publica, eaque negotia, quae per octiduum & amplius occupatum non ſinebant quidquam aliud agere. Quare dabis tarditati meae veniam, nec eo ſecius in poſterum mittes, ſi quae pertinentia ad litterarum ſtudia ab amicis accipies. Mihi certe in hac parte terrarum degenti nihil poteſt gratius accidere. *Bigotii* vero binae eo mihi jucundiores fuere, quod me facerent certum de ipſius Arriano MS. Neque poſſum ſatis commendare ac amare

Digitized by Google

amare hunc ipsius erga me animum, id quod publice etiam profitebor suo tempore. Tu si scribes ei, fac, ut intelligat, agnoscere me beneficii hujus magnitudinem, & praedicare paratum esse. Quae de Petronio scribit, sunt notatione digna, veroque proxima. Quo enim alias pertinuerit tam arcta MS. ipsius custodia? de qua memini jam olim aliquid legere me in litteris Italorum ad te scriptis. Et apparebit suo tempore. Frustra enim est, qui se impositurum sperat facile tam docto & in talibus exercitato. Habui his diebus litteras ab *Andrea Bosio*, eruditissimo viro, in quibus referebat se nunc esse totum in adornando Josepho, habere ejus quaedam MSS. & expectare plura a *Boineburgio*, petitque a me, ut si quid nossem, quod juvare eum posset, indicarem. Ego, qui a talibus sum destitutus penitus, hoc viri humanissimi desiderium tibi aperio, & occasionem monstro beneficii praestandi homini, ut scio, minime ingrato. Sed tu videris, quid factu sit commodum. Promittit alias Cornelium Nepotem emendatiorem, quam prodierit unquam hactenus. Item editionem iteratam Dissertationum, quas scripsit de Pontifice Maximo. *Gronovio* nostro litem esse ortam cum *Tabore* nunciant studiosi nostri Giessa ad me perscribentes. Utinam talia non distineant virum eruditissimum ab aliis utilioribus. Sed finire cogor epistolam, festinatione summa scriptam, cui tu quaeso ignosce, ac me, ut soles, prosequi favore tuo perge. Vale. Upsaliae. a. d. 26. April. Anno CIↃIↃCLXIV.

EPISTOLA LI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upsaliam.

HEsternus dies attulit a *Bigotio* nostro mihi epistolam, cui adjuncta erant nonnulla te spectantia, quae hîc vides, vir Clarissime, utinam studiis tuis profutura. Nam id quidem praecipuo est nobis in voto. Quid rerum apud Italos Gallosque nunc geratur ut plenius cognoscas, mitto, quae super hoc argumento ad me perscribit idem ille *Bigotius*. Nam aliud, quod nunciare possim, nil omnino occurrit. Ad tertium Livii Gronoviani volumen edendum lentius quam velim, sese accingunt operae Typographicae. Fore nihilominus ut hujusce curae omnia in lucem hoc anno proferantur, sperare nos jubet *Elzevirius* bibliopola. Plautus amici nostri nondum ad me pervenit. Quas mones Arriani Tacticis adscriptas esse castigationes, eae quin a *Bigotio* sint profectae, vix est dubitandum. Vale, & amicos communes saluta. Holmiae CIↃIↃCLXIV. a. d. XXIV. Maii.

EPISTOLA LII.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

TUas una cum Cl. *Bigotii* litteris, & Baſilii Naumachicis recte accepi. Non potes credere, quanto gaudio me affecerit Baſilius, ut quem videam continere non pauca rebus meis valde conducentia. Quare & tibi gratias ago maximas, & ut *Bigotio* interea agas meo nomine, ſi forte ſcribes, etiam etiamque oro. Nam ipſe illi ſcribere nunc per varias occupationes nequeo, & expecto meum de Philoſophia Pythagorica opuſculum, intra dies paucos finiendum, ut una poſſim mittere. Notae marginales in Tacticis Arriani, non ſunt *Bigotii*, ſed alterius (ut ſcribit ipſe,) qui librum illum habuit a *Bigotio* utendum. Eſt mihi MS. quidam codex, in quo vita S. Odiliae, ſic incipiens: *Temporibus Hinderici Imperatoris quidam dux illuſtris.* finiens: *per omnia ſecula ſeculorum Amen.* Item alia ejus deſcriptio, incipiens: *Dum ortum ſponſi, ſanctam videlicet eccleſiam.* finiens: *praeſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto.* Item de vita ducis Athici ſive Adalrici, incipiens: *Erat temporibus Dagoberti.* finiens, *per omnia ſecula ſeculorum, Amen.* Item de vita S. Hydolphi incipiens: *Nutrix S. virginis Odiliae.* finiens, *cujus ſe mancipat militiae.* Item alia hujus generis, quae neſcio, an a quoquam ante ſint publicata. Continent non pauca, ad Dagobertum pertinentia. Si ſcirem ante non eſſe edita, & mereri lucem, ederem. Tu videbis, & ab amicis cognoſces, quid de his ſtatuam. Non poſſum plura hac vice, quia me interturbant amici moleſte officioſi. Vale, & ut ſoles, res meas tibi habe commendatas. Upſaliae. a. d. 31. Maii. CIↃIↃCLXIV.

EPISTOLA LIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upſaliam.

PErlatus eſt ad me nudius tertius *Gronovii* noſtri Plautus, una cum ejuſdem libello apologetico, variiſque praeterea aliorum lucubrationibus recens in lucem emiſſis, quibus & Longinus *Tanaquilli Fabri* caſtigationibus atque annotatis illuſtratus erat adjunctus, vir clariſſime. Plauti & libelli apologetici geminum exemplar quia illic offendebam, perſuaſus ſum ut crederem, tecum mihi munus iſtud eſſe dividendum. Nam amicus noſter hactenus non monet, quid libris hiſce cupiat factum. Tradidi itaque *Curioni* volumen utrumque ad te mittendum, & quidem ea lege, ut, ſi male conjectura a me facta ſit, atque alii ſit munus deſtinatum, tu perlectos codices ſis redditurus, ſin divinus fui & verax augur, amici noſtri munificentia ſolide fruaris. Mitto & Petronii fragmentum typis Patavinis deſcriptum, de quo judicium tuum ne

apud

apud me premas obsecro. Nam mihi libellum animo attentius pervolvendi otium haud fuit. ad Trimalchionis caenam spectant pleraque, ut tute arbitrari potes. *Bigotium* proxime percunctabor, quid de codice tuo, varias variorum vitas complectente, sit statuendum. Ex Italia litteras ab amicis tandem accepi. Narrat *Falconerius* Romae sub praelo esse *Ezechielis Spanhemii* dissertationem de utilitate atque usu veterum numismatum, tum imagines virorum illustrium ex gemmis ac nummis antiquis depromptas & hactenus publice non visas. At *Datus* de Florentinis suis *Franciscum Redium* dedisse publico observationes de natura viperarum novas. *Valerium Chimentellium* moliri commentarios in inscriptionem Pisanam, in quibus & de veterum sellis sit acturus. Edi praeterea observationes naturales Academicorum Etruscorum. Cardinalem *Palavicinum* praelo subjecisse Historiam Concilii Tridentini, curis secundis nunc adauctam, quam opponit Historiae ejusdem argumenti a *Paulo Veneto* conscriptae. Parari praeterea publico observationes Mathematicas *Caroli Rinaldini*, *Alphonsi Borelli* de motu animalium opus. Denique versari sub praelo varia diversorum scripta, sed Etrusco idiomate contexta. Haec volebam nescius ne esses. Vale, vir Eximie, properabam. Holmiae CIↃIↃCLXIV. a. d. IX. Junii Juliani.

EPISTOLA LIV.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinsio.

Holmiae.

REmitto tibi Petronii fragmentum, quod cum voluptate summa perlegi. Video plusculа jam ante esse edita. Quae nunc primum accesserunt, valde sunt corrupta, credoque, non aliam esse causſam, cur omitterentur hîc illicve aliqua a librariis, quam quod essent perditissima. Verba continent, & locutiones alias non observatas, ut *saplutus*, *lupatrix*, *praxim*, *coelus*, *balneus*, *abstinax*, *nervia*, *nesapius*, *scelio*, *offla*, *molestare*, *gaudimonium*, & id genus: nec tamen ideo rejicere audeo, cum & alias Petronio familiare sit recedere nonnihil a communi consuetudine, & caetera mirifice conveniant cum iis, quae vulgo exstant. Contuli & locum Sarisberiensis, qui probare fragmentum hoc videtur. Quare facile existimo, verum esse, ac propterea mereri, quod consideretur amplius, libereturque a vitiis, quibus scatet, quantum potest fieri. Et habeo jam aliqua notata, quae promam, si non ingrata fore intellexero. Interea ecce tibi meum de Italica Philosophia libellum, de quo velim judicium mihi perscribas tuum: mitto quoque *Bigotii* Arrianum, sicut ipse voluit, cum summa gratiarum actione. Plautum *Gronovii* cum alio libello reddam, quandocunque jusseris. Haec festino scripsi calamo, & fasciculum adjeci ad Cl. *Gronovium*, quem ad eum curabis, quandocunque occasio fuerit, Vale. Upsaliae 3. Julii CIↃIↃCLXIV.

EPISTOLA LV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upsaliam.

OCcuparunt me praeter solitum diebus proximis curae publicae, vir Clarissime, & immane quantum distraxerunt. Tum & ex urbe rus proficisci sum coactus, ut amici & popularis mei nuptiis interessem. Quae caussa est, quod litterarum nihil a me in manus tuas pervertur jampridem. Sed nec iterare lectionem fragmenti Petroniani hactenus est datum. Quod genuinumne sit an adulteratum, tibi harum rerum sagacissimo censori arbitrandum relinquo. Ut tamen sententiam meam intelligas, quod videris velle, in toto orationis contextu pauca occurrunt, quibus elegantiae Petronianae nitor & vestigium indubitatum prodatur. Narrationem de Vitriario frigidissimam agnosco. Et tamen sunt hîc illic, quae eruditionem saeculi vetusti prae se ferant. Ut de Venere straboſa (*Straboſus* enim, non *Strabonus* opinor scribi oportere) Venerem quippe Strabam nonnullis habitam ad Artem Amatoriam Nasonis palam pluribus feci. *Octavius Falconerius* emunctae vir naris, Roma perscribit, non posse se persuasum habere, ut Petronianae indolis credat hunc libellum. Quibus fere paria censet noster [1] *Gronovius*, nisi quod is arbitratur, fragmenti hujus auctorem, quicunque is sit tandem, Petronii plura vidisse, quam nunc in publico circumferantur. Unde fit, ut in nonnullis, quae depravata ducit, conjecturis indulgeat. Sed tu haec, & si quae plura sunt, omnium optime videbis. Eruditissimum tuum de Philosophia Italica commentarium percurri tantummodo oculo festinante hactenus, totum intentiore cura mox perlecturus, pro quo gratias interim ingentes, & quantas pro tam exquisito munere haberi par est, habeo. *Gronovio* exemplar suum propediem mittetur. Qui recte ordineque factum nuper nunciabat, quod Plauti sui atque alterius libelli copiam tibi feciſſem. Quatuor exemplaria Philosophiae Italicae in Gallias mittenda tradidit mihi *Curio* noster. Primum horum ad *Bigotium*, ad *Valesium* secundum, tertium, ac quartum ad *Menagium* atque ad *Capellanum* spectare addebat, nec defuturus sum mandato. Rerum novarum nihil nunc in promptu est, nisi de bello Brittannico apud nos metum esse, ac contagionem illic nonnihil jam coepisse grassari. Vale, Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXIV. a. d. V. August.

1. Vide *Gronovii* Epist. ad Heins. CCCXCV.

EPI-

EPISTOLA LVI.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiae.

MEum de Philoſophia Italica opuſculum fuiſſe tibi non ingratum, gaudeo, deque eo judicium tuum, cum per otium amplius inſpexeris, requiro. Tot ejus exemplaribus in Galliam Hollandiamque mittendis moleſtum tibi fuiſſe *Curionem* noſtrum, aegre fero. Promiſerat ipſe, ſe daturum operam, ut citra tuam moleſtiam per nautas hoc negotium conficiatur. Nunc video abuti eum bonitate tua, quae quia ſimul meos uſus ſpectat, pro ea ſummas tibi ago gratias, & occaſionem quaero cupidè, qua viciſſim meam promptitudinem teſtari tibi valeam. Petronii fragmentum & tibi & aliis ſuſpectum eſſe video. Ego quoque deprehendo pluſcula in eo, ad quae haereo. Infinita tamen depravata, mutila, & gloſſis interpolata cenſeo. De omnibus cum cura, alia occaſione. Nunc enim propter occupationes alias non licet. Quid de Livio *Gronovii*, graſſante ſic contagione per Amſtelodamum atque Leidam, ſperandum nobis ſit, ſcire vehementer cupio, nam a *Gronovio* quidem ipſo nihil habui litterarum longo tempore. Vale, vir Nobiliſſime, ac me amare perge. Upſaliae. a. d. 16. Auguſt. CIↃIↃCLXIV.

EPISTOLA LVII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upſaliam.

GRatiarum actione tardius, fateor, apud te defungor, vir Clariſſime, quam aut officii mei ratio, aut munus longe praeſtantiſſimum poſtulabant. Sed inde publicis negotiis, hinc valetudine minus confirmata interpellantibus, jam pridem meus vix fui. Et tamen Arrianum ac Mauricium tuos majori jam ex parte perlegi, nec ſine fructu praeſentiſſimo, dum nulla ex obſervatis tuis pagella non doctiorem me reddit. In Gallias ac Bataviam noſtram deſtinata abs te exemplaria ut tuto illuc quamprimum perferantur, quantum in me, diligentiſſime curabitur. De Petroniano fragmento publici juris faciendo ſi cogitare pergis, communicabo tecum, quicquid binis jam litteris in illo caſtigavit atque illuſtratum reddit noſter [1] *Gronovius*. Is ante Februarias Kalendas Livium ſuum in lucem proditurum ſpondet. Sed ob hibernas itinerum difficultates vix ante Majas Kalendas libri tam deſiderati exoptatique exemplaria ſperare poſſumus. A *Bigotio* de die in diem litteras expecto, quem Lutetiam ex Neuſtria jam rediiſſe opinari licet. Claudianus meus lucem jam pridem videt, cujus tamen

1 Epiſt. CCCXCIII. & CCCXCVII.

men nec ipſe hactenus compos ſum factus; cum lues per Bataviam univerſam hac aeſtate atrociter graſſata commercium cum Suecis omne quodammodo abruperit, certo in annum proximum rejecerit. Eadem illa lues *Cornelium Schrevelium* e vivis ſuſtulit, majori liberorum ſuorum, quos denos aut duodenos reliquit, quam rei litterariae damno, cum multa conaretur quidem ad ornandum eruditionis nomen, ſed pauca bene, in deſcribendis aliorum animadverſis unice occupatus, idque nullo fere adhibito delectu. Haec nunc: Amicos omnes jubeo ſalvere. Vale, vir Celeberrime, & me, ut ſolebas, ama. Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXIV. a. d. VI. Decemb.

EPISTOLA LVIII.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

NON meretur gratiarum actionem munus tam exiguum, praeſertim apud eum, quem tot pridem officiis beneficiiſque habes tibi devinctiſſimum. Neque opera mea tanta eſt, quam illuſtrando utrique adhibui ſcriptori. Scio vires ingenii mei, & conatus ſaltem non diſplicere tibi tuiſque ſimilibus cupio. Quorum proinde judicium de illo ac ſententiam perſcribes, cum intellexeris. Praecipue *Gronovii*, quem miror tam diuturnum pertinaxque ſilentium ſervare; etiam *Bigotii*, quem ſpero tuo ſtudio accepturum, quod illi cum caeteris viris doctis a me deſtinatum eſt. Ignoſce, quaeſo, meae fiduciae, qua tibi toties negotium faceſſo. De Petroniano Fragmento cogitavi aliquoties, & adhuc cogito. Itaque ſi me juvare tua aliorumve voles opera, rem facies gratiſſimam. Vidi pluſcula in eo, ut opinor, non inconcinna. In aliquibus adhuc haereo: ut in illo *tangomenas*, bis occurrente iiſdem litteris. Sed & quid iſta velint, nec dum aſſequor, *quibus prae mala ſua & cornua naſcuntur*. Item, *Staminatas duxi, & plane matus ſum*. & *frigori laecaſim dico*. & *pentiacum* & *pollicem porricino* & *ſcelio*. & *odaria ſaltare*. & *cromataneas* & *marcutia*, & *mufrius* & *baci ballum*. & *matautata*, & *faucunculum*. & *barcalaeda*, idem *encatarriſaſti*. Sunt & alia, quorum auctoritatem quaero adhuc apud bonos auctores. Ut, quod *malus fatus*, maſculine eſſet pro neutro, non uno in loco, *nervia* pro *nervis*, & hujuſmodi. De quibus & ego amplius alio tempore, cum nunc per occupationes publicas, & ſolennem actum Magiſtrorum promovendorum, qui celebratur hodie, non poſſim. Vale, atque ſicut hactenus, ita porro me tuum eſſe patere. Upſaliae a. d. 13. Decemb. CIↃIↃCLXIV.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA LIX.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

REſpondere tuis jam ante octiduum debueram, ſed expectabam noſtros Mathematicos, qui aberant ab urbe, ſicut ſolent, per hos dies feſtos. Interea redduntur litterae mihi *Curionis*, cum Fragmento Petroniano, & binis Cl. *Gronovii* epiſtolis. Pro quibus omnibus ſummas tibi ago gratias. *Gronovium* video ambigere, fraudiſque ſuſpectos habere Dalmatas. Ego quoque haeſi ſemper haereoque: non tamen infeliciter expreſſiſſe Petronium ubique fere exiſtimo, quicunque tandem fuerit, fragmenti ejus auctorem. Sunt enim in eo doctae locutiones pluſculae, quaeque aliud ſapiunt ſaeculum, quam qua ſcriptus ille liber in praefatione dicitur, qui continet id fragmentum. Quia tamen dubitare ſcio multos, facturuſne operae pretium ſim, ſi quae in mentem mihi venerunt de tot corruptis in eo ſcripto locis declarem, ignoro. Denique quid tu exiſtimes, ſcire vehementer cupio. Sed ad Mathematicos revertor noſtros. Obſervarunt illi ſydus utrumque, more Mathematicorum, per tubos & inſtrumenta caetera. Daboque operam, ut proxime delineata habeas omnia: ſic enim pollicitus mihi eſt *Rudbekius* noſter. Quid portendant, indicare omittunt, cum pleriſque noſtris ſit perſuaſum, aut nihil certi portendere, aut ſi portendant, ſciri id haud poſſe. Quare veluti conſenſu quodam eos rident, qui ſpes metuſve huic illive populo per divinationes ſuas injiciunt. Si quid vero deinceps intellexero, dabo operam, ut in tempore ſignificem. Litteras *Gronovii* remittam proxime. Nunc enim otium non fuit deſcribendi omnia, quae ex illis faciunt ad inſtitutum meum. Vale, vir Nobiliſſime, annumque hunc novum, cum plurimis ſubſequentibus tuo publicoque bono laetus valenſque vive. Upſaliae a. d. 10. Januar. Anno CIↃIↃCLXV.

EPISTOLA LX.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upſaliam.

COmpertum ex rumoribus publicis haud dubie habes, vir Clariſſime, Britannos foederatis Belgis denuo minitari bellum, nec minitari tantum, ſed ad Martem apertum rem jam deveniſſe. Per quas turbas tam atroces fit, ut totum me ad occupationes ut ingratas, ſic publicas tamen, cogar convertere, humaniori litteratura ad tempus valere juſſa, cum alia ex aliis mandata per ſingulos tabellarios a patria ad me perferantur, quae otio omni mihi interdicant ac Muſarum ſacris. Quapropter ignoſcas mihi par eſt, ſi paria tecum non facio, & ſcriptionis officium mutuae paullo negligentius uſurpo. Interim recte

te

te facturum censeo, si fragmentum istud, quod sub Petroniano circumfertur nomine, nuperque admodum luce donatum est, rursus publico permittas. Esse enim in illo nonnulla, quae gustum antiquitatis haud dubium nobis dant, prorsus ut credam persuadeor: nam de omnibus id adfirmare non ausim. Nonnulla ex iis, quae negotium tibi facessebant, jam castigavit noster *Gronovius*, ut ex literis ejus cognosse potuisti. Quid Mathematici vestri observarint in cometa nupero, desidero, ut satisfiat curiositati quorumdam amicorum per Italiam Galliamque ac Germaniam, qui super ea re per literas me consuluerunt divinationes & vaticinia astrologica nil moror. Inter viros horum studiorum peritos haud convenit, cum alii unum solum modo cometam apparuisse contendant, alii duos, sed tempore diversos & loco. Ex Belgio tabellarius nec dum advenit, ut nunciare vix possim, quid illic nunc rerum geratur, nisi hoc unum, ad bellum omnia necessaria parari, brevique in promptu fore centenas naves omni armatura instructas. Claudiani exemplaria duo aut tria ex Belgio proxime accepi, quorum unum tibi servetur. Arriani & Mauricii, quae in Gallias, ut scis, destinabantur ante hos tres menses, ne nobis perierint, metuo. Ajunt enim navem ferro onustam, quae hinc in Hollandiam contenderet, in mari Balthico vi tempestatis esse depressam; sed nomen navis a me ignoratur. Vale, vir Celeberrime, & amicos meis verbis, ni molestum est, salvere jube. Exarabam Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXV. a. d. VII. Februarii.

EPISTOLA LXI.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

ETsi nihil mihi sit jucundius, quam creberrimas abs te accipere litteras, tamen raritatem earum excusari mihi, non erat necesse, qui jam pridem intelligo, quantis nunc negotiis obruare. Neque alia est caussa, quae me parciorem esse in scribendo jussit proximis hisce mensibus. Tametsi enim erat, super quibus sententiam exquirere tuam non una vice volebam, tamen nugis meis serias res tuas interturbare nefas videbatur. Qua in re si quid a me peccatum est, inscitia potius quam ignavia censebis factum. De cometa promisit nuper *Fornelius* noster, ipsum se ad te scripturum. Quae res effecit, ut deinde hanc curam ejicerem ex animo. Nunc denuo cum ipso egi, promisitque is nonnihil post horam unam atque alteram, si accepero, una cum his transmittam. *Rudbeckius* studiose colligit judicia exterorum de eo (& cum singulis tabellariis huc mittit alia aliaque Illustr. Cancellarius) postquam bonam illorum nactus erit copiam, & jam, quid alii sentiant, intellexerit, se suam quoque proditurum scripto promittit sententiam. Esse enim sibi quaedam observata, quae adhuc nemini, quantum videre potuerit ex his, quae hactenus accepit. Quare petit, ut ne nimium festines, namque daturum operam, ut paulo post habeas accuratius quid, quam nunc statim possit dari. In eo con-

conveniunt plane *Rudbekius*, *Fornelius*, allique, quod existiment non fuisse unum cometam, verum duos diversos, cujusque sententiae rationes satis firmas proditurum se *Rudbekius* recepit. Tu censebis suo tempore. De Claudiano feliciter emisso tibi gratulor, proque liberalitate tua tibi ago gratias maximas. Casum fasciculorum nostrorum aegre fero, &, si certi de eo erimus, resarcire illum proxima occasione quaero. Petroniana mea properant ad finem. De editione tamen eorum adhuc haereo incertus, donec forte per occasionem demonstrare tibi potero, judiciumque tuum coram explorare. Sed diutius molestus tibi esse non sustineo. Ergo Vale, ac, ut soles, me amare perge. Omnes Amici perofficiose te salutant. Upsaliae a. d. 14. Febr. Anno CIↃIↃCLXV.

EPISTOLA LXII.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

QUod in remittendis *Gronovii* litteris fui tardior, non alia est caussa, quam quod *Curio* noster se quotidie dictitaret abiturum, cui rectissime credi posse confidebam. Nunc quia video adhuc per dies aliquot hîc mansurum, en tibi eas, una cum dissertatione mea de auctore fragmenti Traguriani. Quam nisi grave est, velim perlegas, judiciumque de illa tuum mihi perscribas. Cl. *Gronovii* observationes admodum me delectarunt. Unam tamen non intelligo, quando ex Martialis VIII. 59. citat, *Autolyci tam piperata manus*, nam in editis, quos ego vidi, non est *piperata*, verum *piceata*. suspior, *Scriverium* illo modo habere. Verum eum videre non licuit, quia hîc est nemo, qui exemplar ab eo editum habeat. Tuum & *Gronovii* judicium de Auctore dicti fragmenti libenter simul publicarem, si scirem, non ingratum id vobis futurum. Tu sententiam perscribes tuam, & quid fieri velis aut non velis, indicabis. Gratam Cl. Dn. *Capellano* fuisse voluntatem meam lactor. Utinam ad ipsum, amicosque caeteros pervenire nostra possent. Nunc dubito, propter ea, quae scripsisti *nuper*. Nautae nomen, cui commissa fuerunt, ignoro, nec nunc adest *Curio*, ut ea queam scire. Scribam mox, si veniet; quod spero. Interea Vale, vir Nobilissime, ac me amare perge. Upsaliae 3. Mart. CIↃIↃCLXV.

EPISTOLA LXIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upsaliam.

COmmentarium tuum de Stylo, *Curionis* nostri opera, accepi, munus longe gratissimum: qui etsi Ubsaliam tunc denuo se cogitare significaret, neglexi tamen Claudianum illi ad te perferendum tradere, quod in valetudine adversa, cum qua mihi res erat, cogitationes occupabantur. Cl. *Rubekium* jam

absolvisse opinor, quae super cometa nupero meditari dicebatur, quod cometa ipse jam desierit apparere. Sunt & alibi terrarum, qui in eodem argumento exerceantur, a quibus illum praeveniri nolim: ejus rei indicem mitto epistolam, quam ab amico proxime accepi. Mitto & Bigotianas litteras, quod complectantur nonnulla, quae tibi forę haud ingrata fum opinatus. Et has & illas, si sine incommodo tuo fieri id potest, ad me reverti quamprimum cupio. Livius *Gronovii* etsi publico jam donatus, tarde admodum ad nos perferetur, quod piraticis incursibus mare infestetur. Vale, vir celeberrime. Holmiae CIↃIↃCLXV. die XXVIII. Martii.

EPISTOLA LXIV.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

REddo tibi litteras cum summa gratiarum actione. Phaedrum denuo a *Fabro* esse editum video, idcirco videre ipsum impensissime desidero. Quod si per calamitatem bellorum huc transmitti non potest, optarem describi ea, quae ad me pertinent, atque huc curari per tabellarium, neque enim tam multa esse possunt. *Mentelius* num edito Petronii fragmento aliquod de auctore judicium, vel notas emendationesve adjecerit, scire aveo. Quae de cometa perscripsisti, *Rudbekio* legenda dedi. Respondit, sibi pridem jam compertum esse, unum fuisse, non duos. Pleraque quae parata habebat, tradidisse igni ob caussas, quas coram referam suo tempore. Velle tamen tuam in gratiam nonnulla, quae repetere memoria possit, consignare denuo, ac ad te mittere. Id simul hac ipsa indicavit hora, se cum quibusdam aliis hodie mane observasse alium cometam bene magnum versus Orientem, quem orivit, ut & tu consideres, quidque de eo observarint alii, in posterum significes. Livium Cl. *Gronovii* prodiisse gaudeo, illiusque compotes nos futuros suo tempore confido. Claudianus tuus quandocunque venerit, erit mihi longe gratissimus. Vale, vir Nobilissime, meque, sicut soles, ama. Upsaliae a. d. 31. Martii CIↃIↃCLXV.

EPISTOLA LXV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upsaliam.

DE Phaedro *Tanaquilli Fabri* nuper iterum in lucem prolato negotium *Emerico Bigotio* litteris proximis commendabo. Quamquam ille in agro Rotomagensi etiamnum subsistit, per adversam fratris valetudinem impeditus, quominus Lutetiam possit recurrere. De *Mentelii* Petronio rem omnem quoque diligentius explorabo. Sed Philologicae eruditionis nihil ab illo velim tibi pol-

polliceare, quamquam vir eſt eadem non indoctus, & egregie officioſus. Cometa etiam apud nos diebus proximis coepit apparere. Qui ne non diverſus ſit ab illo, quem ſuperiori anno atque hujus initio conſpeximus, etiam atque etiam nobis eſt videndum. Quae Cl. *Rudbekius* ſuper hoc argumento ſperare me jubet, avidiſſimus expecto, nollemque vir accuratiſſimus in lucubrationes ſuas tam ferociter ac iracunde ſaeviſſet. Tu hortare illum, ut in propoſito pergat. Mitto hîc epiſtolam eodem ſpectantem, quam Hamburgo hodie accepi. Eam *Rudbekio* & *Fornelio* noſtris legendam permittas, licet poſtea huc redituram tua opera. Claudianus meus occaſionem operitur, qua perferri tuto ad te poſſit. *Gronovius* poſtremis ſuis ſignificabat, Quintilianum ſuum prodiiſſe. De Livio nihil addebat, quem tamen & ipſum jam proſtare venalem ex Elzevirianis litteris prope colligere mihi videor. Vale, vir Celeberrime, amicorum decus. Socerum tuum cum ornatiſſimis viris, *Rudbekio*, *Verelio*, *Brunnero*, *Fornelio* ſalvere plurimum jubeo. Exarabam Holmiae Suecorum Anno CIↃIↃCLXV. a. d. VII. Aprilis Jul.

EPISTOLA LXVI.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiae.

ECce tibi litteras, quas huc nuper voluiſti mittere. Scripſit, ut opinor, jam ante octiduum *Fornelius*, quae ſpectare ad propoſitum negotium videbantur. At *Rudbekius* noſter tardior eſt, propter & labores alios alioſque, quibus obruitur, & quia collatis omnium aliorum ſententiis annotaturum ſeſe ſperat, quae adhuc a nemine ſunt obſervata in hoc toto de cometis argumento. Dabit & picturam, quae omnia reddet evidentiora. Et ſperabam fore, ut nunc omnia haberet confecta, idcirco ſcriptionem huc uſque differebam. Sed quia heri in coena mihi dixit, adhuc aliqua deſiderari, tacendum diutius non putabam, ne me oblitum mandatorum tuorum cenſeres. Veniet ipſe *Rudbekius* ad vos circa finem hebdomadis hujus per dies aliquot, ubi ipſe forſitan ſua tibi coram tradet. Quod mea cauſſa ſcribere amicis in Gallia dignatus fueris, eſt gratiſſimum mihi, nec nunc expecto quid impatientius, quam reſponſum. Libelli noſtri, qui deſtinabantur paſſim viris bene nobis, ut putamus, cupientibus, perferuntur Lubecam, ibique haerebunt, donec occaſio aperietur, qua tranſmitti queant in Hollandiam, quod praevideo fore non, niſi poſt tempus bene longum, atque vehementer doleo. Tu ſi ad eorum aliquem ſcribes, ſignificabis hoc infortunium, & nos liberabis a ſuſpicione oblivionis aut ignaviae, niſi grave erit. Petronii fragmentum, quantum quidem ex eo nunc eſt editum, ad te deferet *Curio* noſter, quem *Rudbekius* habebit ſocium itineris. Vale, vir Nobiliſſime, noſque ſi non immerentes ſumus, amore tuo proſequi porro perge. Upſaliae a. d. 25. April. CIↃIↃCLXV. Miſit ante tempus bene longum aliqua ſuorum ad me *Titius*, Profeſſor Dantiſcanus, idque tua, uti

Digitized by Google

opinor, opera. Eidem mearum nugarum aliqua remiſi cum Bibliopola Lubecenſi praeteritis nundinis autumnalibus. Id quod velim per te intelliget, ſi forte illi ſcribes, quia vereor, ne non magis in hoc, quam aliis commiſſis ei negotiis fidem ſuam ſervarit. Iterum vale, ac confidentiae meae ignoſce. Nomen Bibliopolae, niſi fallor, eſt *Beeckenſtein.*

EPISTOLA LXVII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upſaliam.

JOnae *Fornelii* comitatem in promendis ſine procraſtinatione obſervatis ad cometam nuperum ſpectantibus, uti debebam, habui acceptiſſimam. Id vir induſtrius ac ſolers, quando opportunum videbitur, ex te reſciſcat cupio. Mihi viciſſim curae erit, ne qua negligatur occaſio aut pereat, ſtudiis ejus commodiſque conſulendi. *Rudbekium* huc propediem venturum recte poſtremae tuae monebant. Venit enim, ſed ſic, ut nobis non compellatis denuo ad vos deceſſerit, una cum *Curione* bibliopola, ut ajunt. Cum tamen paratum tibi apud me eſſe Claudiani exemplar tempeſtive ſatis indicaram, quod per illum ad te deferri debuit. Quae ſpes, quando me fruſtrata eſt, *Loccenii* noſtri genero id ad te curandum permiſi, qui eis dies pauxillos Ubſaliam ſe cogitare aſſeverabat nuper admodum. *Rudbekium* hortare, quaeſo, ut coepiſti, ne promiſſo deſit. Ejuſdem argumenti prodromum luculentum ab *Hevelio* propediem habebimus. Sunt & alii complures in Gallia Germaniaque ac Italia, qui in hac ipſa palaeſtra aſſidui nunc deſudant. pervenit jam in manus meas *Johannis Georgii Graevii* oratio adverſus ſuperſtitioſam ac meticuloſam vulgi de cometis opinionem, quaſi per illos ſiniſtra quaevis & inauſpicata nobis portenderentur; addito ejuſdem materiae libello, qui *Andream Dudithium* auctorem prae ſe fert. Ex Gallia jampridem nihil a *Bigotio* litterarum ad me perfertur. Hunc, puto, fraternae valetudinis malum pertinax alio vocat. Arrianus tuus cum Mauricio ne in via haerere pergant, a *Curionis* diligentia pendet. Utrumque certe libellum homines Lutetiae eruditi videre percupiunt, exemplar Reginae deſtinatum an Romam jam pervenerit, ſcire deſidero. Sunt, qui opinentur etiamnum illam de Suecia repetenda cogitare, negant alii. Petronii fragmentum una cum tuis animadverſionibus avide expecto. Quae vidi hactenus hujus tuae lucubrationis, mirum in modum placuere. Rogavi amicum Dantiſcanum, quîcum frequens literarum commercium mihi intercedit, ne gravetur *Titium* percunctari, ecquid epiſtola tua cum faſciculo, quem nundinis autumnalibus librario Lubecenſi *Beekenſteino* perferendum credideras, recte ſit curata. Ex Batavia noſtra nihil nunciatur, praeter ea, quae ad bellum Britannicum referenda ſunt. Vale, optime & doctiſſime vir. Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXV. a. d. XIX. Maii.

EPI-

EPISTOLA LXVIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upsaliam.

NUlla applausus spe aut exspectatione erectus, sed fretus sola amicitia nostra, & indolis tuae benignitate illa luculenta, per quam fit, ne conatus mei in litteratura qualescumque tibi omnino improbentur, Claudianum nostrum nuperae editionis ad te misi, Scheffere clarissime. Commendabit etiam opellam utcumque nostram, uti auguror, Typorum haud quaquam aspernandus nitor. Meis ipsis lucubrationibus non nimium laborioſis sat superque gloriae parietur, si post plurimas scriptoris eximii editiones nostra haec omnium minime mendosa ac impolita esse censebitur. Praestantissimo *Rudbekio* promissa praestare per occupationes continuas liceret vellem. Nam & fidem ejus a me liberatam cupit per assiduas litteras [1] Eques ille Polonus, qui in eo totus est, ut variorum de Cometis nuperis observata in unum colligat, ac collecta publico permittat, & mihi grave est toties super re eadem interpellari. Interest praeterea *Rudbekii* ipsius non latere diutius, quae observavit. ne si alii prolatis in lucem observatis iisdem illum praevertant, homines maligni postea criminentur, alienis plumis exornatum prodire, non suis. In unam omnia epistolam conferri haud incongrue aut incommode, ni fallor, possunt. Praeter *Graevium* jam duo treſve alii scriptores super hoc argumento ex foederatis Belgis publice circumferuntur. Accepi etiam Dantiſco Hevelianum de Cometis prodromum, libellum mire accuratum. Quae Polonus eques in hanc rem proxime ad me dabat, hic mitto reditura in manus nostras tua opera, ut spero, ubi oculis Rudbekianis atque Fornelianis erunt delibata. Erraviſſe nos in nomine bibliopolae Lubecensis ut cognoscat *Titius*, operam nudius tertius dedi. Ex Belgio nostro rerum novarum nihil, ubi omnium studia in bellum Britannicum intenta sunt. Prostat jampridem publice Livius Gronovianae recognitionis: prodibunt & propediem Euangelia Gottica, nisi jam prodiere. Tua ad Petronianum fragmentum observata multum mihi arrident. quod in eo habetur, *Sic notus Ulysses*, Maronianum est hemistichium ex Aeneidos 11 vers. 64. unde manifestum fit, quid sibi hîc velit Petronius. Erant alia, de quibus monitum te cupiebam: ea fortassis in medium proferentur a minus occupato. *Falconerius* & *Bigotius* avent scire, quid sperandum sit a *Brunnero* nostro. Salveant amici omnes, tu vale, & veni. Exaratum Holmiae CIↃIↃCLXV. a. d. xv. Junii Juliani.

1 *Stanislaus de Lubienietz Lubieniecius Rolitsius*, qui Theatrum Cometicum edidit Anno 1667. in quo videbis omnes *Heinsii*, *Rudbekii*, *Fornelii* & aliorum de Cometis communicatas epistolas.

EPISTOLA LXIX.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

SEro tuis litteris reſpondeo. Nempe eo tempore, quo tradebantur mihi, *Rudbekius* & *Fornelius* aberant: & quia ambo verſabantur Holmiae, ſperabam fore, ut te convenirent ipſi, deque iſtis omnibus coram tecum agerent. Nunc ait *Rudbekius*, ſe quidem quaeſiviſſe te domi tuae, ſed non reperiſſe, mox cum navigio coactum abire, in quo neſcio quas arbores peregrinas habebat collocatas. *Fornelio* litteras tradidi, ut praecepiſti. Ait nil ad eas poſſe reponere, niſi viſo prius Cl. *Hevelii* libello, quare ut mittatur ſibi, ipſum eſſe tecum acturum. Litteras illas interea ſervare, niſi plane remitti velis ſtatim, quod nunciare poteris cum proximo tabellario. *Rudbekium* & ante ſaepius, & nunc denuo admonui officii ſui, monſtratis tuis litteris, ſed praeter pollicitationes nec dum quidquam potui extundere. Spero tamen operam daturum, ne de eo conquerendi juſtam tandem habeamus cauſam. Livium Cl. *Gronovii*, cum Quintiliano, & Ulphila Cl. *Junii* impatientiſſime expecto, quanquam quid ſperandum exſpectandumve mihi ſit, in hac tanta rerum omnium turba, penitus ignorem, niſi tu forſan viam aliquam inveneris. De *Brunnero* noſtro ſcribere nil poſſum, quia is jam ante dies quatuordecim in patriam abivit, nec ante tres quatuorve hebdomadas eſt reverſurus. Pro iis, quae ſignificaſti in Petronio, ſummas tibi ago gratias, optoque vehementer, ut ſit otium tibi, quo poſſis caetera addere. Invenient locum ſuum in addendis, quae ſubjicientur, eritque ſatis temporis, ſi intra hoc octiduum mittentur, cum in Notis reliqua ſint folia duo, nec nimis feſtinet typographus. De Phaedro *Tanaquilli Fabri* num reſcripſerit *Bigotius*, ſcire cupio, ſimul & num ad eum ſint perlati mei libelli, & ſi, quod metuo, perlati non ſunt, ut per te intelligat, nullam apud me tam diuturnae moraе eſſe cauſam. Vale, vir Nobiliſſime, ac me, ut ſoles, ama. Upſaliae a. d. 27. Junii Anno CIↃIↃCLXV.

EPISTOLA LXX.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

TAndem ad me venit Claudianus tuus. Injecerat ei moras aliquas primum affinis meus, ſerius abiens Holmia, mox nauta ingenio ſuo tardus. Sed expectationem tam diutinam compenſavit abunde tanta ejus elegantia, ut poſt ſe relinquat plerorumque ejus generis aliorum. Quare pro tam ſingulari ac eximio munere gratias tibi ago maximas, tuumque fore me perpetuum polliceor. Cum *Rudbekio* non ſemel egi tuo nomine. Pollicetur

is

is quotidie industriam suam, & jam conscripsisse quaedam scio. Sed tam multis aliis occupatus, nescio quomodo ad hoc negotium sit tardior. Non omittam tamen urgere, & vel invito extundere aliqua, minime, ut ex colloquiis ipsius conjectare possum, contemnenda. Indicabam ipsi, quae significaveras de oratione *Graevii*, statim videndae ejus desiderio exardebat. Sed quia ignorabam rationem, qua huc posset adferri, effeci, ut hoc, quicquid est, differret in adventum suum, cum post dies summum quatuordecim iter ad vos cogitat. Arrianum meum ad Reginam Seren. CHRISTINAM perveniisse scio ex litteris [1] *Laurentii Skyte* sacerdotis, Roma ad me scriptis mense superiori. Quid actum sit cum caeteris exemplaribus, ignoro. Scripsit *Curio* Bibliopolae Lubecensi, ut per suos homines mittat Hamburgum, inde in Bataviam, ad communes amicos. Quid facturus sit, suo tempore intelligemus. Quae Dantiscum mea causa perscripsisti, grata sunt, sed errabam in significando nomine Bibliopolae, nec enim *Beckenstenius*, sed *Wetstenius* vocatur. Poterit nihilominus vel ex his colligere *Titius*, non defuisse me officio meo, gratamque mihi esse ejus amicitiam. Petronius procedit satis lente, dum typographi sunt occupati excudendis tot disputationibus, quot fere singulis annis circa studiosorum nostrorum abitum, feriasque Caniculares solent haberi. Spero tamen, post tres quatuorve hebdomadas finitum iri, hocque ago eo majori studio, quo libentius intelligo, non displicere tibi ea, quae ad eum adnotamus. Cupio mirifice vos videre coram, & potest fieri, ut brevi ipse etiam ad vos excurram. Nunc enim impedior curis domesticis, & uxoris nec dum satis curata valetudine, quam contraxit adversam ex puerperio superioribus diebus difficillimo, ut de vita ejus desperarem. Unde vel praecipue factum, ut ad tuas tardius, quam debebam, responderem. Vale, Nobilissime Domine, ac me, sicut soles, perge amare. Upsaliae a. d. 6. Julii CIↃIↃCLXV.

1 Hunc antea regium in Portugallia Residentem, ut vocant, transiisse ad pontificios, & Monachum factum scribit *Schefferus* de Script. Suec. pag. 176. Edit Moller.

EPISTOLA LXXI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upsaliam.

QUae proxime ad te perscribebam de praelio navali inter Britannicam nostramque classes commisso nuper admodum, extenuando, qua adfecti sumus, cladem, magnis equidem auctoribus peccabam, vir Clarissime, sed peccabam tamen. Ita enim ut crederemus, inducebant nos litterae *Nicolai Rusii*, qui foederatorum Belgarum Patribus ab actis est & epistolis, ad *D. Isbrandum* perscriptae in hanc rem. Inducebant & privatae amicorum scriptiones. Misere postea patres inditem universae classis accuratum, ex quo licuit deprehendere, naves XVI. bellicas cum celoci una desiderari, partem maximam aut exustas aut depressas ab hoste, cum classis tota ex navibus centum circiter & vicenis con-

conſiſterit, quarum nonnullae tamen ad pugnam ſerius ſunt egreſſae, nec praelio interfuere. Nocuit plurimum rebus noſtris ventus hoſti ſecundus, nobis adverſus: nocuit etiam non minus primo ſtatim conflictu ductores claſſis noſtrae praecipuos cecidiſſe: cum ex praeſtantibus nonnulli quoque abeſſent, *Ruterum* in Africam Americamque ſecuti, quos Deus nobis ſiſtat incolumes; ſunt enim propediem cum magna praeda adfuturi, ut ipſius *Ruteri* monent litterae. Qui Brittannos in Africa adortus primum, non modo recuperavit arces haſce, quas illi perfide & contra datam fidem praeripuere; verum etiam quae ab illis loca, illic terrarum jure poſſidebantur, ditioni foederatorum Belgarum adjecit, Cormantinam imprimis arcem, caput gentis, naves complures aut cepit aut depreſſit. Inde ad Inſulas Americanas a Britannis infeſſas converſus, non minori illic quoque damno hoſtem adfecit, vaſtatis coloniarum potiſſimis. Hunc ut ſalvum quampridem apud nos videamus praecipua patribus eſt cura: tum & claſſem ex Oriente, quae opulenta admodum de die in diem nobis venit exſpectanda. Ultimo conflictu non incruentam Britannis ceſſiſſe victoriam in conperto habemus, una navi a noſtris capta, exuſtis aliis nonnullis. Sociorum navalium vim haud exiguam, ducum adhaec quoſdam occubuiſſe, viros principes ac ſplendido prognatos loco non paucos, qui praelio voluntarii interfuere. ex quorum numero unus tormento majori bellico disjectus avulſa cranii parte manum perſtrinxiſſe dicitur duci Eboracenſi, cujus lateri forte proximus adſtabat; quanquam Britanni damna ſua prudenter tegunt ac diſſimulant. Rex tamen quod ſubtriſtior appareat hoc rerum ſtatu tam laeto, ſunt qui de morte aut Eboraci Ducis, aut Ruperti Palatini, aut Montacutii nonnihil ſuſpicentur. Quicquid tamen id eſt, diu latere nos non poteſt. Miniſtros Suecum ac Danum, qui Londini ſedem fixere, laetitiam palam teſtatos eſſe, ac Regi victoriam gratulatos pudendum eſt. De Danis praecipue, qui ſe ſalvos nobis, quanti ſunt, debent. Orator Gallicus, quia in contraria ivit, male a plebe eſt multatus. Rex interim Chriſtianiſſimus accepta clade noſtra oratori Britanno ſignificavit, ſeſe mox ſtaturum a partibus noſtris, ni Rex Britanniarum ad aequas pacis conditiones deſcenderet, remota procraſtinationis ambage. Hoc exemplum ſi foederatorum reliqui aemularentur, pacem ſancitam brevi videremus. Sed a publicis hiſce ad privata ut veniam, a *Bigotio* epiſtolam accepi heſterno die, qua fratrem ſuum fato functum nuntiat, ſeque in re familiari curanda totum occupari: propediem Lutetiam ſibi fore excurrendum, quando in Phaedrum *Fabri* inquiſiturus ſit, libellumque, ſi fieri poſſit, ad te miſſurum. Mauricium & Arrianum tuos fruſtra hactenus exſpectat, quos, niſi *Curio* paullo diligentius, quam fit hactenus, curabit, fore praevideo, ut Lutetiam nunquam perferantur. Negat & *Titius* faſciculum tuum hactenus in manus ſuas deveniſſe, qui mari Gedanum recta ex hac civitate mitti debuit, non Lubecam per itineris ambages. A *Gronovio* nil omnino. A Cl. *Rudbekio* perlata eſt heri ad me epiſtola, cui quod reponam, nihil nunc eſt in promptu. Nam Hevelianum prodromum, quem nudius ſextus mittebam, jam ad te perveniſſe confido, quod exemplar Hevelianae munificentiae mihi eſt pignus. Alterum exemplar, quod

quod Magnus regni hujus Cancellarius utendum dederat, poſſeſſori ſuo reſtitutum eſt. *Rudbekium* aedes meas me abſente nequicquam acceſſiſſe doleo, quem plurima ſalute impertitum volo. *Formelium*, cum in hac civitate eſſet, nullum vidi. Tu quaeſo & hunc & illum adhortare, ut ſi quid obſervationum ſuarum ſuper cometa nupero juris publici factum volunt, maturent operas, quas urgere amicus Hamburgenſis continua flagitatione non ceſſat. De Petronio gratificari deſideriis tuis ſummo opere velim, ſed per publicas occupationes non licet. Vale, vir celeberrime, & mihi, ut ſoles, fave. *Lubienicii* litteras remitti quidem velim, ubi commodum erit, nihil tamen eſt cauſarum, cur feſtines. Exarabam Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXV. ad d. IV. Quinctil.

EPISTOLA LXXII.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

PRO litteris *Bigotii* ſummas ago gratias. Video minuta eſſe, quae adverſus me a *Fabro* adferuntur, atque miror. Ego ipſe deprehendi alia, quae monſtrabo ſuo tempore. Quo ſimul ad iſta reſpondebo evidenter, ut appareat, contradicendi ſtudio pleraque ab ipſo proferri. Tua quoque locum tunc invenient. Interea opus ipſum cupio videre, ſi modo poſſit fieri. Quod me ſenem nominet, rideo: puto enim eum annis non paucis meam aetatem antecedere, ut qui anno hujus ſaeculi vigeſimo primo ſim natus, atque ita nunc annum agam quadrageſimum & quartum. Potes hoc reſcribere Cl. *Bigotio*, & ſimul de aetate *Fabri* explorare. Mitto hîc rurſum folia quaedam a *Rudbekio* noſtro elaborata. Spondet finem proxime & una figuras omnes. Petronius meus heri abſolutus eſt. Exemplum mittam proxima occaſione. Sum nunc ob praeſentiam noſtrorum Aulicorum paullo impeditior, ut veniam tumultuariae huic ſcriptioni petere neceſſe habeam. Vale. Upſaliae a. d. 25. Julii CIↃIↃCLXV.

EPISTOLA LXXIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upſaliam.

PRO exordio Rudbekianae epiſtolae ad me miſſo, eſt ſane cur ingentes gratias me tibi debere lubens agnoſcam. Utinam reliqua, quae ſuperſunt pertexenda, tempeſtive compareant? Ex hoc enim guſtu jam ubertim cognoſſe eſt datum, quid vir ille in hoc argumento poſſit praeſtare. Ipſum per litteras compellabo, ubi ea ex lucubratione nonnihil emerſerit. Nam nunc interpellatorium atque importunum potius id officium, quam compellatorium aut comitati datum videri poſſit. Valetudinem nutare tibi invitus intelligo. Clade

quidem quicquam nihil sumus, sed quam victores immani quadam extulere in majus. *Rarerus* noster post expugnatas partem maximam in Africano litore arces Britannicas, Americani litoris oram nunc strenue populatur. Unde fit, ut speremus ingenti praeda onustum nobis illum mox adfuturum. Gallinarum Rex minari Britannis pergit, ni desinant injuriarum, a nostris partibus fese staturum. Sed minis hisce nihil praecipio. De litteris Lubienensis ad me remittendis, non est quod nimium hic festines, quas legi a *Rudolfo Fornilio*que auctor ipse, ut videro potuisti, cupit. Habes hic a *Bigotio* excerptorum nonnihil, quod corrasit ille ex Fabrianis ad Phaedri fabulas observatis. Scheidae ipsae, ubi iis abunde eris usus, ad me reverti cum commodo tuo poterunt. In te non minus quam in me injurius est illic *Faber* non uno loco, quantum apparet. Primo conjecturam meam super τῷ *bidens* Petaviano codici adscripsit maligne satis. Deinde quod τὸ *prospexit* pro *conspexit* ejusdem codicis minus Latinum putat, in eo fallitur. Est enim elegantter id dictum & apposite hic loci. *Prospicit* enim, qui loco edito in depressum oculos vergit, ac declinat, uti hic fit. Sic Aeneidos primo vers. 185. Aeneas *prospectum pelagi* ex scopulo petere dictus, & paullo post, ex eodem scopulo *tres litore cervos prospicere errantes*. Libro IV. 419. Dido arce ex summa littora late fervere, Trojanis ultum petentibus, *prospicit*. Libro IX. 33. Teucri subitam pulveris nubem glomerari per campos e vallo castrorum *prospiciunt*. Aeneid. XI. 839. Opis Dianae comes e summis montibus Camillam morte multatam *prospicit*. Atque ita porro. Quid enim necesse in re trita exemplis indulgere? Fab. VI. libri II. *Viridaria* non posse ferri & ego jamdudum, si recordaris, monueram, nec constare versui huic legem metricam. Quare *viridia* reponi oportere, nec conjecturae etiammum poenitet. Significabam tum id vocabuli apud Plinium bis terve occurrere, Libro VI Epistol. 6. & apud Jurisconsultos veteres non uno loco. Certe in Pandectis Florentinis vix aliter exaratum occurrit. Nec non eo usi Seneca Epist. LXXXVI. & Macrobius lib. I. cap. 10. Saturnal. pag. 171. ed. Pontani, tum scriptor vetustus apud Nonium Marcellum. Sed locus non est in promptu. Legisse me tamen illic sum certus. Sed & Cicero libro II. epistolarum ad Atticum Ep. 3. Si membranis antiquis credimus. *Cyrus ajebat viridiorum διαφασεις latis luminibus non tam esse suaves*. ubi *radiorum* circumfertur. Nec *Faber* probat, *Canes confusi, subito quod ruerat fragor*. Sic enim distingui malo. *Fragor*, inquit, *non ruit*. At discurrit certe, qua significatione τὸ *ruere* nonnumquam sumi, est in comperto. Ut in illo Nasonis, *Exspatiata ruunt per apertos flumina campos*. Sed demus *ruere* sumi pro *cadere*, certe fragor ille, quo magis discurrit, eo magis terris appropinquat. Hinc *devolata tonitrua* apud eundem Phaedrum de Principe tibicine. At *fragor* parum proprie *ruere* dicetur. Quasi mille talia poëtis non sint in usu. Apud Martialem epigrammate ultimo libri XII. *Subitis coelum ruit imbribus*, quomodo *Juppiter* (pro coelo) apud Horatium *horrendo ruit tumultu*. & apud Senecam Hippolyto: *Si nunc ferorum est, omnis impulsus ruat Aether, & atris nubibus condat diem*, cum imbres, fulmen, tonitrui ex coelo ruant. *Cadit fragor* apud Maronem. *Sic cunctus Pelagi cecidit fragor.*

gor. Cum non tam fragor ipſe fluctuum cadat, quam fluctus cum fragore mixti cadant ac conſidant. Sive igitur fragorem coeli ruere, ſive coelum cum fragore ruere dixeris Phaedrus, tantundem ſit. Sunt plura in Phaedro examinanda, de quibus alibi. Ut cum libro I. Fab. III. *Fugantque roſtris* circumfertur, pro quo concinnius fore opinor, *Figuntque roſtris*, proprio hac in re verbo. Sic apud Naſonem Met. XIV. picus Martius *duro fera robora roſtro figit*. Sed deſino. Tu vale, vir Celeberrime. Exarabam praepropere. Holmiae Sueconum Anno CIↃIↃCLXV. a. d. XXVI. Jul.

EPISTOLA LXXIV.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

REddo tibi ſumma cum gratiarum actione utramque Epiſtolam, quam communicaſti nuper. Cum *Grypenbielmio* nondum ſum locutus. Quamprimum occaſio erit, mandata tua expediam. Quae de Cl. *Gronovio* ſcribis, non intelligo, adeo non metuendum eſt, ut per me aliis innoteſcant. Video quidem eum agere gratias. Sed quae cauſſa ejus rei ſit ignoro. Tu hoc explicabis, niſi grave fuerit. Cl. *Gronovium* me nimis eſſe facilem putare video in arripiendis aliorum figmentis, ideoque nolle, ut quae de Phaedri fragmento, vel ſupplemento garriuntur, ſignificentur mihi. Rideo, viroque optimo ago gratias, qui vel hoc pacto credulitatem meam vult caſtigari, atque conſervari dignitatem ac exiſtimationem. Interea cupio ſcire quis ſit ille, qui tam magna promittit, tectoque nomine aut ficto a Cl. *Gronovio* ſignificatur. Spondeo, me fidem illi adhibiturum eſſe nullam. Livium *Gronovii* avidiſſime expecto, utinam tuto ad nos perferatur. Fragmentum Petronii redditum tibi puto. Sed poſt adjici curavi, quae Cl. *Gronovio* ſunt annotata. Ea accipies poſt dies aliquot, cum *Cuſio* noſter ad vos revertetur. Nunc excudere coeperunt veterem Upſaliam noſtram. *Rudbekius* cum tabellario proximo pollicetur reliqua ſui ſcripti, atque tum & litteras ſe ait redditurum. Vale, vir Nobiliſſime, ac ut ſoles, me amare perge. Upſaliae a. d. I. Auguſti Anno CIↃIↃCLXV.

Hanc cum ſuperiore tabellario miſiſſe debueram. Sed accidit caſu, ut aliam arriperem, ſicuti ſuſpicor, aut mitterem nullam. Si aliam miſi, quaeſo, ut ignoſcas errori, per feſtinationem commiſſo, eamque remittas. Sequuntur iterum hac vice Rudbekiana nonnulla, ut vides. Proxime habebis finem. Vale.

a Vide *Gronovii* ad *Heinſium* Epiſt. CCCCLV. in fine.

EPISTOLA LXXV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upsaliam.

TEstudineo gradu *Curionem* ad nos properare video, vir Clarissime, cujus opera usurus eram in codice Panegyricorum veterum ad te curando. Sed & nudius sextus Dantisco fasciculum accepi a *Joachimo Pastorio*, qui libellos nonnullos complectebatur, quorum copiam auctor ipse voluit tibi a me fieri. Si abesse pergit *Curio*, aliam oportunitatem sum circumspecturus, qua & Panegyrici veteres & haec Pastoriana ad te perferantur, ne quid in me sit morae. *Gronovii* Livium Hamburgensi via Lubekam misit *Elzevirius*, unde huc perveniat. Sed quando manus nostras subiturum sit exoptatissimum hominis amici munus, id divinare vix ausim. *Bigotius*, qui Lutetiam se rediturum propediem penultimis suis asseverabat, in Neustria haerere pergit, nec pedem inde moturus est. Ita fit, ut me lateat omnino, quicquid ea in civitate rei inter homines geritur. Nec ex Belgio nostro nuntiorum quicquam ad studia haec nostra spectantium accepi. *Menagius* ipse cum in epistolis exarandis sit lentissimus, quid in ejus aedibus super fragmento Petroniano disputatum sit haud scio. Habes hîc nonnihil litterarum ad *Rudbekium*. Velim ultimae duae figurae tandem aliquando compareant; cum *Lubienius* moram hinc haud levem objici operis typographicis diu sit quod conqueratur. Pro ejus epistolis mihi restitutis gratias ago, acturus majores, si quid responsi ad illas ab Ubsalienfibus amicis una adfulsisset. Vale, vir eximie. Exarabam Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXV. a.d. xv. Septemb.

EPISTOLA LXXVI.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

POST MS. codicem tuum, qui non parum mihi utilis, accepi nuper Venetam editionem quoque ac Parisiensem heri veterum Panegyricorum. Pro quo subsidio gratias tibi ago maximas, daturus operam ut occasione prima libri illi tibi, nisi ipse interea ad vos venero, reddantur. Valde equidem districtus sum curis aliis, quas imponit mihi munus nuper a S. R. M. commissum. Dabo tamen operam, ut absolvam, quae in Pacato habeo affecta: Utinam permittat valetudo, quae subinde aliis aliisque molestiis impeditur. Sed hoc Deo cura erit, cui & tuam commendamus, maxime quia metuimus, ne diuturnioris silentii tui caussa sit illa ipsa non satis commode se habens valetudo. Petiit Cl. *Rudbekius*, ut & salutem tibi nuntiarem ejus nomine, & quaererem, quo modo ea sese habeant, quae Hamburgum nuper ad *Lubienikium* sunt missa. Num per-

perlata sint ad ipsum, eaque is acceperit, an pervenerint in manus alienas. Si occasio erit, atque si videbitur, vel ipsi, vel mihi respondere poteris. Plura nequeo hac vice, quod tu velim vitio ne vertas mihi, & bene valeas. Upsaliae 21. Novembris CIↃIↃCLXV.

EPISTOLA LXXVII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upsaliam.

[1] BInis tuarum responsum debeo. De Josepho edendo valde mihi probatur institutum viri Clariss. *Bosii.* idem agitavere consilium jam olim *Scaliger* & *Casaubonus.* Postea *Petrus Cunaeus* nostras, & *Samuel Petitus.* *Scaliger* codicem Josephi plurimis castigatum locis *Francisco Gomero* moriturus legaverat. Distracta quidem ante hoc decennium publica auctione apud Groninganos, si recordor, *Gomari* fuit bibliotheca, sed inter illos libros, etsi copiosos, Josephus non comparuit. Quem *Gomari* gener, aut alius nescio quis ex ἑταιρείᾳ propinquis sibi vindicavit, ut postea mihi est intellectum. *Casauboni* exemplar penes *Emericum* filium haud dubie haerebit. Idem de *Cunaei* codice statuendum reor, cujus filius natu maximus, ex Oriente jam redux sedem Lugduni Batavorum fixit. *Petiti* Bibliotheca emtorem nescio quem invenit, invenit tamen, de qua re *Emericum Bigotium* nostrum occasione prima percunctabor; qui & ipse Josephi nonnulla cum optimis membranis commisit, quas ego schedas apud *Isaacum Vossium* ante hoc quinquennium inspexisse me memini. Nec denegabit, puto, harum usum *Bosio*, qua est humanitate, *Bigotius*; si id necdum praestitit; fortassis & alia hanc in rem bono publico collaturus. De *Scaligeri* & *Cunaei* exemplaribus *Gronovius* noster indagandis operam Cl. *Bosio* navare posset. Quem inter & *Casaubonum Emericum* necessitudinis nonnihil intercedit. In meis scriniis nil omnino asservatur, quo editio haec ornari possit. Rufini versionem haud dubie addendam operi curabit *Bosius*, & quidem ex vetustis membranis recognitam, quales in bibliothecis paullo instructioribus passim occurrunt, nam editiones typis hactenus descriptae admodum mendosae circumferuntur. His tu virum celeberrimum cum salute mea imperti, quaeso. [2] A *Gronovio* heri epistolam habui. Ait is Salustium prodiisse, cui observationum nonnihil suarum per filium curarit addi. Videtur is cogitare de Diatribis ad Sylvas Statianas recudendis. Habui & a *Bigotio*. Narrat is secundum tomum epistolarum *Tanaquilli Fabri* in lucem nuper prolatum esse. Plura perscripturum se pollicetur, simul atque Lutetiam pervenerit, quo cogitabat ante Kal. Januarias. Addit alia tuae cognitionis haud indigna, quae apud me videbis, aut quae ad te mittam, si ex-

1 Has omisi, quia nihil continebant, nisi *Bosium* gratias agere, pro studio juvandi ejus conatus in Josepho. & alias saepe rejeci epistolas.

2 Vide Epist. CCCCVI. *Gronovii* ad *Heinsium.*

excurſus ad nos tuus differri perget Cl. *Rudbekio* ſalutem adſcribo, qui optime ſibi conſulet, ſi cometam novum in uſus publicos diligenter obſervabit: opinantur enim per Gallias Germaniamque mathematici ſtellam eſſe haud inſolitam, quae in cingulo Andromedae apparet, de cometa non aſſentiuntur noſtro *Rudbekio*. Vale, vir eximie, & me amare perge. Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXV. a. d. XXIX. Decemb. Auſpicia inſtantis anni fortunata tibi adprecor. Nec *Bigotius*, nec *Gronovius* quicquam ſuorum operum hactenus acceperunt, quod miror. Noribergium neſcio quem commentarios paraſſe in Petronii fragmentum *Bigotius* monet, cui & *Valeſius* obſervata ſua in idem fragmentum typis deſcribenda tradet. Argentorato ad me ſcribunt *Boeclerum* noſtrum conclamatae eſſe valetudinis. Ignoſce feſtinanti.

EPISTOLA LXXVIII.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiae.

TArdiorem ſolito me eſſe in reſpondendo fateor. Sed tarditatis hujus cauſſa fuit primum valetudo parum proſpera per aliquot hebdomadas, deinde *Curio* noſter, qui quotidie abitum minabatur. Quem eo magis deferre meas ad te volebam, quod ſimul committere ipſi decreveram editionem novam Phaedri a *Fabro* publicatam, atque huc ad me tranſmiſſam. Quamquam nihil aliud contineat, quam quod pridem a Cl. *Bigotio* accepimus. Ipſa ejus verba ſunt, quae tranſcripſit. Quod videbis ipſe proxime, quando *Curio* ad vos diſcedet. Caeterum quia propoſitum nunc mihi eſt, primo quoque tempore denuo Phaedrum edere, indicandum tibi hoc exiſtimavi, ut ſi voles aliqua monere, faceres in tempore. Quamquam nolo eſſe moleſtus tibi, quem ſcio, tot curis nunc eſſe diſtrictum, ut ad haec ſtudia noſtra difficulter poſſis accedere. Hoc rogare audeo, ut tranſmittas mihi occaſione oportuna editionem Rigaltianam Phaedri primam, ut eam conferre poſſim diligentius cum poſtrema ejuſdem, Pariſiis Anno 1630. in 12mo publicata. Puto enim plurimum inter ſe differre, cum tamen ad utramque uſum ſeſe ſcribat codicis Rhemenſis lectionibus. Pro litteris Cl. *Titii* huc tranſmiſſis ago tibi gratias, & ut videas confidentiam meam, te ex adverſo aliis ad Ampliſſ. *Gronovium* onero. Habui ab eo ante dies pauculos aliquas, quibus nunc reſpondendum fuit, licet nihil continerent praeter aliquas ad Phaedrum obſervationes. Quaeſo autem etiam atque etiam, ne hoc vitio mihi vertas. Cl. *Rudbekium* non conveniſſe te vehementer miror, qui ultra hebdomadem Holmiae jam commoratur. Et promiſerat mihi abiens ſe ſtatim acceſſurum te, atque tarditatem mearum litterarum excuſaturum tibi. Cometam mihi faſſus eſt non eſſe aliam, quam ſtellam illam, de qua ſcribis. Sibi autem nominari cometam ex ſuis & peculiaribus rationibus. Sed hoc ipſe explicabit melius, aut fortaſſis jam coram, priuſquam has accipies, explicavit.

EPI-

EPISTOLA LXXIX.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upsaliam.

JAmpridem ad te scripturo, vir Celeberrime, sed dum in eo jam ter quaterve sum, aliud ex alio rei inopinatae intervenit, quod cogitationes meas hinc avocarit, inviti quamquam & nolentis. In ea scis nos incidisse tempora, quorum ratio omnis cum sit turbata prorsus ac instabilis, vix est, ut quicquam inde certi vindicare nobis possimus. Interim est cur gaudeam summo opere, cum valetudine adfecta in gratiam utcumque te redisse, quam ut cures diligentius in posterum etiam atque etiam te adhortor. Ne dum studio nimis intento in commune consulis, bono publico ante aetatem nobisque amicis tuis praeripiaris. Tandem reversus est Lutetiam *Bigotius*. Quid illic rerum inter homines geratur eruditos, ex ejus epistolâ ubertime, ni fallor, cognosces, quam perlectam ad me reverti rogo, ut sinas. Ex Belgio nuntiandum nihil omnino occurrit, ubi omnia ad bellum sese terra marique conficiendum nunc componunt, amplexis partes nostras tandem aperte Galliarum Daniaeque Regibus, & Electore Brandenburgico. Si eadem consilia agitarentur in hac aula, posset a coeptis iniquissimis ad pacis studia nullo negotio converti Britannus. De Phaedri fabellis rursus edendis te cogitare laetor. Editionem Rigaltianam jam habuisses, sed occurrens mihi in publico noster *Curio*, dum ad vos festinat, negabat exspectare sibi integrum esse, suadebatque, ut opera filiae tuae libellum ad te perferendum curarem. Quod consilium secutus addidi libellis Phaedri Petronianum fragmentum editionis Parisinae, quamquam nil in eo occurrat, quod sciri tua intersit. Aliam ejusdem fragmenti editionem in eadem parari civitate cum animadversis doctissimorum hominum, praeter *Bigotium Capellanus* quoque monet. Annotata tua in fragmentum illud cum exemplaribus libelli de stylo tandem ad se perlata esse nuper admodum significabat *Elzevirius*, ac simul spem faciebat curae sibi fore, ut ad *Gronovium* & *Bigotium* uterque quamprimum libellus mitteretur. De Tacticis scriptoribus ac Commentario de secta Pythagorica cum nihil addat, facile hinc colligo, nec dum horum voluminum copiam illi factam esse, quod miror & indignor. Phaedrum percurram denuo, & si quid observationum novarum subnascatur mihi, ejus te facturus sum participem. Jam olim de variis locis me tecum per litteras scio egisse, quae legibus metri non satis apud elegantissimum scriptorem respondent, & levi vocabulorum in suum locum translatione, unde perperam movêre pedem, sanari possunt, quae antiquis animadversis majori ex parte an sint inserta certo exploratum vix habeo. Egeram & de illo loco lib. II. fab. 36. *perambulante laeta domino viridario*, quem cum pedibus labantem animadvertisset *Faber*, *te laeta* confidenter ejecit, quod vocabulum tamen hîc aptissimum est. Ego, ni fallor, significavi minima mutatione *viridia* reponi oportere.

tere. Admitti enim dactylum a Phaedro penultima sede in jambis suis vel inde fit manifestum, quod subsequente proxima fabula habes, *si ve-ro acce-ſit con-ſi-lia-tor male-ficus*; *Viridia* pro *viridariis* Latine dici jam pluribus apud te exemplis adstruxi, quantum recordor, quae nunc non repetentur. Adde Vitruvii locum lib. VI. cap. 6. *Hi collocantur ſpectantes ad ſeptentrionem, & maxime viridia proſpiciontes.* Apud Senecam Ep. LXXXVIII. scribendum est, *Ciſternam aedeficiis ac viridiis ſubditam:* non, *viridibus*; si lege stamus, quam Macrobius dicit Saturn. Lib. I. cap. 4. *viridiorum* quoque jam designavi ex antiquis epistolarum Ciceronis libri II. ad Atticum exemplaribus. Eadem fabella isto versu', *proſpectat Siculum & proſpicit Tuſcum mare*, nescio an monuerim videri scribendum, *& reſpicit*. non enim veri fit simile, duo illa *maria* a fronte villam Tiberianam habuisse. Nisi interpretaris ab antica parte Siculum, a postica Tuscum mare prospexisse. Tu videris. Vale, vir celeberrime, & me ama. Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXVI. prid. Kal. Mart.

EPISTOLA LXXX.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

REddo tibi litteras *Bigotii*, cum prolixa gratiarum actione, quas communicare nuper mihi voluisti. Didici ex eis plurima, inter alia id quoque, quod in edendo de variis ingeniorum bonorum monumentis catalogo nunc pergant. Id quod mihi vehementer placuit. Credo enim hac in parte Parisienses rem praestare longe gratissimam iis omnibus, qui amant litteras. Utinam quis esset, per quem compotes illius opusculi fieri possemus. Verum metuo, ne sint vana nostra desideria hoc tempore. Libellos meos ultimos nunc perveniſſe spero ad Cl. *Gronovium*. Quid cum Mauricio & caeteris sit actum non excogito. Putat *Curio* noster (quem credo apud te fuisse, ut qui heri hinc discesserit) fasciculos meos errore datos *Pluymero* Hagae Comitis, qui dari *Elzevirio* debuerint. Ita neminem scire, quid cum iis debeat fieri. Si quo pacto vel hunc vel alium errorem circa eos potes submovere, ac ut suum quisque consequatur, ratione aliqua efficere, rem facies mihi quidem longe gratissimam. Pro Phaedri editione Rigaltiana, & Petronii fragmento plurimum curae tuae debeo. Filia mea nec dum est reversa, sed abducet eam secum uxor mea, quae cras deo volente, iter eo instituet. Tum reddentur mihi ambo libelli, quorum videndorum magno teneor desiderio. Properat ad finem Upsalia mea, tum Phaedrus recudetur, observabunturque diligenter, quae binis monuisti litteris. Si quid interea occurret aliud, cum erit otium, significabis. Quae de Petroniano fragmento magnorum apud Gallos sit sententia virorum, valde cupio videre. Atque mittet forte quid eorum libellorum ad te Cl. *Bigotius*. Cui si scribes, velim indices per me non stare, quo minus mea habeant. Feci enim, quod mearum fuit partium, ut nosti. *Brunnerus* noster te salutat perofficiose, primoque tempore

pore Moeridem redditurum pollicetur. Haeret nunc neſcio quibus aliis in rebus, Plutarchi, ut opinor, parte quadam edenda. Ego maluiſſem omnia poſtpoſuiſſet Moeridi. Sed relinquendus eſt ſuo arbitrio. Upſaliam, cum abſoluta fuerit, quo pacto mittere ad amicos queam, non intelligo, niſi tu proſpexeris viam aliquam. Sed nolo te his nugis longius morari. Vale, atque me, ut ſoles, porro amare perge. Upſaliae a. d. 6. Martii Anno CIↃIↃCLXVI.

EPISTOLA LXXXI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upſaliam.

ECce tibi binas a *Bigotio*, vir Clariſſime, per quas ſignificat animadverſiones in fragmentum Petronianum tuas & libellum de ſtylo Lutetiam perveniſſe. Spero idem fatum experturos aliquando Tacticos tuos, & commentarium de dogmate Pythagorico poſt annuos errores: quamquam de iis quicquam ſibi compertum eſſe negat *Elzevirius*. Ex *Curione* libens cognoſcebam nuper Upſaliam tuam jam ad finem propemodum, eſſe perductam: unde ſpes mihi addebatur, fore propediem ut Phaedrum curis ſecundis recognitum praelo typographico permittas. Non ſatis memini, an in illo ſcriptore deprehenderis inſignem errorem, ubi agit de Demetrio Phalerio & Menandro Comico. *Phalerius* enim Demetrius (ſic enim malo, quod Graecis eſt φαληρεύς, quam *Phalereus*) non occupavit improbo imperio Athenas: ut Demetrium Regem cum Phalerio videatur confudiſſe, quamquam nec ipſe tyrannus fuit dicendus. *Phalereus* penultimam producit, *Phalerius* corripit. Sic *Alexandria* & *Alexandrea*. quod poſtremum apud Horatium & Propertium penultima producta occurrit. *Darius* & *Dareus*, *Cyclopius* & *Cyclopeus*, Nam Graecum modo per *i* litteram correptam, modo per *e* productam efferebant. Sed hoc leve. *proferre in theatrum*, quod Statio reſtitui, addendum illud Auſonii epiſtola ad Urſulum Grammaticum de Terentio, *Protulit in ſcenam quot dramata fabellarum, Arcadiae medio qui jacet in gremio*. Sed de his alibi. Videbo, an per oratorem Gallicum *Pomponium* obtineri poſſit index ille, aut catalogus Auctorum, quem Lutetiae procudi ſingulis hebdomadis de novo ſcimus. *Plumerus* bibliopola Amſtelodami vivit, & quidem vicinus *Elzeviriis*. De caeteris meminero. Vale, vir Celeberrime & feſtinanti ignoſce. Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXVI. a. d. XXVII. Martii

EPISTOLA LXXXII.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiae.

PRO amica litterarum Bigotianarum communicatione ſummas ago gratias tibi. Video Cl. *Bigotium* videre mea in Petronii fragmentum cupere. At deſiderio ipſius ſatisfactum parum credo; quia anceps dubiuſque haereo, nec temere pronuntiare quid ſuſtineo. Interim & alios non ſatis eſſe certos haud illibenter intelligo. *Wagenſeilii* & *Valeſii* Epiſtolas videre vehementer cupio. Scripſit de iis pridem *Arnoldus* ad me Norimberga, meaque addi eis voluit. Verum ego diſſertationem meam noluit a caeteris divelli. Quae de Demetrio in Phaedro mones, amplius conſideranda puto. Sunt enim in Laertio nonnulla, quae tueri poſſe Phaedrum videntur. Et adſcripſit Phaedri locum iis Cl. *Menagius*, tanquam eadem tradentem. Poteris, cum otium erit, videre, ſententiamque tuam aperire mihi. Catalogum Pariſienſem ut procuret nobis Dn. *Bejerus*, curſus publici Praefectus, operam dedi, & ſpero promiſſis ſtaturum. Upſalia mea hodie finita eſt, exemplum ejus habebis a *Curione* noſtro, cum ad vos redierit. Phaedrum recudere typographus incipiet hac, opinor, hebdomade. Cl. *Graevio* ſi ſcribes, ſignifices oro, accepiſſe me Quinctilianum. Ipſe enim nolo ſcribere, donec occaſionem habuero mittendi una aliquid mearum rerum. Quanquam his turbatis rebus neſciam, qua ratione mittere queam, niſi tu diſpexeris occaſionem aliquam in tempore. Sed non poſſum plura, recens e lecto venio, cui affixum me per duas hebdomadas & amplius tenuit morbus, qui nunc paſſim hîc & alibi affligere homines ſolet. Valet. Upſaliae a. d. 3. April. Anno CIↃIↃCLXVI.

P. S. Laertium *Menagii*, & Phaedrum *Rigaltii* reddam primis diebus. An non in editione priori plures notas ediderit *Rigaltius*, ſcire cupio.

EPISTOLA LXXXIII.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiae.

UTique res meae aliter eveniunt, quam optaram. Praeterquam enim, quod quae ad Cl. *Bigotium*, amicoſque alios miſi, intercepta ſunt, ne quidem in *Puffendorfio* ſpes nobis aliqua reponenda, quando eum captum teneri Hamburgi, propter neſcio quae commiſſa, mihi nuntiatur. Solus eſt Dn. *Friſius* Concionator aulicus Ill. Dn. Comitis *Koningsmarki*, qui ſupplere poterit hos in caeteris defectus, quia illi aliqua dediſſe exemplaria, cum Petroniani Fragmenti, tum Arriani caeterorumque libellorum meorum *Bigotio* tradenda, *Curio* ait. Si ne is quidem ſuum facere officium volet, rationem ſcio amplius nullam, cum

Petro-

Petroniani fragmenti, neque *Curioni*, ullum amplius ſuperſit exemplar. Quod velim in tempore *Cl. Bigotio* ſignifices. Mitto nunc Upſaliam & ad te, & ad *Gronovium Bigotiumque*, quia poſtquam *Curioni* hoc negotium jam improſpere ſucceſſit, per quem poſſim mittere, habeo neminem. Quare oro, ut ignoſcas mihi, qui tibi aliis occupato hoc negotium faceſſo. Phaedrum necdum licuit ordiri, quia qui ex Typographis deſcribere eum debuit, miſer diem ſuum obiit. Jubet *Curio* nos exſpectare adhuc unam alteramve hebdomadam. Plura non occurrunt, & feſtinat, qui faſciculum ſecum deferet. Ergo Vale, meque, ſicut ſoles, ama. Upſaliae a. d. 29. April. CIↃIↃCLXVI.

EPISTOLA LXXXIV.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

REmitto tibi litteras communicatas nuper, ſumma cum gratiarum actione, inque ſignum animi mei erga te, Upſaliam meam trado. Deferet faſciculum ad te ſtudioſus quidam, cui hoc negotium commiſi, niſi vento ceſſante nimis diu detentus fuerit. Quae de viris magnis ab Auguſtiſſ. Galliarum rege ſalario auctis nuntias, grata ſunt, praeſertim propter Cl. *Reineſium*, quem exiſtimo talium eſſe indigentem, ſi quem alium. Et poterit fortaſſis promovere opus Inſcriptionum, cujus praeter titulum & praefationem nihil hactenus eſt excuſum. Quod vero me quoque in hunc cenſum venire aliquando poſſe auguraris, in eo ſentio te quidem admodum amice de me rebuſque meis judicare, quomodo autem perſuadere mihi debeam, non video, cum nec ſim ex illa virorum doctorum claſſe, quibus praemia haec deſtinantur, nec ſi eſſem, ita innotuerim Gallis, ut ullu mei vel per ſomnium mentio fieri poſſe videatur. Quare ſpem tam temerariam ego quidem haud concipio, tibi vero pro amoris ac benevolentiae pleno iſtoc in me animo, cultum ſtudiumque meum polliceor perpetuum. *Bigotium* libellos fiſco addictos nihilominus, ut inſpiciat ſaltem, aſpecturum confido, licet forſan ipſos recipere non poſſit. Quum praeſertim nihil ſit in eis, quod quem poſſit offendere. Niſi hoc fiat, quid ſperandum nobis faciendumve ſit haud video. De Philoſophia Pythagorica & Mauricio centies jam egi cum *Curione* noſtro. Reſpondet, libros Hamburgum eſſe miſſos, epiſtolam quoque monſtrat Bibliopolae Lubecenſis, qua & miſiſſe ſe eo, & inde Amſtelodamum deſtinatos fuiſſe teſtatur. Nil ſe ait poſſe amplius. Credo reſciri ab *Elzeviriis* poſſe, num acceperint ejuſmodi libros, nam ad ipſos mittere Bibliopola Hamburgenſis, *Koenig* nomine, qui & alias rei ipſorum curate ſolet, debuit. Vel ſignificabitur ſaltem, an a dicto mercatore Hamburgenſi per ſuperiorem aeſtatem miſſi ad eos libri ex Suecia per piratas fuerint ablati, aut caſu alio perierint. Audeo his adſociare litteras ad Cl. *Bigotium*, quas mittes una cum tuis, quandocunque ſcribes, niſi grave erit. Vale, vir Nobiliſſ. ac me, ſicut ſoles, ama. Upſaliae a. d. 1. Mai. CIↃIↃCLXVI.

EPISTOLA LXXXV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upſaliam.

TArdius gratiarum actione defungor apud te pro Ubſalia vetere, quam mihimet ipſi propoſueram primo faciendum, poſt acceptum munus, vir Clariſſime, quamque lex humanitatis poſtulabat. Sed dum ſpero ſubventurum nonnihil aut ex patria aut aliunde rerum novarum de iis, quae per orbem litteratum nunc fiunt, fraudatum me ſpe atque exſpectatione omni ſerus nunc agnoſco. Adeo poſt Bigotianas illas, quas vidiſti, nil ad me pervenit, quod curioſitati tuae oblectamento eſſe poſſit, aut cognoſci abs te mereatur. Niſi hoc unum fortaſſis, exceſſiſſe e vivis *Gaſperum Gevartium*, & *Janum Vlitium*, utrumque a multis jam retro annis mihi conjunctiſſimum, alterum ſenio confectum, alterum in flore aetatis immaturae nobis praereptum, & eo quidem lugendum magis inter vos, quod ſtudium linguarum ſeptentrionalium inſigne prae ſe ferebat. Verum ut ad Ubſaliam tuam revertar, partem ejus ſcripti potiſſimam non ſine praeſenti voluptate jam perlegi, reliqua abſolvam feriatis diebus, quos imminere jam nunc haud neſcis. In tam ſterili argumento tantam eruditionis haud protritae copiam a te conquiri potuiſſe, tanta cum lectoris conjunctam voluptate, equidem miratus ſum. Ejus commentarii exemplaria *Gronovio Bigotioque* per te deſtinata, jam navigant, ni fallor in Bataviam. In Britannia Collegium quoddam Philoſophicum eſt inſtitutum non ita nuper, quod Sophorum indigitatur, ex hominibus rerum multarum cognitione inſtructis compoſitum totum, ut ferunt, Philoſophiae praeſertim ornandae illuſtrandaeque inſudantibus. Propoſuerunt illi Cl. *Hevelio* quaeſtiones non nullas haud inutiles aut inſcitas, de quibus vir ille inſignis vos Ubſalienſes etiam nonnihil cogitare velit: cum ſint inter alias nonnullae ad coeli hujus ingenium praecipue pertinentes. Date, quaeſo, operam, ut viro veſtrae gloriae perquam ſtudioſo hic gratificemini: quod ut fiat, mitto exemplar ipſarum quaeſtionum, quod eam in rem curavi deſcribendum. Libros, quos ſcis fiſco Gallicano addictos primo, mox *Patino* reſtitutos quidem nuntiat *Capellanus*, ſed poſt reſtitutionem in iis fragmentum Petronianum, furto haud dubie ablatum, non comparuiſſe. Promiſerat ſe ſcripturum *Koningio* Hamburgenſi *Elzevirius* de libris aberrantibus, & fecit, credo. Sed cum nihil ex illo rei iſtius ſuperaddat proximis, de tota re omnia incerta & funeſta praeſagio. Urgebo tamen iterum per proximas litteras hominem, ut ſaltem dicat, quid ſperari de ſarcinis iſtis oporteat. Vale, vir Clariſſime, & amicos communes ſaluta. Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXVI, a. d. xxv. Mai. Juliani.

EPI-

EPISTOLA DXXXVI.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiae.

PRO tam benigno amicoque animo, quo perlatam ad te nuper Upſaliam noſtram excipere es dignatus, plurimum tibi debeo, vir Nobiliſſime. Neque minus eo nomine quod curare faſciculos ad amicos non es gravatus. Sentio me tibi his negotiis moleſtum exiſtere: ſed poſtquam ſemel iterumque intellexi, *Curionem* noſtrum in curandis talibus haud ſatis eſſe felicem, ipſa neceſſitate jubente impudens eſſe cogor. Quod tu pro humanitate tua in deterius quaeſo ne interpretere. Tot Petroniani fragmenti periiſſe vel intercepta eſſe exemplaria vehementer doleo. An vero ne per Dn. *Friſium* quidem aut *Puffendorfium* acceperint amici Pariſienſes, ſcire cupio. *Gevartium* & *Vlitium* vivere deſiſſe doleo. *Vlitium* parem negotiis intelligo fuiſſe, vel ex notis ejus in ſcriptores rei venatoriae, facileque perſuadeor, potuiſſe plurimum praeſtare, etiam in argumento illo, de quo ſcribis. Collegium Philoſophicum Anglicanum multa bona nobis proditurum confido. Habent enim & ingenium Angli & facultates alias, librorumque rariorum copiam, nec diligentia ipſis deeſt neceſſaria. Quaeſtiones Cl. *Hevelio* propoſitas inſpexi, atque de aliquibus, quae mihi notae ſunt, nunc ſtatim reſpondere volui, ut promptitudinem noſtram vobis facerem teſtatam. Succinum picis foſſilis eſſe genus cenſeo, cujus venae lateant in fundo maris. Idem a natura ſua conſtipari credo, motuque maris ejici in littus. Sed & hîc in Suecia reperiri veriſſimum eſt, ad inſulae Biörkoa nominatae littora, in Melero lacu, cujus aqua dulcis eſt. Ut pereat eorum ſententia, qui a falſugine maris cenſuerunt condenſari. Sed & illorum ſtare nequit, qui ex arboribus crediderunt exſudare, quia nullo alio in loco hujus lacus reperitur, cum alibi ſint arbores ſimiles, etiam in majori copia. Succini illius in Biörkoa reperti maſſa elegans duorum digitorum lata & craſſa penes me eſt, munere illius, qui ſuis manibus, cum particulis pluribus aliis in littore ejus inſulae collegit, affirmavitque ex Paſtoris Eccleſiae ejus loci ore, vento fluctus ad littora pellente ejici, ibique paſſim reperiri. Hirundines magno impetu circa tempus autumnale, haud ſecus atque ranae faciunt, mergere ſe profundo lacuum & fluviorum, tam eſt certum, quam quod certiſſimum. Affirmaveruntque mihi plurimi, qui viderunt extractas cum piſcibus reti, quali hybernis temporibus ſub glacie piſcari in his regionibus conſueverunt, calbreque ignis refotas reviviſcenteſque. Quaedam animalia hîc albeſcere hyberno tempore, ac aeſtivo recipere priorem colorem, veriſſimum. Vidi ipſe habuique lepores circa hyemis veriſque initium, dimidia parte albos, dimidia ſui coloris. Media hyeme non vidi, niſi albos. Sed & vulpeculae hyberno tempore ſunt albae. Sciuri quoque ſuum mutant colorem, hybernoque tempore evadunt griſei, hoc eſt nigro alboque ſparſi mixtique. Eſtque hoc

genus pellium frequentiſſime per Europam in uſu, a pleriſque tamen ex ſciuris ſumi ignoratur: Germani mei *Grauëwerk*, item *Fah*, appellant. Piſces ob glaciem non fractam enecari ſaepius compertum, ſed primum in piſcinis ſolum, vel anguſtioribus lacubus, deinde in lacubus tantum illis, ubi fundus ſpiſſior, nam ubi rarior, non ſolent aeque facile. Denique qui piſces bene vivunt in limoſa vel argilloſa terra, illi quoque non perinde enecantur, ut caeteri. Sed & in lacubus majoribus, ubi intenſiſſimum eſt frigus, glacies rumpi ſolet, ſive fluctuum impetu, ſive ob concluſos ſpiritus per agitationem aquae ſurſum elatos, magnaque deinde vi erumpentes. Sane cum ſic glacies per totam latitudinem findatur una ruptura, id fieri cum fragore ingenti conſuevit, velut aliquot tormenta exploderentur, quod non ſemel audivi. Quare piſces frigore enectos in lacubus ejuſmodi majoribus haud temere invenies. Neque oleum neque acris muria ſalis communis vere congelatur in glaciem, ſaltem his in locis. Gelu terram penetrat ad duos cubitos, ſeu ulnas Suecicas, eſtque, quic? quid in ea continetur humidi aut ſucculenti, album glaciei inſtar. Aquae vero ſtantes amplius, & ſaepe ad tres ulnas, pluresque, fluentes minus. Ubi flumen citato curſu labitur, ibi ne quidem congelari ſolet. Quemadmodum nec fontes perpetuo manantes circa ſcaturiginem congelantur, imo hyberno tempore calidiores videntur eſſe, quam aeſtivo. Habes breviter, vir Nobiliſſime, reſponſionem ad nonnulla. Ad caetera reſpondebo, cum iſta ipſe amplius exploravero futura hyeme, ſi vitam Deus dederit. Quod ſi haec tanti videntur, ut communicanda cenſeas cum Cl. *Hevelio*, per me liberum erit. Neque colere litteraria colloquia de his ſimilibuſve vel cum ipſo, vel cum Anglis detrectabo, ſi per me juvari conatus ſuos poſſe arbitrabuntur. Phaedrum pridem praelo committere cogito, ſuntque parata editioni novae omnia. Sed ſolito tardius procedere *Curionis* noſtri conſilia deprehendo. Quod ferendum mihi juxta cum aliis, quae in typographia noſtra plurimum moleſta ſunt. Interque ea vel praecipue, quod cuncta mea prodeunt tam male correcta. Nam & ego currente oculo ſaepe iſta inſpicio, & quae bis terque corrigenda monui, oſcitantia operarum relinquuntur inemendata, aut, dum emendari debent, mutantur in deterius. Quod ſecus evenit, ubi certus aliquis eſt in typographio, huic negotio addictus. De qua re propterea ſcribo, ut cum non pauca talia irrepſerint, & in Upſaliam, & tu humaniter excuſes illa, & apud amicos veniam illorum exores. Vale, vir Nobiliſſime, & me amare perge. Upſaliae a. d. 29. Mai. Anno CIↃIↃCLXVI.

EPISTOLA LXXXVII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upſaliam.

PLurimum quidem me demeruiſti, vir clariſſime, tam obvia benignitate, qua ſine procraſtinatione ulla ad Quaeſtiones philoſophicas, ex Britannia

ad

ad celeberrimum *Hevelium* missas, tam accurate responderis. Quapropter te ac collegas tuos vehementer exhortor, ut ad reliqua exornanda vos accingatis in hyemem proximam. Hactenus quae suppeditasti, ad *Hevelium* recta nunc eunt. Cl. *Rudbeckio* salute dicta mihi verbis significes velim, per me non stare, quo minus sibi habeat in posterum Prodromum Hevelianum, quem utendum a me jampridem accepit, cum ejus libri aliud exemplar in Germania sum nactus. Quaestionum Britannicarum cum nullum in seriniis meis exemplar supersit, illud, quod per *Gerionem* illi traditum est meo nomine, ad me revertatur velim. Exspecto librorum vocalis editorum nonnihil ex patria. *Gronovius* typis destinabi curat *Palmerii Grammaticastri* exercitationes in optimos quosque veterum Graecorum doctissimas, sic vocat ipse, quas a *Bigotio* edendas accepit. Prodiit & postumus *Liberti Fabricii* super re Vestiaria commentarius, praeter Vossianum de Nili incremento. Caeterum res nostras tandem melior respexit Deus. Kalendis Junii Julianis sub horam secundam tertiamve pomeridianam Britanni, secundo vento se permittentes, magno impetu classem nostram in anchoris stantem, Britannicum inter Flandriumque littus, sunt adorti, sed repulsi a nostris acriter, sub noctem sua relegere vestigia inceperunt, postero die cumque subsecuto altero instauratum magnis utrinque animis praelium, sed & tum nostri praevalentes nocte in fugam Britannis, ac navibus nonnullis captis ac depressis, tertii praesertim agminis, quod vexillo candido praeferebat. Dux ipse *Georgius Ashleius* Hagam captivus est perductus, postquam navem suam, &c. tormentis bellicis instructam, *Trompio* dedidisset, quam nostri, ne impedimento esset bellantibus, exussere. Capta & secunda navis in illo ordine, interfecto *Barclaio* duce, tertia depressa. Pridie Nonas Junias auxilio fugientibus advenisse dicitur cum navibus XXII. Princeps Palatinus *Rupertus*, quando iterum acies est instaurata. Hanc quoque caesam a nostris litteras nonnullae ex Dania ferunt. Belgicae nostrae id promittunt tantum, non adfirmant, quae Nonis Junii sunt exaratae, adduntque illa etiamnum nocte mugitus tormentorum auditos fuisse, signum haud dubium continuati in id tempus navalis praelii. Ex ducibus nostris occubuerunt *Cornelius Everhardi* Zelandorum Thalassarcha, vir inter paucos strenuus, & *Trompii* legatus *Hulftius*. *Trompius* ipse rem fortissime gessit, *Ruterus* ultimis rebus se servare jussus, ne quid discriminis in ejus capite Resp. subiret, praelio abstinuisse creditur. Britannicae naves quinque in Hollandiam captivae jam erant a nostris abductae, plures in Zelandiam missae dicebantur. Ut de rebus optime speremus, praesertim cum dux *Bellifortius* in procinctu sit cum classe LX. navium, praeter XXXII. Danicas. Quarum ope hostem superbum & pacis impatientem ad aequum compelli posse, si parum in nobismet ipsis est praesidii, confidimus. Faxit Deus O. M. ut tam prosperae pugnae navalis initia eventu pari comprobentur. Vale. Exarabam Holmiae Succorum Anno CIↃIↃCXXVI. XIX. Junii Juliani.

EPI-

EPISTOLA LXXXVIII.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

PRO libello de eventu praelii nupero gratias ago maximas. Inducor facile, ut rem ita geſtam eſſe credam, ſicut in eo memoratur. Quocunque autem modo evenerit, deum oro, ut ſervire is eventus revocandae paci poſſit. Quae *Rudbekio* nunciari voluiſti, nondum nunciavi quidem, quia abfuit ab urbe, nunciabo autem, quamprimum invenero. Phaedri hac hebdomade fecimus initium, veniet poſt diem unum alterumve ad vos *Curio*, & ſpecimen ejus ſecum feret. In Militia navali nunc ſum totus, atque libros duos priores jam abſolvi. Puto plane me daturum ſuo tempore novum opus, & cujus ne umbra quidem ſit, quod ante publicavimus, adeo quotidie inter ſcribendum ſubnaſcuntur mihi paene innumera non, ut ſpero, contemnenda. *Gronovii* edita cernere deſidero, imprimis *Rubenii* rem veſtiariam. *Reineſii* Petroniana mittam una cum *Curione*; habeo enim munere ipſius hîc tranſmiſſa. Sunt in iis multa egregia, ut eſt vir infinitae lectionis & memoriae ſingularis. Expecto tamen, quid tu de nonnullis ſentias, quod perſcribas mihi oro. Semper mea infeliciter in Gallias navigare doleo. Ne tamen temporum calamitatem mihi vertant vitio amici illic elegantes, per te opto ab ipſis obtinere. Vale, ac me ama, ſicut ſoles. Upſaliae a. d. 24. Julii Anno CIↃIↃCLXVI.

EPISTOLA LXXXIX.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

REddo tibi ſchedas, quas nuper communicare mecum es dignatus. Video virum doctiſſimum corrigendi ſtudio abreptum abire longius quandoque non a ſcriptura modo veteri, ſed totius loci ſententia. Quod palam faciam coram, volente Deo, ſi proximis nundinis autumnalibus dabitur ad vos excurrere. Mea tandem ad *Elzevirios* perlata eſſe gaudeo. A Cl. *Bigotio*, quid de meis in fragmentum Petronianum curis cenſuerit, noviſſe peramanter cupio. Si quid ſcribet, te communicaturum mihi confido. Phaedri noſtri ſpecimen vidiſſe te opinor, ac in eis obſervaſſe quaedam, quae ad te pertinent. Doleo, *Curionem* noſtrum uti papyro tam ſordida, textum quoque non aliis majoribus litteris excudi voluiſſe. Sed is quidem ſua ſpectat commoda, de honore meo nil ſollicitus, quod ferendum eſt hoc rerum ſtatu. Interea valde opto vel ipſi aliam mentem, vel mihi alium Typographum, ſi quando, quae conſcribo de militia navali, prodire in lucem debebunt. Nam aut mea ſtulte diligo, aut monſtrabo ſingulis fere paginis non obſervata aliis, certe nuſquam prodita. De

cae-

caetero quandoquidem ſcripturum te ad Cl. *Reineſium* opinor, litteras hic ad eundem mitto, quas ſpero non gravaturum te adjungere tuis, atque adeo id peramanter abs te oro ac contendo. Nulla feſtinatione opus eſt, fiet, quandocunque commodum videbitur. Vale, Nob. Domine, meiſque ſtudiis favere perge, *Upſaliae* a. d. 14. Auguſt. CIↃIↃCLXVI.

EPISTOLA XC.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

ACcepi nuper *Curionis* noſtri opera Evangelica Gothica *Fr. Junii*, itemque *Alb. Rubenii* opuſcula. Delectarunt me omnia mirifice, cum primis vero illa *Rubenii*, quae optarem venalia extare, ut & ipſi copiam eorum habere poſſemus. Sunt enim rarae eruditionis prorſus plena, ut non ſine detrimento iis poſſimus carere: Sed & Juniana ſunt egregia, ſummaque diligentia conſcripta. Dabo autem operam, ut, cum volente Deo proximis nundinis Autumnalibus ad te venero ipſe, & haec, & alia tua tibi reddantur. *Bigotii* litteras de Petronianis meis periiſſe doleo. Scire namque cupio libentiſſime, quid de iis ſtatuatur. *Valeſii* & *Wogenſelii* judicia edita habeo, quibus video reponi poſſe plurima. Inter caetera miror incuſare Valeſium, *tam valde*, quod eſt Ciceronis, *& incumbere ova*, quod eſt Varronis, & hujus generis multa alia. *Gronovius* quid ſentiat, non ſcio, probaturum tamen iſta omnia vix puto. Sed de his & aliis coram pluribus, ut ſpero. Quae de Phaedro praecipis, curae mihi erunt. Quamquam ne ſic quidem credo irrepſiſſe aliud, quam quod, quia dicebatur valde verisimiliter, omittendum non videbatur. Vellem plura, ſed jam abit Tabellarius. Quare oro, ut ignoſcas, de caetero me tibi habeas commendatiſſimum. Vale, Upſaliae 31. Auguſt. CIↃIↃCLXVI. Pro litteris ad Cl. *Reineſium* curatis ſummas tibi debeo quoque gratias.

EPISTOLA XCI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upſaliam.

PEtronii ſui copiam & mihi fecit *Reineſius*, addiditque nonnulla ſerius obſervata, quam ut typis deſcribi potuerint, quae hic mitto, ſi fortaſſis ad te non pervenerint. Nihil igitur neceſſe Petronium a *Curione* ad me ferri, ſchedas iſtas, ubi commodum erit, huc redire patieris. *Bigotii* noſtri epiſtolam unam alteramque video nuper mihi periiſſe & indigne fero. Idque eo magis, quod ſuſpiceris incluſa fuiſſe, quae ſuper fragmento iſto Dalmatico ab hominibus eruditis Lutetiae publice ſunt diſputata. Monet enim *Elzevirius* faſciculum neſcio quem Bigotianum a *Jolyo* bibliopola Pariſino nuper admodum ad ſe miſ-

ſum eſſe, quem non acceperit, & ſolebat *Elzevirii* opera *Bigotius* uti in ſuis ad me curandis. Hiſtoriam proelii navalis Britannos inter & noſtros nuper commiſſi tam impolito barbaroque ſermone narratam ad te perveniſſe pudet. Habebam alia exemplaria Gallico ac Vernaculo ſermone, ſed ea amici diripuerunt. Noſtri Tameſin inſidere pergunt xc. navibus bellicis. Centum navium claſſis parari a Britannis dicitur, quare & apud noſtros xx. aliae inſtruuntur, cum totidem incendiariis; Galli interim, ac Dani, neſcio quas ob cauſſas, adeſſe nobis cunctantur. Hevelianus liber *Rudbekii* deſtinatus hactenus apud me pergit, quod qua via ad amicum noſtrum ſit mittendus, ignorem. De militia navali cogitare te denuo plurimae eſt mihi voluptatis. Vellem & typographum ſcitum invenires, qui concinnis typis & charta nitidiore ornamentum operi conferret. Libellos nonnullos, qui te auctorem praeferrent, Lutetiae inter homines litteratos a Theologo Konigsmarkiano diviſos fuiſſe monet *Capellanus*, ſed nihil horum ad ſe perveniſſe. Tacticos ſcriptores abs te editos & dogma tuum Pythagoricum cum acceperit tandem *Elzevirius*, ſpondet exemplaria *Gronovio Bigotioque* ac reliquis amicis mittenda curam ſibi fore ne aberrent. Vale, vir Celeberrime, & mihi favere, ut facis, perge. Holmiae Suecorum Anno CIↃIↃCLXVI. a. d. III. Septemb. Julian.

EPISTOLA XCII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upſaliam.

RUbeniani de re veſtiaria commentarii & Euangeliorum Gothicorum non ingratum tibi fuiſſe conſpectum gaudeo. Euangelia munus a me puſillum accipias rogo, quorum duplex exemplar amicorum munificentia mihi ſuppeditavit: poteras & acceptam mihi retuliſſe Rubenii veſtiariam, ſed monet *Elzevirius* alterum exemplar *Graevio* me debere editori hujuſce libri, alterum non conſilio, ſed errore ad me perveniſſe. De quo cum *Curione* tibi erit tranſigendum, ſi id tui juris eſſe cupis. *Graevius* ipſe Heſiodi novam editionem adornat; cujus ſpecimen hîc mitto. Monet idem per litteras, e vivis exceſſiſſe apud Neomagos *Schultingium*, juvenem eruditum & mihi amicum, cujus ad Quintiliani declamationes obſervata potuiſti jam vidiſſe. A *Gronovio* diu eſt quod nullas accipio. jubeor tamen ab *Elzevirio* litteras ejus propediem exſpectare. A *Titio* libellum poëmatum accepi tibi offerendum. Sed cum me ignaro elapſus ſit, & iter ad vos promorit *Curio*, non occurrit nunc quidem, cui credatur faſciculus. Ex Italia ſcribunt amici, *Valerii Chimentellii* de ſellis veterum commentarios ſub praelo fervere. Nam de *Nardini* Roma vetere in lucem prolata jam ſignificaſſe me tibi nonnihil exiſtimo. Addant *Coſmum Mediceum*, magni Etruriae Ducis filium natu maximum, amore eruditionis vehementer capi, jamque in eo eſſe, ut bibliothecam proavitam, quae ad D. Laurentii aſſervatur, magno acceſſu codicum tam ſcriptorum, quam editorum, hinc inde ſtudioſe col-

collecto adaugeat. Habui a *Chriſtina Alexandra* epiſtolam proxime, ſed unde vix liqueat, ſitne huc ventum, an, quod proceres Sueci videntur malle, iter dilatura. De te quid nobis ſit exſpectandum fac ſciam. Allatae ſunt ad nos heſterno die a *Ruiero* litterae, quibus nuntiat ſe cum Britannis denuo congreſſum, nil ob ventos plus ſatis vehementes toto biduo potuiſſe promovere; unam navem Brittannicam LVI. tormentis bellicis inſtructam a ſuis captam, & mox exuſtam eſſe. Eventum proxime exſpectamus. Interim ſeptem millia aedium Londini conflagraſſe dicuntur. Adeo domi non eſſe tutos apparet, qui foris aliena flammis invadunt. *Hevelius* doceri cupit, an electrum illud, quod in lacu Succico provenit, ejuſdem duritiei atque adeo naturae ſit, qua Boruſſicum. Vale, vir celeberrime, & mihi, ut facis, perge bene velle. Exarabam Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXVI. a. d. xx. Septemb.

EPISTOLA XCIII.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

PRO tam eximio ac ſingulari munere, quo inſtruere ornareque Bibliothecam meam voluiſti, non poſſum ſatis meritas tibi agere gratias. Equidem non hoc volebam, cum nuper animo ſimplici declararem deſideria mea, ſed ut pecunia parare mihi poſſem. Verum eſt haec ſingularis tua erga me benevolentia, cui praeter multa alia etiam hoc debeo. De Rudbekianis opuſculis jam tranſegi cum *Curione* noſtro, ut & ipſa mea ſint. Specimen editionis Heſiodi novae prorſus placet, videoque in Lectionibus illis contineri multa non profecto vulgaria. Unum miror, quod occurrit pag. 11. *Naves veterum paulo majores duo habuere gubernacula, duas clavos, unum in prora, alterum in puppi.* Scio naves [illegible]. Sed tales fuiſſe vulgo naves veterum nec teſtimonia ſcriptorum, nec nummi, nec monumenta alia declarant. A Cl. *Gronovio* ante paucos dies litteras accepi, quibus conqueritur de adverſa valetudine ac colicis doloribus, quibuſcum conflictatus ſit per aliquot hebdomadas. Sed quia illae litterae ſunt ſcriptae in Auguſto menſe, puto eum nunc ſe melius habere. *Chiacuttelli* de ſellis librum operarem videre, quia continebit meis uſibus idonea in opere de Re Vehicularia, quod olim habeo affectum. Sereniſſimae *Chriſtinae* per occaſionem tam idoneam ut me commendes, proh. Conſtituit ſalarium mihi, cum hinc diſcederet, ſed ejus pro bienno ſolummodo ſum factus compos. Sed de hac re atque aliis coram. Conſtitui enim proxima hebdomade, niſi quid intervenerit, ad vos ipſe iter facere. Interea vale, vir optime, meque ſemper tuum perge amare. Upſaliae a. d. 25. Septemb. CIↃIↃCLXVI.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON 1893

EPISTOLA XCIV.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

DIſtuli ad te ſcribere, non quod neſcirem, pro quantis meritis officiiſque tuis deberem gratias, ſed quod per quem tuto traderem tibi meas, haberem neminem. Scilicet quem abs te acceperam nummum, mittere ſimul conſtitueram non per obvium quemvis, ac ne tabellarium quidem, apud quem ſurripi clanculum litteras, in quibus recondi pecunias ſuſpicio eſt, didiceram, ſed certum fidumque hominem. Qui cum nunc demum ſe obtulerit, non feres aegre vel nummum tam ſero remitti tibi, vel me in ſcribendo & agendo gratias fuiſſe tam tardum. Optaram equidem nuper, vel ea rerum mearum fuiſſet conditio, ut & tuo frui diutius colloquio licuiſſet, & ſimul in notitiam Excellentiſſimi viri, Domini Foederati Belgii legati pervenire potuiſſem. Verum quia mei me expectabant cum vehiculo, & viarum incommoditas coelique inclementia jubebat feſtinare, ne cum uxore & filia ſerius, quam oportebat, venirem in hoſpitium, idcirco credo & te pro ſolita humanitate tua excuſaturum, quod occaſionem rei tam optatae, abs te amore ſingulari erga me oblatam, non avide arripuerim, ſed & daturum operam, ne vir Illuſtriſſimus Dominus Legatus, cujus alias humanitatem praedicari ſaepius audivi, ſiniſterius quid ſentiat de mea iſta neſcio ruſticitatene dixerim rectius, an libertate. De caetero tibi me meaque ſtudia iterum meliorem in modum commendo. Et ſi quid habes, quod ad adornandam rem meam navalem poteſt facere, id benigne communicare ne graveris, oro. Cum primis ſcire cupio, an qui non ita pridem Pariſiis ad familias Romanas pertinentes editi ſunt nummi, non ſunt in poteſtate tua, & num ſit in iis, quod conſilia mea poſſit juvare. Neque facies rem ingratam, ſi eo nomine cum amicis Italis Galliſque ages. Promiſit aliquid *Chiſletius* Seren. *Chriſtinae* Reginae concionator aulicus, ut aliunde intellexi. Utrum fidem liberaturus ſit, ignoro. Credo & Cl. *Bigotium* hac parte poſſe aliquid praeſtare. Sed profecto teſtor, fore me in hac editione longe alium, quam fui in priore. Sed abrumpendum eſt, quia is, qui haec ſecum ſumet, ſtat in procinctu, & exigit epiſtolam. Quare Vale, vir optime, atque me, ut ſoles, amare perge. Upſaliae Novemb. CIↃIↃCLXVI.

EPISTOLA XCV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upſaliam.

DE nummo Neronis antiquo reſtituendo cur tam anxius eſſes, vir clariſſime, nil omnino cauſſae erat, cum tibi mea omnia pateant aeque ac mihi. Juve-

Juvenem illum, qui tuas cum nummo tulit, etsi ignotum mihi, doleo benignius apud me haberi non potuisse. Sub ipsum meridiem ab illo compellabar, quando superveniebat *Laurentius Linde*, regni Suecici Senator & Mareschallus, cum aliis convivis apud me pransurus ex condicto. Itaque vix inchoatus sermo parum tempestive fuit abrumpendus, quod tu pro caetera tua bonitate in bonam partem interpretaberis, & apud illum, nisi grave est, excusabis. Hodierno die tabellarium ex patria exspectabamus, quem ex Gallia Italiaque litteras mihi allaturam augurabar ab amicis artium bonarum studiosis. Is cum in via retentus alicubi, nullus advenerit, de studiis communibus quod nuntiem, vix quicquam est in promptu. Voluit *Lubienius* ut *Rudbekio* nostro copia fiat hujus paginae, quam vides: unde ille colligat epistolae suae editionem promoveri, quam rem ut tibi curae esse sinas, vehementer te rogo. Scriberem ad ipsum, sed litterarii commercii fugitans quodammodo vir optimus videtur. Addes huic tabulae duas alias ab *Hevelio* profectas, uti ex ipsa *Hevelii* epistola tibi manifestum fiet, quam mitto. Velit ille te cogitare super promissis rerum naturalium novis observationibus, ut vides: quam ego rem haud parum gloriae tibi conciliaturum confido. His accedit & *Reinesii* epistola. Video senem nostrum nonnihil mihi succensere, quod conjecturae suae in Nasone minus acquiescam. Locus est Metam. VII. vers. 297. ubi vide in notis meis scripturae discrepantias, *petit hoc a Colchide munus*. Ipse volebat ex vestigiis veterum membranarum, *petit hoc ab Aetide munus*. *Aetae* nomen cum frequentissime apud Poëtas vetustos cum Graecos tum Latinos occurrat, & Medeae *Aetides*, *Aetam* & *Aetida* priore syllaba correpta negavi me usquam legisse. Ille in his fabulis poëtas plurimum sibi permisisse contendit, nec inficior id ego, sed exemplorum auctoritate deferre plurimum solo. Proposueram eidem difficultatem in loco Valerii Flacci libro III. vers. 523. *Et manicae virides, & stricta myrtus avena*. Quis locus hîc sit *myrto* prorsus in obscuro est. De *coryto* mihi quoque venerat in mentem ante hoc septennium, eamque conjecturam tunc *Gronovio* non improbanti communicavi. Apud Silium libro XV. vers. 775.

Omnes Naïadum plenis comitata pharetris
Turba ruit, striduntque sagittiferi coryti.
Tum per saxa ferae.

Ita enim locus vulgo foediſſime interpolatus & in plures versus diffusus ex membranis est constituendus. Apud Maronem quoque *corytique leves humeris*. pro *avena* scribendum *habena* vidit quoque *Rutgersius* in Venusinis lectionibus necdum editis. ut de scutica venatoria intelligatur, de qua Pollux lib. VI. cap. III. Sed *Myrtum* non temere damnaverim, videntur enim ea usi ad ornatum venatores. Sic *pastoria myrtus* apud Virgil. sub finem lib. VIII. Si quid lucis ad locum perplexum potes conferre, fac quaeso. *Curioni* auctor fui, persuaderet tibi de mittendo Tacticorum tuorum exemplari Romam ad *Octavium Falconerium*, qui & in ejusdem argumenti scriptoribus edendis desudat, nisi quod scribebat proxime se a proposito nonnihil deterreri, quod intellexerit ex *Bigotio*, esse qui Africanum, Apollodorum, Philonem Byzantium, Athe-

naeum edendos aut Latino sermone donandos susceperit. Ad Phaedrum l. IV. fab. LXXXI. de Simonide, olim legebam sub finem, *omnes sciverunt*, a *sciseo*, non *scierunt*; nec displicet conjectura, hoc est statuerunt, pro re rata habuerunt: hinc *plebiscita* statuta plebi. *Grypenhielmio* poëmatum meorum exemplar debetur, quod mihi nullum est ad manum, plura quidem submittere jussus erat *Elzevirius*, sed is postremis litteris monet, nullam fore occasionem ante hybernam tempestatem navium ex Hollandia huc iter facturarum. Quapropter si *Curio* etiamnum vobis adest, moneatur per te rogo, de exemplari libelli huc perferendo, quod rationibus Elzevirianis adscribatur, & *Grypenhielmio* interim ex promissi fide cedat, dum vernum tempus adfulgeat. Vale, vir eruditissime, & me, ut facis, ama. Holmiae CIↃIↃCLXVI. a. d. XI. Kal. Decemb.

P. S. Scribam ad *Falconerium* aliosque, ut, si possint, institutum tuum pulcherrimum de re veterum navali illustranda foveant ac juvent. Potuissem & ego fortassis plura subministrasse, nisi tu festinasses abitum nuper, & mihi in patriam Februario mense, & fortassis citius, foret excurrendum, quamquam hactenus iter illud rebus meis necessarium obtinere non possum ab iis, a quorum nutu pendeo. Familias Romanas editionis Gallicanae possideo, non memini tamen quicquam in iis occurrere profuturum.

EPISTOLA XCVI.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

QUas misisti nuper paginas, *Rudbekio* statim tradidi. Est plane, ut scribis, ad respondendum tardissimus. Causas tibi alias aperiam. De Valerii Flacci loco non habeo, quod nunc quidem moneam, nisi suspectum saltem videri illud *Myrtus*. At vero id in *corytum* mutari oportere, juxta tecum non arbitror. Neque scio, an explicari possit commode de scutica. Quo enim respiceret illud *stricta?* nec huc facit aliquid, opinor, sine *avena*, sine *habena* legatur. Sed de hoc deliberabo alio tempore. Quod *Reinesius* (cui salutem ex me officiosam nunciabis) suspicatur, dissensum ejus me non ferre aegro animo, in eo bene facit. Eccur enim ferrem? sua opinor cuique relicta est sentiendi libertas, mihi mea. Nec in eo, ut consentiamus tandem, salus vertitur humani generis. Sentiamus nos interim, judicium de cujusque sensu relinquamus aliis. Quae de *lingua canina*, apud Petronium cap. XLIII. memorat, ad meo animo explicandum ex sequentibus. Carpit nempe Chrysantum, qui hic loquitur, vitiaque ejus palam reprehendit. Solent autem canes palam allatrare ignotos, & adversarios suos invadere. Ergo & in reprehendendo illo Chrysanto *linguam caninam* se adhibuisse ait. Quo simul respexisse potuit ad Cynicos, quorum consuetudo in talibus est notissima. Illud *consuesse* arcessitum est ex opinione vulgi, qui putat, usum talium ad ejusmodi negotia conducere.

Cir-

Circumforanum apud Germanos meos proverbia huc ſpectantia, & in Plinio exiſtimo occurrere, quo idem docent. In Phaedro illud *ſcierunt*, ſemper accepi pro *ſciverunt*, a *ſciſco*, ut ſit contracte dictum, ſicut alia hujus generis conſueverunt. De Poëmatis tuis locutus ſum cum *Curione*. Is ajebat, ſe, cum reverſus fuerit Holmiam, tibi redditurum. Quae nomine Cl. *Hovelii* mones, curae mihi erunt. Hactenus fieri nil potuit, propter hyemem plane mollem, & remiſſam. Quod occaſione data velim cum ſalute mea ei ſignifices. Reditum te in patriam parare animo aegro audio. Licet enim nihil non ſit jucundum, quod tibi gratum accidit, tamen jam jam ſentio, quam hîc mihi poſtea vivendum ſit ab omni litteratorum commercio, & notitia eorum, quae in ſtudiis geruntur, longiſſime remoto, quod quanto me afficiat dolore, nemo melius, quam tu ipſe intelleXeris, ſed finiendum eſt, quod pluribus ob occupationes alias nunc non poſſum. Vale, vir nobiliſſime, atque me, ut ſoles, porge amare, numerareque inter tuos. Upſaliae a. d. 27. Novembr. CIↃIↃCLXVI.

EPISTOLA XCVII.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

REddo tibi, ut volebas, [1] Cl. *Gronovii* epiſtolam, de qua recte ſuſpicatus es, perlecturum me cum voluptate. Adeo egregia & ſcitu digna continebat plurima. Nam quae de me in ea leguntur, eatenus ſaltem non fuere ingrata, quatenus oſtendunt viri doctiſſimi amicum erga me animum, quem quantivis facere utique non diſſimulo. Unde ſimul peto, ut ſi reſpondeas ei, hanc voluntatem meam exponas, cumque officioſa ſalute nuncies, mihi fore acceptius, quam ſi propius venire in notitiam ipſius liceat. Dedi nuper in mandatis *Curioni*, ut Upſaliam meam ei curet offerri per *Elzevirios*. Spero factum, judiciumque de ea ipſius, vel per te cognoſcere deſidero. Quae autem illa ſunt *Scaligeri* excerpta, quorum meminit? Qui illi, quibus nihil in vita ſuavius, quam omnium capitibus inſultare. An de *Voſſio* hîc ſuſpicari debemus? Gellium velim Cl. *Gronovius* cum cura expolire dignetur. Nemo poterit rectius. Ad Cl. *Bigotium* quaero aliquid litterarum dare. Verum, quia quomodo ad ipſum pervenire queat, neſcio, tuam opem imploro, ſi quando ſcribere conſtitues. De *ſcierunt* pro *ſciverunt* necdum habeo quid certi, quod reſpondeam; ſuſpicor tamen, me inventurum, ſi libellos meos excuſſero. Nunc enim non licet propter alia negotia. Te cum adverſa conflictari valitudine ſicut non ſine ſenſu inſigni doloris audio, ita lector impenſiſſime, reddi tibi vires priores paulisper, atque valetudinem reſtitui. Simulque Deum oro, ut cito totus convaleſcas, diutiſſimeque vivas maximo litterarum amicorumque bono. Phaedrus meus lento pede procedit. Notae tamen meae nunc finitae ſunt. Sequuntur *Guyeti*, & alterius, neſcio cujus in verſionem Gallicam, quibus index.

[1] Eſt illa, quae n. XXX. legitur inter Graevianas Tom. IV. hujus Sylloges.

dex ſubjicietur. Ante diſceſſum tuum coram me acturum tecum adhuc ſemel confido. Vale, vir nobiliſſime, atque me, ut ſoles, amare perge. Upſaliae a. d. 7. Decemb. Anno CIↃIↃCLXVI.

EPISTOLA XCVIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upſaliam.

NEſcio quomodo oblitus ſum, cum [1] Graevianam proxime mitterem epiſtolam, illi & Bigotianam addere, uti nunc facio, cum in ea ſint nonnulla, quae te tangant. Ex *Elzevirii* litteris diſco Hagae Comitum nonnullas *Scaligeri* obſervationes ad A. Gellium a *Voſſio* juris publici eſſe factas, quas per tabellarios ſe miſſurum offert, ſi velim: hinc puto, quae *Graevius* de eodem narrat negotio ſubobſcure, perſpicua & liquida tibi mihique fiant. Ad *Bigotium* ſi quas voles, mitte quam primum. Singulis enim Mercurii diebus Lutetiam mihi ſcribendum eſt ad illuſtriſſimum *Beuningium*. valetudo mea jam paullo melius procedit. in Phaedro tuo, ubi conjecturae illius meae meminiſti, *multo minoris alapae mi cum veneant*, τὸ *vaeneant*, perperam omiſſum eſt. An a *ſciſco*, *ſcii*, pro *ſcivi*, deduci poſſet, tu videris; ego vix opinor. Vale, exarabam Holmiae CIↃIↃCLXVI. XIV. Decemb.

1 Vide Epiſt. XXX. *Graevii* ad *Heinſium*.

EPISTOLA XCIX.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

UTor ſolita humanitate tua, litteraſque iſtas mitto ad Cl. *Bigotium*, tuaſque tibi reddo. *Fabrum* de Aeliano cogitare vides. Faciat licet, non inveniet, ut ſpero, multa in meis, niſi quae incuria Typographi mala mutilatave edita ſunt, quod pridem monui ad Phaedrum. Habeo & ego non pauca denuo in ſcriptorem confecta, quae neſcio, an ille omnia nobis prodet aut praeripiet. Sed tempore videbimus. Unum opto, ut modeſte agat. *Holſtenii* emendationem probo, etiamſi locum Arriani necdum licuerit inquirere. Multa ſunt, quae ipſam firmant, ſuo indicanda loco. Sed hoc obiter. De me nil habeo hac vice, quod ſcribam, & veniet *Curio* noſter ad vos diebus hiſce, qui quae reſtant Phaedri, ſecum adferet. Ex Cl. *Bigotio* explores velim, quid de meis judicent libellis. Scribet tibi ſine dubio aperte candideque. Lexicon, cujus facit mentionem, eſt in Praediis Ill. Dn. *Rahlambii*, ubi vidi ante annum obiter, & ita, ut ignorem, quale ſit, nam frigus erat intenſiſſimum, ut tractare manibus nequiverim, & adjuncti nobis plures alii fuere, qui ad alia nos abſtrahebant. Nomen tantum Pauſaniae praefixum obſervavi, ſuſpicionem facit ejus

Le-

Lexici, cujus apud Suidam & Euſtatium non ſemel nomen legitur. Ignoro an non fuerit Moſchopuli, vel alterius, quia, ſicut dixi, non tractavi manibus, ſed in fronte tantum inſpexi. Vale, vir nobiliſſime, ac, ut ſoles, me amare perge. *Upſaliae* a. d. 18. Decemb. CIↃIↃCLXVI.

EPISTOLA C.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

POST non Majum jam, in quo tu reditum pollicebare, ſed Auguſtum etiam impatienter te expecto: ſolebant nempe prius multa mihi tuo beneficio afferri nova de & litteris & litteratis per univerſum poene orbem viris, quibus per abſentiam hanc tuam diuturnam toto tempore nunc careo. Quae res, quam mihi ſit moleſta, qui poſt lucem clariſſimam, in qua te praeſente videbar verſari, nunc in odioſiſſimis erro tenebris, ipſe potes aeſtimare. Atque, quia ne nunc quidem ſpes apparet certa coram te compellandi, per litteras ſaltem adeundum te putavi, ne abſentem minus quam praeſentem credar coluiſſe. Ita quippe poſtulant ingentia tua in me beneficia, quorum ſi ullo tempore deponerem memoriam, ingratiſſimus mortalium jure meritoque haberer. Nam ut alia ratione ſolvam tam prolixa nomina, in me quidem nulla eſt facultas. Et bonitati tuae ſufficit, confido, habere confitentem debitorem; cum quo plura impendis, hoc libentius impendere conſueveris. Adeo nil reſpicis in liberalitate tua praeter facti honeſtiſſimi conſcientiam jucundam. Reddita tibi eſſe Phaedri mei reliqua confido. Poſt tempus exiguum Pacatum accipies, qui nunc ſub praelo eſt. Ego rem vehicularium habeo ſub manibus. Et procedit opus ſtrenue. Folia plus quam triginta ſunt jam abſoluta, bis tantum mox accedet. Partes erunt duae. Prior generaliora tradet de vehiculorum origine, materia, partibus, temone, axe, rotis, capſo, jugo, frenis, habenis, flagellis, junctura, ornamentis, & ſimilibus. Poſterior ſingulas vehiculorum explicabit ſpecies, bigas, trigas, plauſtra, rhedas, petorrita, &c. In quibus omnibus nunc demum ſentio, quam pauca hactenus vel bene, vel omnino tradita reperiantur. Militia navalis abſoluta pridem eſt. Ei offert ſeſe quidam typographus Norimbergenſis. Verum cum ſint meliores in Hollandia Typi; praeterea facilius illuc mea mitti queant; quam Norimbergam, ſcire cupio, num haberi apud vos Typographus & diligens, & fidus poſſit. A Cl. *Andrea Boſio* allatae his diebus mihi litterae, in quibus perofficioſe amanterque orat, ut, quae ante liberaliter es pollicitus ad meliorem Joſephi editionem, ea communicari ipſi ne graveris. Cl. *Bigotium* varias Pariſienſis codicis & Italicorum aliquot lectiones audivit poſſidere. Illas per te ſperat plane ſeſe accepturum. Inter caetera ſic habet. *A Cl. Bigotio nemo eſt, qui facilius ſua obtineat, quam illuſtris Heinſius. Utinam exorari poſſit. Nondum ad eum heroa ſcripſi, quod tempore deſtituar, ſed & dextra non ſatis valida utar, eoque jam defatigata. Scribam tamen certo poſt paucos dies. In-*

terea tu rem hanc ei commenda. Vides, quanto ſtudio *Baſias* petat, ut cogitare debeas, annon hoc, quicquid eſt laboris, tribuere tam ſatis optimi viri precibus honeſtum ſit. Cl. *Bigotio* ſi ſcribes, cum perofficioſe ex me ſalutabis, memoremque mei rogabis manere. Summo viro Domino *Gronovio*, ut & Cl. *Graevio* miſi Phaedri mei exemplaria. Num acceperint, ignoro. quia neuter mihi ſcripſit. Tu utrique meam nunciabis obſervantiam, & quae habeam ſub manibus, ſignificabis, niſi grave fuerit. Vale, decus meum, & me ſemper tuum amare perge. Upſaliae a. d. 10. Septemb. CIↃIↃCLXVII.

EPISTOLA CI.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Hagae.

PRO binis tuis, & cum illis Ill. *Capelani* ac *Paſſerii* literis gratias ago maximas, Ill. *Capelano* reſpondi ſtatim, literaſque dedi noto alicui in aula Gallici legati, qui procuraturum eas ſeſe diligenter recepit. Quod ſignificabis viro ſummo, & niſi grave fuerit, me meaque ſtudia eidem commendabis. Promiſit aliqua ſubſidia ad rem navalem & vehicularium, quae ut mittat, tu quoque precibus tuis facies. *Palmerii* obſervata de ordinibus remorum apud veteres pridem habeo per amicum, qui ea folia comparavit mihi. Video recedere ab iis nihil, quae jam olim a me tradita fuerunt. Neque ſane, ſi amamus verum, recedere quiſquam poteſt. Id quod longe pluribus evidentiuſque monſtro in nova ejus operis editione. Ad quam Typographum ſi comparabis, quod ſtudioſe facere te ſcribis, rem feceris mihi optatiſſimam. Phaedrum *Gudii* avidiſſime expecto, nec de opera ipſius dubito, quam praeter ingenium eximium ipſius, juvare plurimum libri veteres potuerunt. In verſu, *tum lato litem ſuſtulit ſententia*, nil habeo, quod non vehementer laudem. Placet tamen magis conjectura tua, *tunc illa litem ſuſtulit ſententia*. Nam *lata* longius recedere a ſcriptura veteri videtur. Atque ſolet alias quoque iſto fere modo, ut lib. IV. cap. 3. *tum moeſtus ille*, ubi mallem ſimiliter *tunc* ſcribere, & lib. V. cap. 4. *tunc illa irridens*. Ego non audebam tale, quia omnibus in libris videbam conſenſu edi *ſententiam*. Prudentio impenſe gratulor de tam inſigni cura, quam in eum tribuiſſe te jam jam ſcio, videreque illum avidiſſime cupio. Cl. *Graevii* ad hunc diem vidi nihil. Miſi eidem una cum Ampl. *Gronovio* Phaedrum. Verum metuo, ne acciderit in illo mihi, quod in Mauricio, quem ignoro, utrum ad hunc diem acceperit Ampl. *Gronovius*. Scripſit *Curio*, ſicut affirmat, *Elzevirio*, ut exemplum ejus curet ad chariſſimum mihi virum. Poſt illas litteras reſponſi nihil tulimus. Etiam *Gronovius* ipſe, qui de Gellio MSS. meo egerat olim, reſpondet nihil, poſt ſpecimen illius a me ipſi miſſum. A Cl. *Bigotio* poſt diſceſſum tuum pariter nil vidi. Eum ut officioſe ſalutes ex me, cum ſcribes, impenſiſſime rogo. Ill. *Capelano* deſtinavi Phaedrum, ſi quae tibi prior erit occaſio exempli unici ad eum mittendo, facias quaeſo meo nomi-

mine. Sumpti ab *Elzeviris* pretium ego *Curioni* ſolvam. Pacatus meis properat ad finem, quem, ſi poſſum, mittam adhuc ad te caeteroſque amicos ante hyemem. Quae ſuper quaeſitis Philoſophorum Anglorum ſcripſi, publicata eſſe accipio non illibenter, modo ſint, quae aliis prodeſſe queant. Dabit ſaltem honor litteris meis habitus occaſionem mihi, ut de pluribus in poſterum ſim ſollicitus. Hactenus enim illam operam fruſtraneam putavi, cum haberem neminem, cui obſervatione talium grati quid praeſtare poſſe crederem. Atque utinam liceret intelligere, quae maxime per nos vellent diſcere: deſiderio eorum, quantum quidem in me eſt, nunquam non ſtuderem ſatis facere. Mortes eruditorum virorum lugeo, ſed nullius magis, quam Cl. *Bocharti*. Fuit ille vir non eruditione magis, quam humanitate ſingularis. Qui cum haberet abunde, de quo jactare ſeſe poſſet, nihil tamen minus, quam jactare ſe ſolebat. Candidiſſimus in ſcriptis ſuis, neminiſque famae moleſtus. Quod corrigendum vidit, corrigebat non modeſte ſolum, ſed interdum etiam cum adverſarii ſui praedicatione, ſed nec ſuae tantum gentis viros aeſtimabat, quod plerique faciunt: putabat alibi terrarum etiam exiſtere, quos nefas eſſet contemnere. Sperabam jam illius opus novum de arboribus plantiſque S. ſcripturae, quod ſub manibus habere ipſe indicaverat in ſuis ſcriptis. Sed id quidem imperfectum relictum eſſe metuo. Quo exemplo maturanda noſtra intelligimus. Paſtorianis rectius reſpondero ex his locis: propius enim abſunt. Reditum tuum ſummo deſiderio expecto. Faxit deus, ut itinere jucundiſſimo utaris, ſalvuſque ac incolumis ad nos pervenias. Summum virum Dn. *Gronovium* cum Cl. *Graevio* ſalutat perofficioſe atque obſervanter. Te quoque reſalutant ſocer meus, *Brunerus*, & amici caeteri. Vale, Upſaliae a. d. 5. Novemb. CIↃIↃCLXVII.

EPISTOLA CII.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

POſtremis tuis nunc reſpondeo. Verum paulo ſerius, quoniam ſperabam fore, cum ſignificaret mihi *Curio*, navigium in via eſſe, quocum acceptarus ſit nonnulla ſibi ab *Elzevirtis* miſſa, ut intelligerem propius, quid ea tua vellent, *Graevii Heſiodum accepiſſe jam debes*. Suſpicabar enim, miſſum forte aliquod illius ad me exemplum, pro quo gratiae agendae forent. Verum video nunc illam meam vanam fuiſſe ſuſpicionem, cum nil iſtiuſmodi commiſſum ſibi *Curio* teſtetur. Et fortaſſis aliter tu noluiſti ea intellecta, quam de alias ad nos perlato eo opere. Quamquam ante non allatum fuerit; ſed nunc demum primo viſum nobis. Obſervo autem viri doctiſſimi elegantiſſimas eruditiſſimaſque in Poëtam illum curas, omnique ratione amo. Pro honore quoque, quem in compellando meo nomine meis habuit laboribus, officioſiſſimas ipſi ago gratias, atque ut per te hunc meum deditiſſimum ipſi ani-

mum intelligat, etiam atque etiam oro. Quamquam optarem librorum meorum de militia navali ſecundas extare curas, quippe quibus ea omnia, ad quae remittit lectorem, plenius & diligentius ſunt tractata. Verum eas prodituras neſcio an ſperare debeam, quia *Curio* non ſufficit ad faciendos tantos ſumptus. Quale *Elzevirius* de ipſis recudendis dederit reſponſum neſcio, neque novi, a quo compellatus ſit hoc nomine. Scripſi quidem optimo *Gronovio*, habere me paratam editionem novam, ſed de *Elzevirio* nil ſcripſi. Quare peto, ut haec mihi explicatius ſignifices. Phaedrum meum ad vos ſpero perlatum. Juſſi eum dari & *Gronovio* & *Graevio*. Mauricium num acceperint, quod jam fieri ante annos aliquot debuerat, nec dum certo ſcribit. Ego nuper Pacatum denuo emiſi, quem mittam proxima occaſione. Nunc quantum otii conceditur, omne rei vehicularíae tribuo, ad quem ſi per te, ſi per amicos aliquod comparabis, rem facies exoptatiſſimam. Imprimis Illuſtr. Dn. *Capelanum* ut compelles, oro. Habeo apud me MS. Anonymi vitarum B. Odiliae & Ducis Adalrici, in quibus pro conditione temporum illorum pluſcula ſunt fabuloſa. Quaedam tamen Hiſtoriae ſervientia. Eum, quia necdum vidit lucem, quod confirmavit mihi Cl. *Bigotius*, ejuſdem *Bigotii*, aliorumque hortatu vellem edere, ſi haberem, qui deſcribere typis ſuſciperet. Nam *Curio* noſter nunc in ſynopſi juris Soceri mei occupatum habet praelum. Tu ſignificabis, quid de hoc conatu meo judices. Aeliani varia per *Fabrum* publicata impenſiſſime videre cupio, nam & ego in edendis ipſis denuo ſum occupatus, cum praeſertim in editionem ſecundam Argentorati procuratam crepſerit vis tanta foediſſimorum mendorum, dum tranſmiſſa mea pleraque Typographus per incuriam perdit, & ex jam ante editis verſus integros omittit, ut pro mea illam nequeam agnoſcere. De Prudentio tuo agam pluribus, cum contigerit inſpicere. Has ut ad optimum *Gronovium* tranſmittas, impetraturum me ab humanitate tua confido. Poſtremo te reverſum ad nos videre iterum, ac coram complecti, ſi quid unquam, ſtudioſe opto ac deſidero. Vale, Nobiliſſime Domine, Amicoſque omnes perofficioſe ex me ſaluta. Upſaliae a. d. 11. Febr. CIↃIↃCLXVIII.

EPISTOLA CIII.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

Litteras meas exerrantes Dn. *Elzevirium* in viam reduxiſſe gaudeo, hocque nomine me debere illi plurimum profiteor. Tui extra culpam ſunt. Mea factum inſcitia, ut putarem te habere Amſtelodami, qui litteras ad te miſſas exciperent, & ad te curarent, ubicunque eſſes. Reditum tuum avide expecto, atque tum coram viſurum te confido. Mauricium meum curabo ad Cl. *Gronovium*, quacunque ratione potero. Miror autem, ne ab *Elzevirio* quidem ei da-

datum, poſtquam hoc ab eo petiit per litteras *Curio* noſter. Caeteras quoque litteras meas ad *ipſum* periſſe doleo, cum ob alia, tum quia ſic videbor in ſcribendo ignavus eſſe. Plinio ante caeteros gratulor, quod Gronovianam nactus ſit opem, manumque medicam impetravit. Nam confido plane fore, ut per ipſum integrior evadat plurimum. Quinam ſunt inediti illi Graeci abs te empti, niſi grave eſt ſcire deſideranti ſignificabis. Pauſaniae Lexicon, de quo agit Cl. *Gronovius*, eſt nullum, ſed Moſchopuli. Significavi, niſi fallor, pridem, ſimulque adjeci ſchedulam aliorum operum, quae in volumine illo continentur, ſuperque ipſis ſententiam Cl. *Bigotii* rogavi. Verum periiſſe iſtas meas neceſſe eſt, quia nil reſpondit hactenus. Quod ſignificabis viro optimo, cum dabitur occaſio, ſalutemque nunciabis meam & officia, una cum amicis caeteris, quorum commercio litterarum carere cogor, poſtquam te carere coepi. De conditionibus, quas propoſuit *Elzevirius* edendae a ſe Militiae navalis meae, etiam etiamque oro, ut me certiorem facias. Nam nobilem illum, quocum ſibi ait fuiſſe negotium, Dn. *Gyldenankerum* ſuſpicor, qui pridem abiit in Gallias. Neque ullae ipſius ad me ex illo tempore pervenerunt litterae. Si conditiones *Elzevirii* ſunt tantum non aperte iniquae, mihique impoſſibiles, habebit me facillimum in omnibus. Rei vehicularis meae ſubſidia nulla hactenus ſum conſecutus abunde. Interea meo ingenio abſolvi volumen prius. Sequetur poſterius hac aeſtate, ſi vitam Deus dederit. Appendicem notarum ad Petronii Dalmatici fragmentum dabo brevi. Scripſit mihi nuper illuſtr. comes *Guſtavus Adolphus de la Gardie*, nunciatum ſibi eſſe de Petronio integro, delitescente Roterodami apud ſacerdotem quendam, occultantem librum, ceu ſpurciciei plenum. Quod quia novum, nec auditum antea, ſcire per te cupio, quid veritatis inſit huic narrationi. Nec enim occultum tibi poteſt eſſe, credo. Plura nequeo hac vice, tantum quid de Aeliano *Fabri* habeas compertum, & num proſtet apud vos, perſcribas oro. Denique te cum Cl. *Gronovio Graevioque*, quos ſaluto perofficioſe, plurimum ſalvere ac valere jubeo. Upſaliae 14. April. CIↃIↃCLXVIII.

De *Elzevirii* voluntate, ut me certiorem facias quamprimum, vehementer oro. Lexici, cujus ſupra feci mentionem, haec eſt inſcriptio. [1] Ονομάτων Αττικῶν συλλογὴ ἐκλεγεῖσα ἀπὸ τῶν τεχνολογούντων εἰκόνων τοῦ Φιλοστράτου, ἣν ἐξέδοτο ὁ σοφώτατος κύριος Μανουὴλ ὁ Μοσχοπούλος, ἀπὸ τῶν βιβλίων τῶν ποιητῶν: συντεθεῖσα εἰς τοῦτο τὸ στοιχεῖον. Superſcriptum eidem latinis verbis: *de dictionibus Atticis per ordinem litterarum ex Philoſtratis.* Quod a me inſpectum obiter effecit, ut ſcriberem de lexico non Pauſaniae, niſi fallor, ſed Philoſtrati.

1 Vide Cl. *Fabricii* Biblioth. Graec. lib. IV. cap. 34. tom. IV. pag. 535.

EPISTOLA CIV.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

SAlvum te ad nos reverſum ſupra modum gaudeo, eoque nomine tibi gratulor ex animo. Utinam tempore aliquo detur frui praeſentia tua, curabo enim, ſi modo ulla ratione potero, ut ad vos excurram, praeſentemque te amplectar. Prudentium tuum ante horam *Curionis* puer attulit, pro quo, ſicut tibi debeo plurimum, ſic exſolvere hoc debitum nunc quidem minime poſſum. Dabo tamen operam, ut intelligas perpetuo meum animum tibi officioſiſſime addictum. Litteras Elzevirianas recte accepi, eiſque reſpondi ſtatim, litteraſque meas ante octiduum miſi ad *Curionem*. Summa reſponſi ea eſt, me nemini libentius comittere Militiam Navalem, quam *Elzevirio*. Figuras (ut vocant) circiter decem novas accedere, totum opus, ſi ſic ei videatur, primo quoque tempore me miſſurum eſſe. Pro labore meo nihil nominatim me exigere, ſi opere finito libelli unius vel alterius elegantioris munuſculo ornare bibliothecam meam volet, in ipſius arbitratu fore. Exemplar meum, quia peregre mitti non poteſt, deſcribendum eſſe. Et jam initium ejus rei factum. Sunt autem deſcribenda omnia & edita & recens a me ſcripta, ne propter multas magnaſque acceſſione emendationeſque typographo moleſtia creetur. Puto tamen ſpacio unius menſis, vel ſummum alterius me deſcripta habiturum omnia. Haec feſtinatione ſumma; quia tuas litteras non ante hanc ipſam horam accepi, & jam diſceſſurus. Quare ignoſces feſtinationi huic, & verbis. Upſaliae 26. Junii CIↃIↃCLXVIII.

EPISTOLA CV.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

ANte dies circiter duodecim ſcripſi tibi vere feſtinante calamo, quod convenire parum cenſerem meo erga te amori & obſequio, differre longius gratulationem de adventu tuo felici, licet vix perlegere tuas poſſem, eo ipſo momento mihi redditas. Factum quoque eſt, ut omitterem multa, quae ſcribenda erant. inter caetera id etiam, quod ſpectabat laborem abs te mea cauſa ſuſceptum, partim apud *Elzevirium*, partim apud alios. Cumprimis vero in adferendis exoptatiſſimis faſciculis ab optimis clariſſimiſque viris Domino *Gronovio* & Dn. *Graevio* mihi miſſis, ſicut ſcribis. Pro quibus omnibus mea cauſa factis gratias tibi debeo agoque immortales. Libri mei de militia navali ſpacio unius & alterius hebdomadis deſcripti erunt. Quo magis abs te oro ac contendo, ut, quid cenſeas de *Elzevirii* voluntate, ſignifices. Puto nil a mea parte

parte posse desiderari. Impensas saltem facio non exiguas in descriptionem integri ejus operis, quod tu aestimabis facile suo tempore. Sperabam plane posse me ad vos excurrere. Nunc ex inopinato interveniunt impedimenta, quae me adhuc ad tempus aliquod tenent domi. Quod si liceret, orarem impense, ut ipse his aestivis diebus, quibus commodissima sunt itinera, venires ad nos, hospitioque nostro uti ne dedignareris. Equidem in nobis nihil est, quo excipere te possumus pro dignitate meritisque tuis. Omnia tamen boni consulturum te ab humanitate bonitateque tua sperare audemus, eo magis, quod non omnino incognita tibi nostra sit Upsalia. Meos in Pacatum conatus non displicere tibi gaudeo: pro loco indicato mihi ex notitia Imperii, gratias ago maximas, de quo cogitabo alias. Nunc enim totus sum in illustrando trecentorum annorum auctore, qui descripsit Archiepiscopos, Praepositos, Decanos, & id genus Ecclesiae Upsalien sis, hactenus inedito, qui labor mihi est injunctus ab illustrissimo R. Cancellario, & jam poene omnia confecta habeo, festino enim, quo ad rem vehicularian redire liceat. *Meursii* Glossarium quod tanto tempore meis usibus concedere gravatus non fis, valde laetor, hocque homine plurimum tibi debeo. Reddidisse vero tibi *Curionem* nostrum cum gratiarum actione spero. Sed claudenda est epistola, ne te nugis meis supra modum videar detinere. Vale, ac, ut soles, me amare perge. Upsaliae a. d. 7. Julii CIↃIↃCLXVIII.

EPISTOLA CVI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upsaliam.

DUM in salutandis occupor proceribus, aliaque, in quibus haerere solent peregre advenientes, procuro, vix potui ea festinatione ad tuas longe jucundissimas responsum parare, qua cupiebam, vir optime. Sed nec sarcinae nostrae ex Batavia hactenus comparent, quas inter nonnulla sunt *Gronovii* ac *Graevii* nomine tradenda. [1] *Graevius* interim per literas me monet *Gasbekios* fratres Officia Ciceronis variorum animadversis illustrata praelo destinare describenda; quibus & observationes tuas posse subjungi, nisi quid dissentires ipse. Tu, quae tibi super hoc negotio sit sententia, certiorem me quamprimum fac, quaeso. Addit idem amicus noster observata in eosdem Tullii libros, a *Petro Suffrido* & *Francisco Fabricio* contexta, nequicquam abs se quaeri. *Suffridi* observationes non habeo, habeo *Fabricii* oppido eruditas, sed eas ubi sim inventurus, libris meis in cistas sparsim conjectis, prorsus ignoro. Tu si quid hic in medium possis conferre, noli nobis publicoque deesse. Hisce tandem subjungit, non deesse in foederatis Belgis typographos, qui Meursiana αὐτόγραφα Regiae bibliothecae sua opera divulgari velint, libros praesertim de antiquitatibus Cypri, Rhodi, atque Cretae, deque regibus Lacedemoniis commentarium.

[1] Vide *Graevii* Epistola LV. tom. IV. hujus Sylloges.

rium. Quod ut impetretur, tuam operam nobis non inutilem fore confido. Ipſe *Graevius* in Suetonio adhuc occupatur, Homero etiam manum admoturus. *Gronovius* cum valetudine parum confirmata luctatur. *Fredericus Brummerus*, haeres *Reineſii*, de lege Cincia commentarium publico dedit, quem laudari ajunt. Ad *Elzevirium* litterarum nonnihil parabo die craſtino, vel tua cauſſa, ut negotium lucubrationum tuarum, quod noſti, confectum aliquando habeamus. Solent ſcriptores apud nos cum typographis paciſci de nonnullis exemplaribus ſui juris faciendis horum operum, quae luci adornant. Atque hic puto non iniquum *Elzevirium* experiemur. An de aliis quibuſcunque libris conditionem ſit amplexurus dubito; quod id aut nuncquam, aut raro apud nos fieri ſoleat. Invigilabo tamen, quantum in me, tuis deſideriis atque commodis. Tuas ſuper hac re literas ad *Elzevirium* confeſtim ſe miſiſſe mihi *Curio* eſt teſtatus. Origenis opera ex editione *Huetii* jam vidiſti credo. Narrat *Bigotius* eſſe in Galliis, qui opera S. Maximi duobus aut tribus voluminibus ſuſceperit edenda, ſed Clerum Gallicanum preces ejus de impenſis faciendis repuliſſe. *P. Henſchenium* S. Odiliae vitam eſſe editurum, ſi ea abs te impetrari poteſt. Sed cum minus liquido deſignet, ſeorſimne, ac cum reliquis, quas parat, Sanctorum vitis eam ſit daturus, quod te nolle opinor, exploranda erit aliquanto certius ejus ſuper hoc propoſito ſententia. Nec Phaedrum tuum editionis ſecundae, nec Tactica Mauricii accepiſſe ſe aſſeverat. Tale quid ſi in poſterum aut Belgium, aut in Gallias vis mitti, aut alio quocunque, mea opera utaris erit conſultum tibi. Aelianum ab illo jubeor expectare cum MS. collatum. *Brummerum* de Plinii epiſtolis edendis cogitare, idem ſignificat *Bigotius*. Tacticos omnes veteres a *Claudio Hardy* typis Regiis Lutetiae deſcribendos fore jam nuntiavi, puto. vale, vir clariſſime, & me, ut facis, ama. Holmiae CIↃIↃCLXVIII. a. d. X. Juli.

EPISTOLA CVII.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

HUmaniſſimae tuae cum propter alia fuerunt mihi longe jucundiſſimae, tum quod faciebant ſpem faſciculorum a viris optimis amiciſſimiſque ad me deſtinatorum. Nihil mihi erit gratius, maxime poſt intervallum tantum, quo ab ipſis vidi nihil, quam conſtantis eorum erga me humanitatis tam egregia cernere complectique argumenta. Quae ad officia Ciceronis annotavi, ſunt prolixa, juſtumque faciunt commentarium, ut non poſſint jungi hujuſmodi editioni; praeterea nec deſcripta cuncta habeo. Exſcribam tamen potiora quaedam, & occaſione mittam proxima, ut ſi digna tibi videantur, cures ad Cl. Dn. *Graevium*. *Suffridi* aut *Fabricii* nihil eſt in bibliotheca mea, videbo tamen, an quid explorare poſſim apud alios. Meurſiana quaenam ſint in Bibliotheca Regia, ignoro. Scribam Bibliothecario, amico meo. Quod, ſi ea,

Digitized by Google

ea, de quibus agis, reperiantur, operam impendam, ut impetremus beneficio Illuſtris Cancellarii, ſi non aliter, deſcripta ſaltem per quemdam ſtudioſum. Negotium meum de militia navali totum tuo arbitratui committo. Tranſiges cum Typographo, prout optimum videbitur. Nec enim pro me exigam, quod aliis non conſuevit dare. Origenis vidi nihil, quod non poteris mirari, ſi credes, ne illorum quidem libellorum quidquam nos vidiſſe, qui ſunt editi apud vos, Arrianum dico, *Palmerii* Obſervationes, *Pignorii* initia Matris Magnae, & hujuſmodi, quorum nihil adhuc *Curio* vel accerſivit, vel impetravit. Odiliana mittere num debeam, ignoro, quia dubito an tanti ſint. Habebo mecum, cum ad vos pervenero, & monſtrabo, ut videre ac judicare poſſis ipſe. Tactica, & caetera mea miſi nunc per quemdam in comitatu Illuſtriſſ. Legati Gallici, qui per annos aliquot vixit in aula Illuſtriſſ. Cancellarii, ad amicos Pariſiis degentes. Utinam curentur rectius, quam quemadmodum huc uſque curata ſunt a *Curione*. Aelianum collatum cum MSS. videre impenſiſſime deſidero, quemadmodum & editionem Fabrianam, quam pariter ad hunc diem fruſtra exſpectavimus. *Brummeri* ſcripta *Reineſii* eſſe videntur, ſed hoc apparebit rectius, cum ipſa ad nos fuerint aliquando perlata. Humanitati tuae ſummas ago gratias, per quam mihi optima oblata eſt occaſio deſtinandi mea ad amicos. Utar ea ſuo tempore. Interea ut diutiſſime valeas, etiam etiamque oro, me vero ut amare pergas, enixiſſime peto. Upſaliae a. d. 14. Julii CIↃIↃCLXVIII.

EPISTOLA CVIII.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

FAſciculi, quos per Curionem ad me deſtinaſti, recte mihi ſunt redditi ante dies aliquot. Gaudeo plurimum munere tam egregio, quo uterque *Gronovius* & *Graevius* me ornarunt. Id vehementer miror, quod neuter ſuas aliquas addere litteras voluerit. A *Gronovio* jam ſesquiannus eſt, quod habui poſtremas. Et quaerebam his ſententiam ipſius de *Molorcho* Statii, inſerendam meis de militia Navali. Sed quia conſtans ejus eſt ſilentium, te oro, ut ſi quid habes de eo, mihi aperias. Salmaſiana enim emendatio non ſatisfacit: praeterea ſignifices, quando ſcribes ad utrumque. Conſtitui enim ipſe quoque ſcribere, gratiaſque illis agere, ut debeo. Sed & tibi pro labore in curandis ad me iſtis obſtrictum & eſſe & manere me perpetuum animo gratiſſimo profiteor. Haec breviter, quoniam occupatiſſimum te intelligo. Vale, ac ut ſoles, me amare perge. Upſaliae a. d. 18. Auguſti CIↃIↃCLXVIII. Poſtremas meas cum appendice Petronianarum Notarum tibi redditas confido.

EPISTOLA CIX.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upſaliam.

GAudeo, ut qui maxime, faſciculos a *Gronovio Graevioque* deſtinatos tibi in manus tuas illaeſos perveniſſe, vir clariſſime. Ad horum alterum vel ad utrumque ſi quid paras literarum, mihi id omne negotii permittas rogo. A *Graevio* unam habui epiſtolam, ex quo paternum larem deſerui. a *Gronovio* nullam. Neſcio enim quomodo vir amiciſſimus, qui miram in hujuſmodi officiis ſolebat praeſtare diligentiam, nunc non tam ſua, quam ſenectutis culpa rarius procedit ad ſpartam iſtam adornandam. In munere praeterea Academico collegiiſque privatis inſtituendis adeo eſt aſſiduus, ut de Tacito, Plinio, Gellio edendis, quos ſperare jampridem nos jubebat, vix poſſit cogitare. De *Molorcho* Statii nihil obſervatum a me memini. In opere de re vehiculari neſcio an tetigeris iſta Lucani in libro ſecundo, ſi probe memini, (Lib 1. verſ. 426.) *Et docilis rector monſtrati Belga covini.* ita enim ſcripti editique conſtanter, niſi quod in margine editionum quarundam *roſtrati.* neutrum ſatisfecit. Quare opinabar a Lucani manu eſſe *conſtrati. conſtratus covinus* ut *navis conſtrata.* Et certe *covinos conſtratos* fuiſſe, ſeu opertos, vel ex iſto Martialis loco lib. XII. Ep. 24. manifeſtum fit, *o jucunda, covine, ſolitudo! currus conſtrati*, & *currus ſtrati in* eo differunt, quod alteri ſint tecti ſive operti, alteri, quibus ſtragulae veſtes injiciebantur. qua de re plura in curis ſecundis ad Naſonis locum Faſt. VI. verſ. 680. *in plauſtro ſirpea lata fuit.* ubi cum membranae veteres parum ſibi conſtent, uti jam in animadverſis deſignavi, monebo eſſe corrigendum, *ſirpea ſtrata.* Nam ſtraguli vicem *ſirpea* in eo plauſtro occupabat. Appendicem notarum Petronianarum rectenaccepi. Vale, vir clariſſime, & mihi velle perge. Holmiae Succorum Anno CIↃIↃCLXVIII. a. d. VII. Kal. Sept.

EPISTOLA CX.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

SIcut ſcripſi nuper, ita tibi mitto nunc ad Clariſſimos viros *Gronovium Graeviumque* litteras, quas ut ad ipſos, quandocunque ſcribes, curare ne graveris, etiam atque etiam oro. *Gronovium* tam eſſe tardum miror profecto, imo doleo, quoniam ab eo ſperaveram opem in *Molorcho* Statiano exponendo. Locus eſt Sylv. III. in propemptico, ubi vulgo habent, *ſint, quibus explorat rupes gravis arte Molorchus.* Salmaſius putat: *ſ. q. e. plumbo gravis alta molybdis*, quod videtur nimium recedere. Sed nec per *Molorchum* nauticam bolidem hic exiſtimo intelligendam, quod magiſtri veteres volunt. Puto autem *Gronovium* quid di-

xiſſe

xiſſe de hoc loco in ſuis ad Statium curis. Quas quia non habeo, ipſius judicium me ſperaveram impetraturum, quo vel firmare mea, vel emendare poſſem. Verum pergit is ad hunc diem ſervare ſilentium ſuum. Lucani emendationem anticipavit jam *Iſaacus Voſſius* apud Boſchartum P. II. Geogr. ſac. lib. I. cap. 12. ex quo annotavi pridem in meis. Pro emendatione loci Ovidiani gratias, & in meis opportune memorabo. Nam & in illis de *conſtratis vehiculis* dicam phaſcula. Inter eos, qui Heſychio emendando curam aliquam adhibuerunt video laudari ſaepius *Sopingium*. Quis ſit, & an ſua quaedam ediderit (laudat enim aliqua) ſcire valde deſidero. Mihi vir Graecarum litterarum peritiſſimus videtur. Poſt octiduum, vel ſummum dies quatuordecim iter ad vos inſtituam, volente deo, adferamque meam Militiam Navalem cum nonnullis aliis, ubi ſpero datum iri occaſionem coram te compellandi agendique tecum de quamplurimis. Interea ut te ſervet gratia divina ſalvum oro, meque amori tuo gratiaeque commendo. Vale. Upſaliae a. d. 15. Septemb. Anno CIↃIↃCLXVIII.

EPISTOLA CXI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upſaliam.

ACcidit hoc plane praeter ſpem meam, vir clariſſime, quod tam parce frui de nobis contigit, cum proxime in hanc civitatem Ubſalia te contuliſſes. Per hibernam fortaſſe tempeſtatem offeretur rurſus occaſio tuae praeſentiae, quod cupio vehementer me hercules, ſi tantum temporis ſeptentrioni huic veſtro a me dabitur: nam id totum cum a nutu pendeat alieno, nihil affirmandum temere mihi occurrit. Viam interim carpit ad Batavos noſtros militia tua navalis, imo jam illuc perveniſſe poteſt, niſi quid adverſi, quod abominor, intervenit. [1] *Sopingius*, ſi probe recordor, Theologus apud nos fuit ex Friſiorum provincia, qui Heſychii editionem ante annos hoſce quinquaginta & plures moliebatur, vir Graecarum literarum in primis peritus, & parenti meo amicus. Nam ipſe hominem haud vidiſſe memini, qui me nondum nato jam ad plures, ni fallor, abiiſſet. Amſtelodamenſes de *Graevio* ad ſe vocando agere dicuntur, deſtinato hanc in rem mille ducentorum Joachimicorum annuo ſtipendio. *Elzevirius* ingentem *Ezechielis Spanhemii* de uſu & praeſtantia veterum nummorum

rum

1 *Godofredus Sopingius* Bolſwerdae in Friſia Eccleſiaſticam provinciam obiit, familiaris fuit *J. Iſaac. Pontano*, ad quem epiſtolam de Herba Britannica edidit Cl. *Matthaeus* in Sylloge ſua n. CLXIX, in qua & de Heſychio ſuo mentionem facit; obiiſſe eum Anno 1618. apparet, ex *Sibrandi Siccamae* ad *Pontanum* Epiſtola ibid. CLXXIII. ubi de ſcriptis ejus agit. & in alia CLIII. ſchedas ejus tumultuario & plane ſine ordine & methodo ſcriptas, & quas vix ab aliquo expoſiri poſſe ſpes eſt, ſe per filium recepiſſe ſcribit. Edidiſſe reſponſionem Apologeticam ad Libellum Anonymi, qui vocatur, *Bona fides Sibr. Lubberti* Anno 1616. *Konigius* teſtatur in Bibliotheca.

rum commentarium typis ſuis deſcribit, poſt curas priores longe auctiorem. Hoc *Spanhemius* ipſe Heidelberga ad me nuper. Cujus perlectis literis vehementer ſum gaviſus falſos eſſe rumores, qui illum favore Palatini Electoris, quo floret hactenus, excidiſſe, ac Genevam ad paternum larem confugiſſe, criminabantur. Commentarium ad legem Cinciam, de quo coram agebamus, indies expecto. Libri complures admodum lucis publicae facti, quos *Elzevirius* ex patria ad me mittebat, atque in his *Lubieni* commentarius de cometis operoſiſſimus, naufragio mihi perierunt. Vale, vir eximie. Exarabam Holmiae ipſis Kal. CIↃIↃCLXVIII. quas hic vides Cl. *Brunnero* tradendas recte cures.

EPISTOLA CXII.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

VAlde tuis litteris laetatus ſum, non modo, quod ſpem facerent militiae Navalis meae in Hollandiam perlatae, ſed & quod commodiori valetudine te uti, quam ſuperiori tempore, palam innuerent. Deus ſervet te, vireſque largiatur integras, perficiendis pulcherrimis operibus, quae paras, & ornandis amicis, quos nullo non officiorum genere devincis tibi. De Militia mea cupio plane certus eſſe: quare ſi quid intellexeris, id extemplo ſignificare ne graveris, oro. Quanquam videam negotium fore tardum, vel propter ea, quae de *Spanhemii* commentariis hîc nuncias. Cl. *Graevio* gratulor conditionem plane pinguem ab Amſtelodamenſibus oblatam, neque dubito, quin eam jam acceperit. Liquet autem abunde bonis litteris eſſe pretium apud eos, quae per alias orbis partes fere compelluntur mendicare. Nam & hîc ut victum habeant, multis tamen aliis ſunt deſtitutae, quae ubertim apud vos inveniunt. Quid autem optimus *Gronovius?* An meliori loco valetudo ejus, quam fuit hactenus? Utrum ille, utrum *Graevius* accepiſſe litteras meas ſignificarunt? Ab *Andr. Boſio* habui ante unam alteramve hebdomadem, in quibus iſta ad te pertinentia: *Joſephus noſter adhuc expectat varias Bigotianas. Quaeſo ſalvere a me jube Nobiliſſimum Heinſium, meoque nomine roga, ut optimum virum denuo promiſſorum admoneat.* Quae tua ſit ſententia, per me ſignificari poterit eidem, ſi ſic viſum fuerit. Scribit alias vir egregius, Reineſianum corpus inſcriptionum ſibi oblatum ab Electore Saxoniae hac lege, ut cedat debito quadringentorum Imperialium, quibus Elector ipſi eſt obſtrictus, & det operam, ut edatur. Se vero quomodo poſteriorem implere conditionem queat, non invenire, ac idcirco rem relinquere inconfectam. Periiſſe tibi naufragio tot libros egregios, vehementer doleo. Ante diſceſſum tuum, quem opto ſerum eſſe, coram acturum me tecum certo confido. Spero autem me uſurum fortuna, futurumque frequentiorem apud te, quam nuper licuit. Plura nunc quidem non habeo, & me obruunt negotia, de quibus plura *Curio* tibi memorabit. Vale. Upſaliae a. d. 4. Decemb. CIↃIↃCLXVIII. *Brunnero* ſuas ſtatim miſi. Iterum vale.

EPI-

EPISTOLA CXIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upsaliam.

QUantum ex litteris Illustris *Beuningii* hesternis sum edoctus, pervenit sospes in Bataviam nostram *Johannes Philippus Silvercronius*, qui militiae tuae navalis volumen, *Elzevirio* tradendum, hinc secum tulit: ut probe curatum esse hunc fascem vix dubitari par sit. Nam ab ipso *Elzevirio* nuntios necdum accepi, qui rei totius securos esse nos jubeant. *Graevius*, quantum audio, oblatam ab Amstelodamiis conditionem rejecit, praetulitque mille & ducentis Joachimicis, Octingentos annuos ab Ultrajectinis proceribus promissos, ea tamen lege, ut post excessum suum uxori viduae CLX. Joachimici quotannis ex aere publico annumerentur. Quod & ipsum Amstelodamii praestandum abs sese fore erant polliciti. Rogavi amicum hunc nostrum, ut super maturanda voluminis tui editione calcar *Elzevirio* nonnumquam addat, quem fore paullo tardiorem in partibus suis implendis facile praevideo, cum quod Spanhemiano commentario manum admovere jam coeperit, tum quod iter in Gallias meditari se scribat. Cl. *Bosium* recte se habere meique meminisse est quod laeter maximum in modum. Provocatus ejus litteris suavissimis ante annum, quando in patria haerebam, rescripsi: nec tamen hactenus rescire mihi est datum, sitne curata probe epistola, an interciderit in via. Langermanniae certe fidei commendatam fuisse succurrit. Pestilentiae contages cum hac aestate Rhotomagum populata sit utcumque, ab ea civitate *Bigotium* nostrum, ruri latitantem, avertit. Qui casus moram quoque ac procrastinationem promissis ejus de Josepho objecit, ut opinor. Nuntiabat is proxime, scriptoris ejus exemplar cum vetusto codice collatum ad *Isaacum Vossium* me absente in Bataviam fuisse missum, qui fidem obligasset, ejus paratam mihi fore copiam, simul atque ex hoc septentrione redissem domum, quod aut hiberna hac tempestate, aut saltem vere proximo, ut confido, fiet. Addit idem *Bigotius* Archiepiscopum Cantuariensem in Britannia Typographiam instruxisse magnis impensis, quam aut a Josepho aut Chronicis Joannis Antiocheni edendis, qui liber lucem necdum adspexit, auspicari operas velit. de transferendis in sermonem Latinum Graecis Tacticis *Coselerium* provinciam suscepisse, communicata cum *Henrico Valesio* opera. haec ille. Vale, vir Celeberrime. Holmiae XIX. Decemb. CIↃIↃCLXVIII.

EPISTOLA CXIV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upſaliam.

NOlim pretium, quod alloquiis tuis pono meritiſſimum, ex infrequentia mea metiaris. Hactenus enim ratio valetudinis meae plus ſatis conturbata omni poene ſcriptione, atque adeo corporis exercitamentis, vel leviſſimis mihi interdixit, vir Clariſſime. Tuas ad *Graevium* probe curavi, qui imuebat nuper, Polybii novam a Britannis editionem adornari. Defudant, puto, in eadem palaeſtra *Boeclerus* & *Gronovii* filius natu major. A *Falconerio* litteras proxime accepi, quas tibi legendas mitto. Complectuntur enim nonnulla, quae ſcire tua interſit, etſi video futurum, ut ductus Chirographi difficillimos aſſequaris. *Sluſium* quod ait *Allatio* in cura Vaticanae Bibliothecae ſucceſſorem datum, equidem ſum miratus. Eſt enim Leodicenſis ille, in qua civitate canonicatum poſſidet. Sed Romae vixit olim annis compluribus una cum *Dormalio*, ſi memini. Vir Graecae litteraturae & rerum Mathematicarum peritiſſimus, atque adeo ad omnem factus humanitatem. Unde cognoſcas, & hunc Pontificem, & ejus ex fratre filium *Roſpilioſium* Cardinalem litteris promovendis egregium in modum ſtudere. *Bigotius* ob peſtilentiam tractus Neuſtriae jam pridem infeſtam ruri multo tempore delituit valetudinem dubiam expertus. Unde factum, ut nonnulla ex his, quae ad illum curavi, perierint in via. *Capellanus* proxime ſcribebat, agnatos ejus velle, ut de matrimonio ineundo cogitet, a quo videtur ipſe eſſe alienus. Sed cum alterum ex fratribus amiſerit, manum fortaſſe vel invitus huic conſilio dabit. Lutetiam certe ſe conferret vellem, tum ut vitam Chryſoſtomi ſub praelo jam dudum haerentem perficeret, tum ut nonnunquam me doceret, quid rerum illic inter eruditos geratur. Nam *Capellanus* ſenio confectus vix par eſt huic officio. de *Elzevirio* nil audivi prorſus, ex quo in Gallias ante haſce ſex hebdomadas eſt profectus. Promiſerat ſeſe ſpecimen operis tui typis deſcriptum ante profectionem mihi miſſurum eſſe, ſed fidem non liberavit. *Carionem* tamdiu abeſſe doleo & miror. Poterat enim praeſentia ejus hic nobis eſſe non inutilis in negotio quodam *Elzevirium* tangente. *Meibomium*, Amſtelodamiis operam ſuum addixiſſe, poſtquam *Graevius* illuc pertrahi non potuit, reor me jam ſignificaſſe; ſtipendium illi obtigit minus laurum, ut audio. Operi tuo de militia navali quidquid additum aut inſertum velis, inſerendum vel addendum per me curabitur. De te ante diſceſſum meum videndo jam incipio deſperare. Bibliotheca mea cum intra ciſtarum anguſtias ſit redacta, libris utor non niſi pauciſſimis: in his Salluſtium evolvebam nuper editionis Franequeranae ab *Auſonio Popma* procuratae. ubi ex Hiſtoriarum Siſennae lib. IV. hoc fragmentum inter alia exhibetur. *Et partim fera vite, partem lauro & arbuſto ac multa pinu ac Myrtetis abundat.* Rogo alias editiones conſulas, meque doceas ex quo ſcriptore id fragmentum ſit deprom-

tum.

tum. Deinde ecquid super illo aut per Anton. Augustinum, aut per alios sit annotatum. Nam primo scribendum videtur, *partim lauro & arbuto*. Ineptum enim est, cum species arborum seu fruticum potius varias recenseat Sisenna, in his arbusti meminisse: per *ferum* autem *vitem* labruscam, puto, designat. Deinde dubito, an non dederit Sisenna, *ac tulta pinu*; certe cum fructices diversas enumeret, non arbores, de pinu domestica hoc intelligendum, quae fructibus potius, quam arbustis accensetur. De ea multis egi ad Nasonem lib. III. Art. Amat. contra Salmasium, pluribus agam ad Maronem. Locus Nasonis sic se habet.

Silva nemus non alta fuit; tegit arbutus herbam,
Rex maris & lauri, cultaque pinus adest.

Corrigebat adversarius noster, *cultaque tinus*. Atqui tinum esse laurum silvestrem novisti; ut per *cultam tinum* nihil praeter laurum possit intelligi. Atque ita bis lauri meminerit Naso. Nescio quomodo pinum hanc domesticam, sive hortensem, variis apud Maronem locis homines eruditi impugnarint. Nam illo loco in Bucolicis

Populus in silvis gratissima, pinus in hortis,

Peliserius castigabat, *in oris*, scilicet maritimis. In Culice pro his, *& semper florida pinus*, a *Bembo*, *picris*, fuit inculcata temere. Sed jam nimii sumus. Vale, vir Eximie, Holmiae XV. Mart. CIↃIↃCXXIX.

EPISTOLA CXV.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

PLurimum me delectasse tuas, conjicere jam ex illis potuisti, quas uno die citius ad te scripsi, quam tuae mihi redderentur. Nempe valetudo tua adversa habebat me sollicitum, quam in melius nunc versam gaudeo, tibique gratulor ex animo. Sed & litterae Cl. *Falconerii* multiplicem mihi attulerunt voluptatem, quoniam ex iis didici prolixe, argumentoque longe gratissimo, quam bene mihi cupiat, deque rebus meis sentiat amice abunde cognovi, quamquam facile intelligam hoc totum tuis honorificis, & amicissimis de me judiciis deberi, quibus pridem scio conciliatos mihi viros doctos plurimos, proque hoc officio ac beneficio prorsus singulari atque nunquam ex memoria deponendo me devinctum tibi manere perpetuum gratissimo lubentique animo profiteor. Et quia video virum egregium me insuper ornare munere splendidissimo, officii mei esse censeo, ut ipsi agam gratias, idque adeo nunc facio his litteris, quas oro amicissime, ne grave ducas cum tuis ad ipsum curare. Quae de codice Fragmenti Petroniani narrat, grata mihi fuere, daboque operam, ut significem Cl. *Arnoldo* Norimbergam, qui sollicite conquirit judicia doctorum de fragmento illo. Sed cur non contra istaec scribat *Falconerius* scire cupio, nec enim vidisse puto, quae a me ad Fragmentum illud sunt notata. Fragmentum

Si-

Siſennae habetur apud Nonium, in voce *Fera Vite*, pro quo in libris veteribus eſt *Ferabite*, ſed emendavit *Turnebus* lib. xxix. Adverſ. 23. Caetera ſervantur in omnibus, quos ego vidi. Ne *Mercerus* quidem in ſuis ad Nonium notis immutavit quidpiam. Nam *Antonii Auguſtini* neo ego habeo, nec apud alios invenio. *Arbuto* tuum pro *Arbuſto* vehementer placet, nam omnino neceſſe eſt, ut de peculiari genere loquatur. Niſi putemus *Arbuſti* vocem ſpecialius quandoque uſurpatam & pro *Arbuto*. Quum etiam in Philoxeno habeatur *Arbuſtos*, χάμαι δρυς: quanquam ego in Siſenna malim *Arbuto*. In *culta pinu* haereo, quoniam ex caeteris de hac ſpecie intelligi poſſe videtur, licet abſit *culta*, quod iſtoc quidem ſenſu carmini, quam proſae aptius quis putet. Nolo tamen repugnare, maxime ſi adjumenta quaepiam aliunde accedant. *Elzevirium* promiſſis non ſtetiſſe, moleſte fero. *Curionem* hic detentum citra voluntatem ab aegritudine ſcio. Baſilii naumachica proxime commendabo tibi, nunc enim nimis impedior. *Capelano* debeo reſponſum. Si per te licebit mittere, proxime hoc debito me liberabo. Habui diebus hiſce a Cl. *Morhofio* Epiſtolam, in qua nunciari tibi jubet cum officiorum promptitudine amiciſſimam ſalutem. Iter cogitare ſe in Angliam, Gallias, & Italiam aeſtate imminente, deſiderio coram agendi cum viris per regiones illas celebrioribus ſignificat. Quod cum non ingratum forte tibi ſit cognoſcere, ſignificandum ſtatim arbitratus ſum, ut ſi litterarum aliquid ad eum vel mandatum per me voles dare, proxime huc mittas. Ego enim ſcribere hebdomade proxima conſtitui. Interea cura, ut valeas, meque, ſicut facis, ames. Upſaliae a. d. 19. Martii CIↃIↃCLXIX.

EPISTOLA CXVI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upſaliam.

PErlata eſt hodierno die ad me epiſtola *Graevii* noſtri; qua is teſtatur, expectari quotie die reducem ex Galliis *Elzevirium*. A reverſo confeſtim manum operi tuo admovendam fore, & quidem eo feſtinatius, quod Spanhemiana, quae ſcis, jam ferme ad finem ſunt perducta. Gronovianas in Plinii hiſtoriam naturalem caſtigationes lucem jam ſpectare. Ejuſdem Tacitum, ac Suetonium ſuum, ſub praelo parum promovere. *Reineſii* poſtuma per *Brummerum* juris publici eſſe facienda, ſimul atque is ex peregrinatione Italica retulerit ad ſuos pedem. Lutetiae prodiiſſe tomum alterum ſcriptorum Hiſtoriae Eccleſiaſticae animadverſis Valeſianis illuſtratum. Haec & plura ille. Sed de rebus Gallicis poterimus certiora doceri ex *Elzevirii* literis, ubi is ſuis erit redditus & nobis. Hiſce interim, qualiacunque ea ſunt, te minime fraudandum eſſe duxi. De rebus meis ſunt quae tecum agam, ſed mallem ea coram in ſinum tuum effundere. Valitudo pertinacior facit, ut reditum ad meos urgere apud proceres noſtros flagrantiſſime pergam, utque deprecatus ſim provinciam, etſi honorifica ſit ſatis, legationis, quae foederatorum Belgarum nomine paci Suecos

cos inter & Moſchos componendae deſtinatur, mihi demandatam. De diſceſſu tamen ex hiſce regionibus ante Kal. Quintiles proximas obtinendo nihil temere auſim adfirmare, praeſertim cum illuſtriſſimus *Grotius* Gallica legatione ordinaria, ut vocant, nuper ſit auctus, ac proinde iſti ſpartae adornandae ſe accingat. Pro Nonii loco gratias ago ingentes. [1] De *culta pinu* conjecturam veram nolo praeſtare: etſi *colere ferro arbores*, *colere vineta* & ſimilia paſſim apud Columellam, ſcriptorem elegantiſſimum, occurrant. Nam Horatianum illud dices eſſe poëticum: *Neque harum, quas colis, arborum, te, praeter invisam Cupressum, ulla brevem dominum sequetur.* Hiſtoricos tamen modis loquendi poëticis uti in comperto eſt. De *Arbuto* ne dubitem locus Ovidii facit. Quid quod in pervetuſtis Columellae membranis ſcriptum identidem *Arbuſto* pro *Arbuto* offendi, ne de Gloſſario Philoxeni miremur. Potuit Ovidius Siſennae locum, de *culta pinu* non minus, quam de *Arbuto* imitatus eſſe, ut Silium Italicum nonnulla ex Salluſtio deſumſiſſe animadverto. Quale illud libro XII. verſ. 354. Qui locus ex optimis membranis ſic conſtituendus eſt.

Iſque ubi Torquatum raptim properata ferentem
Signa videt, pugnaeque avidas accendere dextras,
Fraude loci nota, latebroſa per avia ſaltus
Evolat, & proviſa fugae compendia carpens,
Virgulta tegitur valle ac frondentibus umbris.

Vulgo illuc legitur *accedere dextras*, *profuſa fugae compendia*, & *occulta tegitur valle*. Vallem virgultis obſitam deſignat. eſt autem Salluſtianum, ex cujus hiſtoriis profert Servius, *conſedit in valle virgulta nemoroſaque. Occultam vallem* quis de mendo ſuſpectam habuiſſet, niſi alio nos vocaret Agrippinus ille liber praeſtantiſſimus? Sed jam nimius ſum. Alias agam de locis Silii rem nauticam tangentibus, quos videor ope membranarum integritati ſuae reſtituiſſe. Ad *Capellanum*, curabo, quas mittes. Eſt enim mihi is propediem compellandus. Ad *Falconerium* tuas necdum miſi, ſed mittam proxima hebdomade, quod *Elzevirium* jam itinere defunctum augurer, cujus opera hic mihi eſt imploranda. *Curioni* cum valetudine negotium eſſe inique fero. Si is cogitur etiamnum ab hac abeſſe civitate, fac, quaeſo id ex te intelligam. *Falconerius* viderit haud dubie tuas in Petronium animadverſiones. Sunt enim in Urbe viri principes talium ſic ſatis curioſi. *Falconerium* eſſe ex primaria Etruriae nobilitate, patruum habuiſſe Cardinalem, alias puto monui. Vale, vir clariſſime, & me, quod facis, ama conſtanter. Holmiae CIↃIↃCLXIX. a. d. x. April. manu propera.

P. S. Addit *Graevius Gronovii* filium in Macrobio non minus, quam Polybio luci adornandis deſudare.

1 Haec pertinent ad Ovid. III. Art. Amat. 692.

Digitized by Google

EPISTOLA CXVII.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Heinſium.

CUR tam tarde reſpondeam tuis, ecce tibi cauſſam, *Baſilium*, quem ſemel ſumptum in manus volui abſolvere, ac una ad te mittere. Non feres aegre pro humanitate tua, ſi petiero, ut oblata occaſione ipſum cures ad *Elzevirium*, ac in calce meorum de Militia Navali librorum jubeas collocari. Vellem autem una facie, diviſis, uti vocant, columnis exhiberi Graeca Latinaque, non duabus, ſicut ego hîc ſcripſi. Caetera pro arbitratu ſuo conſtituet *Elzevirius*. Pro iis, quae ex Gracvianis nunciaſti, gratias ago maximas. Gronoviam in Plinium videre aveo, ut &, quae tu promittis, ad rem nauticam ſpectantia. Utinam habuiſſem copiam eorum, priuſquam mea ad *Elzevirium* fuiſſent miſſa! *Falconerii* genus nunc primum ex te intelligo. Quare oro, ut ſi ſcribes, excuſes ei meam hanc ignorantiam. *Capelano* hîc mitto alias, quia video ex poſtremis ejus traditas, quas ſuperiori autumno miſi. An vero & *Menagio*, *Bigotioque*, dubito, quia nihil ſcribunt, & is, cui dederam negotium, diem ſuum obiiſſe dicitur. Tu ſi ad eos alioſve ſcribes, dabis operam, ut ignoſcas, mea cauſſa. Miſi enim Nob. *Bigotio* Mauricium, quem in Galliis vidiſſe nec dum puto. *Gronovii* filium egregiae indolis oportet eſſe ac doctrinae, qui Polybium polliceri nobis audet. Gratulor ego viro optimo hoc nomine, gaudiumque ei ex virtutibus ejus filii opto durabile ac perpetuum. Ego nunc in re vehicularia pergo, nec deponam, ſi permittat valetudo, antequam abſolvero. Meum quoque de pingendi arte Commentarium, qui Norimbergae publicatur, pene ad finem audio perductum. Valetudo tanto tempore, ac tam pertinaciter adverſa tibi me quoque affligit, qui intelligo, quanto cum detrimento litterarum ſit conjuncta. Quare opto ex animo, ut deus te reſpicere, vireſque priſtinas reſtituere tandem velit, quod plane hoc vere, cum clementior fiet aëris conſtitutio, futurum confido. Ante abitum te certe ſum viſurus, ſi modo vixero. *Curio* noſter nondum valet, ſed modo decumbit, modo obambulat, modo iterum lecto ſeſe dare compellitur, neque polliceri quidquam audet de profectione ſua, quam tamen optat modis omnibus. Plura non habeo, tantum oro, ut me, quod facis, amare pergas. Vale, Upſaliae a. d. 20. April. CIↃIↃCLXIX.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CXVIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upſaliam.

HAbui hodierno die literarum nonnihil a *Bigotio*, qui & ſalutem tibi plurimam voluit dici ſuo nomine, & ſignificari, recte ad ſe perlatos, quos munus miſiſſes, libros, vir clariſſime. Ut jam ſecurus eſſe poſſis horum quoque, quos eadem, ni fallor, via ad *Capellanum Menagiumque* miſiſti. Illud vero indigne tuli, quod addit vir optimus, de pertinaci ſua valetudine, per quam in Neuſtria detineri pergat, & de morte *Valerii Chimentellii*, quem in ipſo juventutis flore fata intempeſtiva e vivis abſtulere. Nam *Allatium*, de quo nuntios nuper accipiebamus, nobis ereptum eo moderatius ferendum, quod is juſtum vitae curriculum jam quodammodo peregiſſet. Libellos nonnullos recens editos ſecum mihi ex Galliis laturus eſt *Elzevirius*, atque in his rariora numiſmata *Seguini*: tum luculentam *Salmaſii* praefationem de homonymis plantarum, Specimen magni operis de plantis, cui Typographus aut in Belgio noſtro, aut in Britannia quaeritur: quod ſine copia characterum tam Arabicorum, quam Hebraicorum opus ipſum in lucem proferri vix poſſit. *Thevenotum* in Hollandiam profectum, ut edendam illic curet Geographiam Arabicam *Abulfedae* cum verſione Latina, uti ex *Graevio* quoque jam cognoveram. *Fabrum* cogitare de Scaligerianis recenſendis, libello haud magni pretii, idque inter turbas domeſticas ſuper filia illi exortas, quae bibliopolae Salmurienſi nupta res ſuas habere ſibi a marito ſit juſſa. Accepiſſe ſe inſcriptiones *Falconerii* athleticas, quas & ad nos deferri quamprimum velim; Praeterea *Redii*, Medici Florentini, de inſectis librum. Agit ad haec de dialectica Ciceroniana, libro longe rariſſimo, jam olim apud Polonos edita, Auctore viro quodam illuſtri ex Sarmatica nobilitate: quod ſcriptum a *Luca Holſtenio* plurimum laudari meminerit, quodque opter in lucem denuo proferri. Si librum vidiſti, aut exploratum habes, certiora de illo a te mihi promitto. Haec ille. Venio nunc ad tuas: Naumachica Baſilii mittam ad *Elzevirium*, ubi tuto id licebit. Revocatur domum illuſtriſſimus *Grotius*, ut legationem obeat Gallicanam. Is puto menſe Junii profectionem adornabit, cui committetur faſciculus, ſi non alia erit interea temporis occaſio in promtu. Ad rem navalem ſpectantia, de quibus egi tecum, in Silio potiſſimum occupantur ex membranis optimis a me recognito. Si tanti ea ſunt, mittam opportuniore tempore, nunc ab iſta cogitatione avocor. Nec eo loco valetudinem experior, ut intentiori ea labori reſpondeat. *Gronovii* noſtri filius natu maximus, quid in re literaria praeſtiturus ſit, videbimus propediem. Tuum de pingendi arte commentarium in Germania edi neſciebam, quo inexſpectatus magis obveniet nobis is theſaurus. *Curioni*, viro officioſo & probo, valetudinem confirmatam precor. Ego etſi miſſionem jam flagitavi ſaepenumero a proceribus noſtris, tamen promoveo parum. Metuo

etiam ne revocato, quod dicebam modo, Oratore noſtro, difficiliores hoc ipſo experiar. *Graevius* Typographum offert Meurſianis trium inſularum antiquitatibus, quae hactenus ineditae in Regis bibliotheca Holmiae, ut ſcis, aſſervantur. Excurret ad vos proximis diebus illuſtriſſimus regni Cancellarius, quantum audio. Poteris fortaſſe illi perſuadere hac oblata occaſione libri editionem. Nam ſine procerum conſenſu fruſtra id ſperemus. Typographus eſt *Petrus Elzevirius*, qui Ultrajecti ſedem fixit. Librum dedicabit Regi *Graevius*; Sin minus, eam ego provinciam in me recipio. Has ad Cl. *Brunnerum* tuae diligentiae commendatas volui. Vale, vir celeberrime. Exarabam Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXIX. a. d. XXIII. April. Jul.

EPISTOLA CXIX.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

QUae me ſcire voluiſti ex Bigotianis litteris, gratiſſima fuere, niſi quod *Chimentellii* morte intempeſtiva interceptum nobis doleam plurimum, quod ad illuſtrandas litteras humaniores pertinebat. Scaligeriana, quae a *Fabro* ſcribis recenſeri, haud intelligo. An libellus iſte eſt, quem ante tempus exiguum ediderunt Hagae Comitis? Si is eſt, judicium in *Fabro* requiro. Nec enim videtur is libellus ſine multiplici invidia retractari poſſe. Dialecticam Ciceronianam vidi nunquam. Fuit tempore aliquammulto Holmiae in ſchola Germanorum Rector quidam, *Herbinius* nomine, gente Polonus, quocum egi pridem eo de libro. Ajebat is, ſatis ſibi eſſe notum, & in Polonia contemni. Denique miſſurum mihi, ut primum ad ſuos revertatur. Sed ad hunc diem nihil ejus vidi. Scribam *Titio* Dantiſcum proxime, ac explorabo rectius. Meus de Pingendi arte Commentarius vix reſpondebit expectationi tuae. Neque edidiſſem; niſi dandum aliquid omnino fuiſſet *Entero* Typographo, cui Militiam Navalem ante promiſeram. Hiſtoricum opus, quod a me conſcribi ait, necdum quidem ſcribi coeptum eſt, incipietur tamen brevi. *Chronicon* appellant *S. Olai*, quia continet praecipue res geſtas *Olai*, Regis Norvagorum. Id opus ſimul prodit antiquiſſimas, certiſſimas, fideque digniſſimas res populorum per Septentrionem, neque illo & *Sturleſonii* Chronico quidquam inter vetera monumenta, quod majorem mereatur laudem. Aliud nunc ſub praelo eſt, ex Suecico veteri a me tranſlatum, quod appellant vulgo *Konungaſtyrelſe*, hoc eſt *Inſtitutionem Regiam*. De quo me ſcripſiſſe pridem puto. Editur Holmiae, neque ſcio, quando poterit perduci ad finem. De Illuſtriſſ. Cancellarii adventu hactenus nil audio, ſi venerit, curabo commiſſum mihi negotium diligentiſſime. Sin minus, ipſe Holmiam excurram, ſaltem ut te videam & appellem, ubi dabitur fortaſſis commoda occaſio. Tibi valetudinem opto firmiorem, & ut votis tuis omnia reſpondeant. Quamquam ſi me reſpicio, malim te propius, quam longius a nobis abeſſe. Pro curis tuis circa meas epiſtolas innumeris, humanitateque

cac-

caetera plane singulari quas reddam gratias non habeo, agere tamen nullo tempore intermittam. Interea oro, ut me amare pergas, atque etiam etiamque te valere jubeo. Iterum vale. Upsaliae a. d. 3. Mai. CIↃIↃCLXIX. Rev. *Brunnero* nostro reddidi Epistolam tuam, gravissime is hactenus decubuit. Sed nunc incipit reconvalescere.

EPISTOLA CXX.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upsaliam.

PRoximis diebus vergebat denuo in pejus valetudo mihi; ita factum est, ut Oratorem foederatorum Belgarum ad vos contendentem non sim comitatus, quod mihi jam pridem erat propositum, vir clarissime. Sed nec de demandata mihi a Proceribus nostris ablegationis ad Russos provincia, certi quid consilii mihi hanc ipsam ob caussam capi potuit. Deprecatus quidem sum honorem oneroſum adfectae valetudini, sed exploratum nondum habeo, an preces sint auditae. De dialectica Ciceroniana ad *Titium* jam scripsi. Auctorem libri nominare non potuit *Bigotius*, sed post eundem ad dignitatem Cancellarii evectum asseverat, ut de *Samoskio* suspicari possimus, cujus & de Senatu Romano commentarius circumfertur, etsi *Sigonio* a nonnullis vindicatus. Noribergam cum forte ad Cl. *Arnoldum* scribes, viro optimo in memoriam velim revoces negotium codicis membranacei Metamorphoseon Ovidianarum, quem possidet *Nicolaus Rittershusius*, librum notae haudquaquam contemnendae, uti jam olim a *Gronovio* nostro sum edoctus. Eum *Arnoldus* ipse, qua est humanitate, utendum mihi a possessore jam olim petiit, sed senem aliquanto difficiliorem haud potuit expugnare. Si contingat *Rittershusium* ad plures abire, quo illum aetas provecta jam vocat, codicis illius rationem ab *Arnoldo* haberi cupio, ne in manus alienas deveniat, sed meo aere, si possit fieri, mihi addicatur. De expensis securus esse per te jubeatur, cui hoc beneficium haud invitus dabit, sat scio. Et haec quidem hactenus. *Curionem* si morbus Upsaliae tenere pergit, dubito enim de re parum mihi comperta, negotium Elzevirianum, quod is a se curari in hac civitate posse spem fecerat, alteri demandabo. Opus historicum, quod dixi, parum proprie nuper sum locutus: Institutionem Regiam innuebam nuper, cui observationes tuas esse accessuras fert rumor, & a magno regni hujus Cancellario praefationem. Gothicae nescio quid antiquitatis haud dissimilis sub proelo typographico sibi esse Vissenburgi Illustrissimus *Drotzetus* nuper significabat. A *Bigotio* heri habui epistolium; sed quod rerum novarum nihil complecteretur. Socratem & Sozomenum *Valesii* quotidie exspecto. Vale, vir celeberrime. Holmiae Suecor. IV. Junii mensis Anno CIↃIↃCLXIX.

EPISTOLA CXXI.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

MAgno me affecit dolore, quod de valetudinis tuae inconſtantia ſcribis. Utinam reddatur tibi, qualem & tu deſideras, & ego cum amicis omnibus ex animo precantur tibi. Nihil porro jucundius fuiſſet, quam ſi te una cum Oratore Foederati Belgii videre apud nos, proque tot tuis meritis gratum tibi animum teſtari potuiſſemus. Honoravit ipſe cum conjuge filioque nos praeſentia alloquioque ſuo, licet ignotos, &, ut ſuſpicor, illa demum die primum auditos. Acciditque id plane inopinis nobis, qui ante habuimus praeſentem in aedibus noſtris, quam venturum intellexeramus. Contemplatus eſt nonnulla minuta, quae in Muſaeo noſtro ſervantur. Utrum inter ea fuerit, quo expectationi ejus ſatisfactum ſit quodamtenus, ignoro. Explorabis tu occaſione data, & ſignificabis mihi. Doleo, me nil monſtraſſe ipſi pertinentium ad rem litterariam, eorumque, quae vel jam ſub manu habeo, vel elaborata primum ſervo. Sed & tempus erat veſpertinum, & ipſe feſtinabat ad alia. Quod ſi me reſque meas notiores ei facies, plurimum tibi me devincies. Norimbergam ſcripſi octiduo ante, quam tuae mihi redderentur. Scribam tamen brevi denuo, uti mandata tua expediam diligentiſſime. *Curio* noſter incipit ex mortuis reſurgere, ac ſperare meliora, imo credere, ſe poſt unam alteramve hebdomadem Holmiam iter poſſe facere. Itaque in id tempus differri negotium Elzevirianum fortaſſe nil nocuerit. Quid autem *Elzevirius?* me quidem totum tradidit oblivioni. Neque ſcio, quid cum Militia mea meditetur. Forte aliud conſilium cepit, de quo utinam per te poſſem certior fieri. Quem Illuſtriſſ. *Drotzetus* curat excudi librum, *Sturleſonius* eſt, nuper mihi nominatus, linguaque Danica primum editus in Dania a *Wormio*. De *Meurſii* opuſculis ineditis egi diebus hiſce cum Nob. Dn. *Grypenbiolmio*. Pollicetur is ſuam operam, neque putat rem difficultatem habituram. Ajunt, huc venturum Illuſtriſſ. Cancellarium, quocum pariter agam eo nomine, ſi occaſio idonea ſe offeret. Plura non ſuccurrunt hac vice. Quare claudo, teque plurimum valere jubeo. Upſaliae a. d. 11. Juni. CIↃIↃCLXIX. Nob. *Bigotium* ex me ſalutabis, cum ſcribes, orabiſque, ut ſignificet, an libellos meos acceperit.

EPISTOLA CXXII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upſaliam.

HAbui proximis diebus epiſtolium a *Gronovio* noſtro, ubi inter caetera, *amplissimo & optimo Scheffero plurimam ſalutem*, *cui etiam*, *quod debeo exſolvam*

vam quamprimum. Taciti sui sub praelo typographico desudantis mentionem, quod mireris, nullam omnino fecit. Observationes suas ad Naturalem Plinii historiam jam typis esse descriptas docet, nec prostare tamen venales, dum contextus ipsius Plinij a typographo absolvatur. In Plinii junioris epistolas etiam nescio quid bibliopolae promulgandum tradidisse, praeter secundas in Plautum curas. Se quoque ab Amstelaedamensibus invitatum, ad profitendas publice humaniores literas, sed vergente jam aetate in senectam detritum, commendatione sua *Marco Meibomio* adfuisse, qui eam spartam jam adornandam susceperit. Haec fere ille. *Bigotius* ultimis suis significabat proditurum esse Lutetiae propediem operum B. Maximi Collectionem Graecolatinam, nescio quo adornante, tribus voluminibus distinctam. *Elzevirium* ex Galliis reversum adhortari non desino, ut manum militiae navali admoveat quamprimum, promissi atque fidei obligatae reus. Monui & *Grovium* hodie, ut cessantem interpellet nonnunquam, & a nimia procrastinatione ad officium revocare nitatur. Quantum video id agit *Elzevirius*, ut Spanhemianum commentarium publico permittat, priusquam tuis lucubrationibus edendis sese accingat, etsi alia quaevis sperare nos jusserit. Mittebat proxime Socratis & Sozomeni historiam Ecclesiasticam Valesianae editionis, cum codice membranaceo Maronis ex Menteliana bibliotheca deprompto, & aliis libellis, quos omnes accepi: etiam *Brummeri* commentarium ad Legem Cinciam. Venio nunc ad tuas, vir Clarissime, proximis diebus mihi traditas. Diu est, quod profectionem ad vos minatus Illustrissimus *Grotius* me comitem sibi voluit adsciscere, nuper autem me ignaro in viam se conjecit, quod sub eam tempestatem recidiva tentatus decumbebam. Is apud me multis commendavit officia tibi abs te praestita. Nunc in eo est, ut sarcinas colligat, mandato publico, in patriam prius, mox in Gallias abiturus. Sed & mihi, valetudinem quamvis adflictam causanti, deprecantique jampridem anxie onerosam tanti honoris sarcinam, mandata publica mense proxime decurso sunt exhibita, per quae Ruthenam aulam a patriae Patribus jubeor adire, atque illic omnia tentare, ne simultates gentem illam inter & Suecos exortae in apertum Martem erumpant. Expecto quotidie nonnulla ex foederato Belgio necessaria, quibus huc perlatis in pedes me conjiciam; ut si fieri ulla diligentia possit, ante tempestatem proximam hybernam ex illo terrarum tractu emigrem. Quo magis velim *Curionem* tempestivum huc decurrere, ut cum illo coram de negotiis Elzevirianis agam. De *Meursii* postumis Illustrissimus Cancellarius optime me sperare non ita pridem jubebat. Si recordor probe, libellos tuos ad se perlatos esse jam significavit *Bigotius*. Vale, vir celeberrime, & mihi velle, ut hactenus, perge. Holmiae A. CIↃIↃCLXIX. a. d. XVII. Junii.

EPI-

EPISTOLA CXXIII.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

PER aliquot hebdomadas decubui ex pedum aegritudine, & dolore capitis. Quominus vitio mihi vertes, quod tam ſero tuis reſpondeam. Primum autem gaudeo, gratiaſque tibi ago, quod Mauricium & Gellium ad Cl. *Gronovium* curare volueris. Deinde ut pro Militia navali mea ſollicitus eſſe pergas, officioſiſſime te oro. Accepi hodie ab *Elzevirio* decima quarta praeteriti Novembris ſcriptas, in quibus conqueritur deeſſe ſibi Typographum idoneum perficiendo operi, quem ſi nactus fuerit, ſignificaturum mihi. Verum metuo, ne ſint verba vacua & promiſſa vana. Idcirco cupio tandem certus eſſe de rebus meis. *Friſius*, de quo ſcripſi, eſt *Andreas Friſius*, Bibliopola Amſtelodamenſis, qui Magium de tintinnabulis, & Eculeo, Gallonium de cruciatibus Martyrum, Pignorii Menſam Iſiacam, Ciacconii triclinium, & id genus alia edidit, cuncta ad antiquitates pertinentia. Quo magis ſperabam fore, ut reciperet meum quoque opus. Sed tu amplius deliberabis. Quod ſi certus eſſem, nolle *Elzevirium* promiſſis ſtare, neminemque ex veſtratibus ſe offerre alium, Norimbergam ſcriberem, ut ſignificavi nuper, atque ideo impenſe rogo, ut efficias quo ſciam aliquando, quid cogitare debeam. Omnem ſpem in te unico habeo repoſitam, quem idcirco tanta fiducia compello, quod tu pro ſolita humanitate tua vitio non vertes mihi, confido. Scholiaſten Apthonii a quo ſperare poſſim, non diſpicio. Danis interdictum ſecreto eſt commercium litterarium cum noſtris. Ideo nemo eorum meis litteris reſpondet, poſtquam apud ipſos *Chriſtianus* Rex eſt factus. Ita cogor ſcribere quod poſſum, non quod volo. Reineſianas ad *Daumium* epiſtolas habeo ad me diebus hiſce perlatas munere Cl. *And. Boſii*, qui nuper eas edidit. Scribit ſe habere plures alias, editurumque eſſe, ut primum reperiet, qui ſumptus facere in editionem volet. Bibliothecam *Reineſio-Brummerianam* diſtrahi Lipſiae, reperto nemine, qui vel totam, vel maximam ejus partem ſibi vellet emere, deploratque interitum tot bonarum obſervationum, marginibus librorum a *Reineſio* adſcriptarum. Libros quoque Variarum Lectionum reliquos in Bibliotheca Reineſiana negat inveniri, & idcirco ſuſpicari ſe, ſublatos furto. Sibi memorat impoſitum eſſe a ſuperioribus, ut Hiſtoriam Eccleſiaſticam componat hujus & ſuperioris ſeculi, atque ita interverti propoſitum de edendo Joſepho, quod hactenus habuerit. Plura non occurrunt, quare claudo, teque plurimum ſalvere ac valere jubeo. Upſaliae. a. d. 3. Januarii Anno CIↃIↃCLXXI. quem tibi cum ſequentibus quamplurimis laetum fauſtumque precor ex toto animo. Has ad Cl. *Gronovium* mittes, quandocunque commodum erit.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CXXIV.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

QUod jam ex *Columbo* noſtro intellexeram, id ipſae tuae nunciant mihi litterae, diuturno moleſtiſſimoque pedum morbo te affligi. Quae res eo majorem mihi attulit dolorem, quod quanto morbus iſte damno ſit non modo corpori, quod excruciat, ſed ipſi quoque animo, quem ad omnia facit triſtiorem, ſatis ſuperque didicerim. Quo magis Deum immortalem oro, ut reſtituat tibi vires, ne tot bonis carere diutius Reſpub. litteraria cogatur, quae ex te ſummo deſiderio indies expectat. Pro Graevianis ad me curatis ſummas ago gratias, ut & iis, quae de perlatis ad Cl. *Gronovium* libris ſignificas. De *Brummeri* fato pridem putabam conſtitiſſe tibi: nam is quidem ſuperiori aeſtate aquis ſuffocatus eſt in [1] Italia. Habui ante hoc triduum litteras a Cl. Dn. *Morhofio*, reduce in patriam ex itinere. Is te perofficioſe jubet ſalutari. Nunciat praeterea non pauca de viris eruditis per Angliam & alia loca, inter caetera & iſta, Dn. *Iſaacum Voſſium* ex Oda Catulliana, *Phaſelus ille, quem videtis hoſpites*, concinnare opus de Architectura navali. *Tanaquillum Fabrum* edidiſſe librum, titulo neſcio quo *Du Chriſtianiſme*, ob quod ſcriptum ab officio Profeſſorio ſit ſubmotus. *Annam Mariam Schurmans* cujuſdam *Labadiae*, hominis ſeditioſi & Chiliaſtae, partes ſecutam Belgio cum ipſo diſceſſiſſe, adque ipſam Elegiam dehortatoriam ſcripſiſſe *Conſtantinum Hugenium*. Quae eadem omnia mihi admodum ſunt inexpectata, nec fortaſſis tibi alia videbuntur. De caetero narrat, *Friſium* Typographum, de quo ſcripſi nuper, edere Hieronymum Mercurialem de arte Gymnaſtica, & neſcio quem alium de Pileo. Unde adhuc ſpes eſt, ipſum in ſe recepturum meum de militia navali commentarium, ſi cum ipſo agatur. Quamquam cum ſit mihi ignotus, ego quidem ipſe facere hoc nequeam, id tantum optem, ut res meas ab *Elzevirio* poſſem recipere. *Curionem* noſtrum, reducem a vobis ante biduum, compellavi. Petit enixe veniam omiſſi tecum colloquii, quod prohibuerit & negotiorum multitudo, intra biduum vel triduum abſolvendorum, & valetudo minus proſpera. Brevi excurſurum ſeſe denuo ad vos confirmat, & acturum pluribus tecum de negotio Elzeviriano; chartas quoque redditurum, ſi ſic videatur, quas habeat non hîc, ſed Holmiae. Ego nunc Chronicon Epiſcoporum Upſalienſium hîc ſum editurus. Res mea Vehicularia decurrit ad finem, & promittit Typographus ejus publicationem circa feſtum Paſchatis, adeo praevortit *Elzevirium*, quod do-

1 Immo in Gallia Anno 1668. III. Decembris undis fluvii *L'Arberine* dicti abreptus & ſubmerſus. vide *Georg. Beyeri* praefationem ad Opuſcula Brummeriana, quae bono rei literariae Lipſiae Anno 1712. edidit.

doleo. *Graevio* respondebo alio tempore, nunc enim non possum. Te quoque, antequam a nobis discedas, visurus sum, si vixero, nec me ulla impediet difficultas, modo tempus itineris intellexero: qui & hoc & longe plura majoraque debeo tot tuis in me meaque meritis, ante omnia tam humano benignoque animo, quem ut perpetuum mihi serves talem, qualem simul profitentur litterae, etiam etiamque oro. Vale. Upsaliae 14. Februar. CIↃIↃCLXXI.

EPISTOLA CXXV.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinsio.

Hebdomade.

ANte paucos dies ad me venerunt litterae Cl. *Gronovii*, nunciantes inter alia, quod significavi nuper, redditum ipsi esse opus meum de Militia Navali, sed quod & miror, & indignissime fero, dimidia sui parte mutilum, nec enim accepit, ut testatur ipse, nisi librum primum, & partem aliquam secundi. Caetera desiderantur omnia, ut & Basilii Naumachica, & imagines a me delineatae. Non excogitare satis possum, quid impellat Elzevirium, ut tam inique mecum agat. Nunquam ei meo opere molestus fui, nunquam ut id ederet, compellavi. Ipse ultro ad me scripsit, sibique petiit. Poterat ergo bona pace mea ab initio non suscepisse hoc negotium. Sed postquam ultro suscepit, ferre utique non debeo, tam indigne me haberi, ac non tantum per biennium & amplius differri; sed & nunc ab ipso id, quod meum est, contra fidem & officium boni viri mihi negari, cum stolida simulatione, quasi reddita sint omnia. Video eum copiam exemplarium obtendere, quae adhuc ad manus habeat. sed etiam habuit jam illo tempore, cum a me exigeret secundae editionis volumen, & promitteret, se id extemplo praelo commissurum, deinde frustra est, si expectet, donec primae editionis exemplaria distrahantur, quia nemo emet, postquam publice privatimque significavi me paratam habere secundam: sed nec damnum fecit *Janssonius*, si ex 1500. exemplaribus, tot enim habuit primae, ista paucula manserint reliqua. Quare te per quicquid possum oro, ut homini improbo hanc iniquitatem monstres, & extorqueas vel ab invito, quae & missa ipsi esse redditaque nosti optime. Non in *Elzevirio* unice mea spes est reposita. Sunt in mundo Typographi, qui suam operam praestabunt mihi & in hoc & in aliis meis edendis, ringente licet *Elzevirio*. Et in hanc sententiam respondi etiam Cl. *Gronovio*, cui, oro enixe, per occasionem ne graveris mittere hanc epistolam, quam adjunxi. Aphthonium spero hac hebdomade absolutum iri. Quo facto videbo, ut ad te perferri queat. Vale, vir optime, meque, sicut soles, ama. Upsaliae a. d. 25. Martii Anno CIↃIↃCLXXI.

EPI-

EPISTOLA CXXVI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upſaliam.

Saacus Gruterus, Eraſmiano, quod apud Roterodamios noſtros eſt, Gymnaſio praefectus, occupatur jam pridem in colligendis *Hugonis Grotii* epiſtolis, ad amicos huc illuc miſſis, quas ille juris publici factas immenſe cupit. Eaque propter, quod edoctus ſit, hac in civitate complures inter *Oxenſtiernae* domus ſcrinia aſſervari, me ſummo opere rogavit, uti earum, quas vir ſummus ad illuſtriſſimum heroem *Axelium Oxenſtiernam* jam olim ſcripſiſſet, copiam ſibi ac facultatem impetrarem, ſin minus, harum ſaltem, quae arcani nihil, aut quod publice ignorari oporteat, complectantur. Tu cum contubernalibus tuis, eximio illo, inquam, adoleſcentum nobiliſſimorum pari, ni moleſtum eſt, agas, quaeſo, hac de re, & *Grutero* aut gratificare in totum, ſi potes, aut ſaltem certiores nos fac, nihil eſſe ſperandum. Alterutro enim modo fides noſtra apud hominem ut amicum, ſic hoc in negotio ardentiorem aliquanto, liberabitur. Porro integrum cum relinquant mihi Proceres noſtri ad ſe excurſum, non patiar elabi temporis aeſtivi opportunitatem jam nunc oblatam, neque ante Nonas Junias proximas viae, uti augurari licet, committam, certe ante proximos dies feſtos. Tui ſalutandi arriperem profecto ulnis ambabus occaſionem, niſi laborarem pedibus, per quos ſit, ut cogitationem omnem de Upſalia veſtra, deque viris illo in oppido tot praeſtantibus ſupremum forte nunc a me adeundis, cogar deponere. Cl. *Brunnerus* ſi Thomae Magiſtri ſchedas jam excuſſit Romanae editionis, eas ad me reverti ante abitum velim; tum quae apud *Curionem* depoſui, Elzevirianam cum *Wenxteri* haeredibus litem concernentia nonnulla. De libri tui editione praeſens cum praeſentibus bibliopolis noſtris agere & poſſum commode, & tui cauſa debeo; ſi ante diſceſſum forte noſtrum nihil reſponſi a *Gronovio Graevioque* aderit, quod nolim. Hiſtoriae Auguſtae ſcriptores cum *Salmaſii* ac *Caſauboni* commentariis eadem in Belgio noſtro forma prodiere, qua Plinium, Polybium, alios Graecos pariter ac Latinos auctores in lucem prolatos nuper vidimus. Pro Aphthonio tuo gratias ago ingentes, eumque jam libellum inter paucos ſepoſui, ubi otium qualecunque dabitur, cum cura mihi evolvendum. Lutetiae oracula Sibyllina typis denuo deſcribi audio, *Palmerii Grenteſmenelii* heredes opus Graeciae veteris illuſtratae poſtumum ἐκ παρεργῶν in Hollandiam miſiſſe, juris publici faciendum, ex *Bigotio* nuperrime ſum edoctus. Et haec quidem hactenus. Tu, vir praeſtantiſſime, nos, ſi meremur, amare perge, & ſalutem cura quam diligentiſſime. Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXXI. a. d. XII. Maii.

EPISTOLA CXXVII.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

CUM, qui hanc tibi offeret, affinitate mihi junctus (nam frater ejus gener meus eſt) iter ad vos ſuſciperet, non potui, quin ſimul te ſalutarem, propter cujus abſentiam hîc in ſolitudine verſari mihi videar. Scripſi ante menſem per Dom. Baronis *Paykill* ephorum, a quo non dubito, quin meas jam acceperis. Ad eas nunc impatienter expecto reſponſum, & quid ſperandum mihi ſit de Militia Navali mea, ſcire vehementiſſime cupio. Si eſt nemo apud vos, cui edere eam commodum videatur, etiam atque etiam oro, ut occaſione prima, qua tuto poterit, ad me remittatur. Hygini quae extant, habeo locis plus quam ducentis emendata, & parata editioni. Si vel *Gasbekii* (qui nuper edidere fabulas) vel alii volent edere, poterunt oſtendere, qua occaſione debeam transmittere. Quod & Cl. *Graevio* nunciabis, qui ſe habere ſcripſit ante haec, qui velit edere. Atque ſpero fore, ut eum impenſarum haud poeniteat. De Re Vehiculari mea nihil audio, an reddita ſit tibi, amiciſque reliquis. Quanquam bibliopola ſe miſiſſe ad vos nuntiarit. Quaeſo uno verbo, an acceperitis, ſignificare ne gravemini. Video hîc & illic eſſe typographi errata, dum meam ſcripturam parum aſſequitur. Vos excuſabitis, qui noviſtis, quam ſit difficile in tam longinquis oris emendate quidpiam publicare. Scripſi nuper tibi, litteras Grotianas Comitem *Axelium* in bibliotheca ſua, vel alibi inter res ſuas neſcire eſſe aliquas, ſed Holmiam abiturus promiſit ſe perſcrutaturum omnia, & ſi quid invenerit, communicaturum. Viris Celeberrimis, *Gronovio* & *Graevio* ſalutem adſcribo, ſi Cl. *Gronovio* Gellius meus porro eſt inutilis, poterit una cum Militia Navali mea ad me redire. Vale, vir ſumme, meque tui obſervantiſſimum amica memoria commendatum eſſe tibi ne gravere. Upſaliae a. d. 8. Octobr. CIↃIↃCLXXI.

EPISTOLA CXXVIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upſaliam.

MIraberis, ſat ſcio, vir Clariſſime, & quidem jure optimo, nil litterarum, ex quo diſceſſi a vobis, in manus tuas a me perlatum tibi. Ignoſces tamen, niſi fruſtra mihi blandior, cunctationi huic meae, ubi diſces, in ipſo itinere graviter a valetudine me tentatum, hactenus aut lecto fere aut cubiculo haeſiſſe adfixum, certe hac ex civitate pedem toto trimeſtris temporis ſpatio poſt reditum non moviſſe. Quibus moleſtiis objecto rationem reddendam fuiſſe proceribus noſtris horum omnium, quae Moſcuae Holmiaeque proximo bien-

nio

nio a me geſta ſunt in rem communem, ſi addam, minus ſuccenſebis credo pertinaciori ſilentio noſtro. Quid? quod nihil litterarum ad te dandum duxi, niſi explorata penitus Bibliopolarum noſtratium mente ſuper edendis tuis eruditiſſimis de Militia veterum Navali commentariis. Et quia integrum mihi haudquaquam fuit per valetudinem, ut dicebam modo, pedem movere hactenus ex hac aula foederatorum, *Gronovium*, *Graevium*, *Ryckiumque*, alioſque amicos, a quibus conventus ſum poſt reditum in patriam, non deſtiti impellere pro virili atque exhortari, ut operi tuo, omni diligentia, typographum mature circumſpicerent. Quod ſe facturos promiſere, dum me teque una ac eadem opera demereri ſtudent, ita proxime teſtati ſunt, nihil omnibus admotis machinis profici abs ſe potuiſſe. Non jam iterabo, quod alias teſtatus ſum abunde, quantum recordor, improbari a me vehementer factum *Elzevirii*, qui nos indignis modis ſit ludificatus: cum aut promiſſis ſtare debuerit, uti virum integrae exiſtimationis decebat, aut certe per compendia nos fruſtrari, omiſſa omni offuciarum ac procraſtinationum ambage. Remiſit itaque diebus proximis opus tuum ad me *Gronovius*, quod ego amico nonnemini ad te perferendum tradam ex horum numero, qui menſe proximo in comitatu oratoris noſtri Holmiam Suecorum iter auſpicabuntur ex hac aula: qua ego occaſionem magis opportunam non novi. Interim cum *Pyrrhi Ligorii* Antiquitates ineditae, xxx. voluminum opus, in bibliotheca Reginae dicantur exſtare, facile puto impetrabis, uti triremium figurae ex antiquis marmoribus expreſſae, quae operi iſti complures inſeruntur, & quas eques *Puteanus* olim tuos in uſus deſcribi curarat, quaeque poſtea inter manus Reginae, ut noſti, periere, denuo excerpantur inde commodis tuis inſerviturae. Addam & hoc, quod fortaſſis ignoras, clandeſtinae quantum audio machinae opus a *Marco Meibomio* Amſtelaedami adornari, & jam ſub praelo eſſe, adverſus Militiam tuam Navalem editionis primae. Nam ſcriptum exemplar tuum ejus oculis patuiſſe non opinor. Hoc mihi a *Theodoro Ryckio* jam ſemel iterumque eſt ſignificatum. *Meibomium* ipſum Holmiae ante annos hoſce vicenos noviſſe potuiſti. Cum illo nec mihi nec amicorum meorum cuiquam uſus amicitiae propior aliquanto intercedit. Sibi enim ut vixit hactenus, ita antiquum obtinere pergit. Cathedram profeſſoriam humaniorum litterarum obtinuerat ante annum alterumque apud Amſtelaedamios, ſed ex qua brevi poſt tempus ſit ejectus denuo, ut nunc privatus vivat. de iſto ejus inſtituto ſi certiora cognovero, horum omnium certiorem te faciam quamprimum. Prodiit in eadem civitate opus alterum de re navali ſermone vernaculo, molis immenſae, quod *Nicolaum Witzium* Conſulis Amſtelaedamii filium auctorem praefert, vix in tranſcurſu inſpectum mihi, ut de eo ſententiam ferre neutiquam poſſim. Commentarium tuum multa eruditione refertum, & te plane dignum, de Re Vehicularia proximis diebus munus abs te accepi, nec legi tamen, alibi occupatiſſimus: ſed ſepoſui, hiberna tempeſtate, cum bono deo, totum perlecturus attentiore cura; vehementer enim ſalivam mihi movere omnia, quae illic oculo feſtinante a me ſunt delibata. Gratias interim longe maximas ago pro munificentia tua ſingulari, conſtan-

ſtantiſſimoque in te mei demerendi ſtudio. Senecas Rhetorem Philoſophumque *Gronovii* noſtri, ac aliorum animadverſionibus illuſtratos, uti & Tacitum, propediem puto, certe ante Januarias Kalendas cum Suetonio *Graevii* in lucem protractos videbimus. Coepta & manus admoveri a *Plumero* editioni ſecundae Tragoediarum Senecae. Ex Italia habui hodie a *Carolo Dato* litteras, ſed vix quicquam complectuntur rerum novarum niſi hoc, propediem proditurum eſſe editionem Venetiis auctiorem Hiſtoriae naturalis *Ferrantis Imperati*: quam ſuperiori ſeculo Neapoli vulgatam puto me in ſcriniis bibliothecae poſſidere. Narrat *Bigotius*, Lutetiae abſolutam eſſe a patre *Coſſartio* novam Conciliorum Generalium editionem, eundemque jam cogitare de animadverſis ſuis in Themiſtii orationes pertexendis, quae auctiores quam hactenus circumferuntur ab illo in lucem protractae, neſcio qua de cauſſa, inter typographi manus annis compluribus haerere pergunt. Patres Benedictinos magno ſtudio pervetuſtos codices conquirere operum B. Auguſtini, quibus diligenter ad vulgatos libros exeuſſis ſcriptorem illum emendatiſſimum luce publica donent. Pari ſtudio certari in operibus B. Gregorii Magni caſtigandis, quorum tomus primus typis jam ſit deſcriptus. Edi etiam Marii Mercatoris adverſus Julianum opus ut pereruditum, ſic hactenus ineditum. *Elzevirius* propediem dabit Celſiſſimi Principis *Ferdinandi Furſtenbergii* Monumenta Paderbornenſia, poſt ejuſdem principis poëmata juris publici nuper facta. Aphthonius tuus *Gronovio Graevioque* per me jampridem traditus eſt. Vale, vir Celeberrime, & amicos communes, ni moleſtum eſt, verbis meis officioſe ſaluta: tum quid Upſalienſes veſtri moliantur doce. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXI. XXX. Octob. Prodiit Theſaurus Numiſmatum veterum *Caroli Patini* nuper admodum, praeter alterum ejuſdem opus majoris rei de eodem argumento.

EPISTOLA CXXIX.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upſaliam.

PRidie Kalendas Novembres, datis ad te litteris ſignificavi, vir Clariſſime, rerum mearum ſtatium, nec mihi integrum hactenus fuiſſe per valetudinem antiquum obtinentem, aut Amſtelaedamum aut ad alias in vicinia civitates excurrere: ut nec editio Militiae Navalis, cui conſultum unice volebam, promoveri per me potuerit, nec alia curari, quae agenda mihi incumbebant. Praeter *Gronovium Graeviumque Theodorus* tamen *Ryckius* operam ſuam mihi quoque approbavit, tentatis variis typographis, ſi manum operi admovere vellent. Quapropter cum haberem compertum actum a nobis agi, cepi conſilium de volumine iſto tibi reſtituendo, quod amicus meus *Johannes Wilhelmus van Kelleren* cum Oratore noſtro *Harenio* iter ad Suecos ſeſe moliturum eſſe ſubindicaſſet, quam opportunitatem curandi ad te voluminis non negligendam rebar. Detinetur tamen etiamnum hic terrarum ille, profecto jam in

Sep-

Septentrionem *Harenii*, ut libuit quicquid nondum vitae commissus sit: de quo plura proxime. De Antagonista tuo nihil postea intellexi; est enim totus clancularius, & qui in suis occultendis mira polleat industria. Epistolam tuam valedictoriam Comiti *Oxenstiernae* scriptam multa cum voluptate multoque cum fructu, ut tua soleo, jam legi, tum sua *Gronovio Graevioque* exemplaria mittenda curavi. Ajunt alium te auctore libellum prodiisse nuper apud nos, de memorabilibus Regum Sueciae; sed quem videre hactenus non est datum. *Gronovii* nostri valetudo non est eo loco, quo vellem, reliquias morbi diuturni haudquaquam potest profligare. Adhaeret tumor pedum inmodicus, & stomachus infirmus, unde ab aqua intercute periculum incumbit. Accessit & quartana nuper, ingrata hospes, nec facile emigratura ex ea sede, hac praesertim tempestate. De re litteraria, quod significare possim, nihil nunc est in promptu. Doleo non potuisse me abiturum a vobis valedicere praestantissimis collegis tuis, atque in his clarissimo *Brunnero*: hujus etiam suavissimis valedictoriis litteris quod nil rescripserim, alibi immane quantum occupatus, graviter sane iraſcor mihimet ipsi, alia occasione culpam apud illum deprecaturus: nunc salveat cum aliis amicis. Vale. Hagae Comitum a. d. xv. Nov. CIↃIↃCLXXI.

EPISTOLA CXXX.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

QUas exiguo intervallo nuper abs te accepi binas, plurimum mihi attulisse gaudii, credas velim, vir Nobilissime. Praeterquam enim quod te salvum ad tuos nunciarent perveniſſe, certum quoque me fecerunt de amore tuo erga me argumentis pluribus. Inter quae non postremum, quod tanta cura & sollicitudine non per te solummodo, sed & alios amicos tuos studueris Militiae Navali meae quaerere typographum. Quo nomine plurimum me tibi devinctum esse libentissime agnosco. Et quia intelligo vestris hominibus laborem meum displicere (quod *Elzevirius* quidem jam ante biennium indicare potuisset, si in eo fidei ac humanitatis quidquam fuisset) quanto ocyus MS. ad me remitti volo. *Meibomii* consilia miror prorsus, quem neque verbo neque facto laesi unquam, ac ne aliter quidem quam de nomine habui cognitum. Quam autem humaniter civiliterque agit, qui sibi sumit disputandum advertus librum, in quo ipse jam ostendi plurima mihi displicere? Sed videbo tamen, quae sit allaturus, & num mera editurus sit oracula. Ac fortasse factus est Apollo, postquam telonia exercere in Dania desiit. Tu quaeso fac me certiorem, utrum illud scriptum ejus contra me unicum sit directum, num vero ex occasione aliorum mea suggillare instituerit. Optarem plane, si fieri posset, specimen aliquod videre. Ac fortassis per ignotum impetrari poterit a Typographo tantum charta aliqua rejicula, in qua operarum errores solent notari. Cupio pro-

profecto valde videre, qua utatur modeſtia, ut intelligam in tempore, quali cum adverſario res mihi ſit futura. Quare te oro, quantum poſſum, ut ſis mihi adjumento in his omnibus. Interea in Lapponicis meis occupatus ſum, quae hac hyeme abſolvere ſtudebo, ſi vitam Deus dederit. Hyginum credo me emiſſurum Hamburgi, ut & Phaedri tertiam editionem, quam a me exigit typographus. Libellus meus exemplorum gentis Sueciçae tibi traditus jam eſſe debet, in eo etiam etiamque oro, ut excuſes nimis multos craſſoſque errores. Ut ſtatim ab initio pro *publicare* fecerunt *publicari*, pro *commemorarem commemorationem*. pag. 33. etiam poſt *caeteris univerſis* verba omiſerunt quaedam, quod & alibi eſt factum. pag. 121. pro *calceiſque* ediderunt *calcibuſque* & id genus alia, ut errores in nominibus propriis omittam. Promiſit equidem typographus, ſe in calce adjecturum errores, nam libellus ipſe ante paucas hebdomadas demum mihi viſus eſt. Et ſpero ego brevi me altera vice editurum auctiorem & correctiorem. Morbis tot affligi optimum *Gronovium*, cum moerore magno & dolore audio. Deus eum litteris ſervet incolumem adhuc longo tempore. Literas ab ipſo nullas habui nuper. Si Gellius meus MS. ei amplius uſui non eſt, optarem, ut cum idoneo homine remitteretur. Plura non habeo hac vice. Cl. *Brunnerus* officioſiſſime te reſalutat. Si ex me *Gronovium Graeviumque*, viros optimos, peramanter & officioſe ſalutabis, rem facies gratiſſimam. Vale. Upſaliae a. d. 15. Decemb. ɔɪɔɪɔcLxxi.

EPISTOLA CXXXI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upſaliam.

TErtium nunc ſcribo reverſus in patriam, vir celeberrime atque eruditiſſime: etſi vix habeo, quod prioribus duabus ſuperaddam, per quas ſignificavi, opus de Militia veterum Navali tuum a *Gronovio* noſtro penes me depoſitum eſſe, cum typographus illi fruſtra quaeſitus eſſet, poſt *Elzevirii* haudquaquam approbatas nobis tergiverſationes. Decretum erat mihi primo per Oratorem noſtrum *Harenium* illud ad te curare perferendum, vel per amicum ſaltem, in *Harenii* comitatu ad vos excurſurum, ne quid in tumultuario negotiorum aulicorum turbine liber fortaſſis aberraret, aut tardius ad te curaretur. Sed amicus ille, de quo ſpes erat facta, & *Harenium* elabi paſſus eſt, & ſubſecutus illum poſtea, ambiguum reliquit nobis, terrane an maritimo itinere in Sueciam eſſet excurſurus. Sarcinas ſaltem ſuas committendas mari fore cum aſſeveraret, quo expeditiorem ſe viae praeberet, non auſus ſum, fateor, hac anni tempeſtate theſaurum tantum elemento longe infidiſſimo permittere, niſi tu juberes. Exſpecto igitur mandata tua, ne temeritatis meae atque inconſultae feſtinationis des poenas, & tecum res univerſa literaria, ſi quid ego auſim praeter voluntatem atque imperium, ſine certiſſimo ſucceſſu. Interea ſervabitur apud me Militia tua Navalis in duos diſtincta tomos, una cum Baſilii Naumachi-

machicis ac figuris, quas ſecundae editioni acceſſuras adornaſti: nihil enim harum, quantum licet deprehendere, inter *Elzevirii* manus ſubductum eſt nobis. *Meibomii* de triremibus ſcriptum etſi in lucem emiſſum, quantum audio, oculis tamen hactenus non uſurpavi. Vivit is vir ſibimet ipſi tantum, alieni conſilii negligens; quare metuo, ne, quia in te praeſertim hanc fabam cudiſſe dicitur, immodeſtius aliquanto ſe geſſerit in vellicando tuo opere. Etſi ne hoc quidem ex rumore publico mihi eſt compertum. Propriis impenſis hanc lucubrationem miſit in publicum: typographum & is fruſtra quaeſiviſſet: ſi ante abitum Oratoris noſtri haec commentatio fuiſſet facta juris publici, miſiſſem utique jam eam ad te, cum dubitandum non ſit, quin ejus perlegendi deſiderio tenearis. *Gronovius* noſter poſt morbum diuturnum, quem noſti, languere pergit, & quartana interdum tentatur. Accedit & tumor pedum immodicus, qui ne hydropem praeſagiat, ſubverendum videtur. Revocavit igitur ab omni ſtudiorum contentione tempeſtivam manum, etiam a Tacito, jam ad finem perducto propemodum. Tu, ſi quid ad me voles, ad *Danielem Elzevirium* Amſtelaedamum tuas perferri cura; niſi meliorem viam ipſe noviſti. Ad illum enim dirigunt ſuas amici Galli Italique, quas mihi traditas volunt. Nam ego in hac civitate ſedem haudquaquam ſtabilem hactenus ſum nactus. Poſſunt tamen & Holmiam ad aedes meas deferri, aut tradi *Henrico Cletſchero*, qui res foederatorum Belgarum me abſente nunc illic agit. Vale, vir ſumme, & ni moleſtum eſt, collegis tuis Soceroque, viris Clariſſimis, ſalutem a me dicito. Hagae Comitum a. d. XXV. Decemb. CIↃIↃCLXXI.

EPISTOLA CXXXII.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

DUas a me accepiſſe debes epiſtolas, unam pridem, alteram ante paucos dies ſcriptam, qua utrique tuae acceptiſſimae jucundiſſimaeque reſpondi. Supervenit nunc tua tertia, quae me docet de Militia Navali mea adhuc apud te haerente. Quae quum mitti non potuerit per amicum occaſione Legati veſtri huc in itinere conſtituti, recte feceris, ſi ſervaveris, donec alia dabitur occaſio, quam putabo tutam, quaecunque tandem tibi probabitur, cujus curam in his & ſollicitudinem jampridem habeo perſpectiſſimam. *Meibomii* de triremibus, praeſertim ea parte, qua in me invehitur, videre cupio impatienter. Quare nihil mihi unquam gratius praeſtiteris, quam ſi miſeris citiſſime. Quod ſi mitti liber ipſe tam cito non poterit, fac quaeſo etiam atque etiam, ut habitum ipſius cognoſcam, & ea praecipue intelligam, quae in meis vellicat. Cupio & illud ſcire, denſus ne ſit, item utrum novam foveat ſententiam de ordinibus remorum, & num triremium occaſione ſcripſerit de omni genere navium. Haec & his ſimilia ut ſignifices mihi, primo quoque tempore, rogo impenſiſſime, ut deliberare poſſim, utrum reſpondere ipſi debeam, an

caninos latratus negligere. *Gronovii* viri summi afflictissima valetudo magnum mihi metum incutit amittendi ejus, a quo ingentia adhuc in rem litterariam beneficia debent expectari. Deus omen avertat, reddatque nobis eum, salvumque servet longo tempore. Quod si tamen ei quid humanitus eveniet; quod nolo, ne omittas quaeso dare operam, quo Gellius MS. meus recte mihi remittatur. De meis rebus scripsi nuper, neque habeo nunc alia, nisi quod invenerim diebus hisce scriptorem Suecum MS. *Israelis Erlandi* nomine, qui vitam S. Erici Regis & miracula composuit ante annos circiter trecentos, nemini adhuc notum. Chronicon Archiepiscoporum sub praelo, per ignaviam incuriosissimi *Curionis*, contabescit, atque perit, antequam in lucem veniat. Is *Curio* postquam satis noti in aula *Ambrosii*, Linguae Italicae Magistri, viduam duxit uxorem, adeo a se ipso degeneravit, ut in *Curione* nil sit reliquum, praeter vestes obsoletas & vocabulum. Vale, annumque hunc cum subsequentibus plurimis laetus salvusque in multiplicia rei litterariae commoda amicorumque gaudia transige. Resalutant te officiose omnes, quos per me salutari voluisti. Upsaliae a. d. 2. Januarii Anno CIↃIↃCLXXII.

EPISTOLA CXXXIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upsaliam.

QUartum nunc, quantum licet meminisse, vir celeberrime, ad te scribo, ex quo pedem retuli ad meos, super commentario tuo de Militia veterum Navali mirum anxius in modum. Amicus ille, cui eum consignare ad vos profectionem meditanti destinaram primo, nondum, quod sciam, Holmiam pervenit, expilatis partem maximam in via sarcinis, aliisque molestiis non paucis objectus; ut nondum poeniteat, ejus opera in perferendis ad te seriniis tuis me non fuisse usum. Iis interim quid factum cupias aveo vehementer doceri. Cum & ego sub aestatem proximam domo sim excursurus, ac creditus valetudinem thermis Aquensibus, si per apparatus bellicos vicinorum, qui nos atrociter premunt, id licebit; ac praeterea vix sit sperandum, ut librarii nostrates opus illud publici juris faciendum in se recipiant. Si per continuam pedum debilitatem ac dejectas vires non prohiberer hactenus omni excursu in vicinas civitates, jam ego typographos tentassem ipse super hoc negotio, quod nunc alienae curae parum feliciter committendum fuit. Meibomianum de triremium apud antiquos fabrica opusculum vidi: te ex professo, quod tamen significatum erat, non invadit. Sed judicium fert de curis tuis illius argumenti prioribus, posteriores enim non vidit, egregie iniquum. Cui tamen sive petulantiae, sive malignitati minus, sat scio, succensebis, quando deprehendes, *Casaubonum*, aliosque praecipui nominis in literas viros, nihil benignius illic haberi. Vix dedetam ad te postremas meas, cum mihi significatum est *Gronovium* nostrum diu valetudine tentatum pessime adfecta hydropicaque in

ex-

extremis esse. Desiderabat ille alloquium meum non leviter. Nec potui tamen morienti adesse ob causas sonticas, quas paullo ante exponebam. Rogavi tamen *Theodorum Rykium*, Juvenem egregium, ut meis vicibus apud praeceptorem suum fungeretur, in cujus complexibus ὁ πάππος expiravit, incredibili mecum dolore, qui amicum intimum & in paucissimis carum amisi. Illustrissimus comes *Oxenstiernius* nobis nunc adest, a quo conventus sum semel. Si daretur mihi in publicum frequentius prodire, quotidianus lateri ejus adhaererem. Vale, vir eximie, properabam, Hagae Comitum Anno CIↃIↃCLXXII. VI. Febr. Gregor. Petronii fragmentum Tragurianum attentius legebam nuper ac relegebam. Observabam & nonnulla post accuratissimas tuas in id annotationes. Jam certo sum persuasus esse Arbitri hunc genuinum foetum: ut qui contra senserint hactenus, nihil sontire mihi videantur. Iterum Vale.

P. S. His jam obsignatis epistolium Amstelodamo ad me perfertur a *Frederico Scantzio* exaratum, qui significabat binas se abs te literas habere mihi tradendas. Ejus rei volebam nescius ne esses. Vale.

EPISTOLA CXXXIV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upsaliam

ANte octiduum, vir Clarissime, agebam tecum per literas, adhuc incertus, an ex trinis meis ullas accepisses. Postea tres simul a te accepi opera *Scantzii* affinis tui, quibus nunc respondebo. *Marci Meibomii* de te invadendo consilium improbo vehementer, sed quod perexiguus mihi cum illo sit necessitudinis usus, ad saniora revocare qui possim hominem non video. Excussus fortunis apud Amstelaedamios quodammodo, quos inter literas profitebatur humaniores, nec causam sat scio, nunc sibi privatim vivit, familia numerosa, ut ajunt, oppressus. Operi suo de fabrica triremium antiquarum cum typographum non inveniret, suis impensis librum describi curavit, cujus ipse ego exemplar nullum hactenus sum nactus, nisi quod *Graevius Rykiusque* mihi aliud agenti exhibuerunt. Sunt enim nunc alia, quae me occupent ac morentur. Est autem, ut prae se fert auctor, haec lucubratio pro specimine habenda commentarii majoris. Certe plura ejusdem argumenti promittit. Te in eo non quidem sibi vellicandum proponit magis, quam *Scaligerum*, *Casaubonum*, *Palmerium*, aliosque summates in re literaria viros, qui de re navicularia, aut in transcursu, aut ex professo egerunt: sed fert de curis tuis prioribus judicium malignum satis, ut ex schedio cognosces. Rogavi hodie per literas *Scantzium*, ut si quem nosset ad vos propediem Amstelaedamo discessurum, ei consignaret voluminis istius exemplar, quod ab *Elzevirio* rationibus meis adscribendum auferre possit. Jussusque est opera eadem *Elzevirius* id tradere postulanti *Scantzio*. Casaubonianam Polybii versionem verbis aliquanto procacioribus idem hoc in opere *Meibomius* proscindit passim, cum & ipse tamen erroribus suis

obnoxium ſeſe praebeat non uno in loco. Quale illud, quod in Virgilio lib. v. 663. caſtigandum cenſet, *factus abiete puppes*, pro *pictis puppibus*: non recordor ad pictos in puppibus deos tutelares eſſe referendum hunc locum. Sunt tamen erudita nonnulla in hoc commentario. Quapropter vellem alienos, ſi qui ſunt, errores aliquanto modeſtius refellendos ſibi proponeret. Et haec quidem hactenus. Libellum tuum exemplorum Suecicorum non vidi. Mentionem ejus apud me ante hos tres quatuorve menſes, tanquam proſtantis apud bibliopolas, fecit is idem, qui primas abs te mihi tulit literas. Diſtracto bibliopolio Janſſoniano ante biennium, inventa ſunt illic exemplaria nonnulla ac publice inter bibliopolas divendita Militiae tuae Navalis. Ea res ſufflaminavit, credo, impetum *Elzevirii* ac aliorum, ne commendantibus nobis editionem ſecundam, merito quantumvis, manum darent. Hygini fabulas dictus eſt *Gaesbeckiis* fratribus obtuliſſe neſcio quis ex Italia literarum humaniorum profeſſor, qui ex vetuſto codice eas caſtigarit, ſuppleveritque locis non paucis. An rumori illi credendum haut ſcio. Sed percontabor amicos Leidenſes. Suadeo interim, ne quid moreris propoſitum tuum de iiſdem fabulis edendis. Phaedrum quoque tuum editionis tertiae videre geſtio. Neſcio quis in Holſatia eum edidiſſe cum variis hominum eruditorum obſervationibus nuper ſcribatur. In fabula de ruſtico & porcello nondum me poenitet conjecturae. Ubi *verrem* & *verri*, pro *verum* & *vero* bis reponendum eſſe cenſebam jam olim. Ex Italia libri navigant complures ad me miſſi, qui proximis annis illic prodierunt in lucem. Quos inter opera *Latini Latinii* 2. vol. in 4to. Marmora erudita equitis *Urſati*, Pars ſecunda gemmarum *Antonii Auguſtini*, Pars itidem ſecunda Pachymeriae hiſtoriae Conſtantinopolitanae in folio. Nili epiſtolae in fol. Parietinae ſive inſcriptiones antiquae S. Paulli in fol. Roma antiqua *Nardini*, Inſcriptiones Athleticae *Falconerii*, Martyrologium antiquum *Florentini*. *Donius* de reſtituendo agro Romano: aliique complures. Auctor is de rebus geſtis S. Erici Regis non pauca haud dubie complectitur curioſis oculis haudquaquam indigna. *Gronovium* cum dies XXVIII. Decembris menſis abſtulerit nobis, incredibili meo cum dolore, monebo liberos, ut Gellius tuus reſtituatur tibi. Perduxerat amicus noſter caſtigationes ad ſcriptorem illum ſuas in librum duodecimum, ni fallor. Reliqua abrupit intempeſtivum fatum. Prodibunt tamen illa, credo, in lucem cum aliis non paucis adhuc edendis. Bibliothecam ſuam vetuit divendi, quae inter filios duos proinde dividetur. Commentarii tui de Archiepiſcopis Upſalienſibus vicem doleo. Nuper dum evolvo forte Petri Abbatis Cellenſis epiſtolas, Lutetiae ante annos plus minus ſexagenos editas, vidi illic mentionem fieri *Archiepiſcopi Upſalienſis*. Ad quem ibi exhibentur papae Alexandri III. litterae, etſi Archiepiſcopus illic non nominatur. Fit & mentio Falconis Eſthonum Epiſcopi: fit & *Suetiae* & *Sueonum Regis*. Scribit idem Alexander illic ad *Lingacopenſes*, ad Epiſcopum *Stranenſem*, *Stravengarenſem*, *Trundenſem*. Si librum non vidiſti, excerpam inde quae res Suecicas tangunt, aut librum ipſum a me accipies utendum. Vixit autem *Petrus Cellenſis* ſub Alexandro papa jam dicto. In eo jam eram, ut haſce opera tumultuaria exaratas

ob-

obſignarem, cum me compellat *Berkelius*, is ipſe nimirum, qui Stephanum Byzantinum apud *Gaasbekios* edendum curat, qui de Italo Hygini fabulas promittente rem mihi confirmavit, oblitus tamen nominis. Viros clariſſimos, Socerum & reliquos collegas jubeo plurimum ſalvere. Vale, vir eximie, & ſummae feſtinationi ignoſce. Hagae Comitum Anno CIↃIↃCLXXII. XII. Fab. Gregor.

P. S. Rogo, vir Clariſſime, ſignifices terra an mari Militiam Navalem ad te reverti deſideres. Mari poſt menſem alterumque deeſſe nobis occaſio haudquaquam poterit, ſed cum vicini nobis bellum parare dicuntur primo vere, quod omen deus avertat, nihil te inconſulto tentare certum eſt; ne, ſi quid praeclaris iſtis vigiliis ſequius obtingat, ego me culpa oneratum agnoſcam. Vale.

EPISTOLA CXXXV.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Hafniae.

QUas per *Schantzium* ad me dediſti, recte mihi redditae ſunt. Pleriſque, quae in iis deſiderabas ſcire, jam reſpondi ante octiduum, quod reſponſum meum dedi Dn. *David Strang*, mercatori Amſtelodamenſi ad te curandum. Spero te jam accepiſſe illud. Pro ſtudio, quod adhibuiſti in comparando mihi libro *Meibomii*, gratias ago maximas. Pecuniam pro eo numerandam reddam libentiſſime, ſi cui reddi velis Holmiae ſignificaveris. Judicium, quod de Militia Navali mea fert *Meibomius*, magnopere non curo, nec enim vel judex ipſe atque cenſor publicus eſt conſtitutus, nec ab unius judicio, omnium vero minime *Meibomii*, noſtra ſtare cadereve ſpero. Si de triremium ſtructura nihil habet ſolidius, quam quod in notis ad Vitruvium protulit, monſtrabo, vanas ejus eſſe conjecturas, quae cum ipſa rei pugnent veritate. Sed mihi expectandum eſt, donec librum ipſum videro, quem impatienter expecto *Elzevirium* a publicatione ſecunda mei operis deterritum per auctionem Janſonianae Bibliothecae non exiſtimo. Emit ultro, meque ignaro figuras omnes, & exemplaria editionis prioris, & poſt demum editionem ſecundam a me petiit, tanquam ad quam factus ſit paratior per ea, quae ſibi ex praedicta auctione comparavit. Magis igitur credo a *Meibomio* hoc ortum, qui nimirum *Elzevirio* perſuaſit, ſeſe editurum opus, quo mea tantum non omnia revellentur. Utinam autem his negotiis nunquam ſe immiſcuiſſet *Elzevirius*, nec emiſſet ſibi ſupra dictas figuras; jam pridem editam Militiam Navalem meam haberem, ex ſecundis curis. Mea in Hyginum vel ideo arbitror nec dum publicanda, quo videre prius poſſim, quae Italia ſubmittit nobis. Oro autem, ut me certum facias, an jam praelo ſint ſubjecta. Librum Exemplorum gentis Sueticae redditum tibi confirmavit mihi pridem *Gothofredus Schultzius*, bibliopola Hamburgenſis, ſuſpicorque ipſum haerere apud haeredes *Janſonii*, *Waesbergium* & caeteros, quibus-

buscum crebra ei negotia intercedunt. Scribam illi proxima occasione, atque ubi culpa haec resideat explorabo. Phaedrum pridem transmisi Hamburgum. Quod in fabula Rustici & Porcelli, doctissime mones, potuissem indicare, si de ea prius scivissem sententiam tuam, nunc alii servandum est occasioni. Ago interim pro ea gratias, quas debeo, maximas. Auctor vitae S. Erici non habet quidem multa singularia, sed quia tamen monumentum quoddam est antiquitatis, nostrique talium penuria laborant, ideo non puto negligendum. In Chronico Episcoporum nihil hactenus est actum. Si Petri illius Abbatis loca videre possem, forsitan me juvarent. Nunc ille mihi non est compertus, ac ne in Bibliothecis quidem nostris habetur. Gellium cum caeteris meis recuperare cupio, vel per mare transmissa, si itinera terrestria minus futura sunt secura. Facies tamen, quod tibi optimum videbitur. Casus fortuitos praestare nemo tenetur, omnium minime tu, qui tot beneficiis me totum habes pridem in aere tuo. De Re Vehicularia mea quae sint aliorum judicia, nondum perscripsisti. Multa ibi, praesertim libro secundo, edita esse vitiose doleo. Sed quid faciam in hoc terrae angulo constitutus? Plinio, teque ab amicis omnibus officiosissime resaluto. Vale. Deus te servet, viresque corporis restituat tibi. Vale. Upsaliae a. d. 2. Martii CIↃIↃCLXXII.

EPISTOLA CXXXVI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upsaliam.

HOC ipso temporis momento perferuntur ad me tuae longe acceptissimae illae profecto, quas *Fredericus Scantzius* ad curam suam pertinere voluit. Nam quae per *Davidem Strangium* nescio quem ante curatas oportuisse scribis, eas nullas accepi hactenus, nec commentarium exempla gentis Succicae complexum. Scribo hodie de hac & illa re ad ipsum *Scantzium*. Interim narro, accepisse me hesterno die epistolium a *Graevio* nostro, quo nuntietur, egisse sese cum *Waesbergio* bibliopola Amstelaedamensi de edenda Militiae tuae Navalis lucubratione, nec illum abnuisse, si persuaderi possit *Elzevirius*, ut salubri pretio tabulas qua ligneas, qua aeneas, ad opus illud jam olim pertinentes, sibi divendat. Id autem cum se promiserit facturum *Elzevirius* jampridem mihi, si alius bibliopola sese operi in lucem proferendi accingeret; non potest salva amicitia nostra deesse hîc nobis. Si procedet id negotium stante pollicitis *Waesbergio*, nec perduci *Elzevirius* poterit tamen ad tabulas, quas dixi, alteri isti communicandas, ipse Amstelaedamum me conferam, etsi debilis, ac infirmus, ut ad aequa is perpellatur. Quod nunc monendum duxi, ne tu commentarium istum alteri fortassis typographo addicas, dum certipta omnia de *Waesbergio* nobis sint explorata. Egeram & ego cum bibliopola nuper in hoc oppido (extra quod pedem hactenus non protuli) de editione ejusdem operis, & jam ille persuasus videbatur, haec ut ageret: sed re communicata cum patre

suo

ſuo apud Roterodamios negotio (is eſt *Laetius*) reſiluit a propoſito, & ſpes noſtras abruptit. Vel eo magis hanc rem ad curas revocandam mihi cenſeo, quod collatis nunc cum Britannica iterum gente foedcratis Belgis, nihil literariae adhuc ſupellectilis mari concredendum poſthac turo videatur. Minimum certe abfuit diebus proximo decurſis, quin magnam copiam codicum bonorum, quos amici Itali Roma Florentiaque ad me mittebant, ſuerim perditurus. Evaſit tamen navis, quae theſaurum hunc ferebat nobis, ſalva, & effugit feliciſſimum in modum hoſtiles aſſultus. Aderat mihi die heſterno ex Gronovianis liberis filius natu minor, cui aurem do Gellio tuo vellebam. Teſtatus eſt is, ſeſe jam fratremque ab alio neſcio quo eadem ſuper re tuo compellatos nomine, ac ſibi curae fore, ut liber is ad te revertatur. Ceterum cum parens morte praeventus Obſervationes ſuas in Gellium non abſolverit, *Jacobum* fratrem id agere, ut pertexat hanc telam marte proprio: qui & poſt Gallicam peregrinationem Macrobium illuſtravit. Hygini fabulas ex Italia qui pollicetur eſt *Mutius Barettus* Placentinus, homo mihi ignotiſſimus. Jam conſului amicos Florentinos de hoc novo ſcriptore, ſi quid pollicen de illo nobis debeamus, quod vix opinor. Nec opinor *Gaesbekius* fratres de edendo codice oblato fidem hactenus ſuam obligaſſe. Quapropter te nolim frivolas has ob cauſſas a propoſito deterreri. Abbatis Cellenſis Petri, ſi quod exemplar aliunde ejus poterit, id tibi vindicabo: ſin minus, curabo ex meo codice excerpenda in tuos uſus, quae ad Suecas antiquitates illic videbuntur pertinere. Commentarium tuum de Re Vehiculari meritos tuliſſe applauſus non eſt quod dubites. Cum ejus evolvendi deſiderio ſe teneri teſtaretur *Bigotius*, redemtum a Bibliopolis exemplar ad illum perferendum curavi. Ego illi perlegendo me totum accingere nondum potui, curis domeſticis immane quantum diſtrictus: quibus tamen ut expediar, fiet propediem. In re literaria apud nos frigent omnia, & frigebunt porro, quantum licet conjectura aſſequi, incumbente nobis bello graviſſimo. Amicos Upſalienſes jubeo ſalvere. Vale, vir celeberrime. Exarabam Hagae Comitum, Anno CIↃIↃCLXXII. IX. Kalend. April.

EPISTOLA CXXXVIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upſaliam.

NUllas tuarum in via periſſe opinor, praeter illas, quas *Elzevirio* te miſiſſe ſcribis: nam neque illae comparent hactenus, & negat ipſe *Elzevirius* quicquam abs te aut ab aliis ex Suecia nuper ad ſe perlatum, vir Clariſſime. Quas *Strangio* commiſeras, eae etſi tardius aliquanto, recte nihilominus ſunt curatae. Proximis meis ſignificabam ſpem nobis eſſe factam a *Graevio* de Typographo neſcio quo, qui Militiam tuam Navalem publico tradendam in ſe recepiſſet. Sed dum & cunctetur *Graevius* rem extra dubium ponere, & tu poſt edi-

editum Meibomianum argumenti ejuſdem commentarium malis, ut credo, lucubrationes iſtas de novo percenſere, oblatae a *Strangio* libri ad te perferendi occaſioni deeſſe nolui. Miſi itaque ad *Fridericum Scantzium* ante hoſce XIV. dies ſchedas omnes ad rem navalem pertinentes cum Baſilii Naumachicis, ut eas aut ipſe, aut *Strangii* opera uſus, Holmiam mittendas curaret; cui nautae eas tradiderit, propediem ex me cognoſces. Si interim conſtare ſibi pergit de opere edendo Typographus ille, de quo mecum egit per litteras noſter *Graevius*, ejus rei mature te admonebo, ut, ſi conditionem non averſaris, liber ad nos redire poſſit, te volente: ut dubitem tamen de oblatis bibliopolae faciunt bella atrociſſima, quae nobis terra marique ingruunt ab hoſtibus potentiſſimis, & quae promovendis artium bonarum ſtudiis haudquaquam favebunt. Eorum virus noxium jam nunc experimur, dum nec Tacitus *Gronovii*, nec *Schultingii* Seneca, aut Suetonius *Graevii*, quos prodiiſſe jam dudum in lucem oportuit, publico hactenus donentur. Lucubrationibus tuis de Re Navali addita ſunt a me tria exemplaria Monumentorum Paderbornenſium, totidemque Poëmatum Illuſtrium VII. virorum, quae diviſa inter te velim, magnumque Regni Sueciae Cancellarium, ac virum Ampliſſimum *Edmundum Grypenhielmium*. Scripti & hujus & illius auctor eſt in potiſſimis Celſiſſimus *Princeps Paderbornenſis*, qui voluminis utriuſque ex typographia Elzeviriana nuper in lucem prolati exemplaria complura ad me pervenire voluit, cum viris eruditis ac dignitate praecipuis communicanda. Voluit idem Princeps, ut in monumentis Paderbornenſibus nomine Typographi praefarer nonnulla, ad operis commendationem ratus ea factura, ubi cum non pauca dicantur de eximiis virtutibus noſtri Principis, eaque ſatis magnifica, perſuaſum tamen habeas volo, vero majora haudquaquam a me dicta. Vides, vir Clariſſime, de alieno liberalem me eſſe factum, quando de meo vix poſſim. Virgilium ex recenſione noſtra jam minimum abeſt, quin abſolverit *Elzevirius*; qui tamen vix tanti eſt, ut ad te perferatur, quod annotationes nullae accedant. Coeptus & edi Valerius Flaccus, ſed operis adeo ceſſantibus, ut vix ſemeſtri tempore ad librum tertium ejus auctoris a Typographo ſit perventum. Et haec quidem hactenus. *Jacobus Gronovius* ante profectionem Hiſpanicam monitus a me, ut codicem Gellianum reſtituendum tibi curaret, id jam factum abs ſe reſpondet, librumque traditum Profeſſori Juris neſcio cui Upſalienſi, qui de eo repetendo rem abs te in mandatis habuiſſet. Meibomiana ad te perlata jam pridem oportuit, quando ejuſce curam rei in ſe ſuſcepit *Schantzius*, qui & ipſe ad me perſcripſit conſultum abs ſe *Waesbergium* bibliopolam, ecquid exemplorum gentis Suecicae libellum mihi tradendum penes ſe haberet; negavit ſe habere. Quid Upſalienſes veſtri moliantur, quid tu mediteris, cupio vehementer doceri. Vale, vir eximie, & mihi velle, ut hactenus, perge. Hagae Comitum XX. Maii. CIↃIↃCLXXII. Haſce jam exararam, cum me compellat *Fridericus Schantzius*, ac docet, de litteris ad *Elzevirium* abs te miſſis errorem eſſe: eas enim litteras ſibi fuiſſe concreditas abs te, quae *Elzevirio* ad me mittendae traderentur, & abs ſe recte ad me miſſas fuiſſe. Commentarium de Militia Navali tuum cum libris adjunctis jam navigare.

fuiſſe

fuiſſe enim conjectum in navem, cui Calmariae nomen, ac deſtinatum Holmiam ad affinem tuum *Brobergium*. Hoc volebam neſcius ne eſſes. Iterum vale, vir celeberrime.

EPISTOLA CXL.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

JAM pridem binis tuis ultimis reſpondiſſe debueram. Sed impediverunt me morbi, qui me toto hoc vexarunt anno, & adhuc vexare non deſinunt. Deinde ſtatus rerum veſtrorum turbulentiſſimus, ob quem neſciebam, an poſſem ſcribere, & per quem litteras ad te curarem. Nam & *Schantzius* noſter a vobis diſceſſerat, de quo ad hunc diem ignoramus, quo venerit, & incidiſſe in latrones, ac ab eis vita ſpoliatum eſſe metuimus. Nunc quia Dn. *Strang* ſpem fecit fore, ut ſi litteras ad ipſum darem, ad te ſint perventurae, ſcribo ac ſignifico, recte mihi eſſe reddita non modo Meibomianum opuſculum de fabrica triremium, ſed & caetera, quae huc miſiſti, cum Militia Navali mea. Pro quibus omnibus ſummas tibi ago gratias, & ut Celſiſſ. Auctori meo nomine ſubmiſſe, obſervanterque agas, diligentiſſime rogo. Acceperunt ſtatim & Illuſtriſſ. Cancellarius, & Gen. Dn. *Grypenhielm* ſua exemplaria, quod fortaſſis jam ſignificarunt tibi. Meibomianum inventum, totum quantum, nullum eſt, nec ei firmando ullus facit locus veterum ab ipſo adductus, quod tibi ſuo tempore faciam planiſſimum. Fruſtra itaque ſe jactat tam arroganter homo vaniſſimus, & doctis omnibus tam inciviliter inſultat. Ego haec aeſtate nihil propemodum egi. Et diſſuaſerunt medici, ut incumberem libris, ſi vellem denuo reconvaleſcere, quibus vel propter uxorem liberoſque meos eſt parendum. Prodiit tamen Hamburgi, ut ſignificavit nuper typographus, epiſtola Cl. *Bochartі* a me verſa in Latinum ex Gallico, de Aenea nunquam in Italiam profecto. Ibi denique ſub praelo eſt Phaedri noſtri tertia editio. Hyginus etiam eo mittetur proxime. Quem ſi tuo nomini inſcripſero, ex officio facturum me meo ſcio, utrum vero gratum tibi ſit futurum, ignoro, utque in tempore me doceas, oro. Lapponia pervenit ad finem. Deſiderantur picturae ac imagines, quas cum commodum eſt delineo. Militia Navalis mea forte typographum inveniet Francofurti, nec dum tamen ſatis certus ſum de ea re. Gellium meum MS. Holmiam allatum eſſe his diebus audio. De aliis meis non habeo, quod nuntiem: Socer meus abſolvit verſionem Latinam Codicis legum Succicarum. *Magnus Celſius*, Matheſeos Profeſſor, Chronologiam infallibilem *Chriſt. Ravii* refutavit, diſputatione publica non ita pridem habita apud nos. Quae res *Ravium* tanto dolore dicitur affeciſſe, ut Academiae huic vale dixerit, & nunc factus ſit Profeſſor Francofurti ad Oderam. Plura non ſuccurrunt. At res veſtrae plurimum mihi afferunt moeroris, cum praeſertim ſcire nequeam, quomodo

se habeant amici communes, deque te ipso, forteque tua plane sim incertus. Scribe igitur, si potes, & me libera hoc metu, simul fac, ut intelligam, quo pacto vivat optimus *Graevius*, multum enim vereor, ne in summo discrimine versetur. Deus vos omnesque nos respiciat, & totius universi turbatores aliquando castiget. Quo in voto desino, atque ut me porro amare pergas, etiam etiamque te oro. Vale. Upsaliae a. d. 20. August. CIↃIↃCLXXII.

EPISTOLA CXLI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upsaliam.

QUantae calamitati Foederatorum Belgarum populus hoc anno sit objectus, vir celeberrime, nil necesse est, ut operosum in modum enarrem tibi: cum ex fama publica non possis non habere mala nostra perspectissima. Ego, etsi valetudini obnoxius, ex quo in patriam reversus sum, obsecutus tamen auctoritati ac mandato Principis in Germaniam me contuli, ubi tertium jam mensem haereo, ad meos, uti spes est, propediem rediturus, quando copiosius de studiis communibus tecum agam. Tu vicissim si alloquiis tuis longe acceptissimis subinde me beaveris, non parum equidem sum debiturus tibi. Omnium tutissimum fore opinor, si tuas *Elzevirio* bibliopolae tradendas cures Amstelaedaml. Ante meam ex patria profectionem egi cum typographo Amstelaedamensi de Militiae tuae Navalis editione altera in publicum proferenda: quod monitus essem a *Graevio* nostro, inventum sibi, qui conditionem libri in lucem emittendi non detrectaret. Et sane paratum is se mihi professus est ad suscipiendam hanc provinciam, modo pacatiora tempora adfulgeant. Existimo autem multo fore consultius ejus opera ut utaris, quam typographi apud Germanos cujuscumque; qui figuras operi inferendas ab *Elzevirio* tam facile haud quaquam impetrabit. Tu tamen, vir Clarissime, facies, quod e re tua videbitur. Ostendebat idem Typographus mihi Meursianas, quas nosti, trium insularum antiquitates, jam magna ex parte typis suis descriptas. Haerere tamen opus asseverabat ob inopiam chartae. Augurari licet pacem speratam huic quoque malo remedium mox esse allaturam. Phaedrum tuum editionis tertiae videre vehementer desidero. Uti & Hyginum, cui quod me patronum circumspicis, honorem maximum ulnis ambabus amplector. Pluribus agam tecum redditus mihi ac meis: nam hic militares inter strepitus nunc vivo, qui me totum obtundunt. Officinas librarias hac in civitate vix obiter inspexi, ubi se mihi obtulerunt Valerius Maximus & Sulpicius Severus *Joannis Vorstii* notis non ineruditis illustrati. Et has mei juris ante discessum faciam, & si quid praeterea melioris notae librorum occurrit. Vale, vir celeberrime, & valetudinem, si me amas, cura quam diligentissime. Francofurti ad Moenum XVIII. Octob. Gregor. CIↃIↃCLXXII.

EPI-

EPISTOLA CXLII.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Hagae.

ANte biduum ad me ſunt allatae tuae, Hagae Comitis hoc ipſo menſe ſcriptae, quae me multo affecerunt gaudio. Primum, quod te ſalvum ac incolumem in hoc periculorum pleno tempore ad tuos nuntiarent reverſum. Deinde, quod oſtenderent, manere eundem tuum tamen erga me animum, qui fuit longo tempore, memoriamque mei non intervalla locorum, non ſilentii diuturnitatem poſſe oblitterare. Fateor equidem, me debuiſſe pridem reſpondiſſe tuis, ſaltem iis, quas ad me ſcripſiſti Francofurti. Nam quas ex aula Paderana dediſſe ais, ad me hactenus non ſunt perlatae. Verum quia ſentiebam, nuſquam certo loco te ſubſiſtere, praeterea itinera militibus infeſta nuntiabantur, malui exſpectare, donec tutior mittendi litteras occaſio ſe praeberet. Equidem ne nunc quidem ita omnia compoſita, ut optant, quotquot belli mala mecum vel experti ſunt, vel ſciunt aeſtimare: ſpero tamen litteraria commercia paullo tutius & certius a nobis poſſe coli in poſterum, quam hucuſque factum. Itaque ad utraſque illas tuas nunc reſpondeo: primum quod Militiam Navalem meam attinet, nihil quidem ea nunc teſtinat; nec tamen expectare veſtros Typographos poſſe videtur in hac temporum difficultate. Phaedrum eſſe publicatum ſcio ex bibliopola Hamburgenſi, nam huc uſque ipſum nondum contigit videre. Scripſi ei pridem, ut ad *Elzevirium* curaret exemplum tibi mittendum. Et fortaſſe jam ad te perlatum eſt, non enim credo neglecturum, quod tam ſancte promiſit. De Hygino nihil plane mihi nunciatum eſt, niſi quod excudendi ejus initium ſit faciendum circa medium aeſtatis hujus. Si jam factum eſt, ipſas meas ſpes typographus anticipavit. Anonymum, qui argumenta fabularum Ovidianarum concinnavit, adjicere non propoſui. Quod ſi ejus lectiones varias communicare mihi haud gravaberis, forſitan invitabunt me ad eum una cum fabulis Fulgentii emittendum, quarum varias lectiones ſpero me a *Gudio* impetraturum. Epiſtolam, ſub nomine *Conſtantini Opelii*, a me contra fabricam Meibomianam eſſe ſcriptam tibi ſoli confiteor. Nolo enim mihi eſſe quid negotii cum homine maledicentiſſimo & audaciſſimo. Quod jactabat, refelli haud magno negotio a ſe poſſe, quae in ea ſcripta ſunt, credo facile, ſi reſpicio illius animum. Quid enim putet ſe non poſſe, qui ex quovis quidvis audet fabricare? Caeterum an doctis ſuam ſit approbaturus ſententiam, dubito admodum, cum non conjecturis mea, ut ipſius, & violentis explicationibus, ſed argumentis evidentibus, aperto verborum ſenſu, & conſpiratione veterum monumentorum ſint ſubnixa. Tu firmabis me in hac ſententia, vel oſtendes contrarium, ſi epiſtolam ipſam haud gravabere, vitioſiſſime quidem, ut Hamburgi, editam, ſed cui ſubjungi errata curavi, poſtquam pars exemplarium jam eſſet me invito inſcioque diſtracta. Cujus exemplum ad te curabo perferri ope-

ra bibliopolae Hamburgenſis, ut primum litteras ad eum dandi occaſio praebebitur. Ego hactenus & per biennium fere aegrotavi, neque ſpem recipiendae priſtinae valetudinis habeo magnam, adeo a ſcorbuto corpus totum occupatum eſt. Non ita igitur potui expedire deſtinata, ut volebam. Chronicon Archiepiſcoporum Upſalienſium brevi perducetur ad finem, poſt ingentes moras, quas injecit neſcio quibus cauſſis typographus. Lapponia mea Francofurtum eſt miſſa initio hujus anni, quanquam ad hunc diem ignorem, utrum eo perlata ſit, cum a bibliopola nullas adhuc viderim litteras. Orationem, quam publico nomine habui coram Rege, cum primum ad imperium propriis curis tractandum acceſſiſſet, quia ſic volebant, typographo deſcribendam dedi. Mitterem exemplum ejus, ſi ſcirem, qua ratione tuto poſſem. Nunc recolo, quae annis pluſculis occaſione lectionum publicarum in diverſos notavi ſcriptores, non unius generis omnia, quoniam nec auditores ſemper iidem fuere. Videbunt fortaſſe lucem ſub titulo Lectionum Academicarum. Dices, quando tandem finis erit nugarum? Itaque claudo, ut tamen prius te rogem plurimum, ne graveris ſignificare, quid *Graevius* noſter vivat, & has litteras mittere ad *Jacobum Gronovium*, ubicunque fuerit. Nam reſpondeo epiſtolae ipſius ſcriptae ante annum, ſed nunc demum mihi redditae, ut neſciam, quo loco nunc verſetur. Vale. Upſaliae a. d. 13. Mai. CIↃIↃCLXXIII.

EPISTOLA CXLIII.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Magam.

ACcepi tuas, ſuperiori menſe ſcriptas, e quibus video, ne inter has quidem bellorum turbas Cl. *Graevium* intermittere curas promovendae rei litterariae. Quod quidem admodum mihi eſt jucundum cognitu, optoque ad nos perferri, quae ab ipſo eduntur. *Cuperum* Daventriae humaniores profiteri litteras, nunc demum diſco ex tuis. Placet mihi vehementer ejus in edendo Luciano propoſitum. Deſiderat enim is ſcriptor, ut cum cura edatur, quam adhibiturum debitam virum egregie doctum confido. Quae in Italia nuntias eſſe publicata, ſunt haud dubie utiliſſima, ſed eorum videndorum copiam nos habituros unquam, ne ſperamus quidem, in hoc turbulentiſſimo rerum omnium ſtatu. Neque enim pacis ulla cogitatio apud quenquam, dum alii pro libertate, alii pro dominatione tentant ultima. Deus miſeriam tot millium reſpiciat. Mitto tibi hic Chronicon Archiepiſcoporum, una cum oratione mea, & epiſtola de triremibus, de quibus omnibus proxime judicium tuum & eruditorum aliorum apud vos expecto. Phaedrum ſcripſit typographus Hamburgenſis pridem ad te miſſum, neque dubito quin *Waasbergius* interea tibi reddiderit. Stierrhielmianae in Ulphilam curae ſunt tumultuariae, nec a noſtris magni fiunt, praeſertim Theologis, qui multa deſiderant in ipſius praefatione. Atque poterant profecto multa aliter ſcribi. Sed nimirum, ſicut ipſe noſti,

fuit

fuit ingenium ejus laboris impatiens & calidum. Dico, fuit, quia rebus humanis pridem vale dixit. In Gothicis & Suecicis antiquitatibus nihil nuper publicatum. Chronicon magnum Rhytmicum ſub praelo eſt. Socer meus meditatur novam ſuae hiſtoriae editionem, poſtquam Codicem legum Suecicarum vertit in Latinum, atque publicavit. Ego fortaſſe in lucem dabo quendam *Iſraelem Erlandi*, nec dum editum, qui ſcripſit vitam S. Erici Regis Sueciae, cum miraculis ejuſdem. Nunc Lectiones meas Academicas retracto, quae continebunt notas in Auctores aliquot Graecos Latinoſque. Hyginus nec dum eſt ſub praelo. Lapponia ſpectat finem, videbitque lucem proximis Nundinis Francofurtenſibus. Si quae habes in Julium Obſequentem, ea ut communices mihi, etiam etiamque rogo. Plura non occurrunt hac vice, niſi quod te ſalutare velim Cl. *Graevium*, & ſi quos potes alios ex communibus amicis in hac bellorum incertitudine. Deus vos ſervet, pacemque vobis ac otium reſtituat. Vale. Upſaliae 14. Julii CIↃIↃCLXXIII.

EPISTOLA CXLIV.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

PLuribus tuis una vice tandem reſpondendum. Feciſſem olim, niſi me adverſa valetudo jam inde a feſto Michaelis anni proxime praeterlapſi, ad haec tempora proſtratum tenuiſſet in lecto. Itaque pro bonitate tua & humanitate tarditati meae ignoſces. Primum autem ago tibi gratias pro inſcriptione Dalmatica, in qua video nonnulla notabilia, de quibus alia occaſione. Phaedrum & Chronicon Archiepiſcoporum Upſalienſium recte tibi tradita, laetor. Orationem quoque meam, etſi feſtinanter, neque compte ſatis ſcriptam, haud diſplicuiſſe, gaudeo plurimum. Interea & Lapponiam meam accepiſſe debes, ſi modo fidem & promiſſa ſervavit Bibliopola Francofurtenſis. Sed ea quidem tam eſt edita vitioſe, ut illius pudeat poeniteatque. Mitto hîc errata nonnulla, ſi forte tuo exemplari non adjuncta ſunt. Nonnulla dico, nam omnia enotare non potui. Et ſcio, feſtinanter relegenti ne obſervata quidem aliqua, quale illud pag. 200. verſ. 14. ubi *pendens ſemper ſupra*. & pag. 223. verſ. 3. ubi, *de Aheno*, *quod* ſcribendum. Eſt qui eam transfert in ſermonem Germanicum, ut audio, brevique parat edere. Ego quoque eam dabo non emendatiorem modo, ſed & auctiorem, ut primum haec editio fuerit diſtracta. Hyginus nunc ſub praelo eſt, & promittit typographus publicationem ejus circa feſtum Paſchatis. Nunc in peculiari opere de inſignibus priſcis regni Sueciae ſum occupatus, demandata mihi a S. Regia Maj. ea cura. Quo efficitur, ut alia, quae parabam abſolvere, tantiſper differre neceſſe habeam. Apud nos nil editur, quod ſit pretii alicujus, cum idoneos non habeamus typographos, & ſi quid editur, id manet intra fines hujus Regni. Lectiones meae Academicae, & Libri de Militia Navali adhuc circumſpectant opem alienam. Pro emen-

dationibus in Obſequentem ſummas ago gratias. Si quas cum libris vetuſtis editis aut ineditis collationes procurare mihi poſſes, faceres rem admodum acceptam. Sumam enim eum in manus, ut primum data fuerit occaſio. Dum publice Juſtinum explico, video me poſſe poſt omnes alios ad eum conferre nonnulla, forſitan non prorſus comtemnenda. Specimen accipies alio tempore. Nunc enim mittere non licet. Quid de *Graevii* Cicerone expectare debeamus, quaeſo ſignifica. Saltem nunc, quam anno praecedenti, ſpero meliora, poſtquam ad priorem ſortem Ultrajectini pervenere. Si occaſio dabitur, ſalutа eum perofficioſiſſime meo nomine, ac amicitiae veteris memoriam non penitus ex animo delere jube. Vale, vir Nobiliſſime, ac ut ſoles, me amare perge. Upſaliae 6. Januarii Anno CIↃIↃCLXXIV. quem annum tibi cum multis ſequentibus in commodum rei litterariae proſperum & laetum adprecor. Reſalutant te quoque amici omnes, quos per me ſalutari voluiſti. Iterum, iterumque vale.

P. S. Mitto hîc ſimul litteras generi mei, Poëſeos in hac Academia Profeſſoris, quem favori tuo, quantum poſſum, commendo, & intelliges ipſe pluribus in poſterum, niſi eum repudias, quantopere te colat atque veneretur.

EPISTOLA CXLV.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

SCripſi tibi 6. Januarii, raritatemque mearum excuſavi per morbum, qui me fatigavit inde ab autumno anni praeteriti, ac ne nunc quidem plane ceſſat. Significavi quoque alia, quae tum occurrebant. Nunc ex tuis in Februario ſcriptis intelligo, non eſſe traditas tibi eas litteras, quod miror, cum commiſerim Holmiae cuidam, qui ſe fide optima ſpondebat ad te curaturum. Spero tamen ad te perlatas, poſtquam ultimas ad me miſiſti. Quod cupio, vel propter errata, quae ad te miſi, commiſſa in Lapponia mea, foeda & multiplicia, ſingulis etiam occurentia paginis. Confido enim illam tibi redditam interea a Bibliopola. Sic certe mandavi, & ipſe promiſit pluribus. Quanquam neſcio quae apud id genus hominum ſit negligentia, quod video ex *Schultzii* exemplo, qui nunc demum mittit libellum Memorabilium gentis Succicae, quem jam ante annum debebas accepiſſe. Sed tamen & ipſos forte impedit interdum calamitas temporum, cui remedium ſperamus indies plenum a pace, quam cum Anglis cives tui ſancivere. Atque utinam nos omnino bonitas caeleſtis reſpiciat, commodiſque pacis mala tot tantaque bellorum permutet. Litem, quae te hactenus a litteratis curis abſtraxit, eſſe finitam tandem in tuum commodum, laetor gratulorque tibi ex animo, eo magis, quia ſpero, poſthac abs te iri compenſatum, quod ipſius cauſa ab initio intermiſſum eſt. *Jacobum Gronovium* patria deſerta conſediſſe in Italia, miror. Velim ſcire, num paternas amicitias oblivioni tradere incipiat, num tecum quoque eas colere pergat. Scripſi ei olim, uti ſcis, ſed reſponſi tuli nihil. De me,

quae

quae nuntiem, non habeo, morbi enim non ineptum magis me faciunt ad ſtudia, quam pigrum. Vix a me obtineo, ut ſcribam epiſtolam amicis, adeo non poſſum operis litterati quid abſolvere. Hyginum tamen proxime accipies, inſcriptum tuo nomini, ut promiſi ego, & tu indulſiſti mihi. Ad Juſtinum quoque pergo annotare quaedam atque Obſequentem. De quo proinde rogabo, quod petii antea, ut ſi quid lectionis variae vel habes ipſe, vel aliunde potes habere, id communicare mihi ne graveris. Cogitavi quoque aliqua ad Marcianum. Verum deſunt mihi ſubſidia, quae quomodo impetrare valeam non video, cum praeſertim ne vulgati quidem libri ad nos perferantur. Et fortaſſis fruſtra feſtino, cum iis etiam, quae jam ante confecta habeo pluſcula, praeſertim lectionibus Academicis, id eſt obſervationibus in ſcriptores pluſculos, & Militiae Navali noſtrae, Typographi deſint. Reſalutant te officioſiſſime, quotquot per me voluiſti ſalutari. Ego quoque te ſalvere jubeo, & valere diutiſſime. Upſaliae XVII. Martii CIↃIↃCLXXIV.

EPISTOLA CXLVI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upſaliam.

PAucos ante dies perlata eſt ad me Epiſtola tua, vir Celeberrime, diu multumque in ipſo itinere cunctata; cui unde procraſtinationis tantum ſit objectum, equidem divinare non poſſum. Maluiſſem quippe tempeſtivius aliquanto traditam mihi, ut de reſtituta tibi in melius valetudine, quae unice me habebat anxium ac ſuppenſum animi, certiora edocerer. Pro libris compluribus per te miſſis mihi gratias jam egi, agoque, quantas poſſum. Lapponiam exhibuit mihi *Graevius* noſter, a nobili Sueco neſcio quo ex Ubiis ad ſe perlatam nuper. Aliud ejus commentarii exemplar mihi hactenus videre non contigit. Inteſſo enim per hoſtem non unum Rheno vix datur merci librariae tutus ad nos tranſitus. Miſerat quidem menſe praeterito ex ſuis nonneminem *Elzevirius* Francofurtum, qui nundinis Paſchalibus proximis intereſſet. Verum is, luctatus aliquamdiu in Friſia provincia cum maximis itinerum difficultatibus, paucos ante dies ad herum, irritus propoſiti, eſt reverſus. Ipſe *Graevius* & ſalvere plurimum per litteras te jubet, & teſtatur praeterea perferendum ad te Suetonii ſui exemplar Baronem *Flamingium* in ſe recepiſſe. Spem ad haec facit, mox fore, ut literis ſuis te conveniat. Ego & ante menſes hoſce duos litterarum ad te nonnihil dedi, & nuper alias tradidi *Laurentio Magalotto*, viro elegantiſſimo, & nobilitatis Etruſcae inſigni ornamento, ad vos excurſum paranti. *Waesbergio* bibliopolae, cum Amſtelodami proxime adeſſem, viſus ſum intellexiſſe Fabulis Hygini abs te recognitis Aſtronomica ejuſdem quoque eſſe acceſſura. Unde vix ſpes eſt, fore ut opus omne proferatur in lucem ante Kalendas Sextilis vel Septembris. Doleo propter haec bella vix rem mihi eſſe integram de bibliotheca ex Suecis huc transferenda, quod tamen propediem a me

Digitized by Google

me curabitur, cum feram impatientius usum librorum omnem mihi interceptum tot jam annis. Poteram alioquin suppeditasse haec Astronomica Hygini cum scriptis exemplaribus duobus aut tribus collata, quae in scriniis meis servari scio. Julii Obsequentis codices vetustos qui vidisset, neminem inveni hactenus, nec aliud exemplar opinor usquam exstitisse, praeter illud, ex quo *Aldus Manutius* suam editionem Plinianis epistolis conjunctam adornavit. De Justino edendo te cogitare lubens audio. Ediderunt illum inter caeteros, *Elias Venetus* & *Tanaquillus Faber*, sed neutra editio oculis mihi hactenus est usurpata. *Graevius* in Cicerone illustrando pergit, verum passibus omnino lentis. Ejecti quidem sunt Galli ex provincia Ultrajectina, sed ne sic quidem calamitatis bellicae sunt expertes miseri cives, degente etiamnum in vicinia hoste. Caeterum post instauratam cum Brittannis pacem meliora sperare par est. Nos quidem animis ad bellum propagandum nunc accingimur, ex quo Caesar & Hispanus partes nostras sunt amplexi. Sed jacent interim miserrimum in modum bonae artes, jacet proventus omnis bonorum codicum, cessantibus typographicis praelis, & veterno quodam oppressis. Generum tuum, praestantissimum virum quod mihi conciliare non es gravatus, equidem id habeo longe acceptissimum. In Italia Galliaque ex amicis meis complures amisi nuper, atque in his *Johannem Capellanum*, miri candoris magnaeque elegantiae virum. Plura debebam ejus meritissimis laudibus, sed quae per dolorem immensum premo. Vale, vir eximie, & me tuis virtutibus unice addictum perge benevolentia, ut hactenus, omni favere. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXIV. XII. Aprilis Georg. Jam intellexeris credo *Jacobo Gronovio* in Tuscis peregrinanti delatam a Magno Duce professionem artium bonarum Pisanam.

EPISTOLA CXLVII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upsaliam.

VIX meas decurso proximo mense ad te dederam, Cl. *Scheffere*, cum [1] tuae Martii die XVII. exaratae comparuerunt: quas habui, ut tuas omnes, longe equidem acceptissimas. Lapponiam tuam nullus vidi hactenus, praeter id exemplar, quod *Graevius* noster exhibebat mihi non ita nuper ex Ubiis ad se, uti ferebat, perlatum. Nam quae in Bibliopoliis hic prostitere venalia numero perpauca, quod ipsa novitate, ut fit, nec minus sui pretii & auctoris nomine litterarum studiosis plurimum se commendarent, jam distracta esse audio. Misit quidem, ut solet, *Elzevirius* ex suis nonneminem ad nundinas aestivas Francofurtum, sed is, itinerum difficultatibus objectus in Frisia, regione ut scis paludosa, pedem referre post multas molestias ad herum coactus est. Ut hactenus compertum non habeamus, si quid exquisitae frugis in re litteraria

[1] Hae quidem ad manum erant, sed quia nihil praeter ceteras novi continebant, omisi, ut saepe alias.

Digitized by Google

ria peperint nundinae. Ex ſuperioribus meis reſcire jam potuiſti bellicae tempeſtatis inclementia apud nos adflata omnia bonis artibus ornandis promovendiſque vix locum reliquiſſe. nunc benignior paulatim adſpirat nobis aura, annuente mirificum ac ſtupendum plane in modum gratia divina: quippe cum res noſtrae ex improviſo ante hoc biennium ſic dejectae & tantum non conclamatae haberentur, ut nullis remediis erigi atque refocillari viderentur poſſe, Deus tanquam e machina repentinus ſupervenit, omniaque in integrum reſtituit, pauciſſimis exceptis oppidis, imo vix uno alteroque, quae hoſtili praeſidio etiamnum inſidentur; reliqua, ſponte, ut amiſſa erant, & nulla vi admota, ad veteres dominos jam rediere. Ego interim conſilium cepi de privata vita amplectenda, quo & temporum iniquitas, & valetudo pertinax, & deſiderium, quo flagrabam jam pridem ſingulare detexendi telam omnem ſcriniorum meorum, aſſidua flagitatione me compulerunt. Reliquum eſt, ut e privata & moleſtiſſima lite me expediam, in qua, plus quam velim, curas occupare cogor. Sed & illa jam ad finem properat, ac tranquilliorem vitae decurſum poſthac promittit. *Abrahamus Berckelius*, qui poſt Antonini Liberalis Metamorphoſes, obſervationibus ſuis illuſtratas, jam quadriennium in Stephano Byzantino edendo occupatur, ſignificabat mihi proxime penes ſe extare fragmentum MSS. fabularum Hygini ejuſdemque aſtronomicôn, ſed nulla prece permoveri potuit, uti copiam ejus aut tibi faciat aut mihi, quod prae ſe ferat, Hyginum ſuis quoque curis fore exornandum. Non opinor tamen exemplum ſcriptum, quod oſtentare dicitur, a vetuſtate commendationem poſſe multum mutuari. *Samuel Tennulius*, *Gronovii* & *τὸ μαχαίριον* affinis, Frontini Strategemata ſub praelo habet, poſt, uti vult credi, Valerium Maximum daturus. In Brittannia Joſephi, Archimedis, & Jamblichi editionem moliuntur. qua de re complura propediem ex me cognoſces & certiora. Jam enim Oratores noſtri, in quibus *Beuningius*, arctiſſima, ut ſcis, mihi junctus neceſſitudine, eo ſunt profecti, nec unum ex amicis meis in ſuo comitatu trahunt. *Iſaacum Voſſium* benigna admodum fortuna illic terrarum reſpexit, uti jam ſignificaſſe me tibi opinor. Cum *Jacobo Gronovio* rarius litterarum commercium intercedit mihi, etſi ex Etruria ab aliis amicis, atque adeo ab ipſo magno Duce, frequentes accipiam. Narrant illi, detectum nuperius antiqui operis ſepulchrum in via Flaminia, tertio aut quarto ab urbe lapide, cujus inſcriptionem luculentam addi & variis picturarum ornamentis conſpicuam. de Marciano edendo quod cogitare te ſcribis, vir celeberrime, velim me doceas, ecquid Capellam Martianum deſignes, cujus codices pervetuſtos tres quatuorve ſcio aſſervari in publica Leidenſium bibliotheca. Julii Obſequentis unicum fuit exemplar, ex quo *Aldus Manutius* editionem ſuam concinnavit. Ut fruſtra codices pervetuſtos circumſpicias illius auctoris. Lectiones tuas Academicas publico commiſſas geſtio videre. Neque enim dubitari poteſt, quin plurima in iis nos ſis docturus, quae hactenus ignorabantur. Militiae Navali typographum inveniri apud nos poſſe haudquaquam diffido, ſimulatque Galliarum Regi cum Belgis foederatis melius convenerit. Nam reliquos hoſtes, in quis regem Brittannum

& duos Antiſtites, jam a capite noſtro ſumus amoliti. Sarcinas meas ac bibliothecam e Suecis devehendas ad nos jam nunc curo. Utinam ſalvae ad me perferantur. Vale, vir ſumme, praecipuum amicorum decus. Salutat te noſter *Graevius*, ego ſocerum tuum, generumque cum clariſſimis collegis ſalvere plurimum jubeo. Hagae Comitum Anno CIↃIↃCLXXIV. XVII. Mai. Gregor.

EPISTOLA CXLVIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upſaliam.

INter illas publicae rei anguſtias, vir celeberrime, quis foederati Belgae objecti ſumus, interque praeſentiſſimam hanc artium bonarum ſolitudinem, quam bellis atrocioribus referimus acceptam, ſolatia certiora vix aliunde proveniunt mihi, quam a tuis, omni eruditionis melle conditis alloquiis. Quo moleſtius atque iniquius tuli multo jam pridem tempore nil literarum omnino abs te in manus meas perferri: cum ego frequentes exaraſſe me recorder. Ingeminat curas haſce ſollicitudo, quam lubricus atque anceps valetudinis tuae ſtatus nunquam non altam huic animo infigit. Sed ecce commodum, Hyginus tuus, proximis diebus per *Waesbergium* traditus, lenivit utcumque hoſce angores. Qui quod meum fronte in ipſa nomen oſtendit, ut non poſſum non exoſculari pulcherrimam hanc in te benignitatem, meique ſtudium omni praedicatione majus; ita me interpellat pudor juſtiſſimus, ac mei admonet ſubinde, ne poſſim hîc quicquam meritis meis arrogare. Faxo nihilominus, ſi uſus venerit aliquando, ne conqueraris rem tibi fuiſſe cum homine tanti honoris parum intelligente. Ipſum praeterea Hyginum cum cura perlegendum mihi ſub hyberna tempeſtate propoſui. Quando fortaſſe de locis nonnullis dubiae apud illum ſanitatis pluribus tecum ſum acturus. Perlata enim jam ad nos e ſeptentrione veſtro bibliotheca mea, ac ſarcinis litterariis locum mihi ſolitarium circumſpexi in agro Trajectino, qui me ſtudiis antiquis reddat, ubi primum e litibus domeſticis ac forenſibus tricis, quae me totum hactenus, ex quo ad meos ſum reverſus, obtundunt, dabitur emergere: quam felicitatem haud longe quaerendam propediem fore mihi promitto. Continget illa quoque occaſione, ut ſpero, tuis lucubrationibus, vir Clariſſime, nonnihil iri conſultum. Aſtronomica certe Hygini ſi fabulis additurum te ſciviſſem, poterant tibi in nonnullis prodeſſe mea ſcrinia. Nam praeter editionem ejus Regiam, Aldinam & Baſilienſem aliaſque, quarum copiam tibi jam factam reor, poteram ſuppeditaſſe Venetam Anni CIↃCCCCLXXXII. tibi haudquaquam cognitam, tum aliud exemplar cum ſcriptis codicibus duobus aut tribus a *Jano Vlitio* collatum. Quid, quod *Abrahamus Berckelius*, qui Antonini Liberalis metamorphoſes animadverſis ſuis illuſtratas cum Stephani Byzantini fragmento in publicum nuper dedit, ſignificabat non ita pridem, eorundem Aſtronomicôn exemplar ſcriptum ſe poſſidere,

cui

cui fabularum pars accederet. Sed cum is quoque de Hygini editione dicatur cogitare, vix video, quo ſucceſſu codex hic ab illo poſſit ſperari tuis uſibus indulgendus. Quanquam proximo biennio non defore illi, quod agat, ne Hyginum typis adornare poſſit, fit credibile; cum deſudet totus in Stephano, quem modo dicebam, Byzantino commentariis ſuis illuſtrando, cujus partem vix dimidiam toto quadriennio typographus *Gaesbekius* jam profligavit. Si cogitationes tibi ſedent editionis Hyginianae ſecundae typis mundioribus aliquando proferendae, nam Hamburgenſis illa nec emendata eſt ſatis, nec nitori lucubrationum tuarum reſpondet, fac quaeſo id quamprimum cognoſcam: ſunt enim, quae ſub vernam tempeſtatem ad te cupiam perlata; quando incumbens hybernum tempus vix permittit, ut id citius fiat. Poterimus alternis opera uti in poſterum Rumphiana, in curandis hinc inde ſive literis, ſive faſciculis majoris rei. Hunc, inquam, *Rumphium*, qui ſucceſſor mihi apud vos eſt datus, non gravaturum reor, quicquid id eſt incommodi; cum & literis humanioribus imbutus ſit utcunque, ac tibi, uti ante diſceſſum mihi ſignificabat, velit innoteſcere. Cum aliis libellis, quos tibi ſervo, ſepoſui etiam Rhetores antiquos Graecos editionis Aldinae, librum ut inventu perdifficilem, ita oblatum bona fortuna nuper mihi venalem, praeter id exemplar, quod a magno *Scaligero* legatum Parenti meo, penes me extat hactenus. Vale, vir ſumme, & mihi favere, ut facis, perge. Hagae Com. CIↃIↃCLXXIV. XXV. Octobr.

Ad nundinas Francofurtenſes proximas miſit quidam e ſuis nonneminem *Elzevirius*, cui tamen in mandatis dare ſum oblitus, ut Lapponiam tuam mihi inde adferret. Apud vos, qui alta fruimini pace, quid apparetur rei literariae, cupio doceri. Nam nos alia omnia cogitamus. *Jacobus Gronovius*, qui profeſſionem bonarum artium Piſanam, a magno Etruriae Duce oblatam ſibi, erat amplexus anno proxime decurſo, nunc inde ad nos reditum parat. Socero tuo & Cl. *Brunnero* ſalutem dico plurimam.

EPISTOLA CXLIX.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

QUas ante menſes aliquot exaravi, & per Typographum Hamburgenſem Hygino praefixi litteras, una cum Hygino ipſo pridem tibi redditas credo. Sic profecto credere me voluit *Gothofridus Schultz*, Bibliopola Hamburgenſis, qui a ſe miſſum Hyginum ſemel iterumque mihi confirmavit. Quare cum ex eo tempore nullae tuae ad me ſint perlatae, propemodum eam adducor in ſententiam, quaſi parum tibi gratum fuerit meum hoc officium. Et profecto fateor ultro, id eſſe tenue ac minutum. Quia tamen ex amico animo cultuque, quo te ob virtutes, eruditionemque raram proſequor plane ſingulari, profe-

ctum esse facile agnoscis, spero non tam operis exilitatem, quam amicae voluntatis magnitudinem respiciendo, excusaturum quod culpari posse alias videbitur. Post Hyginum publicavi nuper etiam *Israelem Erlandi* de vita & Miraculis S. Erici Regis Sueciae, quem mitterem, si occasio daretur, non quod magni sit momenti, sed ne quid meorum quacunque de causa possis desiderare. Hamburgum per bibliopolas Holmiae in nundinis versatos misi Lectiones meas Academicas, ut ibi excudantur. Utrum recte fuerint curatae, necdum scire potui: habeo & Justinum cum Julio Obsequente praelo paratum. Ciceronis vero officia absolvere nunc studeo. Explicabuntur commentario sat amplo, qualem videtur argumenti ipsius ubertas atque dignitas postulare. At haec quidem majori contentione quaero perficere, quod vires meae morbis quotidianis sic franguntur, ut non possim vitam longiorem sperare. Quae conditio tuarum sit, scire vehementer cupio. Sperabam aliqua intellecturum per generosissimum *Magalottum*, qui superiori aetate fuit apud me, litterasque ex itinere promisit. Verum hactenus vidi nihil, & Mercator, qui negotia ipsius Holmiae curare solebat, statim post discessum ejus morte defunctus est. Quod scribo, ut silentium meum excuses viro longe humanissimo, si forte litteras ad ipsum mittes. Plura non occurrunt, nisi quod praesentem annum tibi laetum candidumque optem cum innumeris sequentibus. Vale, Upsaliae 8. Januarii CIↃIↃCLXXV.

EPISTOLA CL.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upsaliam.

PAucis ante Novembres Kalendas proxime decursas diebus, epistolam ad te dedi, vir celeberrime, si recordor id probe, qua cum alia nonnulla, ut fit, complectebar, tum agebam gratias ingentes, nec tamen beneficio pares, pro Hygino tuo recens tum ad me perlato. Has literas Holmiam perveniisse ex V. A. *Christiano Constantino Rumpfio*, foederatorum Belgarum res in aula vestra curante, sum edoctus, ad quem curatae erant, ut mirer earum tibi copiam haudquaquam fuisse factam. Amisit exinde uxorem *Rumpfius*, aliaque majoris rei sub primum adventum habuit peragenda apud vos, per quae fieri potuit, ut in literis istis ad te curandis diligentiam suam, non semel mihi exploratam, non satis probarit nobis. Quapropter proximis diebus repetendam ad te scriptionem duxi, cum interea supervenerint tuae longe jucundissimae, hoc uno parum acceptae tamen, quod valetudinem, quam & ipse pridem experior minime secundam, nutare tibi & adfligi magis ac magis nuntiarint. Habere me, quae vere proximo ad te perlata velim, per nautas nostros, nescio quid libellorum, diu est quod significavi. Postea & Stephani Byzantini fragmentum abs sese editum *Abrahamus Berkelius* mihi tradidit, quod ad te missum cuperet. Idque

regio

regio miniſtro *Guldenſtolpio* ad vos perferendum jam tradidiſſem, niſi ille mihi in villa decumbenti nec opinus eſſet elapſus. Si quid libellorum praeterea vis conquiſitum tuos in uſus, id quaeſo quamprimum ſignifica. Nam & ego rus propediem excurram denuo, ut ordinem bibliothecam variis in locis illic congeſtam, & in auctionibus librorum, quae frequenter admodum habentur apud nos, circumſpiciam, ſi quid e re tua futurum illic occurrat. Lectiones Academicas, quarum ſpem facis, utinam in publicum prolatas mox videamus, cum caeteris praeclaris ingenii monumentis, quae nuperius elucubraſti. Lapponiam tuam apud bibliopolas noſtros hactenus indagare non potui. Lutetia ſcribunt, *Henricum Valeſium* poſt tria Scriptorum eccleſiaſticorum volumina iu lucem emiſſa nunc Libanii inedita complura apparare, quae Rhetoris illius tomum tertium conſtituant. Non dubito complura apud Gallos exquiſitae notae prodiiſſe ſcripta proximo triennio, quo armis utrimque decertamus, ſed horum notitia ad nos vix pervenit. Nunc etiam vos videmini in partibus fore, quod avertat deus. ubi compertum habebo meos ad te perferri, plenius uberiuſque de hiſce ac aliis rebus ad te perſcribam. Vale, virorum Clariſſime, meque ſolito favore complecti perge. Hagae Comit. CIↃIↃCLXXV. prid. Kal. Mart. Gregor. *Jacobus Gronovius* ex Italia nuper redux multa collegit illic e Mediceis codicibus haud contemnenda, praeſertim ad Polybium, Arrianum, Dionem Coccejanum & alios. *Laurentium Magallotum* Florentiam reverſum audio: ab ipſo diu eſt quod literarum nihil accepi.

EPISTOLA CLI.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

HIS diebus tandem tres accepi tuas junctim ad me miſſas opera Nob. Domini *Rumpfii*, quamobrem mittere diſtulerit tamdiu, eo ſcribit factum, quoniam ſperavit ipſum ſe venturum huc Upſaliam, & coram eas redditurum mihi. Quod ſignifico, ut intelligas, cur ad tot tuas nullum a me hactenus acceperis reſponſum. Nolo enim negligens officii videri, praeſertim tibi, cui tot tantiſque nominibus ſum obſtrictus. Hyginum meum (quem inſcriptione tui nominis ornatum non diſplicuiſſe tibi gaudeo) non emendate ſatis prodiiſſe fateor, aegerrimeque fero. Sed quid faciam? aut nihil publicandum mihi, aut hoc ſubeundum eſt fatum. Ac ne errata quidem licuit apponere in fine, quum librum acceperim diu poſt ejus divulgationem, & Epiſtolas meas duas, quibus quaedam conſignaveram, bibliopola conqueratur amiſſas etiam ſequenti tempore. Longe pejus prodiit Lapponia, ut ejus plane pudeat poeniteatque. Nulla pagina eſt ſine vitio multiplici, eoque ſaepe foediſſimo. Itaque & illa recudetur non modo emendatior, ut ſpero, ſed & auctior locis plurimis: quod Typographus ipſe petit, diſtractis jam exemplaribus omnibus,

licet ſint Regiomonti in Boruſſia & Wittembergi, qui editionem primam denuo dicantur refingere. Quod ſi ad Hyginum mittere voles, de quibus ſcribis, facies rem longe mihi acceptiſſimam, animabiſque me & ad ipſius parandam novam aliquam editionem. Cl. *Abrahamo Berckelio* velim agas gratias ingentes pro munere, quod ad me mitti per te voluit. Utinam id ad me poſſit pervenire cum caeteris, quae amice polliceris mihi. Omnium enim videndorum ſummo teneor deſiderio. Sed an ſperare liceat incertus ſum in hac difficultate temporum, ubi terra marique cuncta bellis ſunt infeſta. Deus nos reſpiciat, & reddat pacem. Ita optamus etiam his in terris magiſque ſerio, mihi crede, quam vos ſinitis perſuaderi vobis. Sed ad mea revertor, quae cur feſtinem edere, ſignificavi nuper. Neque cauſas habeo, ob quas mutem ſententiam. Pergit namque valetudo adverſa me urgere. Interpellant tamen ſubinde aliqua. Quale, quod nuper calamo feſtino conjicere in chartam ſum coactus, de tribus aureis orbibus ante menſes circiter quatuor in Scania e terra erutis, quod nunc ſub praelo eſt, & cum *Iſraele Erlandi* mittetur cum prima occaſio erit. Lapponiae enim expectare te editionem novam malo, quam ex lectione libri tam foede editi nauſeam contrahere. Aelianum habeo tertiae editioni paene paratum. Num ad eum quoque vel ad alios ſcriptores Graecos Cl. *Jacobus Gronovius* ex MS. obſervarit quaedam, ſcire aveo. Gratulor ipſi reditum in Patriam felicem ex animo, & ut amare me pergat, vehementer opto. Quod occaſione data ſignificare ei haud graveris, rogo. Socer meus & Cl. *Brunnerus* officioſe te reſalutant. Apud nos nihil eſt, quod in lucem mittitur, praeter Suecica quaedam. Et eſt ea rerum noſtrarum facies, culpa quorundam Academiae huic male cupientium, ut plerique neſcio quid, certe omnia alia circumſpicere nunc cogamur. Sed de hac re ſcribam plenius, cum finem aliquem negotii illius proſpexero. Erunt pleraque inexpectata tibi penitus. Haec habeo hac vice, proxime ſcribam plura, cum has ad te perveniſſe intellexero. Vale. Upſaliae 30. Martii CIↃIↃCLXXIV.

EPISTOLA CLII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upſaliam.

Significabam proxime per literas, vir clariſſime, traditum eſſe a me *Waesbergio* bibliopolae faſciculum, qui libros complecteretur nonnullos, ad te curandos ejus opera. Illos non Hamburgum, quod polliceri videbatur, ſed Holmiam recta ad inſtitorem *Beunſium*, *Waesbergius* abs ſe miſſos nunc aſſeverat, nactus opportunitatem navis Anglicanae, neſcio cujus, quae Amſtelodamo ad vos contendebat. Ejus rei certiorem te faciendum nunc duxi, adjectis, quas pollicebar nuperius, ad generum tuum literis, cui, ſi moleſtum non eſt, aeque ac tuo Socero aliiſque viris in Academia veſtra praeſtantibus uti

uti me commendes unice rogatum te volo. Nos in bellica hac Charybdi aestuare modis miserrimis pergimus, nec spes adfulget fortunae melioris. Unde fit ut artium liberalium promovendarum studium omne fugiat apud nos & procul habeatur. *Thomas Munkerus* Antonini Liberalis Metamorphoses, annotatis suis illustratas, post Berkelianam curam praelo typographico submisit. *Gisbertus Cuperus* varia ingenii monumenta publico tradenda in scriniis habet parata, sed quae temporum meliorum statum praestolentur. Dissertatio tamen ejus de sigillo Harpocratis Smetiano, lucem, ut opinor, propediem videbit. *Graevius* noster valet, & in Ciceronc suo pergit assiduus occupari. Valet & *Bigotius*, uti Elzevirianae me docent literae. Nam mihi nullum omnino per haec bella cum amicis Gallicanis est epistolare commercium. Julium tuum Obsequentem in lucem esse prolatum ferunt. Si tempestivius rescivissem hoc abs te agi, conjecturas in hunc auctorem nonnullas magni *Scaligeri* communicasse tecum poteram, quas non ita nuper e Myliana bibliotheca sum nactus. Eam quippe auctione publica apud nos distractam suppeditasse mihi libros complures notae rarioris, nec paucos maximi illius viri manu illustratos correctosque, aut ab illo cum scriptis exemplaribus commissos, gaudeo immane quantum. Simul ac nonnihil memet expediero extricis forensibus, quod sub autumnum fiet proximum, paraturus sum excursum in Germaniam, si quid a thermis illis forte valetudini meae consulatur: nam dejectis viribus ad contubernium Musarum tot jam annos intermissum reverti vix datur. *Appelbomius*, e Suecia nuper redux, pertulit ad me eruditum sane *Johannis Stiernhookii* de Jure Sueonum vetusto commentarium. *Jacobus Gronovius* libellum emisit observationum in Historicos nonnullos Graecos. vale, vir summe & mihi studere perge. Hagae Comitum VII. Jun. Gregor. CIↃIↃCLXXV.

EPISTOLA CLIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upsaliam.

QUia rem privatam nondum ex sententia componi datur, in hanc aulam frequentius mihi quam velim, est excurrendum e secessu agri Trajectini, vir Clarissime, ubi nuper cum forte incidissem in Julii Obsequentis exemplar, quod e magni *Scaligeri* bibliotheca ad me pervenit, manu ejusdem nonnullis locis castigatum annotatiunculis, ipsas tuos in usus inde excerpendas duxi, additis & meis opera tumultuaria conjecturis, si quid eae tibi prodesse forsitan possint. Scaligeranas esse scito, quibus *Scaligeri* nomen est subjunctum, reliquas meas, quibus carere potuisses, sed expectationem tuam frustrari nolui. Percurrebam nuper, quae ad Pacatum annotasti, exquisita sane, ut tua omnia. Si novam quandoque libelli ejus editionem es moliturus, subministrari per me nonnulla poterunt, tibi haudquaquam ingrata futura, quod veteres

Pane-

Panegyricos cum vetuſto codice collatos ab eodem *Scaligero* poſſideam. Diſſertationem tuam de orbibus tribus aureis nondum accepi. Gaudeo interim libellos, quos miſeram ante belli exortum, ad te perlatos eſſe, quibus alios ſub vernam tempeſtatem ſubjungam, ſi per bella licebit, quae navigationem minime pacatam ſperare non ſinunt in poſterum. Meurſianus de trium Inſularum antiquitatibus commentarius jam jam emiſſus eſt in lucem, Regi veſtro dedicatus. Antonini Liberalis Metamorphoſes novis animadverſis illuſtratas propediem dabit *Thomas Munckerus*; & *Cuperus Gisbertus* diſſertationem ſuam de ſigillo Harpocratis. In iis, quas ad Generum tuum proximo dabam, metuo, ut aberraverit manus mea, prae multa feſtinatione non ſemel, praeſertim in Valerii Flacci loco. libri III. verſ. 493. ubi ſcribendum reor.

Germanique manu repetiti crimine Perſes

Vale, virorum praeſtantiſſime. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXV. XX. Septemb. Gregor.

EPISTOLA CLIV.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upſaliam.

NON alio magis nomine haec bella odioſa mihi ſunt ac inviſa, cum longe plurimis nominibus permoleſta ea experior, quam quod neceſſitudinis alternae toto jam biennio nullus ad me fructus redundat, voluptas nulla, praeter ſolam recordationem, *Scheffere* clariſſime. Dedi quidem litteras ad te non infrequentes, miſi & obſervationes in Jul. Obſequentem Scaligeranas & meas, datis etiam ad praeſtantiſſimum Columbum, generum tuum, reſponſoriis ſuper non uno Valerii Flacci loco. Caeterum an quicquam horum ad vos perlatum ſit reſcire hactenus non eſt datum. Tuus de tribus circulis commentarius, & ſi quae alia miſiſti, ea perierunt in via, certe in manus meas hactenus non ſunt perlata. Nunc Ampl. *Cuperi* litteras ad te mitto, aliaſque *Joh. Boſchii* cum Petronio ejuſdem, nuper in publicum prolato. Annotatis is ſuis conjecturas e meis haud paucas, ut videbis, inſeruit, ſed mentem meam non aſſecutus in omnibus. Pluribus tecum agam, ubi id licebit tuto: nunc enim vix licet ſperare meas ad te perventuras. Vale, & feliciter aetatem age. Hagae Comitum v. Maji CIↃIↃCLXXVII. Gregor.

EPI-

EPISTOLA CLV.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinsio.

Hafniae.

SI tu tantopere haec bella execraris, quid faciendum putas mihi, qui & a periculo propius, & a consortio eorum, quorum per litteras colere amicitiam solebam, longius sum remotus. Nobis quippe nunc erepta omnia. Itaque nec eorum quidquam, quae memoras, vidi, quod jam semel iterumque nunciavi, verum frustra, sicut video, cum & hae litterae perierint. Fit itaque tot malorum taedio, ut libros omnes abjiciam, urgente simul atrocissimo scorbuti morbo, qui sic pervasit corpus totum, ut salvi integrique nil reliquerit. Accedunt homines iniquissimi, qui pro tot laboribus meis, sola invidia commoti, me lacessunt, uti vides ex Epistola, quam hîc mitto. Quamquam conatus eorum irriti fuerint hucusque, stantibus ex procerum ordine plerisque pro mea parte, & idcirco plus infamiae, quam gloriae ex hoc conatu suo contraxerint. Addo & quod ante miseram, de tribus orbibus aureis opusculum. Optarem id venire plurium in manus, quia continet nonnulla, non penitus, ut existimo, absurda. Sed Typographo, qui impressit, cum Bibliopolis nulla sunt commercia. Itaque hîc jacet inemptum, donec existant, qui sibi volent comparari. Pro opera, quam nob. *Boschio* juxta atque mihi navare voluisti, plurimum tibi debeo, quia jam ante sum in magno multiplicique aere tuo. Respondeo hîc humanissimis ejus litteris: tu facies, ut responsum hoc meum ei reddatur. Laudabilis est ejus opera in Petronio, sed nimis brevis. Illud miror, quod, cum promiserit fragmentum Tragurianum dare ad editionem Blavianam, dederit potius ad modum eum, quo est editum ab *Hadrianide*, id est fide parum integra, ut in spicilegio meo, Lectionibus Academicis inserto, locis pluribus notavi, & fortassis ipse quoque alicubi debuisset observare. De Obsequente, qui adhuc penes me latet, non audeo repetere priora vota, ne sim nimis importunus. Et fortasse lucem videbit nunquam, sicut accidit aliis meis, imprimis de Militia Navali libris, magno & pudore & dolore meo. Sed quid faciam, scribere fortassis possum, edere non possum. Tu vale, & Justinum meum a Typographo Hamburgensi proxime expecta. Upsaliae 30. Julii Anno CIↃIↃCLXXVII.

Praeterita die Veneris, quae fuit 27. Julii inter decimam & undecimam matutinam rebus humanis vale dixit Dn. *Joh. Loccenius*, Socer meus charissimus, octogenario major.

EPISTOLA CLVI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Scheffero.

Upſaliam.

INgentis equidem ſolatii loco mihi fuit, inter maximas horum temporum difficultates anguſtiaſque, *Scheffere* clariſſime, e tuis Julio menſe exaratis cognoſcere, non omnem mei curam tibi excidiſſe. Mihi quidem perpulchra candoris eruditi imago, quam in te ſemper ſuſpexi, continuo oculis obverſatur. Nam quod literae noſtrae hinc inde in optatas manus rarae pervenerunt, injuriae temporum adſcribam, quam amoliri noſtrae non ſit facultatis, ac ſperemus in poſterum meliora. Quos miſiſti libellos, habui equidem acceptiſſimos, quia abs te profectos. Sed & literas tuas *Cupero* inſcriptas recte curatas eſſe confido, nam *Boſchio* deſtinatas ipſe ei in manum dedi. de Petronio nuperae editionis ita eſt, ut ſcribis: complura ſunt in ea, quae culpari poſſunt. Ultimam editionem Romanam Tragurienſis fragmenti fuiſſe exprimendam & ego monui, ſed cum ſerum jam eſſet. Adoleſcentes noſtri plerumque praepropero zelo famae cupiunt inſinuari. De iis, quae ad Obſequentem miſeram, videbo ſi reparari damnum poſſit, cum pacatiora adfulgebunt tempora. Interim valetudinem tuam, quae miris modis anxium me habet, abs te curari diligenter prae caeteris velim. In Saxoniam ſcribam proxime, ſi fortaſſis illic tuo de Militia Navali commentario typographus poſſit inveniri: nam apud nos haec ſtudia jam jacent. Opinor tamen brevi fore, ut Graeciam *Palmerii* veterem, ac Holſtenianas in Stephanum Byzantinum animadverſiones typis deſcriptas videamus. Soceri tui e vivis exceſſum perinvitus intellexi. Vale, vir ſumme. Hagae XIII. Novembr. CIↃIↃCLXXVII.

EPISTOLA CLVII.

JOH. SCHEFFERUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

SI vales, bene eſt, ego continue aegroto. Nec eſt levis morbi vis, ſed graviſſima, quae ſic totum occupavit corpus, ut plerumque digitis etiam ne calamum quidem poſſim regere. Hinc iſta tarditas in officiis praeſtandis, & reſpondendi eorum Epiſtolis longa & pudenda mora. Quamquam & occaſiones nobis dentur rarae per has temporum calamitates, quibus maria quoque infeſtant latrocinia creberrima, ut aliquid ad vos queamus mittere. Vobis tamen audio nunc affulgere laetiora, conſtituta pace, quam vobis gratulor optoque diuturnam. Nunc ſignifico redditum mihi Vellejum tuum, munus gratiſſimum, quoniam & abs te, & cura tanta eſt elaboratum. Placent omnia tua mirifice, adduntque novos ſtimulos de nonnullis cogitandi. Utinam

bea-

Digitized by Google

beares nos & tuis in Petronii fragmentum: laudas eam operam non ſemel, nec jam negare longius erudito orbi potes. Quas hic mitto nugas, non reputo dignas, quae ſubeant oculos tuos. Mitto tamen, ne prorſus vacua nudaque ſit Epiſtola. Nam Juſtinum meum puto tibi pridem redditum. Ita enim mihi teſtatus eſt Bibliopola Hamburgenſis, qui eum ſuo more, id eſt vitioſiſſime, excudit. Monui hominem, antequam aggrediebatur opus, verum video me fuiſſe fruſtra. Debet nunc auctarium addere, niſi a piratis interceptum eſt, nam de eo nil audivi, ex quo hinc dimiſi. Librum meum de priſcis Regni Sueciae inſignibus excudunt Holmiae, cum finitus erit, & dabitur occaſio, mittetur. Expecto enim avidiſſime tuum aliorumque doctorum de eo judicium. Sequetur alius de ſcriptis & ſcriptoribus Suecorum. Deſtinavi utrumque etiam Cl. *Cupero*, cui idcirco nunc non ſcribo. Faciam prolixius, cum ſimul mittere & illos potero. Quod velim ei ſignifices. De *Holſtenii* in Stephanumnotis dubitare incipio, poſtquam eas editioni novae a *Pinedo* Amſtelodami publicatae video non adjectas. Quid autem de Joſepho habes? perguntne eumedere, quos ſcripſiſti. Sed cogor finem facere, unum addo, ut amicos omnes, & in his *Graevium* ex me una cum *Berckelio* perofficioſe ſalutes. Vale, atque me amare, ſi merebor, perge. Uptaliae 26. Novembri. Anno CIↃIↃCLXVIII.

Haec ultima ad *Heinſium* fuit *Scheffери* epiſtola; nam anni ſequentis menſe Martio d. XXVI. obiit. vide *Witte* Diar. *Mollerus* vero in Hypomnematibus ad *Scheffери* Sueciam Literatam pag. 457. XXVI. Aprilis obiiſſe notat, ſed ex Epiſtola *Columbi* CLXIV. mortuum VII. Kal. Aprilis eſſe conſtare poterit: Indici ſcriptorum, ab ipſo *Scheffero* contexto, omiſſa quaedam opuſcula addidit *Mollerus*. Subjiciemus nunc Generi ejus *Johannis Columbi*, viri itidem doctiſſimi, epiſtolas ad *Heinſium*, ejuſque ad eum remiſſas, cujus etiam parum longaevi ſpes egregias, quas de ejus eruditione conceperat *Heinſius* & alii, mors immatura intercepit. utinam Valerio Flacco licuiſſet ipſi operam navare, de quo in his epiſtolis plurima profert, egregia & erudita.

EPISTOLA CLVIII.

[1] JOH. COLUMBUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

MAgnis & illuſtribus te rebus intentum, parum cultis litteris interpellare auſus, haud verecunde forſitan videar egiſſe, Heinſi vere nobiliſſime. Sed cum dotes, quas in te admiramur omnes, quotquot eruditionis nomen veneramur magis quam aſſequimur, etiam a minimis ſe coli ferunt non moleſte;

1 Hic *Columbus*, gener *Scheffери*, fuit eruditiſſimus vir, & qui, niſi immatura morte A. aetatis 43. CIↃIↃCLXXXIV. 14. Aug. raptus fuiſſet, egregiis monumentis famam poſteritati commendaſſet. vide *Scheffери* Sueciam literatam, quam poſt mortem Soceri curavit edendam. pag. 237. & *Molleri* notas pag. 428. ubi ab eo editi &, quorum ſpem fecerat, edendi libri recenſentur.

ſte, pateat, quaeſo, nec mihi nullus apud incomparabilem humanitatem veniae locus; ſinaſque in me redundare quotamcunque particulam ſummi favoris, quo merito dignaris Socerum meum optimum & benigniſſimum. Amor Muſarum ingens, quo jam aliquot annos teneor, effecit, ut fatis jam functo *Laur. Fornelio* Poëtices profeſſio juſſu Regis clementiſſimi mihi mandaretur. Vir autem ille, quem dixi, ingenioſus & eruditus, peculari inſtituto pene nihil publice legit, praeter Metamorphoſes Ovidii, & Horatii Odas Satyraſque, ut ipſe vocabat, ſelectiores. idque alternis ſic praeſtitit, ut annuum ſpatium non amplius alterutri eorum ſcriptorum tribuerit, moxque reverteretur ad priores. Mihi eadem ſaepius interpretari non libet: itaque de auctore non uno cogitandum eſt. Praeter alios multum placere coepit Val. Flaccus, niſi quod exemplorum magna ſit apud nos penuria. Jam cum tuo beneficio maximo, non Ovidium tantum, & Claudianum, quos inimitabili felicitate integros nobis nitidoſque reſtituiſti, ſed & alios locis quamplurimis ſanatos habeamus, non improbe nos orare ſperamus etiam Argonauticorum poëtae curam pleniorem. Praeſertim cum aliud agens velut in guſtu quodam longe plura & majora nobis ſis impertitus, quam alii totum ſe emendatum poſituros profeſſi. Atque utinam tibi & corporis vires & curae diverſae permittant elegantem illam poëſin refingere: aut, ſi hoc ſperare non datur, erudito cuipiam veſtrati quamprimum hoc muneris injungere. Neutrum ſi per hos tumultus bellicos, quibus noſtro quoque cum dolore nunc ſtrepunt recidivae illae Muſarum ſedes, contingere avide exoptantibus poteſt, ipſe fortaſſis illi operi manum admovebo, ſi tuo praeſertim favore ſtudioque me fueris dignatus. Iſta benignitate tua utcunque levare poſſem deſiderium ingens editionis tuae. Atque ſi tam praeclare de ſtudiis meis mereri non gravaberis, dum vivam faxo ut tanti beneficii tibi ratio conſtet, meamque modeſtiam, addo etiam pietatem, ipſe laudes. Ignoſce, oro quaeſoque, ſcriptioni feſtinatiſſimae. Upſaliae a. d. VI. Januar. Anno CIↃIↃCLXXIV. & vale.

EPISTOLA CLIX.

NIC. HEINSIUS

Joh. Columbo.

Upſaliam

CUnctae equidem humanitatis expers ſim habendus jure optimo, niſi compellationem tuam tam improviſam, tamque benevolam ambabus ulnis teneriſſime complectar. Plurimi jam ante faciebam *Johannem Schefferum*, Socerum tuum, virum in paucis hac tempeſtate de re litteraria praeclare meritum. Ita enim eruditio ejus ſpectatiſſima, ita affectus merebatur, quo me fovit ac complexus eſt jam pridem haud perfunctorium in modum. Nunc haereditariam quodammodo factam mihi hanc viri eximii ſingularem prorſus benignitatem video, & exſultabundus agnoſco; nec committam, ut neceſſitudinis hujus partibus, ad quas me peramanter invitas, vir Clariſſime, videri poſſim unquam de-

defuisse. Ceterum de Valerio Flacco, quod mones: hunc ego poëtam & legi satis diligenter olim, & animadversionibus non paucis illustratum praelo typographico describendum ante hoc biennium permisi. Sed quod & bella supervenerint funesta, & mihi non multo post in Germaniam publico nomine fuerit excurrendum, ipso interea e vivis erepto typographo, opus neglectum intermissumque suprema exspectat manum. Inter varios, quibus sum usus, poëtae praestantissimi codices, incidi quoque in exemplar Holmiensis bibliothecae Regiae jam olim, quantum conjectura assequebar, manu *Pomponii Laeti* descriptum. Accedebant illi libro & Festi Pompeji fragmenta, quae excuti diligentius fortasse mereantur, quod dicatur *Laeti* exemplar vulgatis codicibus Festi fuisse aliquanto integrius. Obtulerunt autem sese mihi in Vaticana libri complures ab eodem *Pomponio* exarati, qui huic scripturae ad amussim respondebant. Praecipuo tamen usui fuit vetustissimum exemplar Valerii; quod ex haereditate *Fulvii Ursini* in Vaticana asservatur bibliotheca, *Baptistae Pii* in commentariis laudatum non semel, sed minus diligenter adhibitum in plerisque, quam fieri debuisset. Contextus ipse a me recognitus locis plurimis jam descriptus est typis; reliquum est; ut concedatur otium pertexendis notis necessarium, quod adfuturum propediem promitto mihi. Neque tamen est, quod lucubratiunculae nostrae ab instituto te revocent deterreantve, quin polliceri ausim, utiliter omnino operam abs te collocandam fore, si isti curae te accingas quamprimum. Tam multa enim qua obscura, qua mendosa in Flacco passim occurrunt, ut unius non sit hanc hydram profligare. Obtigit *Ludovico Carrioni* codex praestantissimus, cujus beneficio non pauca castigavit feliciter sane; sed & conjectura nonnunquam ad partes est vocanda, quando a membranis praesidii parum offertur: quae ratio *Carrionem* in plerisque est frustrata rei poëticae, quantum apparet, minus peritum. Tu igitur, vir Clarissime, pessime habito a supinis librariis scriptori succenturiare ac fer opem, quaeso, praesentissimam, certusque esto vix alibi laudabilius cogitationes tuas posse occupari. Habes Oraculum domesticum Soceri tui, ad quod confugias in locis perplexis, ut haerere nusquam jam possis. Nec defuturus sum ego pro virili suppeditandis iis, quae medelam Flacco qualemcunque possint videri allatura. Vale, & me in tuis habere perge. Hagae Comit. Anno CIↃIↃCLXXIV. XIII. April. Gregor.

EPISTOLA CLX.

JOH. COLUMBUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

Acceptis superiore anno litteris tuis, non gaudebam tantum, sed plane exsultabam; te pro caeteta humanitate tua non moleste tulisse, ab ignoto tam audacter te compellatum: quin immo non gravatum esse epistola luculenta & honorifica me beare, multisque modis comem & benignum te mihi ex-

hibuiſſe, pene magis etiam quam ſperare auſus fueram. Equidem jam diu oportuit me gratias egiſſe: confiteorque defuiſſe officio: ſed & Socer meus diſtulit ſcribere, & me, praeter ſolitos aſſiduae inſtitutionis labores, hominum haud ſane benevolorum incurſus, lites, & alia acerba ſic fatigarunt, ut emendatiunculas Val. Flacci, quas mittere deſtinavi, vix percenſere commodum eſſet; animo praeſertim occupato, & propemodum fracto tot moleſtiis. Earum aliquas nunc mitto; timide, fateor, & cunctanter: neque enim negare poſſum, poëtam hunc noſtrorum pleriſque ignotum, a me quoque nimium ſero viſum eſſe. Praeterea eruditione pene nulla ſuffultus, ad Criticam aſpirare non ſum auſus. Neque tam improbae ſunt ſpes meae, ut haec tibi placitura eſſe confidam: ut qui meminerim, quam rara in hoc genere ſit etiam eruditiſſimorum felicitas: ſi tamen typographus notas tuas nondum ad finem uſque deſcripſit, vel ſemel ſi merebar nominari, plurimum ubi debebo. Lib. 1. verſ. 2. pro *medios curſus* legit Barthius *medio curſu*. Dubito; cum & Seneca Agamemn. verſ. 430. dicat,

Aperitque curſus, mille quos puppes ſecent.

Et videar apud alios ſimilia legiſſe. verſ. 103. *arvorum ſtudiumque*) Mallem quidem ego, *ſtudium atque inſontis aratri*. verſ. 332. *Credam noſtris ingrata.*) Senſus videtur exigere *mihi grata* ob praecedens *Nec*. Scriptum forſitan fuit, *mi grata*. id alius facili lapſu mutavit in *ingrata*. verſ. 523. *Videt e Graja nunc ſtirpe nepotes*. ſic legendum eſſe, vincit, puto, ſequens verſus. verſ. 631. *linquite, terrae, ſpem petitis.*) Sic diſtinguendum, nec aſſecutum eſſe *Carrionem* verum ſenſum arbitror. verſ. 646. *plenaſque malis clam.*) forte *vagis*. 672. *Pontus habet*) an *avet*? 721. *prole nepotes*) *Penates* rectum eſſe videtur. 753. *fragor per moenia differt*) Sic legendum puto cum *Laeti* libro, quem quod mihi indicaveris, gratias ago. praeſertim ob Feſti ſchedas, quas cum vulgatis diligenter conferam. verſ. 758. *rictaque genas*) Suſpicor, *rictumque gemens & lumina preſſit*. hoc eſt, aegre cedens inſtanti hoſti, cum murmure ſeu gemitu rictum oculoſque depreſſit. *Gemitum* leonibus tribuit etiam Virgilius. Aen. VII. verſ. 767. *Talia per lacrimas.*) MSS. Carr. *per lacrimans*. lego, *Talia fert lacrimans*. 784. *Et cunctae primis*) *Ut* pro *&* rectius legi videtur. 815. *& heu cunctae,*) Forte, *haec cunctae*, nempe piacula. Lib. II. verſ. 58. Putabam pro, *& in uno decidit Euro*, legendum eſſe, *& mundo decidit auro*. & verſ. 61. *non illa ſequi mihi ſidera conſtat*, pro, *monſtrat*. nunc malo exſpectare editionem tuam. verſ. 64. pro *conditur* videtur rectius legi *conditus*; nempe *nitet*. verſ. 110. *plenaſque* &c.) MSS. Laeti, *it barbara veſtis*. Puto, *plenaeque movebant Armentis. n. r. it barbara v. Movebant* pro *movebantur*. verſ. 118. *placidi* mallem. & verſ. 121. cum Bononienſi, *Qua datur*. verſ. 168. *Eadem traditque auditque, nec ulli Vana fides*, legerem ductu codicis, quo uſus Carrio. Etiam verſ. 221. *Quae ſe aperit facies*; ut Virg. *Tantaque ſe facies aperit*. niſi praeceſſiſſet in Flacco vox eadem. ſed pro ea forſitan *ſpecies*, legendum. verſ. 253. *miſer en retine*. verſ. 290. *Quantas modo linquis* &c.) Omnino legendum, *Quanta modo linquis inanes Pube domos?* Vulgata inepta videntur. & *puppi* proximo verſ. ſequitur. 322. *Pharii ſe patris* &c) Facile vidi deeſſe verbum. conjiciebam *Phariis narrabat*, aut *cantabat*. nunc video Laeti librum habere, *edebat*. 372.

longe

longis coeptis & fluctibus. leg. *longis*, vel *longe*, *coeptis a fluctibus arcet.* coepti fluctus, ut, *coeptum iter*, *coepta terra*, de quibus me docuisti ad Ovid. Art. Aman. 1. vers. 234. vers. 382. *accessimus actis)* magis convenire videtur *ausis.* vers. 400. *sceptra gerant*, *regant* cum Carrionis libro. Etiam sic loqui priscos, te docente alicubi, non ignoro. 435. *tenuis Lemnos)* Suspicabar, *transit Lemnos*, *transitque.* Nunc malo tuum judicium exspectare. vers. 525. *Occupat Alcides arcum)* forte *arcu*, ut Ovid. *Rutro Celer occupat ausum.* & Auctor. lib. spectac. *Occupat hanc ferro rusticus.* 527. *deferre velint) differre*, id est disjicere per valles. Sic Lucretius Virgilius aliique, ut nosti. Lib. III. 343. *ille suum vultus)* praefero *vultu.* vers. 493. *Repetit quo crimine)* an, *repetit discrimine.* vers. 511. In hac oratiuncula liquet aliquam multa esse corrupta: sed fateor non aeque liquere, quid remedii sit adhibendum. Pro, *quae bellum* res ipsa postulat, aut *quae bellave*, i. e. quaeve bella, Aut, *quae praelia*, e cujus glossa *bella* alius forsitan fecit *bellum.* vers. 513. *pulcro ponto) victo ponto*, aut forsitan *pulso* melius huc facere videretur. *jussaeque dolorum* (aut *dolori*) *Primitiae*, *tenero superati protinus angues.* 533. *piceaeque acclivis) acclinis.* ut Claudianus, *Florum acclinis tumulo.* Lib. IV. 92. *jugentibus)* sic Carrio ex libro suo, quem miror non vidisse legendum *jungentibus.* vers. 268. *Projectusque*, forte, *prorectusque.* 270. pro *certantibus* dubito an reponendum sit *jactantibus*, aut *versantibus.* 273. *Ut deinde urgentes)* Haec mendosa esse vel illud *nubibus* videtur probare. puto: *Ut dein turgentes effugit motibus iras.* Verum *ut effudit* non est fortasse sollicitandum. Sic enim Virgilium locutum memini. 527. *Haesit uterque polo)* immo *solo* potius. imus aër vix dicitur polus. 510. *excitt aures)* Non damno illud *accidit aures.* Mihi tamen placet, *exiit auris*, ut terrificum magis & divini horroris. 715. *nec tantus quamvis)* Fateor me non videre, quae junctura sit horum cum iis, quae praecedunt, quaeque sequuntur. Quam enim vim habet hoc? vix alibi latiora sunt maria, quamvis nec tantas aquas Tyrhenum & Aegaeum habeant, & Syrtibus undae desint. Mihi videtur legendum: *nec parvas quamvis Tyrrhenus & Aegon* (aut *Aegeus*) *Volvat aquas*, *geminis nec desint Syrtibus undae.* Sic omnia erunt plana. 728. *Scythicum specie sinuatur in arcum)* Pontus nempe. Duo sane versus, *Atque huc Europam*, cum proximo loco videntur moti. quem aptiorem viderentur habere post illum versum, *Pontus & exorta facilis concrescere bruma.* 758. *En, ait, invisо) elisо*, aut *illisо* legemus potius. Sed haec quamvis pauca & exilia, metuo ne tersissimis auribus tuis nimia sunt. Etsi nondum quippiam affero ex libris reliquis; veritus ne, ut dixi, tibi sum gravis. Vix enim dubito, quin, si quid recti contigerit mihi videre, jam occupatum a te sit. Verum, quod prius testabar, sufficit, si me dignatus fueris utcumque nominare. id quod fors ambitiose affecto: Sed oro des veniam; nec, si haec, ut subito, ita infeliciter nata sunt, omnem in posterum placendi tibi spem mihi praecidas. Plurimum reverendus Dn. *Brunnerus* officiosam tibi salutem dicit. Veretur, ne jam dudum malum nomen sit in rationibus tuis: sed propediem ipse significabit, quando speret se fidem suam liberaturum. Vale, vir summe, & coeptum favorem mihi indulge. Upsaliae d. xxx. Martii. sta vet. Anno CIↃIↃCLXXV.

EPI-

EPISTOLA CLXI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Columbo.

Upſaliam.

AD Valerium Flaccum abs te obſervata feliciter, quae mittebas nuperius complura, vir Clariſſime, ea quin habuerim longe acceptiſſima, non eſt quod dubites. Quamquam enim me circumſtant hinc inde permoleſtae tricarum forenſium occupationes, ab amoenitate rei Muſicae, ut ſcis, alienae prorſus, non ita tamen ejuravi elegantiam ac cultum literarum omnem, ut non gaudeam intime ac exſultem, ſi quem meliora reſpiciunt fata tam benignum in modum, ut praecipuis vetuſtioris aevi ſcriptoribus, qua Latinis, qua Graecis, erudita utilique in publicum lucubratione medeatur. Eſt certe is Valerius Flaccus noſter, qui poſt unum Maronem nemini Romanorum Epici praeſtantia carminis ac majeſtate facile concedat. Plurima caſtigavit in illo laudabiliter omnino *Ludovicus Carrion*, fatendum enim, pervetuſti codicis ſecutus auctoritatem: ſed cujus veſtigiis nimis religioſe inſiſtens quandoque a ſcopo aberret. Adde, quod jam inveterati plerique naevi per membranas vel antiquiſſimas nequicquam ſe ſperent profligari perſanarique poſſe. Cujus rei pro argumento indubitato vel primus Valeriani operis ſit verſus, qui in libris omnibus jam ante ſaecula complura exaratis mendoſus circumfertur, *Deûm nautas* pro *natis Deûm* oſtendendo. verſ. 22. ubi *omnes*, non *amnes*, perperam codices antiqui ad unum omnes. Sed haec jam alii viderunt, illud intactum hactenus verſ. 12. ſcribi oportere, *Verſa proles tua pandet Idume (Namque poteſt) Solymo nigrantem pulvere fratrem.* Librarii inſciti, qui non videbant τὸ *pandet* ad *fratrem* referri debere, nec elegantiſſimum loquendi percipiebant modum, ad *verſam Idumen*, loco perperam interpolato retulerunt. *Verſa* igitur *Idume* ſit ſexti caſus, aut Idume jam ſubverſa, aut certe mox ſubvertenda, quamquam prius praeſtiterit. Credibile eſt enim confecto jam feliciter per Titum Judaico bello, haec tanquam futura tuto vaticinatum eſſe Valerium. Non tango nunc aliorum conjecturas, quae ut non paucae ſunt ſuo loco vexatiſſimae, ſic parum felices. Sequentia etiam minus intellecta ſunt hactenus. *Ille tibi cultuſque deûm delubraque genti Inſtituet. Ille* ab interpretibus refertur ad Domitianum, qui patri poſt mortem honores divinos ſit inſtituturus, ac templum Flaviae genti, quod utique praeſtitum eſt a Domitiano, nec diffiteri poſſum. Sed licet mihi ſciſcitari, quomodo praeſagire Flaccus noſter potuerit, haec a Domitiano fore praeſtanda: neque enim ſine manifeſta offenſa Titi, qui natu major erat, Domitianum Patri, quo vivo ac ſuperſtite haec ſcribebantur, ſucceſſurum eſſe, vaticinari Poëtae licebat; ut jam demus illi de re hac tota conſtitiſſe, quod vero haud quaquam eſt ſimile: cum nec Titus, nec Domitianus de templo Flaviae gentis excitando ſub hanc tempeſtatem cogitarint, niſi in patrios annos ante diem inquiſiviſſe vellent videri. Hunc ſcrupulum ſi potes expedire & amoliri a nobis,

bis, Columbe politiſſime, plurimum ſane rem literariam tam comi officio es demeriturus. Filum interim orationis exigit, ut *ille* ad *fratrem*, hoc eſt Titum, non ad *prolem* referatur. Unius literae mutatione nebulas haſce diſſiparis, puto, *di gentis* reſcripſeris. *Delubra gentis* non *Flaviae* intelligenda, ſed vero Judaeae, cum aliter velint tamen interpretes: de Idumaea enim victoria hic agitur. Reſpexit nimirum ad templum illud Hieroſolymitanum, toto orbe decantatiſſimum, quod ſibi dedicatum ambitioſe nimis Imperatores Romani jam ante hunc Veſpaſianum voluerunt. Cajus certe quod ſtatuam ſuam in eo cuperet dedicari, ingens exceſſum ejus praecepit gentis ſeditio Idumaeae, ſeu Judaeae, cujus ſcriptor ex antiquis non unus meminerunt. Hadrianus quoque templum id ipſum Jovi poſtea dedicavit, ſuique nominis Coloniam ex urbe fecit Hieroſolyma. Legatur igitur, *Ille tibi cultuſque deûm delubraque gentis Inſtituet.* Titus, qui ipſo naturae ordine ſucceſſor tibi deſtinatus a fatis, divinos honores & delubra Idumaeae gentis jam devictae, aut mox debellandae, inſtituet tibi poſt obitum. Verſu tertio operis, perperam Barthius prioris ad Claudianum curae pag. 339. neſcio an & alibi, *rumpere curſus* ſollicitabat, cum pari quoque modo inter alios loquitur Silius lib. VI.

Primus clauſtra manu portae dictator, & altos
Disjecit poſtes, rupitque in praelia curſum.

Sic & Argonautae per cautes Cyaneas *rupere curſum*. Sed haec in infinitum abirent. Tua omnia, quae ab aliis non erant occupata, jam codicis mei marginem inſident, ut memoriae obverſentur. Verſu 332. *τὸ ingrata* referebam ad ipſam Alcimeden. Ego, inquit, ingrata, quae ne ſerenis quidem noſtris, hoc eſt coeli noſtri ſerenitati de te abſente ſim creditura, tuta omnia timens pro materno adfectu. verſ. 631. *Linquite, terrae, ſpem pelagi*, pluribus annotata mea adſtruxerunt. verſ. 646. malebam olim, *plenaſque aliis clamoribus undas* nam & Argonautarum exortos clamores in tam foeda tempeſtate hoc ipſo innuit. verſ. 692. *portus habet:* videndus Gronovius ad Thebaidos Statianae lib. VIII. 515. verſ. 721. *penates* jam Laurentius Balbus occupavit. verſ. 758 *rictumque gemens*, recte conjicis, gemitum leoni dat noſter quoque ſub finem libri tertii. verſ. 767. *Talia fert lacrymans.* Sic & ego in annotatis, ſed occupavit monere *Gisb. Cuperus* Obſerv. lib. III. cap. 6. verſ. 784. *& cunctae.* videntur haec eſſe ſpuria, qualia ego non pauca alibi in Flacco viſus ſum deprehendiſſe. Sic & in Virgilianis codicibus pervetuſtis lacunae Maronis ipſius complures a ſciolis perperam ſunt ſuppletae: Lib. II. verſ. 58. Volebam ego in annotatis, ſcriptae lectioni propius inhaerens, *vicino decidit auro. Auricomus Titan* Poëtis. Sirio alibi noſter *ſaevum aurum* pro radiis adſcribit. verſ. 111. *it barbara veſtis*, non *eſt*, in ſcriptis omnibus occurrit, & jam alii monuerunt. Placet interea tuum illud *plenaeque movebant.* verſ. 166. *traditque auditque* bene iidem ſcripti & editiones ante Carrionem. verſ. 252. videtur legendum per appoſitionem, *Jamque fugam dubiae donum rape mentis, & enſem Hunc potius miſer, oro, tene.* Sic apud Naſonem Metam. III. fabula Narciſſi inconcinne legebatur ante nos, *quo refugis, remane*, cum ſcribendum ſit, *quo fugis? oro, mane.* in ſcriptis codicibus

apud Valerium eſt, *miſerere tene. rapere fugam* habes & libro v. *rapit inde fugam* &c. verſ. 290. alii jam occuparunt, *quanta modo lunquis inanes pube domos?* verſ. 218. *Pharii ſe patris.* de hoc loco copioſe nos in annotatis. verſ. 431. legendum (cum ſit in ſcriptis *tranſita*) *Tunc, tenui Lemno, tranſire Electria terra, tenui* quae propemodum oculis jam ſe ſubduxerat. verſ. 321. *Occupat Alcides arcu*, & nos non uno exemplo in annotatis adſtruximus. Lib. III. 493. *repetito crimine* nos, pluribus ſuo loco illuſtramus. verſ. 511. *quae pyelia* libri veteres & Gronovius. verſ. 513. nos in annotatis noſtris, *pulſa ponto*: a diis enim marinis, Neptuno praeſertim, ſubmiſſa haec bella. poſt lege, *juſtaeque dolorum priuitiae.* Lib. IV. verſ. 271. legebam ego

Pollux ſic providus illius
Servat, & Oebalio dubium caput eripit aſtu;
Ut videt ingentes effundi nubibus iras
Ardoremque viri, paulatim inſurgere feſſo
Integer.

verſ. 527. *Haeſit uterque polo.* videntur quaedam excidiſſe. verſ. 715. *nec tantos quamvis.* locus perplexus, cui medeberis puto, ſi *ut* pro *&* reponis ultimo verſu. Non alibi undis effuſis ceſſerunt litora longius, ne quidem in Tyrrheno & Aegeo, quamvis uterque tantas aquas volvat, ut hinc deſint undae geminis Syrtibus. Brevis nec inelegans loquendi modus, qui pendet a ſuperioribus. Syrtes undis deſtitutae ac brevibus paſſim implicitae, atque hac de cauſa frequentiſſimis naufragiis infames. Cauſſam ſiccitatis hujus dat Tyrrheno & Aegaeo ad ſe trahentibus aquas Syrtium. Praeterea Salmaſius in Solinianis & hoc loco, & aliis pro *Aegon* caſtigabat *Aegan.* Plura ſi communicare non gravaberis, obſtringes me haud modice. Vale, vir Clariſſime, & meus eſſe ſic porro perge. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXV. Nonis Juniis

EPISTOLA CLXII.

JOH. COLUMBUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

SIcut paene nullum hominis cujuſquam beneficium tanta me umquam affecit laetitia, Heinſi incomparabilis, quanta litterae tuae, quibus me ornare dignatus es: ita ex quo eas adeptus ſum, quotidie cogitandum laborandumque mihi cenſui, ne haec talis viri comitas benignitaſque ſumma, male tandem inveniatur collocata. Cum vero ſub finem anni ſuperioris litterae fratris mei, praeter caeteram bonitatem, quam praedicabant in te copioſiſſimam, ſalutem quoque mihi honorificam nuntiarent, illud inter tot laeta magno dolori fuit, periiſſe epiſtolam meam utramque, quibus pro tuis meritis tibi gratias egeram. Priorem adplicuit ſuis Cl. *Socer* meus, cum in aliis, ſupra quam dici poteſt, in me beneficiis, tum ob hoc eximie mihi carus, quod tuum mihi fa-

favorem conciliaverit. alteram [1] *Petrus Lagerloff Wermelandus* inter tacitos, sed venerabundos admiratores tuos nequaquam postremus, per popularem suum *Suenonem Hasselbom* curandam accepit superiore autumno fere medio. Neque postea saltem alteram esse perlatam, collegi ex litteris nuper Socero meo, quem dixi, redditis, sed scriptis Hagae mense decembris: in quibus quod denuo tantus per te mihi honos, verba, quibus condignas tibi gratias agam, non invenio. Equidem levis admodum jactura fuit in amissis meis: testes tamen observantiae ac pietatis in te meae nollem intercidisse. Hoc autem, quidquid est, ut resarciam, ad ea protinus accedo, de quibus me affari non es dedignatus. Quemadmodum admiratus sum semper majorem, quam cujusquam alterius, in revocandis & pristino decori restituendis antiquorum Musis solertiam atque felicitatem tuam: ita Valerio Flacco nunquam dubitavi veram & propriam elegantiam rediisse, ut in aliis infinitis, ita in duobus illis versibus lib. 1. 12. & 13. ex quo eos in notis tuis ad Ovidianas Metamorphoses persanatos videre contigit: quas notas in poëtam ingeniosissimum, dum licet, nocturnis diurnisque versо manibus. Neque vero sine emendatione hac constabit integritas sua orationi; neque si copulam & inseramus versui posteriori, (quod vir quidam eruditissimus, quocum obiter de hoc loco egi, ne a manuscriptis discedatur, fieri malebat) non peribit maxima illa rotunditas, ut sic loquar, & elegantia leposque, quem hoc tuo minio huic pulcherrimae poësios parti redditum invisti. Alteri correctioni, qua reponis *gentis ἀντὶ τῆς genti*, credo non ideo assueviſse satis aures meas, quia ne ad ea quidem bene multa satis limatas habere me sentio, quae integerrimae tersissimaeque Latinitatis saepe sunt, quo magis ignoscere te aequum est imperitiae meae, si me nondum satis ista percepisse fuero fassus. *Instituere sacra* vel *templa* dicitur (quamquam non ausim jurare, nihil diversum homines venustos & perspicaces in monumentis veterum inveniſse) qui nova in honorem cujusquam condit aut excitat. *Instituere gentis templa cuiquam*, insuetum nonnihil accidit ad aures meas. ac fortasse τὸ *delubra* de uno Judaico non vult intelligi. Interim tibi omnino est assentiendum voculam *Ille* referendum esse ad Titum, non ad Domitianum. Quod cum tenemus, non errabimus forsitan, si ausim sub bono Principe talia augurari poëtam dicemus, qualia olim futura optabat Princeps ipse, cumque eo P. R. universus, qui hunc non utique aeternum erat habiturus. Nec sane multo molliora sunt ista, quamvis consecrationis lucem prae se ferentia, obitum tamen non dissimulantia

— — — cum jam genitor lucebis ab omni
Parte poli.

& reliqua. Quod si haec non placent, an suspicari licebit poëtam vivo Imp. Vespasiano opus suum inscripsisse, sed extincto eo, paucula quaedem de filiis, prae-

[1] Professor Eloquentiae Upsalienſis. vide *Schefferi* Sueciam Litteratam pag. 261. & *Molleri* notas pag 438. *Suenonis Hesselbomii* meminit pag. 215. ut juvenis, & *Martini Brunneri* discipuli, & quem peregrinandi occasione singulari usum dicit, qua forte hanc epistolam secum tulit.

praeſertimque majore, jam potito rerum inſeruiſſe? Verum ab his aut ipſe nos expedies, aut nemo. Etſi autem in hoc non reſponderim ſatis interrogationi tuae doctiſſimae, permitte tamen, ut in aliis minoribus aliquid argutari coner, facilitate tua inductus, qua utinam ne abutar! Moleſtiae ac labores curaeque Rectoratus Academici, quo functus ſum ſemeſtri, multum temporis abſtulere & Flacco & veteribus aliis. utque nihil diſſimulem, exſpectatio deſideriumque ſummum editionis tuae ſegniorem me in hoc legendo facit. Quod in ſuperioribus tentamentis meis fuerint, quae non improbaveris, magnum habeo calcar ſtudiorum meorum: nec nihil in pauciſſimis illis habebo quod gaudeam, etſi omnia haec, quae nunc accedunt, damnaveris. Oro autem obſecroque, necubi eorum memineris, quae ſe tibi non approbant: ſatis eſt, ea praeteriiſſe. Nec tam improbus ſum, ut te, partim & alios, non exiſtimem vidiſſe pleraque, ſi qua tamen in his recta. Sed quia nondum viſa mihi ſunt, quae vos ſignaviſtis, experiar, ſi quid & nunc inveniam quod meum ſit. Lib. 1. verſ. 60. *tanto draconе*) *draconi* forſan rectius. verſ. 68. *aut curru*) forte *currum*. vellet, ſcilicet. 105. *juſſi laude*) lego, *v.ſi.* per luſtra viaſque viſi. 265. *placido ſic currere*.) Ita etiam Alardi editio: cum liqueat legendum eſſe *ſi*. 375. *Tegeeo limine*) puto *limite*. Pomp. Laetus interpretatus *agro* ſic videtur legiſſe. verſ. 489. *Haud aliter Venator cum luſtra fugit*. ſuſpicor rectius eſſe *quam*. quod in *quum* facile depravari potuit. 681. *oritur clamor dextraeque ſequentum*) an, *dextraeque ſequuntur*, vel *dextrique*, i. faventes, ſecundi. *laſſatus*, quoque, & *eques* verſu 708. ut ſit: *Minoia fruſtra Infremuit manus, & viſu laſſatus inani Omnis eques plenis rediit* (vel *redeunt*) *Gortyna pharetris*. Auctor Elegiae in obitum Druſi: *Funeris exſequiis adſumus omnis eques*. *eques* certe habet Pomp. Laeti manu ſcriptus liber, tuo beneficio mihi indicatus non exiguo. nam in eo me oblecto donec prodierit editio tua. 815. *& heu cunctae*) forte, *& haec cunctae*; non diſplicet repetitio. Lib. 11. verſ. 72. *Atlantidis*) mallem, *Pallantidis* aut *Thaumantidis*. 118. *placidis regionibus*) *placidi reg. Aetheris*. 143. *nuntius eſſem*) ardeo doceri ſitne hoc *nuntius* in veteribus, an *nuntia adeſſem* aliudve quippiam. 237. *His cruor in thalamis*) *it thalamis*. mallem etiam *anhelo*. 240 *adduntque domos pars ignibus atris*) ſic diſtinguo, injiciunt intactas ardentibus 284. *Occulerat*) an, *occultat?* 382. *actis*) *auſis*. 551. *tum colla tumens, tum*) praeferrem, *jam colla tumens, jam c.a.* Lib. 111. *Tollitur hinc*) Huic loco certiorem opem tu dabis, Heinſi, ut aliis pleriſque omnibus. Interim *Tollit in hunc* credo legendum. 246. *tanta Jovis*) quid illud *Jovis*? infra verſ. 373. luem appellat forſitan & hic *lues* legendum. 342. *Hypſide*) *Hypſipyle* & v. prox. *vultu*, non *vultus*. 605. *Strata vel oblatis*) melius *ablatis* ſcribemus forſitam. ſequitur nono verſu *oblato curſu*. 671. *Tibi quidquid in ipſo Sanguine*) praetulerium *in iſto Sanguine*. Lib. 1v. verſ. 17. *inque vagi libavit*) an non rectius *libravit?* 82. *& jam mihi*) aliud quid videtur latere. *jam* & *nunc* praeceſſere. num, *& amici limina caeli*, vel *lumina*, ut prius. 92. *Sol auricomis*) *Sol auricomus jungentibus Horis*. 295. *Territus ipſe etiam*) haec ad ſuperiora refero. 300. *nec ſpes effoeta*) an potius *defecta*, & loco *advolat*, *involet* 351. *Intentiſque canit vidiſſe*) ſic Ciofanius adducit ad Ovid. Met. 1. p. m. 9. & mox pag. 371. *moventem* pro *morantem*. Idem verſ. 396.

Digitized by Google

396. *nec quo se vertice*, pro, *qua sese vertice* 580. *exciit aures*) *exiit auris* magis terrificum & divinum videtur. ut Virg. *tum vox audita per auras*. Lib. v. verſ. 86. *jamque ferentes*) an *ſedentes?* Ovid. Met. xv. *Jam ſedet Ortygie*. Sed nec alterum diſplicet *ferentes* ſcil. addita fretis freta. 100. *Odryſius dum rite*) putabam *tum*. ſed nunc ambigo. videntur enim haec cum ſequentibus jungenda. pro iſto *Altius in ventos recipit ratis*, lego *recidit*. nam Sabellicus *cecidit*. 183. *aethere plena*) *prona* credo rectius. ut *proni Dii* Lucano. 293. *liceat Grajis ut*) praefero *dum*, quod Pius notat in quibuſdam, 308. *aut altos*) Retineo *alios*. 369. *& faevo*) *aut ſaevo*. 431. *vix Tethys*) *Titan* conjectabam. Sed nihil affirmo. 455. *deflexerat error.*) aut hoc loco *converterat* vel *diverterat*, aut ſuperiori verſu *retorquent* legerim. alterum forte e gloſſa eſt. 520. *Jamdudum fremit*) *premit* haud dubie rectum. 594. *Vide lata comentem*) Quis ferat *comentem?* nec correxit tamen in exemplari ſuo Alardus. 597. *nulla minanti*) puto *multa minanti*, ut Ovid. *Multa mihi coelum, multa minantur aquae*; 613. *nec foedere veſtro*) liber Laeti habet *ut*. forte *aut*. 670. *Faſſaque quae nequeam? ſic femina*) etiam hîc advocamus opem tuam. an *Faſſaque quae nequeam ceu femina*. ut ſtringit illa Martis, *neque femineis jus objicit auſis*. v. ult. *lumina*) lego *limina*. Lib. VI. verſ. 24. *Non illos ideo tantos*) lego *tanti*, cum Cod. Carr. Laetique. forte & *ignotis* ſeq. v. ut ſit *Non illos ideo tanti veniſſe labores Per maris. ignotis quid opus concurrere, nec quos Oderis*. Noſter in fin: *Aeſoniden aequore tanto Debita cognati repetit qui vellera Phryxi*. 122. *& raptor amorum*) durum illud Voſſii II. De Arte Grammat. pag. 223. ed. poſt. *raptorque Amadocum*. Tuum longe venuſtiſſimum, *& raptor agrorum*. 124. *notuſque refutat*) & hic locus difficilis. Suſpicabar, *nervoſque refutat*. an potius *nodoſque*, ut intelligat Graecis dictos κονδύλους. Medici noſtri *nodos* dicunt extrema brachii, unde digiti incipiunt. 169. *gemit intus*) *ictus*. 171. *Typhoëa verberat*) exiſtimo primum in *Typhoëus* vix produci, uti nec corripi *Typhon* apud priſcos. malim itaque *Typhona reverberat*. noſter lib IV. *Implorant clamore patrem Typhona nefando*. 184. *galeis*) imo *gladiis. galearum* mox meminerit. 209. *Pectus in adverſum graviter jacit*) MSS. Laeti, *Gelae*. Scribo, *ſimul obvius haſtam Pectus in adverſum Gelae jacit, alipedemque Conſilit excuſſo victor duce*. 263. *Ante manu tacita*) num, *Arte manus tacita?* Martialias *Callidam manum* vocat. 280. *animos acies*) *acres auget Mavors*. 302. *belli diverſa*) lib. Laeti, *Campi dimenſa*, an, *campi diverſa?* 400. *divumque reterquet*) *retorquent*. equi puta. 722. *hos ipſae Gentes*) hos *Aſiae*, vel *Scythiae gentes*. Lib. VII. verſ. 17. *Aeſonias*) *Aemonias*. facilius Medeae fuit patriae nomen; quam patris cognoſcere. verſ. 75. *An magis everſo*) lego, *inverſo*. ut Virg ſaepe. & noſter alibi. verſ. 76. *dum ſeminis*) *dum dentibus* exigit ſeries orationis. 94. *quamquam mihi dextera*) imo *nunquam mi. d.* 165. *quin illa ſacris*) Carr. lib. *queis facis*, lib. Laeti, *adſlantem*. Corrigo: *queis illa ſacris, quo freta veneno Illum etiam totis adſlantem noctibus anguem, Qui nemus*, &c. *Sternat*, (aut *Fundat*, aliudve hujumodi) *& in ſomnos ingenti ſolvat ab orno, Haec tibi nunc: Furiis atque ipſi caetera mando*. Nulla te melius dixerit, quibus artibus ad molliendum ſopiendumque draconem opus ſit: quemadmodum vero rite ea fiant, Furiae atque ipſa viderint. 244. *Ar-*

dua amanti) difficilis locus. cogitabam, *aequus*, aut *haeret amanti*. Sed nondum videtur fassa amorem, unde infra vers. 298. *rupto condi telluro premique Jam dudum cupit, & duras evadere voces.* Aliud itaque quaerendum. num, *aut fuga nocti*. Sed tu, oro subvenias, Heinsi sospitator unice Valerii nostri. 343. *quem primum*) *prima*. 359. *durat editque*) quo modo *durat*, si *edit*. an potius *alitque*, vel *obitque*. 369. *totos nunc contrahit toto. monte* scil. 444. *miraris & ipsa*) *& ipso*. 506. *saevius ipsis*) malo, *istis*. 520. *quem tanta utinam fiducia nostri sit mihi*) lego *fiducia contra*, vel, *fiducia in hostem sit mihi*. 536. *Contingat vix deinde*) *Contingat mihi deinde*. 550. *In vellera in ipsa*) Lib. Laeti, *ni vellera & ipsa*. scribo, *ne vellera & ipsa*. Lib. VIII. vers. 23. *ferit irritus Isthmum*) lego *petit*. ut Ovid. *venit irritus illuc Romulus*. vers. 136. *inflexit frater*) lego, *infestus frater*. 157. *Sed quid ego*) *Sed quid ago? quem ve*. 168. *Aut certe nunc*) *Aut certe mecum*. 217. *hortatur*) *hortatus*. vers. 224. *Ipsa autem invitae*) *invictae* verius puto. 320. *Haud finit*) lego *Ut finat*. & seq. v. *quondam* pro *quoniam*. Sed jam nimium vereor fatigasse te minutiis meis, vir maxime. instantque laturi literas Holmiam. Da veniam scriptioni nimium festinatae. Volebam plura. Sed erit forsitan posthac tabellarius certior. Vale; & audaciae meae veniam indulge. Upsaliae, d. XXVII. Jul. st. vet. A. CIↃIↃCLXXVII.

EPISTOLA CLXIII.

NIC. HEINSIUS

Joh. Columbo.

Upsaliam.

NUnc demum e tuis longe jucundissimis datur cognosse eas, quas ante hoc biennium ad te exararam, & in quibus de Valerii Flacci locis nonnullis agebatur, in manus tuas pervenisse: nam binas alteras, quas ex illo exaratas scribis, cave credas mihi redditas fuisse. sedem quidem certam nullibi fixi, dum nunc in hanc aulam excurro, nunc in secessu Vianensi Musis ac solitudini vaco, non molestum tamen erat iis, qui litteras peregre ad me adferunt, eas *Danieli Elzevirio*, Bibliopolae apud Amstelaedamios non ignoto, tradere, continuo ad me curandas, quod is me compellare per litteras soleat frequentissimus. Detestor equidem ac abominor funesta haec tempora, vel eo potissimum nomine, quod amicorum absentium consuetudinem intervertant maligne nobis: spero tamen ad summum insaniae perventum esse, ac mox pacatiora omnia fore speranda. Quod si fit, nihil habebo prius aut jucundius, quam de studiis communibus, quae potiora duco, tecum confabulari. Nunc hoc ipso dolores geminantur, quod litteras plurimum voluptatis laturas mihi tam frequentes in via intercipi intelligam. Sententiam meam de versu apud Valerium Flaccum III. 493. postea Socero tuo aperueram, nimirum videri scribendum,

Germanique manu repetiti crimine Persis.

Sed & illae litterae interciderunt. Lib. I. 12. *delubra gentis* pluribus exemplis ex ipso Valerio depromtis asserere sum conatus, ut videbis aliquando. Reliqua

qua, quorum mones, habui gratissima, & horum nonnulla editione mea jam occupavi. Vale, 14. Novemb. CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA CLXIV.

JOH. COLUMBUS

Nic. Heinsio.

Vienam.

GAudeo factum esse tandem, vir maxime, ut una cum Socero meo nonnihil litterarum ad te dare liceat; quas nequaquam distulissem tam diu, humanissimis litteris tuis tertium dimatus sub exitum anni superioris, nisi optimus, quem dixi, senex, longis ac pertinacibus vexatus morbis, interdum & graviter concussus, scribere, quod avebat, nequisset. Hunc autem ut exspectarem, idoneae fuere causae. In Valerio Flacco legendum esse, *delubraque gentis Instituet*, facile nunc assentior tibi, postquam coepi tandem repetere memoria, praesertim tuo admonitu, illud verbi divina in re usitatum esse, ipsi etiam Valerio; ut libro III.

Circum humiles aras ignotaque numina divum
Instituit. – – –

Haec vero & alia istiusmodi non advertisse tum stuporem meum! Prorsus igitur credo scripsisse, ita ut doces. Vereor ne occupatum illud a *Barthio*, lib. VIII. vers. 217. *hortatus*, pro, *hortatur*, caeteris meis inserierim. nolim nunc certe factum. Plura forsitan alibi: nisi fors tibi typographoque commodum nunc fuerit Valerium nobis dare, quod quidem vehementer exopto. [1] Libellum, quem his adjungo litterulis, tibine mittere auderem, fateor me ambegisse, cogitantem, vix esse in eo, quod cum voluptate legas. Sed utinam ne magis etiam offenderim, illustre nomen tuum meis istis apinis interponendo! At hanc mihi da, quaeso, veniam. Sive hoc opusculum refingi poterit, sive aliud quippiam a me excudi, non committam, spero, in posterum, ne non satis caute magnis nominibus usus dicar. Si quid tamen peccatum hoc modo est, simplicitati meae hoc omne, non arrogantiae oro tribuas. Quum nimium festinata sit haec editio, paro alteram, cui major impendatur cura. Vehementer equidem cupio doceri abs te, aliisque vestratibus viris eruditis, de hoc scripto Graeco, ejusque auctore, quid censeatis: sed quum opera haec prima tam male cesserit, metuo, ne omnia damnetis. Mittam tamen exempla plura cum habuero, qui Holmiam eat. Haec tabellario publico dedi, ut saltem aliqua fasciculo Soceri mei adjungerem. Vale, vir summe, & inter tuos vel ultimum, modo aliquem, locum mihi concede. Upsaliae XXVI. Nov. Julian. Anno CIↃIↃCLXXVIII. raptim.

1 Ex seq. Epist. video fuisse *Incerti Scriptoris Graeci fabulas Homericas de Ulyssis erroribus ethice explicatas*, quas hoc anno edidit Holmiae. In notis suis pag. 110. laudans *Nic. Heinsium*, de literarum commercio cum viro illustri sibi gratulatur vehementer.

EPI-

EPISTOLA CLXV.

JOH. COLUMBUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

VAde vereor', Heinſi vir! ſumme, ne ab humanitate officioque penitus deſciviſſe videar, quia non ante indicaverim tibi exceſſum e vita Soceri mei, magno a te amore, plurimiſque officiis per omne propemodum aevum ſuum culti: praeſertim cum illius cauſa etiam me immerentem perhumane benigneque ſis complexus. Verum quam miſerabili errore ſit factum, ut crediderim te illic locorum degere, quò non modo meae, ſed vix ullae quidem litterae pervenirent, ne graveris quaeſo accipere. *Petrus eſt Lagerlöff* Vermelandus, elegans, & eruditus juvenis. Ab hoc mihi venerunt Haga litterae, pro re comperta minimeque dubitabili nuntiantes, in Americana te maria, inſulamque Surinam juſſu potentiſſimae Batavorum Reipub. cum imperio profectum eſſe. Quid facerem? nolebam credere: ſed multa coëgerunt. Auctor minime vanus alias aut obeſae naris; tuorum Parentiſque tui maximi ſcriptorum lectioni & admirationi mecum deditiſſimus, mihique multos annos familiaris & poene domeſticus. Sed neque fieri putabam, ut Hagae de te falſa narrarentur, ubi nemini non ſciebam te notiſſimum. Apud animum denique multorum, quos amaveram prae aliis & ſuſpexeram, mortibus concuſſum & afflictum, triſtibuſque jam diu aſſuefactum ingratus nuntius faciliorem invenit fidem. His igitur victus, morbo quoque & morte unici fratris vehementer perturbatus diſtuli ſcribere. Tandem alterae ab eodem *Petro* literae adſunt, quibus deceptum ſe fatetur, ſimili nomine falſa iſta nuntiaſſe: a celeberrimo *Graevio*, cujus humanitatem & elegantiam mire praedicat, veriora edoctum Ultrajecti, ſcire ſe Vianae te vivere. His acceſſit heri Mantuanus ille vates, per te nitori ſuo redditus, carmine ad Regem Chriſtianiſſimum, quale a ſolo te ſcribi potuit, auctus, magniſque teſtis coeptae benevolentiae tuae, qua nullum praeſentius remedium tot malis meis afferri potuit. Per te igitur, ſpectatamque toties benignitatem tuam, per memoriam *Schefferi* noſtri oro quaeſoque, ut errori meo des veniam, & caetera, quae funeris cura laſſatus utcumque referre valeo, haud gravate cognoſcas. Aliquot jam annos increverat morbus ille, (ſcorbutum vocant) quo confectus eſt Socer meus, cumque ſuperiori autumno vires reliquiſſet ei perexiguas, non potuit tamen eo deduci Senex optimus, ut a lectionibus publicis deſiſteret. Quinetiam diem Non. Decemb. natalem Profeſſionis Skyttianae publica oratione celebravit, qua *de fatis rei literariae per Sueciam* perrexit agere, deque malis, quibus nunc laborat Academia noſtra, veriſſime liberrimeque multa locutus eſt. Dixit & aliam, paucis poſt diebus, *in Chriſti Servatoris natalitia*, incredibili cum applauſu audientium: qua Deo ſe gratias egiſſe, Academiaeque vale dixiſſe non ſine lacrimis ſuorum teſtatus eſt domum reverſus. Sub exitum anni ſuperioris Vellejus tuus illi eſt allatus; ipſe autem munere gratiſſimo recrea-

creatus, non temperavit ſibi, quin aſſiduus, querentibus licet medicis, eum tereret. Poſſum affirmare, in hoc genere literarum, ac paene omni, poſt felices illas emendationes tuas nihil ei lectum eſſe. Amplas admodum ingenii & eruditionis tuae divitias laudabat impenſe: paucula quaedam tamen faſſus eſt ſe cupere ſervata, ut erat in priſtinis lectionibus tuendis nimis interdum religioſus. Morbum lento ipſum cruciatu macerantem mira tulit patientia, exceptiſque ſalutaribus quibuſdam monitis, & gemitibus perquam raris, obſtinato ſilentio: deceſſit VII. Kal. April. ab Academicis primum, mox omni patria noſtra, quam ille ut cultiorem ac politiorem redderet, nulli pepercerat labori, acerbe multumque defletus. Duo ejus libri Holmiae nunc typis deſcribuntur. Unum *Sueciam literatam* vocat, catalogum continentem omnium, quae in patria mea digna memoratu viſa ſunt, ſcriptorum. Altero, juſſu Regis, *antiqua inſignia trium coronarum* genti noſtrae it vindicatum. Utrique attexuntur ab aliis nonnulla, quae typographos non parum morantur: mittam tibi, quamprimum fuerint abſoluti. Paratae ſunt praelo in officia Ciceronis Animadverſiones item, item notae in eadem, quibus pars duntaxat primi libri explicatur; arbtror tamen opus ſatis prolixum edi poſſe. *Baſilicae*, id eſt, de Regibus, & ad Reges orationes aliquot. In Taciti Agricolam liber commentarius. *Opilio*, ſeu de Ovium Paſtoribus *Adverſaria*. De *Latinitate perperam exiſtimata* liber. Sed jam ad alia feſtinandum eſt. Praeter Socerum meum obiere hoc anno Academiae noſtrae Profeſſores quatuor, [1] *Petrus Liung*, *Jonas Fornelius*, *Magnus Celſius*, & noviſſime *Martinus Brunnerus*. Duo poſtremi multum item deplorantur, maxime propter operum ſuorum ſummam manum deſiderantium inhibitam ſic editionem. Inter alia fuit Moeris Atticiſta, de quo *Brunnerus* quotidie querebatur, tarde ſibi rem procedere, propter eccleſiaſtica negotia, quibus diſtringebatur. Illum ſcriptorem, ſi tu permiſeris, (nam tuo beneficio deberi ſcio) curabo edi quamprimum: habeo enim & ipſe deſcriptum, nec invidebunt haeredes publicis uſibus *Brunneri* ὃ μακαρίτης annotata: ſed recenti luctu jam oppreſſos alloqui hac de re vereor. de ſtudiis meis multis nunc agere non licet, ne Illuſt. Dominum *Rumpfium* nimis grandi onerem epiſtola. Is, de quo ſupra, *Petrus Lagerloff*, affirmavit inter alia praeclara hoc quoque dixiſſe celeberr. Dominum *Graevium*, ſe triumviros amorum propediem eſſe editurum. Qua re cognita vehementer laetabar. In Bibliotheca vero ὃ μακαρίτης noſtri *Scheffери*, ſcis (puto) exſtare Tibullum manu-

1 Horum quidam aeternum latuiſſent exteris, niſi peplo ſuo Literatae Sueciae intexuiſſet eorum nomina *Scheffirus*. *Petrus Ericus Liung* Philoſophiae practicae Profeſſor, nec, niſi exercitationibus fere Academicis emiſſis, inter ſuos fuit multum notus. Vid. pag. 242. de *Jona Fornelio* Matheſeos profeſſore pag. 230. de cujus patre *Laurentio* ſaepe in epiſtolis prioribus mentio injecta fuit. *Magnus Nicolaus Celſius* Mathem. Profeſſor memoratur *Scheffero* pag. 187. Celebrior his fuit *Martinus Brunnerus* Graecae primum Linguae, mox Theologiae Profeſſor, de quo creberrima in his epiſtolis mentio, & cum quo *Heinſius* etiam epiſtolas plurimas commutavit, in quibus cum nihil fere, niſi de Moeri Atticiſta, quem edere voluit, agatur, eas proferre vix operae pretium viſum. Palaephatum edidit Upſal. 1663. Vide *Scheffiri* Suec. literat. pag. 214.

nu non quidem valde antiqua, ſed tamen ex veteri bonoque exemplari deſcriptum. Hunc vobis lubens mitterem, ut tantis viris officio qualicumque gratificarer. Sed opinor, ut caetera ſoceri mei, ita hoc quoque exemplar a te, cum Holmiae viveres, diligenter perluſtratum. Hoc enim a Socero meo videor audiviſſe: de Horatianis certe membranis hoc affirmavit. Idem neſcio quo caſu de Tibullo hocce nihil dixerat mihi, antequam notas meas (heu nimium properatas!) in ſcriptorem illum Graecum, quem miſi vobis anno ſuperiore exeunte, jam formis vulgatas legiſſet. Incertus tamen, an & Tibullus iſte viſus tibi, non tempero mihi, quin aliqua excerpam. Lib. I. Eleg. I. *Non ego laudari cupio*) MS. Scheff. *Non ego laudari curo. Et rixas inſeruiſſe juvat*) MS. *conſeruiſſe*, quod ſatis, niſi fallor, plenam efficit orationem. El. II. *Cum libet*) MS. Sch. *Quom libet*, & ſic etiam proximo verſu. *provocat orbe*. MS. *convocat. Non ut totus*. MS. *Non ego totus. Sectaque de ſanctis diripuiſſe*) MS. *eripuiſſe*. forte, *deripuiſſe*. de qua voce ad Ovidium nos doces. *non vanus ſaeviet ipſe*) MS. *uſque* & ſic Aldina, forte & aliae, quas praeter ſolam Mureti, annotatis tamen in margine Scaligerianis, fateor non eſſe ad manus. Eleg. IV. *poſt offeret ipſe volenti*) MS. Scheff. *poſt auferet ipſe. auferet* mihi ſe ſatis probat. *roganti* habet *Scaligeri* liber, ſaepe cum Schefferiano conſentiens. *ne turbis fabula*) MS. Sch. *turpis*. Eleg. V. *teneriſque lacertis*. MS. Sch *mutiſque lacertis. eſcaſque ſepulchris*) MS. Sch. *berbaſque*. Eleg. VI. *Fingere tum* &c.) MS. *Fingere nunc, ut ſola cubaret, Cardine nunc tacito. Effluit effuſo*) M. S. *Et fluit effuſo cui toga laxa ſinu*. Eleg. VII. *quanam poſſum te dic.*) M. S. *poſſim. poſtulat imbres*. MS. *imbris* & ſic plerumque. El. VIII. *ſeroque juventa*) M. S *juventas*. & paulo ante *fingere dente notas*, non *figere*. mox *coma tum mutatur*, non *cum. poterat cuſtodia ſalli*) M. S. *vinci. miſeros laedebat amores*) M. S. *ludebat*. Eleg. IX. *quam plures enerauiſſe viros*) M. S. *quem plos*. opinor veram lectionem eſſe, *quam proles*. Eleg. X. *At nobis aerata*) MS. S. *exerta. Flet teneras*) M. S. *tenebras ſubfuſa genas*. quod poſterius etiam Scal. maluit an praeterea legendum *tenebris*, i. e. pallore? ſed ambigo; vehementer tamen illuc propendeo. Lib. II. Eleg. I. *Vos celebrem cantate deum*) Nihil juvat hîc liber iſte. Malim tamen *celerem*. Eleg. II. *ſirepitantibus* MS Sch. *trepidantibus*. Eleg. III. *At tu quiſquis is eſt*) MS. Sch. *hic eſt*. ſcribe *hic es*, ut Virgil. *Hic vir hic eſt. imperitat* MS. Sch. *Imperat &*. num, *imperat, en? multa columna*. MS. *mille columpna. Femina Choa* Sch. MS. mendoſe. an *Chia?* non puto. Eleg. IV. *& nunquam miſero*. MS. *ut nunquam miſero vincla remittat amor. Seu quid peccavimus uror*. MS. *urit*, quod volebat Scaliger. Ita mox cum ejuſdem libro. *nondum formaverat urbis*, non *fundaverat*. & rurſum *exiguus pulſa*, ſi ſatis aſſequor. *Troïca qui*. MS. *quae. Hic magnae nunc* MS. *jam Nubilus aimus* MS. Sch. *añis*. hoc eſt, *amnis*, quod fortaſſe non ſpernendum, poteſt de Tiberi ſermo eſſe. Eleg. VI. *tua qui ferus otia liquit*. MS. Sch. *hoſtia liquit. & mihi grata tuba*: MS. *& mihi facta tuba eſt. Scilicet* MS. *ilicet*, ſi ſatis aſſequor. *ſis mihi dura veto*. MS. *ſis mihi lenta veto*. de qua voce ad Ovidium pulcherrima nos erudis. Lib. III. Eleg. I. *Pumex &*. Aldi editio *pumicat &*. MS. *punice &*. legendum puto, *punice ſed*. idque ſequens ver-

verſus firmare videtur. Eleg. II. *Qui primum* MS. *primus longas incenta* MS. *inculta*, *animamque precatae*. MS. *regatae*. & ſic Aldina etiam. [1] Idem voluiſſe te puto ad Faſtos Ovidii, ſed locum nunc non invenio. Eleg. IV. *omina noctis*. MS. *agmina noctis*, quod ſuſpicor verum eſſe. *lumina ſera quies*, MS *feſſa*. *Mutabilis illi*. MS *illis* ut Scaliger. *Felix hoc alium*, MS. *ac alium*: Eleg. VII. *Care puer*, MS. *Carpe*, ut apud Petronium. *Cadmaeae matris praeda*. MS. *turba cruenta*. Lib. IV. ad Meſſalam. *omne movemus hoc tibi*. *Vovemus* cum Scaligero, & mox cum ejuſdem libro *carmine*. *Cimmeriorum ad oras* MS. *ad arces*. *Vidit, ut inferno*. MS. *vidit & inferno Plutonis ſubdita regno magna deum proles levibus diſcurrerat undis*. Viſis nugis meis ad Anonymum illum Graecum, ὁ μαχαίτης noſter librum hunc ſuum praebuit inſpiciendum. Ejus itaque ductu legendum fortaſſe, *Vidit ut inferno* (aut *inferni*) *Plutonis ſubdita regno Magna deum proles levivibus diſcurreret umbris*. *Cum canibus rapidas*. MS. *rabidas*. rabiem noti Horatius dixit. *brevius contendere*. MS. *levius*, quod magis Latinum videtur. *Teſtis Arupinas*. MS. *teſtis & Arpinas*. in illo *pauper* latere videtur quidpiam. *abnuit additus*. MS. *abnuit abditus*. forte *annuit* (vel *adnuit*) *abditus aris*. *Cyri Clementia Gindes*. MS. *Cydnus*. *nec quia*. MS. *quid*. *totus diſponitur orbis*. MS. *toto diſponitur orbe*. *Vires necat aer*, MS. *negat*. *Hic & colla jugo*. MS. *hinc*. *Fortuna ut mos eſt*. MS. *Fortuna ut mos illi ſemper adverſa*. Forte, *Fortuna, ut ſemper mos illi adverſa*. *vel bene ſi totus* MS. *vel bene ſi notus*. alterum praeceſſit. Elegia ad Cherinthum *nec ſis nunc injuſta*. MS. *nec tu ſis injuſta*. Mox pro *quam ſolviſſe*, idem liber *nos ſe viſſe*. Eleg ad Junonem, *illa aliud tacita jam fibi*; MS. *jam ſua*, quod longe elegantius. Ad Meſſalam, *apta puellis*. MS. *apta puellae*. Elegia, quae inſcribitur, *Sulpicia loquitur*. *Exſolvit promiſſa* MS. *ſe ſolvit*. Elegia quae incipit, *Eſtne tibi Cherinthe*: *Ut videar paucos*. MS. *Ac videas*. hoc forte rectius, aut *ac videor*. *Tu mihi ſola places*. MS. *tu modo ſola*. *Haec per ſancta tuae Junonis*. *Nec tibi ſancta* puto ſcriptum fuiſſe *Haec tibi ſancta*, aut, *per tibi ſancta tuae*. Sed jam delaſſo vos minutiis iſtis, ſuntque fortaſſe haec jam ante notata tibi & viſa, Nobiliſſime Heinſi. Oro autem, ne in magna temporis & editionum inopia mihi fraudi ſit prius obſervata ab aliis repetiiſſe. Saltem aeſtimavi vel ſic oſtendendum libri hujus non ſpernendum pretium, quem ſtatim vobis mittam, cum cognorim prius non eſſe inſpectum. Valete, viri magni, & ſimplices haſce nugas noſtras boni contulite. Upſaliae II. Septemb. CIↃIↃCLXXIX.

1 Immo vero *Ruinoſus precatus* legit ad VI. Faſt. 303. monente *Bruckhuſio*.

EPISTOLA CLXVI.

NIC. HEINSIUS

Joh. Columbo.

Upſaliam.

INcredibili maerore me tantum non confecit mors inopportuna Soceri tui, vir Clariſſime, quamvis in ſcriptis plane eximiis perennabit ſenex, inter paucos aetatis noſtrae literatus atque eruditus. Recruduit altiſſimi doloris vulnus,

acceptis nuper admodum ejus literis Novembri menſe exaratis, quibus & tu tuas addidiſti, una cum libello exquiſitae notae, de fabulis Homericis, quem avidiſſime profecto, nec ſine multa voluptate jam perlegi hactenus ignotum mihi, idque uno oculorum conjectu, quo major exarſit ſitis in hoc pectore complura hujus notae tuis illuſtrata lucubrationibus contemplandi. Maronem meum, etſi nullis exornatum annotationibus, jam accepiſſe debuiſtis. Holmiam certe perlatum eſſe narrant ultimae Ampl. viri *Conſtantini Rumpfii* literae: eum Valerius mox Flaccus excipiet, ſed nec ille ullo novarum animadverſionum ornatu ſpectandus. Culpa hujus rei convertenda eſt omnis in unum typographum, qui editionem curavit parum nitide atque emendate, ut ejus jure optimo me pigeat pudeatque. Haec in anteceſſum: pace enim tandem ſtabilita fore in poſterum confido, ut iter litterario commercio, per tantum temporis interrupto, tutum ac ſecurum contingat. Vale, vir praeſtantiſſime, & mihi velle, poſt Socerum, cujus adfectu plurimum triumphabam, perge. Vianae XVIII. Octob. CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA CLXVII.

JOH. COLUMBUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

SAnctam piamque vivere in te *Schefferi* noſtri memoriam, minimeque una cum ipſo gratiam, quae inter vos fuit, dirum funeſtumque illum diem abſtuliſſe, epiſtola, qua nuper me beaſti, luculento docet teſtimonio. Hac ego illuſtris *Rumpfii* beneficio potitus, (cujus item humanitati pro eo ac meretur laudandae non ſufficit infantia mea) Socrum meam tantum gaudii celare nolui: laetabatur & ipſa hoc nuntio plurimum, magnaeque bonitati tuae ut gratias agerem, diligenter orabat. Utinam ſe hac dignam praeſtare valeat tenuitas noſtra: promto quidem pioque animo cedemus nemini. Quid, quod litteras etiam meas praevertiſti, quas IV. Non. Sept. Ill. *Rumpfio* ad te mittendas dedi: quam miſero autem errore factum ſit, ut eo uſque diſtulerim ſcribere, ex ipſis haud dubie jam cognoviſti. Nam perlatas nunc eſſe, vir ille optimus jubet ſperare: nec fuiſſet mihi ullus inter bonos locus, niſi pro munere praeſtantiſſimo ſtatim egiſſem gratias, cognitoque, te inter Belgas vivere, de obitu Soceri mei te feciſſem certiorem. Valerii praeterea Flacci tui quod ſpem facis, gaudeo, fateor, quam poſſum inter tot funera maeroreſque alios, vehementiſſime: per typographum ſtetiſſe, quo minus notis tuis poteremur, non ipſe modo moleſtiſſime fero, ſed quicquid ubique eſt bonas litteras amantium. Eſt etiam cujus ego accuſem typographos Holmienſes, quorum unus ab ipſo *Scheffero* traditum ſibi de *Suecorum in litteris conatibus* opuſculum jacere ſinit vix dimidia parte deſcriptum typis; alter, quae *de inſignibus* ab eodem ſunt compoſita, jam abſolvit quidem: ſed ſculptorem adhibuit imperitum, & plus quam dici poteſt, ſegnem. Liberatus Academicis laboribus Holmiam propediem (ut

ſpero)

ſpero) excurram, &, ſi nihil aliud, ſaltem litteras benignitatis tuae memores mittam. Tu vero vale, vir incomparabilis, & in optatiſſimo mihi favore tuo perſiſte. Upſaliae IV. Kal. Decemb. Anno CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA CLXVIII.

JOH. COLUMBUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

SUperiori hebdomade litteras tuas laetiſſimus accepi, vir maxime, Vianae XX. Januarii ſcriptas: habeoque hoc felicitatis non minimae, tempore tam exiguo tantum eas maris ac terrarum ſuperaſſe, ut eo citius exhilaratum me venirent. Decembri quidem menſe, ſi quas ad me dediſti, quod hae noviſſimae dicunt, in tabellarios non ſatis fidos inciderint neceſſe eſt. Sed Octobri medio exaratae, cum hiſce nuperrimis, ſi quid eſt damni, multum illud levant: niſi quod nequeam ullis aequo animo carere litteris, quibus in magna virium temporiſque penuria vir tantus me non dedignaris. Excuſatione vero non fuit opus, cum in nulla parte aut occaſione teſtandae benevolentiae abs te ſit ceſſatum. nam & probaſſe te mythologum iſtum, nec ita, ut merebatur, audaciam tuliſſe dolenter, inter apinas iſtas nomen tuum uſurpantis, utraque luculenter docet epiſtola. Magnas quoque gratias ago, quod Moerim Atticiſtam edere ſinas: imo hoc ut faciam horteris: ego etiam atque etiam videbo, ne benignitatem iſtam longa cunctatione fruſtrer, neve reticeam ingratus, quo accumante in Gallia deſcriptus, & in has plagas mundi miſſus ſit. Emendationes quaſdam jam tunc appoſitas atque eleganter factas, marginique adſcriptas habebat exemplar illud, cum huc afferretur. Eas arbitror celeberrimi *Bigotii* eſſe. In omnibus iſtis ego ſic verſabor, ut contextus prorſus, qualem Pariſienſe hoc dat apographum, adhibeatur: in notis brevitas ſervetur, nec minor ubique fides quam diligentia compareat. Julium Obſequentem Soceri mei nondum tibi redditum eſſe valde doleo. Sperabam juſſu editoris Amſtelodamo, ubi typis eſt deſcriptus, allatum: quod niſi hoc factum putaſſem, vel ex his locis in Belgium ad te, amicoſque *Schefferi* alios miſiſſem. Sero nunc quidem, ſed tamen ago cum Bibliopola veſtrate *Beunſio*, qui nundinarum cauſa hac in urbe nunc vivit, datis confeſtim ad *Bomios* litteris, ut exempla vobis praeſtet multis nominibus debita. Errori meo quaeſo ut ignoſcas: quam vellem novi quid eſſe, quod ſtatim impertirem! ſed partim typographorum deſidia, partim aliorum culpa factum eſt, ut neutrum eorum operum, quae Holmiae excuduntur, nunc praeſto eſſe queat. Etiam imaginem Soceri mei in nummo ſtatui vobis mittere: eſtque ipſa in chalybe elaborata: ſed nondum averſa nummi facies. Cujus cunctationis cauſa partim in aliis occupationibus artificis reſidet, partim in foeminarum morolitate, quae in ornatu ἐμμανέστερα exteriore vellent aliquid mutatum. Ope autem omni enitar, ut caeteris perfectis, nummus ad vos quamprimum apportetur. Librum

de *Lapponibus* apud Regiomontanos, ſi memini, auctiorem excudi ſenex noſter, dum nobiſcum fuit, dicebat: poſt id temporis nihil de eo auditum eſt. Mittam & hunc, cum fuero nactus: & interea navis, quae prima ſolvet ex portu Holmienſi ad vos itura Lapponiam, qualis jam ante eſt edita, tibi adferet; una cum notarum in Juſtinum auctario: hoc enim nondum te vidiſſe arbitror. Libros in Germania nuper editos inſpicere nondum potui propter corporis imbecillitatem, quae ſummam per aëris intemperiem non ſinit in tabernas bibliopolarum exire. Ab aliis tamen memoratorum en tibi aliquot nomina. *Georgii Matthiae Konigii* Bibliotheca vetus & nova. *Henrici Kippingii* Antiquitates Romanae. *Joh. Adami Webers* annulus memoriae Salisburgi A. 1679. ſcriptum eſſe fertur ὑποθετικὸς ad Principes. Laudatur & *Hofmanni* lexicon copioſum prorſus, reſque omnis aevi complexum plurimas. Sed hujuſmodi libros referri forſitan nolles. Veterum ſcriptorum illic editorum non habeo quemquam memorare poſt Eutropium cum Metaphraſi Graeca Pacanii, Sextumque Rufum, & Zoſimum a *Chriſtophoro Cellario* publicatos. Quos tibi jam dudum viſos eſſe ſuſpicor, cum A. 1678. prodierint in lucem. Adeo nihil apud nos eſt, quod indicatum per te Lactantii opus poſſit compenſare. Hoc peregrinae naves primo vere, ut ſpero, noſtris bibliopolis afferent. Paene fugerant me *Georgii Urſini* Philiſologicae obſervationes, in quibus reprehenſum audio *Scheffernm* noſtrum; quo jure, diſpiciam diligenter. Etiam hunc mittam tibi, ſi (quod puto,) comparebit in hiſce nundinis, eritque navis, quae velit in Belgium. Oro praeterea, ut ſi quis liber extiterit, quem velis cognitum, ne graveris eum indicare mihi: nihil poterit umquam optatius evenire, quam ſi qua in re tibi valuero gratificari. Plura nunc ſcribere non ſinit corpuſculi debilitas ex diuturna deſtillatione, indeque nato pulmonum vitio. Hodie tamen medici coeperunt meliora omnia ſpondere. Utinam & tu valere poſſis, vir ſumme, in mea multorumque aliorum, tui, & quas a vetuſtatis & barbariae morſibus feliciſſime vindicas, bonarum litterarum cupidiſſimorum gaudia perpetua! Upſaliae die x. Februarii Juliani, Anno CIↃIↃCLXXX. A celeberrimo *Graevio* adſcriptam mihi ſalutem laetor impenſiſſime. Non cunctabor per litteras illi gratias agere, favoremque illius ambire. Iterum vale.

EPISTOLA CLXIX.

JOH. COLUMBUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

VEhementer admodum, ſed varie tamen affecerunt me litterae tuae, ab aegroto ſcriptae indulgentiſſime. *Conſtantini* vero *Rumpfii* cura, viri humanitate plurima pariter ac ampliſſima dignitate illuſtris, recte in hanc urbem, inque manus meas perlatae. Valetudinis tuae aſperioris nuntio me graviſſime perculerunt; quam ut meliorem in locum rediiſſe quamprimum comperiam,

riam, ſumma eſt votorum meorum. Benignitate vero, qua me, viribus etiam infirmioribus utens, ſumma proſequeris, nihil non videor mihi conſecutus; nec ceſſabo, dum ſpirare licebit, eam meritiſſimis praedicare laudibus, niſi quando, ne non tam ipſam celebrare, quam me inſolentius efferre cenſear, cui tantum ea tribuit, verendum eſſe arbitrabor. Mea quidem valetudo, quam tibi curae eſſe perquam comiter ſignificas, ſatis nunc eſt commoda. Soceri mei libros, quos promiſi ſaepius, nondum a typographis exhibitos doleo; ſicuti nec nummum imaginem ejus referentem, occupato propter Regias nuptias artifice. Nunc tamen certior paulo ſpes facta eſt, fore paucis diebus, ut lucubrationem de antiquis patriae meae inſignibus videamus abſolutam, quam ubi fuero nactus, Ill. *Rumpfio* tibi mittendam ſtatim commendabo quam potero diligentiſſime. Opuſculo de *Suecia literata* reſtat pars adoptivorum, cum indice & praefatione longiuſcula. Segnes adeo non deſinam operas urgere, donec perfecerint. *De Lappona*, quam recuſam oportuit, nihil audivi. Bibliopola Naumburgenſis *Carolus Wolffius* eam recepit denuo publicandam. Opinor eum cauſari exemplaria nondum omnia diſtracta editionis prioris. Hujus itaque miſi exemplar die XVIII. hujus menſis, una cum Jul. Obſequente, & Auctario notarum in Juſtinum, quae propediem a nautis veſtratibus *Elzevirio* allatum, tibique ab eo redditum iri, *Rumpfii* bonitas jubet ſperare. Si quid prius promiſſis inveniam adjiciendum, perquam libens faciam. Academici labores nunc ſe incipiunt remittere: itaque ad perpoliendum id, quod in Atticiſtam meditor, accingor totus. Valerium tuum videndi cupiditate ſumma flagro, quem grandi beneficio tuo nactus ubi fuero, quo par eſt loco munus rariſſimum ac honorificentiſſimum haberi, a tanto praeſertim viro profectum, ſi quid in me eſt bonae mentis, habebo. Vale, (ita deus propitius velit jubeatque!) & in favore tuo, quo nihil mihi optatius, perſiſte. Raptim Upſaliae d. XXX. Apr. Anno CIↃIↃCLXXX.

EPISTOLA CLXX.

JOH. COLUMBUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

VEhementer moveor invaletudine tua, Heinſi optime, animique tibi jam ante addictiſſimi ardorem intendit, quod ne aeger quidem ceſſes me alloqui epiſtolis, quae mihi (deum teſtor) auro gemmiſque cariores exiſtunt. Utinam haec mea firmiori nunc reddatur! alioqui valde metuo, ne loquacitate ſua tibi creet moleſtiam. *Schefferi* noſtri lucubrationes libenter a te lectitari gaudeo: ſed pudori eſt nondum praeſtitas eſſe caeteras toties promiſſas. ego tamen ejus culpae immunis ſum, ſaepius ab iis deceptus ipſe, qui, cum nihil extricent, promiſſis me ducunt perquam uberibus. Librum tamen de *Patriae noſtrae inſignibus* huc deductum eſſe, ut communicari cum pluribus poſſit, quamquam necdum omnibus a caelatore perfectis, adeſt jam, qui nuntiet. Quare huic

huic tabellario ad certum hominem do literas, ut aliquot ejus exempla Ill. *Rumpfio* reddi curet. Alterum de *Scriptis & Scriptoribus gentis* noſtrae opuſculum haberi nequit, ante quam redierit e terris veſtris typographus, ubi typorum cauſa emendorum haerere perſiſtit. Nummum vultus *Schefferi* jam fracti morbo, digreſſumque meditantis, exacte referentem eidem Domino *Rumpfio* exhibitum eſſe ſpero, pluribus item in exemplis. oportuit in auro amici illius tui fulgere tibi imaginem: ſed donec reſcula mea, deo adjuvante, creverit, ut talem queam mittere, argenteum nummulum quaeſo boni conſulas. Praeſtabunt coheredes mei, niſi fallor, plura tibi exempla. *Mauſſaci* Harpocrationem una cum procuratis tuo beneficio *Valeſii* Notis tardius excudi dolendum eſt. Vellem ſane typographi facultatibus conſultum vel de meo: nam libri illius potiundi fateor me cupiditate magna incenſum. Parva res eſt, quam dicam: ſed oro ut pro magna facilitate tua ne graveris accipere, cumque illo communicare: ipſe quo minus illi ſcribam, nominis ignoratio prohibet. Ad finem jam ſpectant ea, quae in Atticiſtam hac tempeſtate commentari licuit; videoque (utinam non fallar!) ad emendandum opuſculum illud a librariis perquam negligenter habitum aliquid contuliſſe. In paucis tamen haeſiſſe me fateor; nec dubium, quin lapſus ſim ſubinde: ſed ſi vel tibi vel celeberrimo *Graevio* viſum fuerit adjectis obſervationibus novis reliqua perficere, tanto minus huic opuſculo rubiginis, aut etiam prorſus nihil, adhaerere gaudebo vehementer. Ita ergo perpolitum libellum ſi typographus iſte voluerit publicare, paratum me habebit conferre illi xxx. aut xl. thaleros imperiales, quos ille olim miſſis libellis aliquot compenſet. Levis eſt pecunia, (fateor) ſed nec Moeris cum notulis meis quatuor aut quinque folia majora, quae plagulas vocant, ſuperabit, ni typis fuerit praegrandibus. Hanc conditionem ſi acceperit, tanto ſtudioſius enitar in poſterum, ut commodis ejus inſerviam. Sin ille renuet, ut in his, modo faveatis vos, locis Moeris excudatur typis, videbo. *Baluſii* Miſcellanea tarde adeo a bibliopolis huc deportari miror. *Elzevirio* ſi quid forte ſcripſeris, exemplar eorum unum oro jubeas ut mittat: pecuniam accipiet, quicumque ab eo delegabitur. Sed jamdudum vereor, ne te offendant tot minutiae meae. Clariſſimo *Graevio* multam & officioſam oro ſalutem a me feras. Auctarium notarum in Juſtinum mittam illi propediem. Si quid praeterea fuerit inter libellos Soceri mei, quod inſpicere vobis libuerit, etiam ex iis, quae numquam edita ſunt, ſtudium vobis meum approbabo. Quae ſunt edita, horum vix niſi bina aut ſingula nunc reliqua ſunt exempla. Sed tamen & haec habebitis, nec invita ſocru mea, iſtiuſque coheredibus. Catalogum exhibebit opuſculum de ſcriptis Suecicis, de quo paulo ante. In Florum notae *Schefferi* nondum inveniri potuere: ſi quid fuerit, mittetur quamprimum. Vale, vir ſumme, nimioque literarum incultui, quas ab aliis inſtantibus turbatus exaro, ignoſce. Upſaliae Prid. Kal. Sextil.

EPI-

EPISTOLA CLXXI.

JOH. COLUMBUS

Nic. Heinſio.

Vienam.

JUſtiſſimas pro miſſo a te Valerio Flacco gratias agere parantem novis me litteris tuis cumulavit Illuſtris *Rumpfius*. Suaviſſimis illis quidem, & quibus, (ut omnibus tuis) nihil mihi venit unquam acceptius: reſpectu tamen ceſſationis meae rubore nonnullo me ſuffundentibus, cunctantem pro munere praeſtantiſſimo gratum teſtari animum, totieſque promiſſum Atticiſtam differentem, donec iterum a te, ſecus ac merueram, comiter ac honorifice compellarer. Et Flaccum quidem impertiens nobis meruiſti de ſtudiis noſtris inſigniter: nec tempero mihi, quamvis urgeant multa magnis neceſſitatibus, quin ei lectitando vacem ſubinde: nequeo dicere, quantum laeter hunc poëtam te vindicem eſſe adeptum, quamque vehementi me incenderit haec editio notarum cupiditate potiendarum: ut quem plurimis in locis veterum ope codicum peritiſſime curaſti; eum depromtis etiam ab ingenii theſauro remediis praeſentiſſimis perſanes, ſibique ac nobis reſtituas. Oro autem ut pro ſolita facilitate, bonaque cum pace tua, ſinas me ſpecimen qualecunque aut documentum dare libri ſupra quam dici poteſt cari, ex quo ad me pervenit, (exeunte, ſi memini, menſe Octobri) cupide pervoluti. Libro VII. verſ. CCLXIV. haec parentheſi percommode clauduntur,

— — — Ibi ante alios qui tum mihi pulchrior omnes
Viſus erat, longeque ducem mirabar & ipſe.

Juvat, inquam, haec diſtinctio plurimum. Sed quia loquitur Venus ſimulans Circen, patere arbitror eſſe ſcribendum, *mirabar & ipſa*. Verum hoc non dubito tibi jam deprehenſum eſſe, quem recordor de typographi negligentia graviter eſſe queſtum. Quaeſo igitur ne ſuccenſeas, de re minuta & prius animadverſa monendo ſi ſum importunus. Moeris ut nondum ad te redierit, partim exſpectatio reſponſi de Leidenſi typographo, partim libri nonnulli fecerunt, Holmiae ſubmiſſi, quos habere prius non poteram, quique videbantur ſubſidii nonnihil allaturi ad Moerim tot mendis liberandum. Nunc veſtro permiſſu, nec negata ſpe hujus apud vos deſcribendi typis, quod mittere eum liceat, gaudeo vehementer, gratiaſque ago maximas. Plura de hoc, cum vel Dominus *de Geer*, vel quem proxime Ill. *Rumpfius* inveniet, vobis afferendum librum accipiet. Ipſe optimus *Rumpfius* promiſit ſe Upſaliam noſtram propediem eſſe viſurum. Nummi memorialis exempla tarde ad vos perferri, imo Holmiae adhuc haerere doleo: praeſertim cum rem leviculam vobis tamen non penitus ingratam fore intelligam. Metuo valde, ne nihil ejus ſit placiturum, niſi facies fortaſſe ſenis noſtri vere ac diligenter expreſſa; ſed confecti morbo, fatoque jam imminentis. Reliquus habitus miſeriam refert neſcio quam: pravo ac moleſto metu artificis, ne proceres offenderet, ſi mundiorem aut paulo ſplendidiorem dediſſet. Emblema vero multum abit ab inſtituto b. *Schefferi*. qui vel corylum jactibus viatorum laeſam, vel aratrum detritum & fractis rotis

inutile voluit referri. at artifex aratrum Suecicum ſine rotis, & quale in uſu cum maxime ſolet eſſe, exhibuit. admonitus negavit corrigi poſſe. Quae de literariis noſtrorum conatibus animo benevolo, ſed corporis deſtituto viribus optimus idem ſenex feſtinavit, ſic foeduvit typographus, ut verear illi rei omen ineſſe. Integra verba nonnunquam, interdum & plura, omiſſa ſunt. ut in praefatiuncula noſtra ad Illuſtriſſ. Comitem de la Gardie (a. 3. verſ. 14.) *luculentiora dedit in eandem Sueciam noſtram*, deſunt voces *amoris & fidei*. Paulo ante vero *hanc* ſeptentrionem edidit. Prooemium prolixius, quod Cl. *Schefferi* eſt, & in hoc opuſculo partem facere debebat potiſſimam, minutis prorſus oculoſque fugientibus literis, omiſſo nomine auctoris, expreſſum eſſe moleſtiſſime ferimus. Neque communicata mihi ſunt haec, antequam ſe per omnia fudiſſent exemplaria. Verebantur enim ſordium ſuarum conſcii ſibi homines, ne novos ſumtus facere cogerem. Meliorem chartam ſaltem in quibuſdam exemplis adhibuiſſet, ſi quam vivo adhuc optimo ſocero ſus duxiſſem de opuſculis ejus curam gerere. diu enim eſt, cum typographus haec inchoavit. Sed jam nimis loquens rurſum epiſtola te fatigo, cui nihil aut parum ineſt tamen, cujus in compenſandis utcumque iis, quae de libris optimis prolixe narrat, ratio haberi poſſit. Vale, vir maxime, faveque porro. Upſaliae a. d. 17. Dec. Anno CIↃIↃCLXXX.

EPISTOLA CLXXII.

JOH. COLUMBUS

Nic. Heinſio.

Vienam.

POſt morbum non levem paulo nunc firmiori mihi litteras tuas nudius tertius afferebat Holmienſis tabellarius, quarum lectione cum mire videar refectus, illud tamen vix fero, tuae quoque valetudini hanc hyemem infeſtam fuiſſe: deumque precor, ne nimium tibi nocuiſſe velit eam, quae dein ſecuta eſt magna caeli intemperies. Me quidem ſic vexavit crebra vertigine ac inſomnia, ut nondum capiti meo vigor ſuus conſtet; viſio neſcio quibus tenebris interfuſis turbata, nec non & alia hebetudo, perdifficilem reddat vel brevis epiſtolae ſcriptionem. Accedunt medicorum interdicta, quae plane diſtinent a calamis libriſque animi ſane aegrum ac moerentem. Itaque nec Valerium Flaccum nunc quidem legere licuit: quem cum brumae ſuperioris tempore pervolverem, fructum cepi maximum ex locis plurimis peritiſſime (ſi tamen ulla de his mihi ſupereſt judicandi facultas) a te reſtitutis. Animadverti nonnulla Holmenſem etiam codicem (quod & ipſe doces) contuliſſe. quem tuo mihi notum judicio poſt te diligenter perluſtravi. In eo loci ſunt, unus & alter, ſaltem non ineptas lectiones praeferentes. Sed utrum fugerint hae tuos tot volumina percenſentis oculos; an conſulto ſint praeteritae, quia non probatae, minus liquet. Tamen ſpectata bonitate tua fretus, audebo nunc eas indicare: obſecrans, ne ſedulitatem hanc fors intempeſtivam gravius accipias. lib. II. verſ. 353. *Aut unde Haemoniae molem ratis?* liber, quem dixi, *moles* habet.

Me-

Memini quae notaveris ad Ovid. Epiſt. XII. verſ. 84. Sed Valerii locus ſimilior videtur huic Maronis, *Unde tremor terris*, aut iſtius, *omnes unde amor iſte, regant*, aliiſque. Eod. lib. II. verſ. 518. *Ille ſimul molem horrificam*: rectius, opinor, liber, quem dixi, *Illa* bellua nempe aut *peſtis*, de qua verſ. 498. & verſ. 503. *Illam incumbentem* &c. lib. IV. verſ. 500. *ſed miſeras etiam prohibere ſorores*. Idem liber, *miſeros*. Phinea nempe, & hos qui cum eo erant. verſ. 587.

Verum inter medias dabitur ſic currere cautes.

Idem lib. pro *ſic* commodius, ut videtur, *ſi*. & lib. V. verſ. 609. *ἀντὶ δ' habenae*, *habenae*. ſermo enim eſt de fundis, ut vides. Non ſatis memini, priuſne monuerim lib. VI. verſ 229. arbitrari me legendum, *Vadit eques*, non *Vidit*. Pag. 21. verſ. 649. leve eſt mendum typographi *Typhi* pro *Typhy*. Plura non occurrunt: nec ſupereſſe puto. Si quid tamen poſthac a me poterit deprehendi, non cunctabor, quoniam permittis, indicare. Moerim deſcribam quamprimum, mittamque, nam hactenus valetudo nimis incommoda fuit. Vale, vir ſumme, feſtinantique propter cephalalgiam, quae me premit, ignoſce. Nummos *Scheffer*i noſtri vultum referentes apportabit vobis *D. Betowaldt*, hiſce diebus in Belgium abiens, ut ſcribit Ill. *D. Kumpfius*. Carmen quod una affert, miſi petenti *D. Rumpfio*, ſed non ut vobis porro mitteret. nunquam enim quicquam in hoc genere valui perficere, quod veſtris oculis ſubjici dignum ſit. Plane me antehac neſcio & invito illuc detertur: ſed quia ſic contigit, oro des veniam Iterum deum ſupplex veneror, ut te quam diutiſſime vivere ac valere velit jubeatque. Mart. CIↃIↃCLXXXI.

EPISTOLA CLXXIII.

NIC. HEINSIUS

Thom. Reineſio.

Lipſiam.

REgens a lectione epiſtolarum tuarum, vir ſumme, quas forte proximis diebus in hac civitate venales offenderam, & tui admiratione plenus, non potui temperare mihi, quin qualecunque id eſt, quod hîc vides, literarum ad te darem. Excuſabit, ut ſpero, nonnihil hanc parum tempeſtivae ſcriptionis confidentiam, quòd immortalibus chartis nomen meum a te inſertum non uno loco deprehendi. Id enim ut pervam benigniter factum eſſe facile agnoſco, ita nexu aeterno benevolentia tam profuſa, & inexpectata me ſibi adſtringit. Utinam vero (eſt quippe liberius paulo tecum expoſtulandum nunc mihi) utinam manu largiore nonnunquam lautitias tuas nobis apponeres, quas in penu Bibliothecae interioris luculentas aſſervare diceris! Quas enim hactenus, tam parce prompſiſti, eae orexim nobis acuunt, non tollunt. Liberandum tibi eſt invidia omni inceptiarum ac perditae exiſtimationis hoc ſaeculum, quo nullum unquam fuit peſtimorum librorum feracius. Da quaeſo operam, quod unice potes, ut inter tantam ſoli ac avenae ſterilis copiam, ubique plus

aequo enaſcentem atque luxuriantem, bonae etiam frugi nonnullus ſit locus. Variarum lectionum quod tibi edendum reſtat, ſi praelo quamprimum commiſeris, inſigni ſane beneficio rem litterariam demerearis. His quoque, quae *Rupertus* tuus olim Romanae antiquitatis illuſtrationem ſpectantia magno labore molitus eſt, nec abſolvit, ſupremam manum aliquando impone: ita fiet, ut ſingularem pietatem manibus amicis ac nobis gloriae tuae ſtudentibus probes, qui ſummam eruditionem orbi univerſo jam approbaſti. In ſola doctrinae conſcientia omnem vigiliarum fructum ac praeſidium laboris exantlati collocare noli. Cum vivus tuis laudibus intereſſe poſſis, quid opus debitam mercedem in exequias differri? Mirati ſumus hactenus, in tam paucis chartis tam multa nos doceri potuiſſe. Reliquum nunc eſt, ut ubertatem diligentiae tuae & lucubrationum divitias incipiamus venerari. Audeo tibi hiſce precibus odioſus eſſe, quod privata vota mea cum emolumento publico conjuncta ſint. Caeterum inſcriptiones antiquas plures olim ad te ex Belgio & Italia miſi, quas videris accepiſſe. Mitterem nunc denuo non paucas, niſi novam poſt *Gruterum* farragiuem marmorum antiquorum *Franciſcus Barberinus* Princeps, ut ſcis, litterarum amantiſſimus, typis deſcribi curaret, quas totum quadriennium ſub praelo typographico jam deſudare ſum edoctus. Naſonem animadverſionibus meis illuſtratum publico nuper dedi, nec tamen qualem ſperaveram aut volebam ipſe. Tumultuaria quippe & incondita haec opera fuit, quod reſpublica juvanda domo me avocaret, dum praelo libellus committebatur. ſi quiſquilias illas te dignas judicaſſem, eorum jam exemplar ad te perlatum foret. Curis jam nunc ſecundis me coepi accingere, praeſertim cum amici Galli Italique nova veterum membranarum praeſidia mox praeſto fore juſſerint ſperare. Utinam ex bibliothecis Germanicis, maxime vero Saxonicis, erui nonnihil tuo beneficio poſſit, quo editio nova auctior atque ornatior prodeat in lucem! dum auxiliares peregre hujuſmodi copias expecto, Claudianum denuo recenſere coepi, quem aſſiduis precibus flagitant typographi. Ad Virgilium poſtea me convertam, cujus longe vetuſtiſſimum exemplar inter alios codices Medicea ſuppeditavit Bibliotheca, cui epigramma hoc adſcriptum offendi. Vale, vir Celeberrime, magnum Germaniae ornamentum. Dabam Holmiae Suecorum Anno CIↃIↃCLXI. a. d. XVI. Novemb. Juliani.

EPISTOLA CLXXIV.

NIC. HEINSIUS

Thom. Reineſio.

Lipſiam.

TRiennium jam eſt, ſi recordor probe, & quod excurrit temporis, vir celeberrime, quando *Lucae Langermanno* per Saxoniam veſtram iter facturo, dum ob negotia quaedam Viennam Auſtriae domo avocatur, litteras ad te ferendas dedi, quae & cultum ſingularem, quo te meritiſſimum complector, jampridem teſtabantur, & ne ſalutator prorſus ἀσύμβολος adeſſem, ſententiam

tuam

tuam explorabant ſuper loco perdifficili veteris epigrammatii, quod *Turcius Rufius Apronianus VC. & Inl.* Virgiliano codici, qui in Medicea Florentiae Bibliotheca aſſervatur, in gratiam *Macarii VC.* fratris ſui abs ſe recognito ac caſtigato, praefixerat. Ubi quid per *penaces* deſignaretur, te ſciſcitabar. Agit enim Aſterius de circenſibus a ſe ſub conſulatum ſuum ordinarium exhibitis. Initium epigrammatis hactenus, ut opinor, inediti tale eſt.

Diſtinui emendans gratum mihi munus amici
Suſcipiens, operi ſedulus incubui:
Tempore quo penacas circo ſubjunximus, atque
Scenam Euripo extulimus ſubitam &c.

Hanc epiſtolam, quia *Langermannus* noſter poſtea ſignificavit, hoſpiti neſcio cui, ad quem Lipſiae divertebat, ad te curandam fuiſſe traditam, cum a ſeſe ob ſummam feſtinationem fieri non potuiſſet, facile ſuſpicatus ſum aberraviſſe illam in via, & ad te perlatam non eſſe. Sub eandem forte tempeſtatem rogatus per amicum in aula Gallica gratioſum & potentem, ut in chartam ne gravarer conjicere nomina illorum, quos per orbem Chriſtianum in omni litteraturae homines aetatis noſtrae praecipuos cenſerem, haud diſtuli obſequentem juſſis me praebere: teque, ut debebam, inter Germanorum paucos laude ac commemoratione promeritis ſum proſecutus. Nec multo poſt intellexi, Regem Chriſtianiſſimum, pro incredibili ſuo in univerſum eruditionis nomen ſtudio, ſtipendium annuum viris ſaeculi noſtri praeſtantioribus, tam exteris, quam Gallis compluribus, decreviſſe. Comperi etiam indicii mei habitam fuiſſe rationem, niſi quod te, *Gronovium*, ac *Ferrarium*, illum dico, cujus de Re veſtiaria volumen eruditum publice circumfertur, in eo numero omiſſos eſſe cum dolore ac indignatione adverti. Sed errorem illum hic tandem annus in meliora mutavit, monente eodem amico meo. Is eſt *Johannes Capellanus*, Regi Chriſtianiſſimo a conſiliis, vir ſanctiſſimis moribus, tum in poëſi vernacula magni omnino nominis, mihique jam per luſtra quatuor artiſſima neceſſitudine conjunctus: Regi adhaec, ac apud Regem praecipuae auctoritatis Miniſtris, atque in his Illuſtriſſimo *Colberto* admodum acceptus: qui ſubindicabat proximis litteris, perviciſſe tandem deſideria mea, miſſumque non ita nuper nomine regio ad te munus quadringentorum Joachimicorum. Quae munificentia magni Principis ut propria ac perpetua tibi obtingat, auctor tibi ſum, de operum tuorum parte aliqua Majeſtati ejus quamprimum dedicanda. Interim per epiſtolas non Regi tantum, ſed Dn. etiam *Colberto*, & ſi me audis *Capelano*, gratum praeſtare te potes; quod ab aliis, quibus idem honor eſt habitus, confieri ſolet: Tu, quaeſo, hanc admonitionis noſtrae confidentiam in partem haud malam interpretere, cum ab illo proficiſcatur homine, qui te veneratur ac obſervat in pauciſſimis. Vale, exarabam feſtina manu. Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXVI. a. d. III. Non. Majas.

Digitized by Google

EPISTOLA CLXXV.

THOM. REINESIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

ABundanter inſignem animi tui bonitatem, & amicum adverſus hominem hunc adfectum jam olim publicaſti, cum ſtudium ejus in conquirendis Inſcriptionibus adjuturus e penu veſtro ſubmittebas, de quibus Poſteritas tibi ſolvendi μητρὸν rea eſt. Comparent ea omnia & ſingula cum grato nominis tui cultu in Symphoremate meo; inde beneficium iſtud tibi apud me non periiſſe intellexeris. Non ſtetit intra hoc amor tuus, ſed ſubinde crevit in majus, ut non dubitaveris Regis Chriſtianiſſimi Miniſtris me oſtendere (ſignificabat hoc ipſe *Capelanus*) & quos alius ſibi rapuiſſet favores, mihi conciliare praemalueris. Beneficii adeo, quod a Rege Maximo nec opinanti nec merenti venit, primum te auctorem agnoſco & praedicabo ſemper. Amicam vero de modo utendi talibus admonitionem abſit ut male interpreter: gratiſſima ea mihi vel ideo, quod ad mentem iſtam perſcripſeris; Feci enim ante, quod fieri conſulebas, per epiſtolas, quarum unam hiſce addidi; alteram ad Ill. Dn. *Colbertum* accipies paulo poſt e manibus *Langermanni*, apud quem per amicum mea ad Petronium e Dalmatia deponam; adjiciamque iis pauca alia, quae interea dum emiſſus fuit, adnotari digna viſa ſunt. A Cl. *Scheffero* interdum diſſentire licuerit mihi, ſpero, itemque rogo. Gallorum de Fragmento illo judicia, quae Pariſiis vulgata eſſe dicuntur, nondum cognoſcere potui, aveo autem avide inprimis iſtud *H Valeſii* In epigrammate *T. R. Apromiani Aſterii* (facis COS. cum Protogene a D. 449.) *Penates* ſunt πίνακες, σανίδες, tabulae, axes, aſſeres, quorum coaxatione ſcenam ſubitariam ſuper Euripo Circenſibus ſe extuliſſe dicit, cui interpretationi ſequentia fidem fortaſſis adſtruent. *Pinax* Graecum exaratum a ſcriptore Latino ſolenni more, quo omnia fere Graecorum in ſuam Linguam vertebant Romani, praeſertim illi ſub deliquiis Latinitatis ſeculo quarto quintove; Quinimo veteres ita conſueverant; Petronius, a quo recens ſum, in breviſſimo ſcripto dixit, *Biaccium*, *Tangomenas*, *Eupatria*, *Cataphagae*, *Bacoleſiae*, *Balaniſcus*, *Anathymiaſis*, *Macariſtus*, *Geunaei*, *Clepo*, *Aginare*, *Eccritus*, *Chorda*, *Sycamina*, *Matteae*, *Epidiphis*, *Battariſſare*, *Agaga*, *Canera*, *Pyriare*, *Priapiſcoli*, *Mactrilla*, *Matrileum*, *Caſquras*, *Caſalbadium*, *Embolum*, pag. 21 pro ed. *Ampulla*, *Melitari*, *Carycae*. Permutatione vero vocalis ſecundae & tertiae Latinorum nihil frequentius: hinc in ſaxis *Spinden*, *Mancips*, *Bedua*, *Emet*, *Fecet*, *Feſcu*, *Vertutem*, in libris *Deierus*, *Adventva*, *Doleum*, *Teſana*, pro *Ptiſana*, *Pubeda*. Neque de neglecta *u* & *o* cunctandum eſt; nam & ſic antiqui, Lucretius, Virgilius & tuus Ovidius. In Eponymologico, quod partem feci Commentarii ad Inſcr. *Apronianos* XXIV. digeſſi, & inter eos quendam *Apronium* commentatorem Virgilii: quem & *Jul Pomp Sabinus*, Commentario ad Virg. & *Dan. Gaetanus* ep. ad *Pet. Mannam* ſcripta

Anno

Anno 1486. & *Scipio Tettius* catalogo, ac *Simlerus* laudat: Is *Apronianus* an eſt noſter iſte cum pleniori nomine? Poëtarum inprimis ſtudioſum fuiſſe video; nam & Sedulii opus Eccleſiaſticum e ſchedis collectum, ad omnem elegantiam vulgavit, ut eſt in conſervato a *Sirmondo* ad Ennod. l. 1. ep. 24. epigrammate, cui *Turci Aſterii* nomen praeſcriptum. Optime Vale, & amorem illum tuum mihi perſevera; ego tibi meum, ſi quiſquam, fidoliſſime. Scr. Lipſiae 9. Jun. Anno v. e. CIↃIↃCLXVI.

EPISTOLA CLXXVI.

NIC. HEINSIUS

Thom. Reinesio.

Lipſiae.

QUando merentibus per me bene eſt, nihil mihi inde vindico, praeter unam eamque maximam voluptatem, vir celeberrime. Tibi igitur ſoli acceptum refer, quicquid aut honoris aut emolumenti a munificentia Regis Chriſtianiſſimi rebus tuis acceſſit. Floret magni Principis aula Miniſtris litterarum cognitione pulcherrime inſtructis, inter quos ignotus eſſe aut latere nequaquam potuiſti. Memores, favor, & partium ſuarum gnaros ſum adhortatus, ut tui ratio haberetur, quam haberi jam ante hoc triennium oportuiſſet, cum inter praecipua ſeculi ornamenta a nemine non numereris eruditionis ſtudioſo. Si quid tamen hîc praeſtiti, id omne Regis Auguſti a me datum eſt exiſtimationi, cujus cum pudore ac opprobrio praeſentiſſimo conjunctum fore videbatur, ſi tibi uni parcus eſſet, qui manum tam profuſam praeberet aliis compluribus, modica omnino ſcientiarum laude conſpectis. Cum *Johanne Capelano*, optimo integerrimoque mortalium, plurimum neceſſitudinis totis jam quatuor luſtris mihi intercedit, quam amicitiam tamen, etſi perſancte ſemper habitam a me uniceque obſervatam, numquam ſic mihi ſum gratulatus, uti nunc facio, quando illum deſideriis non minus meis in re longe aequiſſima, quam Regis ſui gloriae conſultum iviſſe inſigni argumento perſpexi. Ad Petronii fragmentum quae nuper annotaſti, videbo, ut tua omnia lubentiſſimus. Ego libellum hunc, quae nunc incumbit mihi occupationum publicarum moles, ſemel, ut quod res eſt dicam, hactenus idque feſtinanter admodum, perlegi: perlecturus cura cum majore, ubi comparebunt hîc terrarum, quae tu ornando ſcriptori politiſſimo contuliſti. Nec *Scheffero* noſtrum offendent, puto, ſicubi ſtudio veritatis impulſus ab illo modeſte diſſenties. Ex ſcriniis meis nil erui nunc datur, quod hoſtimenti vicem occupet, praeter novam poëmatum meorum editionem, quem *Langermannus* propediem ad te curabit. Aliud omnino agens in gratiam typographi, flagitatoris tantum non aſſidui, eam tempore maxime alieno adornavi. Bellum enim, quod ab hoſte parricida, & rerum domeſticarum nuper conturbatore, invitis nobis & nolentibus nulla de cauſſa intentatur, totum pro-

proximo biennio a privatis me avocavit, dum id unice cavendum mihi incumbit, ne Suecos, rerum novarum plus ſatis ſtudioſos, in partes nobis adverſas haec procella abripiat. Has machinationes vix nunc tandem toto conatu ſumus amoliti. Operam meam quod laudas in conferendis antiquis Inſcriptionibus, benigniter quidem tu facis, ſed parum ex merito noſtro. Non enim recordor, me quicquam eo contuliſſe, etſi complura id genus penes me exſtabant jam olim, praeter Zelandicas fortaſſe nonnullas, Weſt-Cappelanas, ſi memini. Nam quas ex Italia per *Gronovium* ad te curavi ante hoſce annos XIII. eas ille poſtea negavit mihi ad ſeſe perlatas fuiſſe. Epitaphia erant octo aut novem numero, quae aere meo in urbe redemeram. Reliqua, quae magno numero deſcripſi, praeſertim ex libro XXXIV. antiquitatum Romanarum *Pyrrhi Ligorii*, a *Langermanno* fortaſſis acceperis, cui itineris hujus tum ſocio mea patebant omnia. Opus iſtud *Ligorii*, quod in triginta fere diſtinctum volumina, marmoribuſque ac nummis gemmiſque creberrimis ornatum, nec hactenus editum, *Chriſtina Borbonia* Henrici Magni Galliarum Regis filia, Sabaudorum ducis mater, cum in ducali Taurinenſium ſervaretur bibliotheca, me conciliante, munus ad Reginam *Chriſtinam* miſit, ex quo opere aliquot millia marmorum ineditorum depromi poſſent: quae collegit ipſe ex parte operis trigeſimi quarti, & quae ad rem divinam ac religionem potiſſimum ſunt referenda, numero haud pauca, ex Barberina, ſi recordor ſatis, bibliotheca, in qua apographum ejus libri ſervabatur, depromſi beneficio *Lucae Holſtenii*. Sed de his alias. Virgilius Mediceus ab Aſterio correctus, praeclarum antiquitatis monumentum eſt. Codices pervetuſtos plurimos cum viderim in caſcis bibliothecis, nullum tamen vetuſtiorem a me inſpectum fuiſſe memini. Carpenſe Virgili exemplar eſt *Aldi Manutii* in ortographia. Epigramma Aſterii, uti poſt Bucolica legebatur, integrum ſubjiciam. Alia fortaſſis libri ipſo exordio fuerant adſcripta, quod non liquet, cum ſex aut octo paginae prioris codicis perierint. *Henricus Valeſius*, vir doctiſſimus, per *Penaces* intelligit congreſſum variarum ferarum in arena. Cum conſules Romani ſub auſpicia anni novi Ludos ſcenicos, & penaces, ſeu ferarum pugnas ederent. Hoc ſequenti proxime diſticho ubertim adſtrui idem *Valeſius* contendit. *Penaces* igitur quod in Hiſtoria Auguſta *Pancarpum*. Quamquam potius videtur ſcribendum *Paneces*, παντχὶς, ὃτι πᾶν ἔχει, & recte ſubdidit τὸ *junctim*, ut tria haec ſpectacula uno eodemque die exhibita fuiſſe fiat manifeſtum, quod & ex ſequentibus liquet, *Feſtorumque trium permanet una dies*. Haec ille fuſius perſequetur in commentario ſuo de arte critica. Tu elige vir ſumme, tuamne malis interpretationem, an Valeſianam veriorem exiſtimes. Vidi & ego codices Sedulii vetuſtos, qui Aſterii noſtri epigramma, quod *Sirmondus* ad libri primi epiſtolam XXIV. Ennodii prodidit, & cujus tu meminiſti, prae ſe ferrent. Quamquam, cum in ſchedis membranaceis Sedulii Barthiani Adverſ. XII. cap. XIX. *Turcius Rufius Aſterius Quintus* indigitetur editor Sedulii, de nepote potius aut filio Aſterii noſtri, quam de noſtro Aſterio id capiendum videtur. Alium Apronium emendatorem illum Virgilii vetuſtum eſſe opinor,

de

de quo quod monuisti gaudeo & gratias ago. *Epistolam* [1] *Danielis Gaitani* nullam vidi hactenus. Haec inservire nostris lucubrationibus poterant, quas Maroni satis operosas dedimus, collatis inter se veterrimis divini poëtae exemplaribus. Utinam alii sint in promtu codices, ut liceat hanc telam aliquando detexere. Sed jam nimii sumus, & de verbosa allocutione plus satis fatigavimus. Vale, vir summe, & mihi, ut hactenus, studere in posterum perge. Exarabam Holmiae Succorum, pridie Idus Quinctil. CIↃIↃCLXVI.

1 *Daniel Cajetanus* vocandus: Cremonensis fuit, natus Anno 1498. Professus literas humaniores Mediolani; de cujus infelicitate vide *Pierium Valerianum* lib. II. pag. 145. Vitam ejus exhibet *Francisc. Arisius* tom. I. Cremonae literatae pag. 388. qui non egestate confectum & mendicabundo similem, sed peste correptum obiisse Anno 1528. scribit. Epistolas ejus & poëmata, & alia adhuc inedita, & servata in bibliotheca convent. S. Francisci Cremonae, idem *Arisius* passim in isto opere laudat. Haec vero epistola ad *Petrum Mannam*, est praefatio ad *Julii Pomponii Sabini* commentarios in Virgilium, editos apud Oporinum Anno 1544. ut etiam mox *Reinesius* docet.

Quia vero *Heinsii* in Virgilium commentarii nondum in lucem emersurunt, hinc inter schedas Heinsianas, de Codice Mediceo, & Asterio, illorum particulam repertam hac occasione vulgandam duximus; quia in his epistolis saepe *Heinsius*, de illis viros eruditos consuluit. Vide CCCCXCIV. tom. II. ad *Papenbroch.* & ad *Gronovium* CCCLXXIX. tom. III. pag. 475. & alibi. post *Heinsium* de Asterio, & de Sedulio egerunt eruditissimi viri, *Noris* ad Cenotaphia Pisana Dissert. IV §. I. & *Jul. Fontaninus* de Antiquitatibus Hortae lib. II. cap. III. §. 5. & de *Turcio Apronianо* & gente *Apronia* nuper doctissimus *Muratorius* dissert. I. & II. ad Paulini Poëmata. tom. I. Analect pag. 141 Deinde ad *Turcium Apronianum* refert *Rufini* epistolam ante interpretationem sententiarum Sixti II. nuperus earum sententiarum editor, vir eruditissimus, *Urb. Godofr. Siberus.* in prologo pag. 25. ille vero *Turcius*, est *L. Turcius Secundus Apronianus*, quem *Heinsius* avum *L. Turcii Apronіani* fuisse docet.

Omnium, quotquot videre mihi contigit, Maronianorum codicum tenuissima exaratus in membrana veterrimus praestantissimusque est habendus suo jure, qui Florentiae ad Divi Laurentii adservatur in Medicea bibliotheca. Nam quamquam in Vaticano armario hisce usurpavi jam olim oculis tria nostri poëtae exemplaria perquam vetusta, & litteris aeque ac Mediceus ille formae quadratae majoribus, sive, ut vulgo nuncupantur, capitalibus Romanis exarata, quorum unum e Palatinatu superioris Germaniae huc translatum fertur, ad senium tamen laudatissimi codicis, quo sum usus, haudquaquam accedebant: quod tamen minime referendum arbitror ad Trajani Imperatoris tempora, uti censebat *Paulus Gabianus*, qui anno saeculi superioris LXV. ex hoc ipso codice collectas variantis scripturae lectiones Brixianis typis in lucem curavit emittendas: non facto tamen juris publici perinsigni testimonio, quod post Bucolica, quae primo illic loco exhibebantur, insertum, lucis haud parum foeneratur cum tempori, quo codex exaratus esse possit videri, tum fastis quoque Romanis. Quam *Gabiani* supinitatem ut quodammodo resarciamus, proferemus inscriptionem pulcherrimam, ipsa, ut opinor, *Asterii* viri perillustris manu conscriptam, qui codicem non quidem exararat omnem, sed recognoverat locis plurimis ad fidem vetustiorum exemplarum, aque naevis non paucis per librarium, ut fit, commissis vindicarat. Verum de ipso co-

codice nonnihil praemittemus, qui *Rodolphi Pii Cardinalis Carpensis* cum fuisset, ab illo tabulis supremis Vaticanae bibliothecae legatus est, furtoque interceptum suspicatur, ubi tamen fun negat aetate comparuisse *Aldus Manutius* nepos, qui cum in opere Orthographico hunc librum passim collaudet, testemque multae advocet auctoritatis, sub vocabulo tamen *Asterius* praecipue commendat. In potestatem *Achillis Statii* Lusitani postea devenit, uti epigramma frontispicio libri ab ipso *Statio* adscriptum testatur, qui quidem fide pereruditis in Catullum ac Tibullum animadversionibus frequens etiam subnititur, cum de Orthographica ratione est agendum. Incipiebat autem ab Ecclogae Sextae, versu XLVIII. senis septenisve paginis prioribus mutilatus. forma codicis, quam quartam vocant. Margini glossemata nonnunquam ac interpretamenta, sed rara, adlinebantur, minuto quidem ac diverso scriptionis charactere, qualem nos *cursorium* sive *cursivum* appellamus, ipsa tamen Maroniani contextus scriptura vix recentiora, ac supparem fere aetatem prodentia, ut haec quoque ab Asteriana manu proficisci vix dubitemus. Georgicôn porro aut Aeneidos libris nulla, ut in aliis codicibus, argumenta praefixa. Post Bucolica autem cum totius paene paginae spatium vacaret, haec litteris itidem uncalibus legebantur exarata.

TURCIUS RUFIUS APRONIANUS ASTERIUS VC. ET INL. EX COMITE DOMEST. PROTECT. EX COM. PRIV. LARGIT EX PRAEF. URBI PATRICIUS ET CONSUL ORDIN. LEGI ET DISTINXI CODICEM FRATRIS MACHARII. VC. NON MEI FIDUCIA, SED EJUS, CUI SI ET AD OMNIA SUM DEVOTUS ARBITRIO XI. KAL. MART. ROMAE.

DISTINXI EMENDANS, GRATUM MIHI MUNUS AMICI
SUSCIPIENS, OPERI SEDULUS INCUBUI.
TEMPORE QUO PENACES CIRCO SUBJUNXIMUS, ATQUE
SCENAM EURIPO EXTULIMUS SUBITAM.
UT LUDOS CURRUSQUE SIMUL, VARIUMQUE FERARUM
CERTAMEN JUNCTIM ROMA TENERET OVANS.
TERNUM QUIPPE SOFOS MERUI, TERNA AGMINA VULGI
PER CAVEAS PLAUSUS CONCINUERE MEOS.
IN QUAESTUM FAMAE CENSUS JACTURA CUCURRIT.
NAM LAUDIS FRUCTUM TALIA DAMNA SERUNT.
SIC TOT CONSUMPTAS SERVANT SPECTACULA GAZAS,
FESTORUMQUE TRIUM PERMANET UNA DIES.
ASTERIUMQUE SUUM VIVAX TRANSMITTIT IN AEVUM,
QUI PARCAS TRABEIS JAM BENE DONAT OPES.

Vides hunc codicem ab *Aproniano Asterio* emendatum ipso consulatus sui ordinarii tempore. Versu epigrammatis nono, pro in *quaestum* margini adscriptum erat *pretium*, quae diversa scriptura *quaestus* Asterium auctorem videtur habuisse, ambiguum quid praeferri oporteret. Ego tamen *quaestum pretio* hic praetulerim. *Asterios Apronianos* fuisse nobilissimos Romae non uno saeculo, at-

atque adeo Caesarum cognationi innexos post videbimus. Illud primo dispiciamus, cum *Asterii* duo consules Ordinarii numerentur in Fastis Romanis, quorum alter cum Protogene anno aerae Christianae CCCCXLIX. alter Praetidii collega anno CCCCXCIV. consulatum gesserint, ad utrum horum sit referenda, quam publicamus, inscriptio, ut de codicis vetustate liquidius aliquanto res tota sit nobis in comperto. Annorum XLV. intercapedo consulem utrumque distinguit, ut videmus. Quare non est ut post annum CCCCXCIV. emendatus ac distinctus ab *Asterio* sit censendus, etiamsi ad posteriorem referatur consulatum. Quid quod ipsum codicem munus accepisse semet a *Macario* V. C. testatur *Asterius?* ut liber nonnullo tempore ante hanc illius recognitionem exaratus possit censeri, ac proinde annorum MCC. ut minimum aetatem referre. Praenomen autem suum neque hoc expressit loco *Asterius*, neque id in fastis comparet. *Lucium* tamen fuisse dictum cur suspicari liceat, quod praenomen usitatum *Asteriis*, ecce pulcherrimam apud Gruterum in magno opere pagina CCCCLXXVI. num. 7. inscriptionem.

ASTERII.
L. TURCIO APRONIANO V. C.
FILIO L. TURCI APRONIANI V. C.
PRAEFECTI. URBIS. NE. OTI
L. TURCI. SECUNDI. C. V. CONSULIS.
QUAESTORI. PRAETORI. QUINDECEM
VIRO. SACRIS. FACIUNDIS. CORREC-
TORI. TUSCIAE. ET. UMBRIAE. OMNI
VIRTUTE. PRAESTANTI. STATUAM
EX. AERE. ORDO. SPOLETINORUM
AD. MEMORIAM. PERPETUI. NOMINIS
CONLOCAVIT.
CURANTIBUS. FL. SPE. V P. ET
CONDONIO. TAURO IUN.
POST. AMANTI. ET. ALBINI. CONS.

Fuit autem dedicata haec inscripito anno aerae Christianae CCCXLV. quo consules fuerunt *Amantius* & *Caionius Rufius Albinus*. Eundem *Rufium Albinum* fuisse opinor, quem sub Constantino Aug. praefectum urbi, perperam *Rufinum* vocant *Albinum*. Reddendum autem *Amantio Postumii* nomen in Fastis ex hoc lapide, qui *Onuphrium Panvinium* erroris praeterea convincit, referentem *Turcii Secundi Asterii* consulatum ad annum CCCCXLIV, quo consulem fuisse *Turcium Rufium Apronianum Asterium*, Maroniani codicis emendatorem, reor. Nam alter Asteriorum consul ordinarius in Diptycho, quod vir eruditissimus *Alexander Wilthemius* in appendice hujus argumenti publico dedit, *Flavius Asterius* dicitur: de quo plura nos in sequentibus. Certe cum in marmore antiquo *L. Turcius Secundus* Consul constituatur *L. Turcii Aproniani* illius avus, cui dicata est inscriptio sub annum CCCXLV. consulatus ille totos annos CL. praecesserit annum, quem illi consuli una cum Protogene assignavit *Onu-*

phrius, a vetuſto lapide deceptus, uti videre eſt apud ipſum in Faſtis ad annum CCCXCVII. Quid quod *L. Turcius Secundus* Conſul dicitur tantum, non addito ordinarii titulo, ut conſulem ſuffectum fuiſſe oporteat. Sic apud Gruterum pag. MLXXIX. *Paetino & Aproniano* Coſ. qui itidem ſuffecti. *Apronianum* nomen videntur *Aſterii* adſciviſſe, quod adoptione in *Aſteriam* gentem ex *Aproniâ* tranſiverint, cujus nominis laudatur conſul ſub M. Aurelio Antonino Aug. unde. S. C. Apronianum. Apud Ammianum Marcellinum mentio variis fit locis *Aproniani*, praefecti urbis ſub Juliano Caeſare Aug. qui ea in dignitate uſque ad Valentiniani tempora perſtitit. Is apud Gruterum pag. DCXLVII. nº 6, 7. bis *Turcius Apronianus* appellatur, nullo addito praenomine, quod tamen *Flavium* fuiſſe colligas licet e codicis Theodoſiani libro XIV. Tit. de Suariis, quo & inſcriptiones Gruterianae jam a me deſignatae ſpectant, & quod Ammianus refert magnam huic *Aproniano* rei annonariae curam fuiſſe. Codicis autem Theodoſiani lex cum incipiat, *Imp. Julianus Aug. FL. Aproniano ſuo S. Jacobus Gothofredus*, vir ſane praeclarus, corrigendum cenſet, ſed fruſtra, *Imp. Fl. Julianus Aug. Aproniano ſuo S.* cum *Lucium* potius praenomen *Apronianis*, quam *Flavium*, in uſu fuiſſe contendat. Atqui *Flavios* etiam dictos *Aſterios* ex alterius conſulis praenomine, quod Diptychon Wilthemianum ſervavit, liquet, id vero in gratiam Imperatorum, quorum plerique *Flaviam* nomen ſub haec tempora adſciſcebant, videntur feciſſe: quemadmodum ſub tempora florentis reip. liberti & clientes patronorum ſibi vindicabant nomen. Neque enim perſuadeor, ut credam Conſulum ordinariorum alterum non *Aſterium*, ſed *Aſyrium* dictum; quamvis *Aſyrii* nomen ad poſteriorem conſulem *Jacobus Sirmondus*, vir longe doctiſſimus, referri oportere cenſeat, ad priorem *Wilthemius*, quod in vetuſtis Chronici Idatiani, Marcellini comitis, Proſperi, aliorum codicibus modo hic modo ille *Aſyrius* dicantur. Adde Euſebium Hiſtoriae Eccleſiaſticae lib. VII. cap. 64. cui martyr ille, cujus feſtum a. d. III. Non Mart. celebratur, quemque Senatorii ordinis ac regiae affinitatis virum primarium facit, dicitur Ἀστέριος. Sed aliter de eodem Nicephorus ac Martyrologia, quotquot uſurpare his oculis vetuſta nobis contigit. Quae etſi in nominibus propriis frequenter peccant, in *Aſterio* nomine tamen ſibi conſtant uno conſenſu, cum martyres illic praeter hunc alii etiam complures ita dicti occurrant. Nec infrequens mentio Epiſcopi *Aſterii* in Collatione antiqua Catholicorum & Donatiſtarum ſub Honorio Aug. habita apud Carthaginem. Exſtant & Graeca *Aſterii* opuſcula. Natam autem hanc nominis differentiam e prava temporum illorum pronunciatione arbitror, *E* & *I* litteras confundente: *I* autem in *Y* mox degeneraſſe, quod ab *Aſyria* Hiſpaniae regione nomen derivari opinarentur: *Aſyr* enim pro *Aſur* in marmoribus antiquis non raro occurrit. Sic apud Lucanum lib. IV. cum in vetuſtiſſimis membranis exaratum eſſet, *Aſyrii ſcrutator pallidus auri*, *Aſſyrii* nunc perperam circumfertur. *Aſturia* enim auri fodinis olim inſignita, non *Aſſyria*. In Martyrologiis antiquis paſſim *Criſconius* pro *Creſconius*, *Mauritania*, quae in nummis & lapidibus eſt *Mauretania*, *Epictitus* & *Epititus* pro *Epicteto*, *Cor-*

Cerillianus, *Arminia minor*, *Sotyr* pro *Soter*, *Apimia* pro *Apamea*, *Oecomini* pro *Oecumenii*, *Cicilius* pro *Caecilio*: contra *Elarus*, *Epolitus*, *Callenicus*, *Emelianus*, *Candedianus*, *Emereta*, pro *Hilarus*, *Hippolytus*, *Callinicus*, *Aemilianus*, *Candidianus*, *Emerita*. In *Asterio* nomine tamen, quod dicebam, toties in iisdem martyrologiis occurrente, nil omnino, quod mireris, codices variant, cum tamen, ut vidimus, pronunciandi ratio plebeja locum illic ubique obtineat. Ceterum ad hunc ipsum *Asterium*, qui Maronianum recognovit codicem, referri oportere editionem Paschalis carminis Seduliani vel inde persuadeor ut credam, quod & hîc & illic praefixum *Asterii* epigramma legitur, unde liqueat poëtices studia ab illo exculta fuisse. Sane in antiquissimis Sedulii membranis Rhemensibus haec legi testatur *Sirmondus* ad libri primi Ennodiani epistolam XXIV. *Hoc opus Sedulius inter chartulas dispersum reliquit, quod recollectum adornatumque est a Turcio Rufio Asterio V. C. Consule Ordinario & patricio.* Sive, ut *Wilthemius* in codice S. Albini invenit, *ex Consule ordinario & patricio.* quod ille mavult, quamquam e marmoribus antiquis probari possit viros consulares non tantum ipso consulatus sui anno, sed in omnem vitam dictos fuisse consules pro consularibus, aevo praesertim posteriore. Deinde sequebatur *Asterii* hoc epigramma ad Macedonium Abbatem, cui Sedulius & ipse dedicarat hoc opus:

Sunt, sacer meritis, veracis dicta poëtae,
Quae sine figmenti condita sunt vitio.
Quo caret alma fides, quo sancti gratia Christi,
Per quam justus ait talia Sedulius.
Asteriique tui semper meminisse jubeto,
Cujus ope & cura edita sunt populis.
Quem quamvis summi celebrent per saecula fasti,
Plus tamen ad meritum est, si viget ore tuo.

Caspar Barthius V. Cl. Adversariorum libro XII. cap. XIX. eosdem profert versus ex vetustissima, uti asseverat, scheda, inscriptionem autem sic exhibet, *** *Quod recollectum, adunatum, atque ad omnem elegantiam divulgatum est a Turtio Russio* (pro *Rufio*) *Asterio Quinto ex consule ordinario atque patricio.* Praeterea versu penultimo *fastus* pro *fasti* legebatur in iis membranis, uti & in codice S. Albini. Libro Barthiano si quid fidei habendum, *Quinti* praenominis fuerit noster *Asterius*, quamvis id loco alieno inculcatum illic apparet, quod codicis illius fidem nonnihil apud me elevavit. Nec desunt vetusti codices, qui *veteris & novi Testamenti collationem*, Sedulianis insertam poëmatis eidem *Asterio* vindicatum eunt, frustra, ut opinor. Porro occasionem nacti hîc non inopportunam componamus in transcursu litem, inter eruditos nostrae tempestatis, atque etiam veteres inter, qui de scriptoribus Ecclesiasticis sunt commentati, exortam, quorum nonnulli Sedulium floruisse sub Valentiniano secundo & Theodosio contendunt, Sigebertus ad aetatem refert Constantis & Constantii, alii complures, quos inter Gennadius in vetustis apud *Sirmondum* membranis, & *Sirmondus* cum Theodosio II. & Valentiniano III. faciunt coaetaneum.

neum. Sed de Theodosio majore verum est, quem versibus suis compellavit, ut Valentiniani consortem atque Orienti imperantem. Ab *Asterio* igitur, qui anno aerae Christianae CCCCXLIX. cum Protogene consulatum gessit, Sedulii carmina in lucem sunt emissa, non ab Praesidii collega, ut perperam inter alios vir summus *Jacobus* rebatur *Usserius* Armachanus: cum Gelasius Papa, qui biennio post supremum obiit diem, anno videlicet CCCCXCVI. Decreto LXX. Sedulium, ut celebrem poëtam commendet, dist. XV. apud Gratianum, *Venerabilis viri Sedulii Paschale opus, quod heroicis scripsit versibus, insigni laude proferimus.* Laudat etiam Cassiodorus sub finem divinarum Lectionum. Quid quod *Asterius*, quando Sedulianum vulgavit poëma, jam consulatu erat defunctus? Quid quod posterior *Asterius*, qui cum Praesidio consulatum gessit, Orientalis imperii consul videtur fuisse, Sedulius autem Latine scripsit in occidente, ubi consulatum gessit vetustior *Asterius*. Nec mirum videri debet ad Theodosium relatam operis sui dedicationem a Sedulio, quamvis in Oriente solo adhuc imperantem, cum idem Princeps litterarum longe amantissimus fuerit, ut Ausonius nos docet, qui lucubrationes suas poëticas eidem dedicavit. Ad vetustiorem quoque *Asterium* referri debet locus Sidonii Apollinaris libro VIII. Ep. VI. qui solemnibus hujus consulis interfuisse sese adolescentem, aut potius puerum, testatur. Idatius in Chronico ad annum aerae Christianae CCCCXXVI. sub Honorio Aug. *Wandali Suevorum obsidione dimissa instante Asterio Hispaniarum comite relicta Gallaecia ad Baeticam transiverint.* Denuo ad annum CCCCXLII. *Asterius dux utriusque militiae ad Hispanias missus.* etsi *Asturius* illic legitur. ut forte Hispania prave enuntiando nomini *Asteriorum* originem dederit, dum *Asturios* suos & *Asterios*, *Asturiae* provinciae nimium memor, confundit. Certe Ildefonsus *Asturium* quendam, sive *Austurium*, Episcopum Toletanae sedis memorat, nisi & illic librarii peccaverunt. Videtur autem *Asterius* comes Hispaniarum & utriusque dux militiae nostri hujus aut pater, aut, quod malim, germanus fuisse, cujus inter titulos nec comitatus Hispaniarum nec utriusque militiae ducatus comparent, ut supra vidimus. *Asterius* autem Idatio laudatus generum habuit *Merobaudem*, sibi in Magisterio militiae utriusque successorem, studiis itidem poëticis, eodem teste Idatio, excultum.

EPISTOLA CLXXVII.

THOM. REINESIUS

Nic. Heinsio.

Holmiae.

EXhibeo nunc, quarum nuper me debitorem ubi fatebar, meas ad Petronium e Dalmatia ἐπιστολογίας subitarias, nec satio, scio, maturas; quibus addidi quaedam post subnata schedia; de utriusque censebis ut morentur; neque enim metuo obolos tuos, quin requiro. Peracerbum mihi accidit tum malae memoriae fuisse, ut cum primas ad te dimem pro Ovidio, quem beneficio tuo e manu *Graevii* nostri dudum mortui acceperam, gratias non egerim; id vero ὑπε-

ἀντιμίσῳ & si hanc fucio, ignoscat quaeso, & nihilominus ratum habe. Gratulor autem Ovidio, quod deposito suo luctu & hilaris, tam nitidus, tam ornatus, per te incedat nunc; augustius beneficium tuum est, quam si vel e Ponto a Barbaris solemnibus codicillis in urbem eum revocasset imperator: gratulor etiam seculo; quin etiam tibi mentem hanc intentam studiis illis, quorum majestas cum pari utilitate amoenitateque contemtum sequius sentientium extinguit, & quae nisi vim, quam instituisti trivistique commentando, digne satis tractari nequeant. Sane pauci vident eum unum rectumque modum esse subveniendi bonis autoribus, eosque interpretandi rationem peroptimam. Saltem in vers. 296. VII. Metam. copia lectionum in manuscr. te obruit, sic ut in vera eligenda defeciſſe videaris; eam vero Medicei & Vaticani libri exhibent: sed si in alteris diphthongum *AE* resolveris in vocales duas: in alteris *O* pro *A*, quod solenne librariis ut marmorariis scripturae cogites: exit enim quod solum verum & ab Ovidio est, *Aeetide*. Αἰήτις Κόλχαις, & neglecta, ut fieri solet, diphthongo, Αἴητις, Αἰητίς, Κολχηΐς, *Colchis*, *Cytaeis*, Κυταΐς de Medea synonyma sunt. Et de Medea intellexit Ovidium Hyginus; nec dicendus errore tribuisse Medeae, quod Tethyi debuerit: certe Tethyos nullae hic partes sunt, ut putabas. Apud Thetin quidem latuit prae Lycurgo Bacchus, teste Hom. Il. 7. Apollod. l. 3. Nonno Dionys. l. 20. & Phornuto: sed ab ea rogasse nutricibus suis vetulis juventam nullus eorum dicit. τερατούργημα vero hoc Medeae fuit, ut in Aesone, ut in Pelia: cui cur interponeret Ovidius rem a Tethye gestam causa tibi dicenda fuerit; mihi nulla adparet. Confirmat haec, quae credere non potuisti, de Medea circa nutrices Bacchi Schol. Eurip. Medeae Argum. qui sic: Αἰσχύλος δὲ ὑπ' αὐτῆς Διονύσου τροφὸς ἱστορῆ, ὅτι ἡ τοὺς Διονύσου τροφοὺς μετὰ τῶν ἀνδρῶν αὐτοῦ ἀνεῖλε διαβάσασα (ἡ Μήδεια) Ἰνωπόλιν. Aeschylum igitur autorem habuit Ovidius, & recte de Medea intelligitur, sive *Aetida*, quod in pluribus manuscr. vidisti, sive *Colchida*, quod e glossemate irrepsisse puto, dixerit. Sed de his arbitrium tuum, tua existimatio valebit. Te, mi amicissime Heinsi, bene rem gerere & ex animi sententia vivere, erit mihi ὑπερήδιστον ἄκουσμα; eoque te ἔμπαν τε ἠδ' κατ' ἰνφρόνην ὁμῶς deo commendo. Scr. Lipsiae 7. Jul. stil. vet. Anno CIↃIↃCLXVI.

EPISTOLA CLXXVIII.

THOM. REINESIUS

Nic. Heinsio.

Heinsiana.

NON refutabis, spero, candorem meum, quo te meritissimo tuo refero inter eos, a quibus me adjutum in colligendis Epigraphis fateri ad Posteritatem, pietatis & pudoris mei interest; nihil in eo mentiar, nec sum alioquin ad quamcunque fictionem, βλακείαν & magniloquentiam per naturam aptus. Serio doleo eas, quas *Gronovio* nostro pro me submissas scribis, interversas esse: quas a *Langermanno* acceptas habeo, eas antequam abiret ad exteros com-

communicabat Helmſtadio; unam tantum Divionenſem, cum Holmiae degeret. Fortaſſis jacturam, quam in tuis facere me in fatis fuit, penſavit *Spanhemius*; is Heidelberga hiſce diebus; quas e *Ligorii* voluminibus excerptas ſcribit, ad quadraginta miſit, inter quas quaedam ſunt ἐπιτάφιοι. Cujus generis tuas illas fuiſſe mones Quoties Ill. *Capelanum* ad me praedicas, toties in novam ſpem erigor, ejus fideli cura, opera & efficacia a Rege Chriſtianiſſimo impetrandorum ſumtuum pro edendis illic meis; hîc enim uti frigent haec ſtudia, ita manus, quibus ſublevari vellent, ψηλαφῶσιν, imo torpent. Valde equidem velim, dum a DEO datur mihi, lucem iſta videre: terret enim, cum cogito, quid ſcriptis poſtumis fieri ſolerat. *Turc. Ruff. Apron. Aſterium*, illum Poëtarum ſtudioſum, & Virgilii emendatorem, Conſulem collega Protogene A. D. 449. eſſe non deſinam credere ob id, quod *Barthius* in ſuis ſchedis reperit adpellari *Quintum*. Eſt enim ea ſcriptura a Librario inepto, qui e ſiglis V. C. fecit impertinens iſthoc; & hoc vidit *Barthius* quoque. Neque igitur filium quendam ejus aut nepotem fingere opus habemus auctorem epigrammatis; Ipſe Conſul eſt, qui Sedulium novit, & qui Virgilium emendavit. *Apronianum* vero Virgilii Commentatorem vetuſtiorem noſtro ab eoque diverſum quendam eſſe exiſtimare non licet: expreſſe enim *Pompon. Sabinus*, qui lectiones ejus ſubinde allegat, *Ruffum Apronianum nominat* Comm. ad 1. Aen. extr. *Dan. Gaitani* ad *Petrum Mannam* epiſtola eſt in Edit. Virgil. Oporiniana A. 1544. in 8. Quomodo per *penaces* in epigr. COS. Aſterii ferarum certamen intelligere poſſim, nondum me docuit *Valeſius*. Quin ſi iſte verus ſenſus eſſet, idem bis diceretur; nam verſ. 5. 6 exprimit feras: ut in confeſſo ſit non intellexiſſe eas antecedente diſticho. Triplex ſpectaculum ſimul uno die adornavit Conſul; idque ſatis clare patet e verſ. 5. 7. 12. Sed quod ſcenam ſubitariam ex tabulis ſuper Euripo extruxit, in qua ludi muſici, tanquam in Odeo, exhiberentur, haec ad ipſa edita munera nihil attinet, nec numerum eorum auget; ſed ad magnificentiam conſulis, inuſitata ſubſtructione populum delectantis & captantis famam referendum eſt: nimirum in circi nova ſcena ludi, in arena aurigae & ferae ſpectabantur. Ego etſi non ſim tam prave amans mea, ut aliorum inventis locum praebere nolim, hîc tamen neſcio, qua fiducia mei & plenitudine tenebo, quod habeo. In prologo epigrammatis verſ. 5. legam, *cujus & ad omnia*. *Patinus*, Medici Paris. F. & ipſe Medicus, ecquid tibi notus eſt? Deſtinavit ad me nuper, interprete D. *Sponio* Med. Lugd. ſuum ad Urſini de Familiis Commentarium ſpecioſum. Videtur καίπερ πίστευέναι δοκῶν ἢ πράξαι ξυλεργικὰ, eoque ſuſpicor frigidum fore Sophos, ſi quod ab Antiquariis Gallis, popularibus ſuis, expectat. *Marquardum Gudium* Holſatum, cum quo aliquis uſus mihi ante hoc decennium, dum Jenae degeret, magnum Inſcriptionum copiam ex Italia adtuliſſe, & morari Hagae veſtrae narrari memini; eoque *Graevio* noſtro hoc dedi negotii, perſuaderet homini, ut vel publicaret ipſe, vel meis ad editionem accinctis eas ſociaret; ſed nihil adhuc profeci; non dubito tua auctoritate eum huc impelli poſſe; neque certe tuae amantiſſimae mei voluntati diffido. Habes epiſtolam verboſiorem fortaſſe, quam velles;

quod

quod tibi ita videri putabo, nisi mihi longiorem remiseris. Tua etiam longiuscula non me fatigavit, sed recreavit. B. V. Scr. Lipsiae XI. Aug. st. v. Anno CIↃIↃCLXVI.

EPISTOLA CLXXIX.

NIC. HEINSIUS

Thom. Reinesio.

Lipsiam.

PLuribus te compellavi nuper admodum, idque pridie Eidus Quintiles, si recordor probe, Reinesi celeberrime, quas literas *Langermanni* nostri opera in manum tibi perlatas oportuit. Complectebantur illae cum alia, tum epigramma *Asterii* integrum, quod ille Codici Maroniano abs se castigato praefigi curarat, una cum *Henrici Valesii* viri doctissimi interpretamento. Nec multo post per tabellarios Germanicos tradebatur mihi fragmentum Petronii Dalmaticum, quod munus ad me pervenire voluisti, observationibus abs te illustratum eruditionis reconditae plenissimis, quas ego non tantum plurima perlegi cum voluptate, sed etiam quae addideras ex scriniis tuis ἀνεκδοτα *Scheffero* perlegenda commisi, quem nova fabularum Phaedri editio juris publici propediem facienda occupatum nunc habet, uti ex epistola ejus, si quid auguror, uberius cognosces, quam ille proximis diebus curandam mihi concredebat. Equidem, quid pro tam praestanti munere a me reponatur tibi, vir summe, nihil nunc omnino est in promptu, praeter libellum poëmatum meorum nuper luce publica donatum a bibliopolis nostratibus, me & absente & in publicis negotiis cogitatione tota defixo: ut cum venia evolvendus sit tibi, si tantum temporis ab aliis occupationibus vacui habebis tamen, quod meis frivolis sine tuo ac publico incommodo elargiri possis. Libelli exemplar *Langermannus* ad te curabit, simul ejus copiam ab *Elzeviriis* Amstelaedamensibus, quod propediem fore aut jam factum esse confido, obtinebit. Observata ad Petronium tua salivam mihi denuo moverunt ac desiderium illorum, quae complura in pluteis librariis adfecta possides & elucubrata, luci haudquaquam invidenda. Ea ni proferre quamprimum festinas ipse, metus est maximus, ne te nobis erepto, blattis tineisque pabulum relinquantur. Habes Variarum Lectionum libros reliquos, habes alia haud pauca, quae publico permitti possunt ac debent, dum majori veterum inscriptionum operi typographum circumspicis. Da, quaeso, hoc meis precibus, da tuae gloriae, quam felicissimis auspiciis longe lateque splendidam jam consecutus es. De *Aetide* quod ad Nasonem meum observasti, habui profecto acceptissimum, & enixe contendo atque adhortor, ut si plura forsan ad elegantissimum scriptorem, at turpiter etiamnum mendis inquinatum, annotasti, ut fecisse te non dubito, eorum copiam ac facultatem mihi facias, quae curis a me secundis mox adornandis inserantur. In observatione tua, permittes enim, ut spero, hanc mihi libertatem, unicum est quod me moretur ac suspensum teneat, ne sententiae tuae totus accedam.

dam. *Aetas* nomen cum apud poëtas veteres tam Graecos quam Latinos frequentissimum occurrat, hos praesertim, qui argumenti Argonautici scripta publicarunt, non recordor alibi in illorum operibus Αἴητης pro Αἰήτης, correpta vocali littera prima, quae ex dipthongo sit progenerata, exstare exempla, si in promtu sunt, haud dubie vicisti. Faveo interim eruditissimae observationi, ac veram unice cupio. Ad Valerium Flaccum quae jam pridem parata habeo, dum inspicio forte nuper, occurrebat locus ille libro III. vers. 523. ubi Nymphas Hylae raptrices describit; *Et maniae viridis, & stricta myrtus avena.* quem versum fateor a me non intelligi, aut capi: quis enim locus hic *myrto?* quid *stricta* illa sibi vult *avena?* Tu id me docebis, aut nemo. Vale, vir eximie, & ut hactenus me tui nominis longe studiosissimum amore tuo dignari perge. Exarabam Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXVI. a. d. XVIII. Kal. Septembr.

EPISTOLA CLXXX.

THOM. REINESIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

CAndidum vero diem istum & prorsus lactabilem, qui me tibi copulavit! Icta multa e tuis ad me solatia mihi nascuntur, & solida delectatio simul, cum amoris tui radiis foveri & literatis fabulis pasci me sentio. Sane utrimque abs te mihi satisfactum; & utriusque beneficii, cum ad tuas quotidie respicio, continua fruitio mihi; memoria autem erit sempiterna. Pro Petronianis non expectem ἀντίδωρον aliud, sufficit mihi judicium tuum, quo ornare ea voluisti, unius contra omnium; saltem dubito, si mereantur; fortassis enim adfectus, δοκεῖν ἔμμεναι τὰς φίλους, praevaluit rationi. Restat in iisdem unum alterumque, cujus ignorantia me torquet; usque adeo nihil est in Antiquitate, quod non admirer, & scrutatu ac cognitione indignum existimem. Quis istud *de lingua Latina* pag. 14. mihi interpretabitur? Tractum, puto, est de trivio, e vulgari ἐξήγησει & populari superstitione; fortassis etiam dictum joco, cujus origo ignara nobis. *Aetida* dixisse Poëtam Latinum, quam Graecus Ἀητίδα, apud me non est dubium, cum & consuetudo Latinorum, qua diphthongos in simplices, longas in breves mutant; exempla adnumerare taedio sum sit; & licentia, qua Poëta maxime uti potuit, hoc persuadeant. Haec vero tanta fuit, ut etiam, in nominibus propriis praesertim, consonantes elidere sibi sumserint: hinc *Baternas* pro *Basternis*. Quod autem in eo ipso vocabula *Aetes* exemplum me poscis, aliquanto iniquius videtur. Si enim in aliis fecere, cur in hoc non fecerint, causa nulla est: etsi qui fecerint & ubi, ego hodie nesciam. Fortassis loca, ubi fecere, per descriptores corrupta sunt, qui usitatius notiusque sibi substituerint; & utrumque Αἰήτης, Ἀήτης rectum esse ignorarint. Quin, si tantum abhorres istud *Aetida*, legas licet, *petit hos Aetida munus.* Ignorantia constructionis rarioris verbi cum duobus Accusativis,

pe-

peperit librariis τὸ *a*, *ab*: unde etiam factum est, ut terminationem casus sexti omnes Codd. conservent; nullus quarti. Quicquid tamen horum sit, satis, puto, feci liquidum, τὸ *Tethye*, quod tibi placuit, non posse tolerari. De versu Val. Flacci nihil curasse tot editores, miror sane: quid in eo intellexerint, divinare nequeo; usque adeo sensum nullum exhibet. Corrector sciolus temere intrusit τὸ *myrtus*, cum, quod scripserat Poëta, *corytus*, non caperet, addidit, ut consentirent suo facinori reliqua, & dissyllabum suppositum pro trisyllabo non offenderet vel luxaret versum, ingeniosam nequitiam, ordinem verborum, quem divinus Poëtae calamus struxerat, pervertendo. Nos Valerio, omissis hisce spuriis, sua restituamus, & legamus post haec,

Et virides manicae, & stricta corytus habena:

Quo nihil verius. Inter arma Nympharum arcus & pharetra loro adstricta sive lumbo sive humero: ea *corytus*; quem accipere potuit e Statii x. Theb, nisi potius huic ipse tradidit. Γωρυτὸς θήκη τόξων Suidae, Γωρ. τὸ ὅπλον, ἐν ᾧ ἐμβάλλεται τὸ τόξον Varino. Cl. *Scheffero* meis verbis peramanter salutari velim; aliud nunc non erat. Videtur, quod boni cordatique viri est, dissensum meum circa Petroniana aequo animo ferre; mallem autem monuisset libere, si qua offendi. Esse enim hoc neque a me alienum puto. Bene Vale, vir Amplissime, & me nominis tui longe studiosissimum amore porro dignare. Scr. Lipsiae Kal. Oct. st. vet. CIↃIↃCLXVI.

EPISTOLA CLXXXI.

NIC. HEINSIUS

Thom. Reinesio.

Lipsiam.

MArmora illa vetusta, quae *Gronovio* suggessi ex Italia jam olim communicanda tecum, numero septena, meo aere compararam in urbe, mox naufragio, dum in patriam mittuntur, cum aliis antiquitatibus haud contemnendae rei, absumta: quorum exemplaria tamen a *Luca Langermanno* accepisse potuisti, clarissime & summe vir. Monet enim ille per nuperas suas, quicquid inscriptionum antiquarum in scriniis suis repperierit, id omne tuae potestatis jam esse factum. Unum ex illis marmor en tibi, possunt & reliqua mitti, si nec dum alia via ad te pervenerunt. HIC EST SEPULTA PACILIA. SOSPITA. PIA. PROBA. BONIS. PROBATA. SUMMA. QUAE VIXIT. FEDE. QUI BENE. COGNORINT. COGNITAM. BENE EXISTUMANT. HAVE. ET. VALE. QUAE, OPTAS EVENIANT. TIBI. ET, TUIS. L. AQUILLIUS. FAUSTUS. DE. SUO FECIT. Addo & aliud, quod acceptum refero V. C. *Camillo Peregrino* Capuano, Capuae repertum, ut asseverabat ipse. UNA. DIES ADIMIT CRUDELI. CLADE PEREMPTAS, QUIS ARA HAEC. (puto *posita est*) POSITAS.

a Vide Reines. Cap. XVI. Inscr. 33 & Epistol. Heinsii ad Gronovium CCXL.

TAS. POENA. HOMINIS. MISERI. FILIA. NAMQUE. PERIT. PERIIT. ET MATER. EUNDEM DESERIT. ILLA. PATREM. DESERIT. ISTA VIRUM. En tertium quoque apud Carthuſiam ſive thermas Diocletianas Anno CIↃIↃCLIII circiter repertum, quod *Chriſtophorus Puteanus*, Petri & Jacobi frater natu maximus, rei Carthuſianorum vicarius Generalis, mihi tradebat.

D. M.
QUICUMQUE ES PUERO LACRYMAS EFFUNDE, VIATOR.
BIS TULIT HIC SENOS PRIMEVI GERMINIS ANNOS,
DELICIUMQUE FUIT DOMINI, SPES GRATA PARENTUM,
QUOS MALE DESERUIT LONGO POST FATA DOLORI,
NOVERAT HIC DOCTA FABRICARE MONILIA DEXTRA,
ET MOLLE IN VARIAS AURUM DISPONERE GEMMAS.
NOMEN ERAT PUERO PAGUS, AT NUNC FUNUS ACERBUM
ET CINIS IN TUMULIS JACET, ET SINE NOMINE CORPUS.
QUI. VIXIT. ANNIS. XII. MENSIBUS VIIII. DIEBUS XIII. HO. VIII.
Complures inſcriptiones collegi ex libro XXXIV. Antiquitatum *Pyrhi Ligorii* inedito, quem Cardinalis *Franciſcus Barberinus* poſſidebat, ſed illae haud dubie jam ſint inſertae illi operi, quod Cardinalis ipſe publico jam pridem parat. Neſcio an videris *Julii Caeſaris Capacii* Antiquitates Neapolitanas. Idem ſimilis argumenti commentarium vernaculo ſermone dedit in publicum, cui titulus *il Foreſtiero*, inde excerpſi duo marmora, quae vides.

[1] INJICE. SI PIETAS. USQUAM. EST. SUSPIRIA. ET IMPLE.
MECUM. HOSPES LACRIMIS. MARMORIS. HOC. VACUUM.
NAM. FORMAE. EXEMPLUM. PERIIT. CUM OBIIT. MEA. LYDA.
QUAM. PERIERE. HOMINES. VEL. PERIERE. DEI.

[2] VERNA. MEAS. O. MI VERNA QUIS AH QUIS AB AURA
TE. IN TENEBRAS. RAPUIT PERDITUS. EN. MORERER.
NI TECUM ASSIDUE LOQUERER. NI SAEPE JOCANDO
FALLERER. HINC. DUM TE CONTINUO. ASPICIO
SEMPER. ERO TECUM ETSI ME SOPOR OCCUPAT UMBRAM.
TE UMBRA PETAM ERGO. UMQUAM. NE. METUE. ABS.
TE. ABEAM.

Sed de his alibi erit agendum. Inveniuntur & nonnumquam teſſerae quadratae eburnae, ſpectaculis, ut creditur, inſervientes. Cujus generis nonnullas eſt videre in *Tomaſini* de Teſſeris hoſpitalitatis commentario, &, ſi probe recordor, in *Caſalii* antiquitatibus Romanis, quales & apud me exſtant cum hac inſcriptione, [4] PILODAMUS JULI SP. A. D. III. KAL. FEB. M. VAL. CN. DO. Aliam vidi in dialogo Antonii Auguſtini de nummis antiquis Ita-

1 Vid. *Reineſ.* XVII. Claſ. Inſc. 175. 2 Vide *Reineſ.* Claſ. XIV. Inſc. 105.
3 Vid. *Reineſ.* Cl. XVIII. Inſc. 21. legitur & in Catalectis *Pithoei* pag. 140, & inter Cataleſta Petroniana. *Gruterus* vero retulit inter ſpuria pag. XVII.
4 Vid. *Reineſ.* Cl. V. Inſc. LXII. & ſequentem Inſc. LXI.

Digitized by Google

Italicae editionis, quae tabulis numiſmatum aereis eſt inſignita. PETILLI. SP. ID. NOV. C. JUL. M. AEM. RUFIO. Aliam Florentiae vidi & deſcripſi, ſed ſchedae illae nunc non ſunt in promtu. & hoc fortaſſis praeter inſtitutum. Si onere moleſtiſſimo publici muneris detur aliquando defungi, de Roma denuo adeunda ſpem non eſt quod omnem prorſus deponam. De Barberinis inſcriptionibus quid ſperandum ſit, tunc certius te potero docere. De *Aproniano* & *penaces* vocabulo, quae ſuggeſiſti, habui longe gratiſſima. *L. Turcii Aproniani Aſterii* mentionem fieri video in veteri columna temporis Diocletiani, in antiquitatibus ineditis: *Pyrrhi Ligorii* IMPP. CAESS. VALERIO. DIOCLETIANO. ET AURELIO. VALERIO MAXIMIANO PIIS. FELICIB. SEMPER AUGG. ET. FLAVIO VALERIO CONSTANTIO GALERIO VAL. MAXIMIANO . . . . . ROM. CXCL. CURANTE TURCIO APRONIANO V. C. PRAEF. URB. FIL. ASTERIO. CORR. FLAM. ET. PICENI. *Cujus & ad omnia* ego quoque in ora codicis mei annotaram. cum *Patino* haud dubie mihi interceſſit neceſſitudo: vir eſt amoeni & dicacis ingenii, quique ſimultates cum ſocietatis Jeſu Theologis haud perfunctorias exercebat: Filium non niſi ex fama & ſcriptis notum habeo. Miſit & ad me exemplaria Romanarum *Fulvii Urſini* Familiarum, in quibus publico reſtituendis minus feſtinaſſet vellem. Suppeditari enim ex Muſaeo meo atque aliunde complura poterant, quae ornamenti haud parum iſti Commentario attuliſſent. Nunc in edendis *Brienii* Comitis nummis dicitur occupari. Numiſma, quod Naſonis nomen ſolum praeſe fert, in ordinem Axiae gentis redegit, quaſi ſola gens iſta eo cognimine ſit uſa. *Gudius* ipſe magnam marmorum vetuſtorum copiam abs ſe in Italica peregrinatione collectam ad me jam pridem perſcripſit. Sed poſt reditum ad Belgas noſtros nil litterarum ab illo accepi. Hortarer alioquin illum, ut tecum theſaurum iſtum communicaret, quod nunc omnium optime per *Graevium* fiet. Poëmatum meorum exemplar jam accepiſti, credo, curante *Langermanno*. Proxime agebam tecum de loco uno alteroque Valerii Flacci, ac ſimul grates referebam pro Petronii Fragmento eruditiſſimis abs te animadverſis illuſtrato. De Valerio ſaepe mihi viſum eſt mirum, in vetuſtis codicibus tot illi nomina aſſignari. *Flaccum* Martialis & Quintilianus vocant, ut credibile ſit *C. Valerium Flaccum* fuiſſe nuncupatum. Unde igitur iſta *Setinus Balbus?* ſi & illa ad Valerium noſtrum ſpectant, *Balbus* potius, quam *Flaccus* eſſet, dicendus. Exime, quaeſo, qui potes, hunc tu mihi ſcrupulum, vir eximie; & feſtinatae ſcriptioni benigniter ignoſce. Exarabam Holmiae Suecor. CIↃIↃCLXVI. a. d. v. Eid. Octobr.

EPISTOLA CLXXXII.

THOM. REINESIUS

Nic. Heinſio.

Helmiam.

ANnuit tandem deſiderio meo virorum optimus *Langermannus*, uti ſuſpicor, a te quoque ſummonitus, & apographa Inſcriptionum in peregrinatione Italica Gallicaque collectarum mihi credidit: a quibus quam adjutus ſim ad integrandas eas, quas *Lambecius* ab *Holſtenio* acceptas mutilas miſerat, dici non poteſt. Quo conſilio illi lacinias eas & paucas tantum μόνας ex epigraphis decerptas exhibere potius, quam integras voluerint, divinare nequeo. Male meriti ſunt de hoc pulcerrimo genere Antiquitatis, qui vel dederunt mancas, omiſſis quae vel legere ipſi non poterant, vel legere poſteros nolebant, homines praepoſteri: Nec melius illi, qui vel compactis duabus tribuſve in unum, temporum, rerum & perſonarum hiſtoriam foedant turbantque, vel diremtis, quae cohaerebant, ſeorſimque traditis utraque reddunt ignota, obſcura, & inutilia cognitioni, quaeque cum multo labore tandem reſtituere & coartuare neceſſe eſt. Alterum ex his peccavit deſcriptor lapidis Fani Fortunae, quem mecum communicas. Sunt enim revera duo diverſi, eodem tamen loco reperti, diverſorumque temporum: & ille quidem de Dioclet. Aug. & Collegis: hic de Aſterio, quem Correctorem Flaminiae & Piceni fuiſſe Impp. Val. & Val. e legibus Cod. Theod. oſtendo in Eponym. Et recte igitur *Gruterus* velut diſtinctos produxit; illum quidem pag. CCLXXIX. hunc pag. CLXV. *Gudius* paucas quaſdam ſubmiſit, faciente amico; reliquas viſus premere. ſpes in *Graevio* mihi aliquas eſſe exprocaturum. Teſſeras literatas novem, annos intra 690. & 759. ſignantes jam dum habeo; tuarum altera de *Julio Philodamo* ad Annum U. 702. altera de *Petillio Ruffione*, ad Annum 708. pertinet. *Capacium*, de quo mones, ut & civem ejus *Joh. Ant. Summonte*, qui Neapolitana ſtilo populari condidit, evolvi dudum. Exemplar Poëmatum tuorum rite ad me curavit *Langermannus*: Italica, quae *Com. Houdemannus*, hodie inter Conſiliarios in aula Elector. Dreſdenſi, qui te Patavii noſſe ajebat, ante decennium inde aſportaverat, placuerunt; ſed haec quia pluſcula, & velut in theatro Μονοόψους hujus aetatis non ita notos in vulgus noſtrum exhibent, perplacent. Circa ζητούμενον de *L. Valeri*, Argonauticôn & ἑξαμέτρου ſcriptoris, duplici cognomento imprimis videndum eſt, qualo id ſit & quorum. Noti ſunt Grammaticorum, claustralium etiam magiſtrorum, & librariorum ſciolorum artes, quam in tabibus indigitamentis circa ſcriptores veteres nugari conſueverint. Eoſdem ludos ſuper Valerio feciſſe exiſtimabo, dum indubius de *Balbi* cognomento e veteribus teſtis ſiſtatur. Rem enim maxime ſuſpectam reddit cognomen ἐξ ἰδίας ei impoſitum geminum fuiſſe, ac ſi eundem *Capitonem Labeonem* adpelles: quod moribus Romanis abſonat. E Cicerone *A. Terentius Varro Muraena*: itemque *C. Marcius Figulus Thermus* noti ſunt, in quibus cognomen illud adoptionem in Familiam

lam Terentiam, & Marciam, hoc natales utriuſque Liciniam & Minuciam nobis indicat. *Flaccum & Balbum*, q. ſimul fuerunt in L. Valerio (hoc enim κοινότατον eſt & ζητούμενον,) an eodem modo interpretari poterimus, ut natus e Balborum Valeriorum familia in Flaccorum Valeriorum domum adoptione tranſiiſſe putetur; ſed manet tamen quaeſtio, an e Valeriis quidam aliquando Balbus fuerit. mihi quidem nondum repertus eſt: ſolum Balbinum in Valeriis COS. Anno U. 1007. ex 8. MCI. *L. Valerium L. F. Cl. Poplicium Balbinum Maximum* notavi. Unde ἐπέχειν ſatius eſſe puto, quam liquido ſive adfirmare e praeſcriptione Codicum ἀδεσπότων incertique aevi, ſive negare, dum uti dicebam, certior nobis indicia ab incorrupta antiquitate venerit. Idem Valerius, etſi Patavinus fuiſſe conſtanter adseratur, Setinus quoque eſſe potuit; nimirum in altera civis ἔθνει, vel etiam διαιρέσει, in altera τόπῳ vel φύσει, quod de Viris illuſtribus aliis pariter ſcimus. Haec nunc potui. Dominus JESUS te ſervet, vir Ampliſſime, & inter novi anni proceſſum renovet tibi gaudia mille. Lipſ. Terminalib. Chriſtianis Anno CIↃIↃCLXVI.

EPISTOLA CLXXXIII.

J. FR. GRONOVIUS

Thom. Reineſio.

Davantriae.

Literas tuas, *Reineſi* maxime, recte ad me curavit frater. Librum ad primam occaſionem expecto, & acceptum ſtatim devorabo. *Graevium* noſtrum, quod hic poſuit temporis, non ineleganter traduxiſſe, & perpetuos hujus peregrinationis fructus habiturum opinor. Eorum duntaxat, quae mei juris ſunt, nihil, quod ſciam, in hunc diem deſiderat, nec eſt ullus congreſſus noſter, cui legitima velut acceſſio non ſit grata recordatio tui. Adeo & ille in te colendo paternam ſibi conſtituit ſanctitatem, & ego hanc pietatem ejus provocare gaudeo, nec jucundius ullum aut habeo aut praeſto acroama, quam meritiſſimas tuas laudes. Nam quum te ſemper, ex quo noviſſe potui, fecerim plurimi, te unum adſpecto, in te ſolo acquieſco, tibi, qui velut deluvio aut peſtilentia abſumtarum literarum unus exemplum manes, Neſtoris vivacem ſitum precor. Qui paulo ante florebam & ſuperbiebam, ſi quando in Batavos me contuliſſem, diripiebar amicitiis & hoſpitiis ſummorum virorum, nunc relictus & deſertus; & non modo principibus eruditionis, ſed ipſi eruditioni ſuperſtes, velut totidem circa me fulminibus jactis, attonitus, quibus in locis renatae Athenae, & reſonare ipſe Helicon videbatur, ſubito mutis, vaſtis, inanibus, horridis aegrum ſpiritum traho. Nam, ne neſcias, quos tu Philemonas & Roſcios propediem in ſcenam venturos putabas, rebus & ipſi humanis vale dixerunt & plaudere. *Salmaſium* dico in aquis Spadanis febri expugnatum, & ad Trajectum Moſae humatum, ac *Zuerium* domi tabe confectum, quanta funera, ſi alter paulo moderatior ac civilior, alter conſtantior in bonis propoſitis, in quae interdum incidebat, fuiſſent! Nunc fuerunt, ille impotentia fecit,

fecit, hic vanitate, ut perpauci, qui familiarius noverunt homines, his mortibus ut decebat, afficiantur. Alterum praemortuum jam literis, & ab aliquot annis nihil praeter maledicta ac bilem vomuiſſe, alterum literas nunquam ſerio tetigiſſe, apud imperitos adoleſcentes, & homines barbariem Politicorum nomine diſſimulantes ſeſe venditare gnarum, & id unum agentem, ut his placeret, interpretantur, ut leviorem etiam faciant publicae calamitatis dolorem. Quidquid ſentiunt tamen, Lugdunum habet, cur in longum tempus lugubria non deponat. Verum alterius meritis nomen, alterius merito majus erat: etiam quum ceſſarent, qui adibant vel tralatitii ſermonis gratia, ab altero doctiores diſcedebant, ab altero diſcedere tantum ſibi videbantur; denique imago & ſpecies ingens, etiam poſtquam res non numeroſa ac propemodum evanida. Interim illa literarum gloria, quam *Janus Douza*, cujus nunc primum beneficium intelligitur, ibi pepigerat plantaveratque, cum his mortibus ab ſtirpe interiit: nam alter ille Phoenix ingenii, mente prae ſenio labaſcente, *Scriverius* oculis pedibuſque captus, ſuperſtites ſibi ſunt. *Nicolaus* noſter urbem patriam non amat, nec ab ea intelligitur. *Crioceroti* ſucceſſerunt viri, per quos *Suoceros* crevit, & comparatione jam magnus eſt. Nihil igitur tu hic generoſum in litteris noſtris, imo ne ingenuum quidem aut liberale exſpectes. Ego vero, jam dudum hunc caſum praevidi. *Caſaubonum* cum poſt *Scaligeri* mortem percuſſione, ut ſic dicam, digitorum poſſent habere, excluſerunt illi maxime aemuli, quos ille fidiſſimos ſibi putabat; ut nuper *Bochartum*. *Voſſium*, *Meurſium* expulerunt, ipſi diſcipulum nullum aut ſectatorem aut clientem bonum fecerunt, nec cuiquam de vera ſtudiorum via fidele conſilium dederunt, ut ſoli ſaperent: ea ſtudia, quibus ad famam pervenerunt, palam contemnentes, & ingenia, quae fovendo ad frugem perduci potuiſſent, aut deterrentes, aut ſupprimentes, & ubique poſtponentes: inter ſe vero non muliebribus tantum animis invicem obtrectantes, ſed identidem gladiatoria deſperatione concurrentes, & vulgo hanc opinionem ingenerantes, ſanctum illud literarum nomen ad animi emendationem & vitae iter dirigendum nihil omnino prodeſſe. Sic quaſi terrigenae Jaſonii aut Cadmei, inter inteſtinae diſcordiae bella ſparſi conſumtique, ſine ſemine, ſine poſteritate interciderunt. Quae quis non moereat? quis fando ſtudiorum amans temperet a lacrimis? Praeſertim quum intra breve tempus & Gallia *Petavium*, *Rigaltium*, *Sirmondum*, *Petitum*, *Gothofredum*, Magnoſque & liberaliſſimoſque Maecenates, *Monteſchallum* Tholoſatem Epiſcopum, *Memmium* Avaltiae comitem, *Fabricium Peireſcium* & *Sarravium* Senatores, *Puteanorum* fratrum alterum amiſerit. Seculum plane novum ordiri videmur, idque bene barbarum, nec ſpem habeo, niſi ſi quos abſque magiſtro deus & ſuus genius ad meliora verterit, aut quam ipſe facio in meis auditoribus, quibus quum nihil praeter vetera & optimi aevi proponam, ſubinde video excitari aliquem, qui perſequi ac producere velit, quae a nobis elementa accepit. Suetonium quibuſdam cum maxime privatis ſcholis recito, in ejus Tiberio (ne habeas a me totus μιμηλιμοιρος) cap. 24. videbar nuper in ipſa contentione interpretandi.

emen-

emendare loccum. *Principatum quamvis neque occupare confeſtim, neque agere dubitaſſet, & ſtatione militum, hoc eſt, vi & ſpecie dominationis, adſumta, diu tamen recuſavit impudentiſſimo animo.* ſcio *os probum* Pompeji, *animum inverecundum.* Sed ſcribendum cenſeo, *impudentiſſimo mimo*, quia nempe manifeſtum erat, & ab omnibus intelligebatur. Et ſcis hoc verbo delectari Suetonium, Octav. 99. Calig. 45. Oth. 3. Eodem Tiber. cap. 45. *nec quemquam amplius pati conſtantiſſime recuſantem.* intelligis rem non valde honeſtam, *nec volentem* dicendum erat, aut *nec patientem*; ergo *& recuſantem.* Quidam amicus ex aliis Germaniae partibus nuper falſo nos delectavit gaudio editi poſterioris Adverſariorum tomi, cum juſto ſtupidae arrogantiae titulo, & jam gratulabar *Graevio* noſtro oſtentatam occaſionem tantam ſcribendi, ſi vellet olim, & quae iſte curva fecit, corrigendi: nam ut ipſe correxerat priora, quamquam homini favi ſemper & peperci, niſi in deterius, non exſpecto. Nunc vidi ex tuis non tam laetas iſtic res eſſe. Cupio enim prodire, nec dubito, quin & perſaepe aliquid boni repererit. *Heinſius* & *Voſſius* apparent maximae Reginae, cui ut inviſos illos faceret & ſuperos & Acheronta movet ille, quem lugemus. Mela nunc vereor ne in ſpongiam incumbat, ſola aemulatione ſuſceptus. de Militia & Gallorum Scythicis originibus paucae paginae ſunt impreſſae, ſed vix puto ex ſchedis perfici poſſe, quando uterque, ut naſcebantur, operis dabant. Jam me quoque taedet loquaciſſimae epiſtolae, quam utinam ſic punires, ut me obruere velles etiam copioſiori. Vale, unicum decus, & praeſidium litterarum, & me ama. Daventriae a. d. IX. Kal. Decem. CIↃIↃCLIII.

EPISTOLA CLXXXIV.

JOH. ANDR. BOSIUS

Nic. Heinſio.

Amſtelodamum.

JAmdudum tibi, vir Summe, & debeo plurimum, & debere me agnoſco ac profeſſus ſum, cum ob erudita ſcripta tua, quibus plurimum adjutum me, praeſertim in altera mea Nepotis editione, quae jam ſub praelo ſudat, ſentio; tum quod tam prompte ac ſollicite noſtra in Joſephum ſtudia conatusque optimo atque eruditiſſimo *Bigotio* commendare voluiſti. Nam id pridem communis amicus noſter Cl. *Schefferus* mihi, nec ſemel, ſignificavit. Quare meum erat ſtatim ea cauſſa gratias tibi, quantas illa ſingularis benevolentia tua merebatur, perſolvere. Sed partim occaſio defuit, qua commode litterae meae ad te perferri poſſent: partim exſpectandum duxi, quid reſponſi a *Bigotio* ferres. Nunc poſtquam primo e litteris Ampliſſimi *Langermanni* ad Ill. *Conringium* noſtrum, dein & e tuiſmet ad *Reineſium* † μακαειτην paullo ante obitum illius exaratis (quarum exemplum nuper demum Suecus quidam Lipſia ad me miſit) quam promte ac humaniter excerpta ſua mihi offerat *Bigotius*, intellexi; merito ſum veritus, ne, ſi diutius ſilerem, ingrati hominis notam apud te incurrerem: praeſertim cum ad te ſcribendi facultatem ipſemet praebuiſſes. Itaque

hoc primum quanto maximo possum opere te rogo atque obsecro, ne morum hanc aegre feras. Proximum erat, ut gratias tibi ob tantum beneficium agerem. Sed verba non invenio, quibus aequare magnitudinem illius possim. Sive enim te considerem, sponte nec rogatus a me id exhibuisti: sive me, in ignotum & nulla re de te meritum id contulisti: sive denique ipsum, tam ingens est, ut majori me afficere vix queas. Quid enim non exspectem ego, vel potius Josephus noster, a *Bigotio*, viro ea eruditione, ut in hoc genere doctrinae paucos inveniat pares, superiorem fortasse neminem? Sufficerit igitur id unum in praesenti dixisse, me ob singulare hoc beneficium aeternum tibi obstrictum esse. Si quid praeterea tuis meritis dignum nostra haltuties potest, id olim publice exequetur, quando Josephus noster prodierit. Interea si quo officii genere te vicissim demereri possum, nihil eorum omittam, quae in manu mea sunt posita. Significa modo, vir Maxime, siquid est, in quo opera mea uti possis. Caeterum quando coepisti de Josepho bene mereri, da, quaeso, operam, ut reapse nobis obtineas, quae doctissimus *Bigotius* communicaturum se nobiscum recepit. Desidero autem non modo varias ex optimis Codicibus Italicis excerptas, sed illius etiam conjecturas annotationesque. Addentur nostris vel seorsim, vel aliis permixtae, prout ipse voluerit, laudato ubique candide earum auctore. Quod etiam aliorum notis facturus sum, si qui sunt, qui suas ad me destinare voluerint. Non dubito, & te, vir eruditissime, servare doctas in hunc scriptorem conjecturas, quibus si potiri queam, magno pariter beneficio censerem. Bigotiana commode, ut opinor, mitti possent ad Cl. *Boeclerum:* inde ad me. Quippe, ni fallor, frequentes inter eos litterae commeant. Scriberem ipse ad *Bigotium*; sed nescio, ubi locorum nunc agat. Faxo tamen, cum primum id cognovero. Si Parisiis viveret, sua tradere posset civi meo *Friderico Brummero*, ad quem maxima pars bibliothecae Reinesiana pervenit. Is nunc ibi apud D. *Mentelium* degit. Sed desino gravissimas occupationes tuas morari. Vale, vir Summe bono patriae & rei litterariae quam diutissime, & mihi meisque studiis favere perge. Scribebam Jenae Thuringorum, a. d. v. Eid. Mai. Anno Christi. CIↃIↃCLXVII. Si responso me dignari occupationes tuae permiserint, commode id destinabitur Hamburgum ad Amplissimum virum *Lucam Langermannum*. Inde ego per amicum petam.

EPISTOLA CLXXXV.

CHRIST. DAUMIUS

Nic. Heinsio.

Regem.

AUdaciae meae, ignotissimi forte tibi, ad te, Nobiliss. & Ampliss. vir, scribendi, comiter ignoscas iterum iterumque rogo. Illubens sane occupationibus tuis gravissimis, vel publico vel privatis etiam Musis debitis, qui eas tum Reip. tum eruditis quibusvis immane quantum commodas, inconditis

tis & ſubitis hiſce meis interſtrepo. Cogor tamen quaſi id facere, dum amico cuidam meo, quae valde rogavit, denegare non ſuſtineo. Eſt is Clariſſ. vir, *Johannes Gebhardus*, Profeſſor & Bibliothecarius Uratiſlavienſis, qui cum Prudentium tuum cum MSto Rhedigeriano contuliſſet, verecundatus fuit ipſas has varias ad te mittere, commodiſſimum ratus, ſi me interprete ad Excell. *Graevium* noſtrum curarentur; unde porro rectius ad te irent. Obſecutus ergo voluntati Amici, malui pudore poſito injurius in tuas, quas dixi, ſanctiores curas fieri, quam homini amico, nec parum de me merito, negare vel tantillum. Mitto ergo, cum iis, quae adjecit, qualeſcunque eae tandem ſint, & ut forte parum conferant tum leviculae, tum maximam partem aliorum codicum ope jam praeoccupatae, certe poterant viſae deſiderium eximere membranas inſpiciendi ipſas, ſpe potioris alicujus lectionis exinde eruendae. Addidi pari aleae jactu & Varias Pſychomachiae Aug. Vindel. olim editae, quam ipſus contuli. Atque utinam pluribus, ſi tanti, aut potioribus gratificari licuiſſet. Sunt quidem apud me Editiones diverſae Prudentii, manu Barthiana paſſim conſcriptae, quarum Notis carere te aequo poſſe animo arbitror. Quod ſi tamen volenti tibi foret, eas a capite ad calcem quales quales hinc inde deſcriptas tecum, vir Nobiliſſ. communes facturus eſſem, modo vel unico nutu id ſignificetur. Quales vero tandem ſint, ſpeciminis gratia, e plurimis pauculas ſaltem, ſine dilectu, excerpam. Ad v. Cath. verſ. 125. *Sunt & Spiritibus.*] *haec dicit ut Poeta, non ſtatuit ut Doctor.* Et ſic alia alibi. Ad x. Cathem. verſ. 87. *L. Quam nocte ex vulnere triſti.* Ad Hymn. Laurentii verſ. 119. *L. arcam* Wowerius ad Sidon. 152. male. Ibid. verſ. 118. *aenigmatum*] τροπικῶς, *nummorum Caeſaris figura ſignatorum.* Meurſ. Animadv. Miſcell. lib. 1. cap. 10. Ib. verſ. 456. *L. Julia Caecitas.* Hoc eſt, *ſtirps Aeneae.* Val. Flacc. *Phrygios prius indignatus Julos. Juli poſteritatem in Caeſaribus.* In Laud. XVIII. Mart. Caeſar. Aug. 195. L. ut *abſolvant retinac.* Hym. Fructuoſ. verſ. 66. L. *affremit voluptas. Alias incompoſitus eſt ſermo.* Paſſ. Cypr. 90. *F. Unctiocultor.* verſ. 94. *L. hoſtis ut deorum.* Romano verſ. 52. *Romanus heros acris exc.* Ib. 440. *L. Mox uniformis Aug. Trin.* Vel *Mox aequiformis.* Hamart. verſ. 405. *L. Idololatris*, εἰδωλολάτρεις, ſcribit & Meurſius Crit. Arnob. l. 6. cap. 3. Ex paucis his de reliquis judicium faciendum, quae tamen magis explicant Autorem, quam corrigunt. Verſus Aviti inter teſtimonia de Prudentio ſpurii ſunt partim, & a *Joh. Gagneio* interpolati, uti patet ex Operum Aviti Sirmondiana editione, & primis Argentinenſi ac Colonienſi. Hos rogo in ſubſequenti editione tollas, genuinis ex Sirmondiana ſubſtitutis, quae utinam in veſtro Belgio, ut exemplis potiremur, recudatur. Adjiciam & niſi grave eſt, quae legenti Ovidium praeſtantiſſimae omnium tuae editionis inciderunt; explodenda omnino, ſi malo talo ſteterint. Nec enim mea Suffenus amo, ſed ſaltem ſubjicio acrius perpenſuro ad tertiam editionem, non ſemel id juſſus a noſtro *Graevio.* Sed tenuitatis meae mihi conſcius, vix tandem id mihi perſuaſi. In Epiſt. Heroid. 14. verſ. 18. Neſcio an non malis nunc cum Naugerio legere *praepedit orſa.* orſa dextrae, i. e. ſcriptionem. Volunt id ſequentia. Epiſt. 17. 228. *Unde petam fratres.* Forte melius *Fratris.*

Quia Caſtor obierat, Polluce immortali, qui immortalitatem cum fratre diviſerat Jovis indultu. Et ſic ſimul non vivebant. Praeterea *petere fratres* vix dixit, ſed *petere opem*, Ovidius. Epiſt. 21. 38. *Me precor, ut ſerves, perdere velle velis.* Sic *negat negare* Catullus. I. Pont. 2. 89. *Ira viri mitis non me miſiſſet in iſtam,* (Sc. humum.) *Si ſatis haec illi nota fuiſſet humus.* Poſſit eſſe Antiptoſis, qualis in illa Cic. pro Sylla: *quae prima innocentis mihi defenſio eſt oblata, ſuſcepi.* Virg. 1. *Urbem quam ſtatuo, veſtra eſt.* Ibid. v. 105. Malim: *Non petito ut bene ſit, ſed uti mage tutius.* Quam Lectionem & Berſm. ad oram ſervat. Petit non poenam mitigari, ut ut non tollatur. Verſus in Apoth. Prudentii 596. valde obſcurus eſt, niſi mendoſus adhuc. Nemo tamen ſubvenit. Amſterodamenſis minuta interpretationem quidem tollit. Sed ne ſic quidem clara res. Ita *Norat*, enim caſu deſtituitur. An *Vagire* eo referatur? Erant pluſcula. Sed ſufficiant haec. Vix enim hiſce non abunde moleſtus ero. Qui non niſi fiducia humanitatis maximae tuae cum pari eruditione & judicio conjunctae haec deproperare auſus ſui. Culpam vero omnem, ſi quid peccavi, luat *Graevius* meus, qui non ſemel ad hoc facinus audendum me animavit. Sed deſino, meque incomparabili favori tuo, Nobiliſſime Domine, unice commendo. Vale diuque, & publico, quae promiſiſti tandem ſiſtere, quantum potes, accelera. Dabam Cygn. d. 14. Auguſt. ſt. v. CIↃIↃCLXIX.

Cum his Daumianis epiſtolis qui conferre velit ſcriptas a *Daumio* ad *Joh. Gebhardum*, quas anno 1709. edidit *Joh. Andr. Gleich*, multa videbit, quae lucem his adferent: communicavit enim *Daumius* cum *Gebhardo* omnia fere, quae ab *Heinſio* edocebatur.

EPISTOLA CLXXXVI.

NIC. HEINSIUS

Chr. Daumio.

Cygnam.

NIſi exploratum haberem argumentis haud paucis animi tui praecipuum candorem, & egregiam plane atque exquiſitam, qua me proſecutus es jampridem, indolis benignae bonitatem, *Chriſtiane Daumi*, vir politiſſime, circumſpicienda anxie & longe quaerenda excuſatio foret nunc mihi, qua diluerem procraſtinatae tanto tempore ſcriptionis moram hanc plus quam bimam. Sed cum noſter *Graevius* jam olim adeo vividis coloribus pulcherrimas dotes tuas mihi deſignarit, ut eas ſenſibus meis altiſſime infixas non poſſim non aſſiduus mecum circumferre, ſpondeo paratam mihi apud te veniam fore, ſi omni verborum amota circuitione, pro re agam pauciſſimis, totum me tuo arbitrio permiſſurus, ſive citra veniae deſperationem deliquiſſe, ſive cauſam habere omni patrocinio vix erigendam ac proſtratam, penitus convincar. Sub ipſam illam quippe tempeſtatem, qua haec exarabantur, auſpicabar auctoritate publica iter demandatum mihi in ultimum ſeptemtrionem, hoc eſt in Ruthenos, ubi annuum paene tempus exigendum nobis invitis fuit, & valetudini adfectae obnoxius cum maxime. Reverſus inde in Sueciam, cum eandem cauſatus valetudinem, vix obtinuiſſem a Proceribus noſtris reditum ad meos, facta

mihi

mihi abſentiae diuturnioris gratia, vix recollegi memet ab itinerum ac morbi pertinacis incommodo. Inſtauratis igitur jam nunc nonnihil viribus gratiarum actioni me accingo, pro litteris jucundiſſimis per ſe, atque eo acceptioribus, quod conatus noſtros Prudentii Poëmatis caſtigandis jam pridem inſudantes praeſidio luculento ſane foveant ac tueantur, miſſis ad me ſcripturae diſcrepantis lectionibus, quas V. Cl. *Johannes Gebhardus*, te impulſore meae in ſpem gratiae, ex vetuſtis Rhedigerianae bibliothecae membranis induſtrie ac diligenter collegit. Proviſum autem in primis caute a noſtro *Graevio*, ne diſcrimini in via exponerentur Schedae illae, quas proinde maluit adventum meum praeſtolari apud ſeſe, quam mihi in itinere per eventus parum exploratos occurrere, aberraturas fortaſſe. *Gebhardo* ipſi teſtatus ſum, ut vides, epiſtolio maximam voluptatem, qua me vir officioſiſſimus perfudit immerentem, dum auxiliator adeſt ſtudiis haudquaquam exſpectatus. Te vero in oculis ferre non deſino, quo proxeneta beneficium id mihi obtigiſſe gratus agnoſco, debitor jam antiquus ob egregium munus Barthiani in Papinium commentarii. Quo munere haud quaquam quotidiano factum eſt, ut Poëtam praeſtantiſſimum jam olim familiarem mihi & legam, quam ſolebam, diligentius, & locis compluribus reſtituam ſubinde in integrum. Silvas praecipue, quarum quod codicis pervetuſti inveniantur nulli, eo plus mendi libros editos occupavit. ad Prudentium quae ex Barthianis exemplaribus ſuggeſſiſti, ea margini notarum mearum jam allevi. de Aviti loco, videbar eum ex Sirmondi editione depromſiſſe. Conſulam denuo eam, ubi offeret ſe mihi, nam nunc quidem haud eſt ad manum. Ad Naſonem ſi liceret refingere per otium, quae olim obſervabam, longe auctiora, addo & limatiora, darem omnia. Epiſtol. XIV. 118. *dextrae oſſa*, obnitentibus ſcriptis non auſus ſum immutare, etſi potuit Librariorum manus aberraſſe in tantilla re. Epiſt. XVII. 228. *Fratris opem* non admiſi, etſi id Latinius fateor, quia non recordor parem licentiam alibi a Naſone commiſſam hac ſede pentametri, ut ſyllabam brevem vocali ſubſequente producat. Epiſt. XXI. 58. *perdere velle velis* non concoquo. Obvium eſt, fateor Catullianum illud, *negat negare*. Sed ut *Voſſius* contendit reponi oportere, *& hoc nec ait*, pro *negat*. Sed amplius deliberemus praeſtat. Ponto. I. Eleg. II. 89. *τὸ iſtam* & *haec* minus concinne jungi videbantur. Ibid. *non petito ut bene ſit, ſed uti male tutius*, vix opinor debere mutari *male* in *mage*. Queritur paſſim Naſo non tantum de incommodis exilii ſui, ob deformitatem & frigus loci, in quem relegatus erat, ſed etiam ob aſſidue imminentem iſti regioni hoſtem. Atque adeo exoptat paſſim locum exilii non tam amoeniorem ſtatione Pontica, quam pacatiorem. In loco igitur pacato, deformi horridoque male quidem erat aetatem acturus, ſed tamen tuto. Dubium mihi non eſt, quin complura obſervaris, & quidem momenti majoris ad Poëtam utrumque, quae communicare te mihi per otium velim. Illud vero eſt, quod in primis te moneam, vir Clariſſime, ut Obſervationum libros, quarum ſpem *Graevius* noſter nobis diu eſt quod fecit, in publicum mox emittas. Non enim dubium ſit nobis, quin multa nos illic ſis docturus, quae ignorabamus hactenus.

Vale, & feliciter rem gere. Exarabam Nonis Octobri. Jul. A. CIↃIↃCLXXII. Hagae Comitum manu properante.

EPISTOLA CLXXXVII.

NIC. HEINSIUS

Chr. Daumio.

Cygnaeam.

ANnui temporis ſpatium jam ferme exactum eſt, ſi probe recordor, vir Clariſſime, cum per literas ſilentii diuturni, ac protractae ad jucundiſſimas tuas reſcriptionis moram anxie apud te excuſabam, ſimulque Cl. *Gebhardo* gratias agebam pro ſubminiſtratis perquam officioſum in modum ex vetuſto Prudentii codice ſcripturae diſcrepantiis. Meus quippe in ultimos Europaearum gentium Ruthenos excurſus reſcribendi officium tardaverat multo tempore. Iis literis quid ſit factum, adhuc ignoro. Interventu enim bellicae calamitatis ita publicae privataeque res hoc anno apud nos fuere turbatae, ut primarum etiam neceſſitudinum quiſque pro ſe obliti ſimus. Ego dolori juſtiſſimo juxta ac valetudini dubiae dum ſolatium remediumque circumſpicio, in Germaniam vicinam deflexi: atque adeo decreveram ad vos etiam viſere, ſed Francofurtum uſque progreſſus, inveni omnia armata, dum arma fugio. Inter quas promoti tardius itineris cunctationes referre pedes ad meos jubeor. Quod unum igitur potui, te vel abſentem per literas ſummi amoris indices complectendum ſum ratus: de ſtudiis communibus ut ſubtexam nonnihil, etſi minime, ſat ſcio, exſpectas, de ornandis in praeſentiſſima rerum noſtrarum calamitate a me cogitari; Virgilium ac Valerium Flaccum vere proxime decurſo typis deſcribendos curaram, additurus animadverſiones utrique Poëtarum, niſi propoſitum id bella interpellaſſent prorſus intempeſtiva. Haerere igitur ſub praelo typographico libelli hi pergent. Si quid interea peregre ſubſidii adfulſerit, quo alterutrum ſcriptorem caſtigatiorem proferre in lucem detur, id equidem habebo longe acceptiſſimum. Maronem cum optimis compluribus pervetuſtae notae membranis commiſi, ſed in iis ferme omnibus Catalecta deſiderabantur, quae cum pudendum in modum ſint depravata, medicinam iis certiorem adhuc circumſpicio, quam quae conjectando admovetur. Quid de Cl. *Reineſii* poſtumis in publicum emittendis ſperare debeamus, quid bibliothecae ejus factum, aut faciendum, & quem nacti ſint aſſertorem Codices veterum auctorum ſcripti, quos poſſidere complures dicebatur; denique quid tute moliaris, cupio doceri. Si in Belgium noſtrum literis tuis ad nos mittendis parum explorata, aut dubia eſt via, Hamburgi ſi tradantur *Lucae Langermanno*, viro mei amantiſſimo, ſpes eſt fore, ut ad me perferantur, niſi occaſionem noſti, qua perveniant ad *Danielem Elzevirium*, qui apud Amſtelaedamios res meas agit. Ego eis dies trinos abitum hinc paro. Vale, vir Clariſſime, & mihi velle perge. Francofurti ad Moenum CIↃIↃCLXXII. XIII. Octob. De Poëtis Chriſtianis ſi edendis etiamnum cogitas, habeo nonnul-

nulla, quibus ornari id inſtitutum poſſit; Tanta cum bonorum librorum hic conflictamur inopia, ut ne ex poſtumis quidem Reineſianis publici jam juris factis, poſſint haberi mihi perquam pauca.

Haec epiſtola edita inter *Daumianas* ad *Gebhardum*. XLV. pag. 134.

EPISTOLA CLXXXVIII.

CHRIST. DAUMIUS

Nic. Heinſio.

Hafam.

Literas tuas, Nobiliſſime & Ampliſſime vir, XIII. Octob. ſuperioris anni datas (nam priores, quas memoraſti, vidi nullas) [1] 17. Februarii demum perquam laetus tam diu ſperatas accepi. Sed invaletudo mea primum, deinde uxoris, & ejus ſexto Martii inſecutus placidus ac beatus, mihi vero valde luctuoſus, obitus cujus reſpondendi alio, praeter quidem votum, at non fatum meum, maxime averterunt. Nunc ad officium redeam imperant ſuaviſſimae tuae, quibus utinam ſatis faciendo eſſem. Valetudinem tuam inconſtantem non ſolum Poëmata abs te ſecundo edita, ſed & epiſtolae tuae adjuncta Elegia elegantiſſima, quam hic, cum multi eam expeterent, & tuum ad me miſſum exemplum in via valde fuiſſet attritum, recudendam dedi, non ſine dolore meo ingenti docent. Eam voveo & ſpero locatam interea in ſolido, ſummo egregii publici & politiae literariae bono. Quid *Graevio* noſtro, quid *Gudio* (nam *Gronovium* Patrem ex humanis exceſſiſſe, quanquam & nos eadem fata manent, nunquam non moerebo.) acciderit hactenus, ubi haereant, juxta cum ignariſſimis novi, & miror hos, ſi ſalvi adhuc, quod unicum meum votum, ne breviſſima quidem ſalutatione me vel amicos dignari. Sed tempora procul dubio in culpa ſunt, & Martius furor, qui Bataviam veſtram, olim adeo florentem potentemque, non parum concuſſit. Virgilium & Val. Flaccum ex tua emendatione ſub praelo ſudare coepiſſe, maximo eſt mihi gaudio. Ad utrumque quid tenuitas mea conferat, non reperio: praeſertim ad prioris Catalecta, cum nullae horum membranae mihi fuerint unquam viſae. Paucis diebus ante quam tuas accepi, venit in manus Virgilius membranaceus, cum Latino Joſepho, Bibliis Latinis & Breviario, ex monaſterio neſcio quo forte dolo malo ſubtractus: nec explorare potui, a quo & quonam fuerit miſſus. Amici tamen, familiaris illius viri, apud quem depoſiti fuerant, opera inſpectio ad bihorium illius indulgebatur mihi. Contuli paucis in locis: nihil a vulgatis diſcrepabat. Moretum vero, quod e Virgilianis illis appendicibus, cum Ovidio male tributis Aeneidos Argumentis, ſolum inibi exſtabat. contendi, ut vides, integrum, & quidem ſuperſtitioſa, ut ut ſupervacanea plerumque diligentia. Culicis & Ciris, quae Poëmatia prae cunctis maluiſſem, nec vola ibi nec veſtigium apparebat. Valerii Flacci nullas membranas vidi. Editiones habeo Aldinam Anni 1523. Bononienſem Anni 1498. Pariſinam Aſcenſii 1511. Philippi

En-

1 Atqui 16. Febr. jam *Gebhardo* ſcribit ſe accepiſſe Heinſianas & cum eo communicat. vid. Epiſt. ad *Gebhardum* XXII.

Engentini Argentinenſem 1525. Carrionis Plantinianam in 8. 1565. & 1566. in 12. Colon. Allobrog. 1617. 8. Lugdunenſem poſt Carrionem ab A. S. I. C. emendatam 1604. in 16. Gryphii Lugdunenſem 1548. 16. Alardi ἀναφρόδιτον, ut Barthius vocare amabat, Lipſiae in 8. forma proditam. Quas cum putem te ipſum jam inſpexiſſe, rem forte actam agere nolui. Quod ſi tamen opera alicubi mea uti voles, faxo promptitudo mea appareat. *Reineſii* poſtumis neſcio quae ſpes ſit futura edendis. Adeo frigus haec ſtudia hîc locorum invaſit, noſtratiumque palatum ad omne ſapidum fere obbrutuit. Bibliotheca ejus apud Brummerianos haeredes haerere adhuc dicitur Lipſiae. Sunt, qui narrant Cancellarium Cizenſem *Seckendorffium* eam redimere voluiſſe, aut jam redemiſſe. Sed nondum certi quid explorare potui. MSStos tot codices apud eum exſtitiſſe, quot in Apologia contra *Rivinum* jactat, vix mihi perſuadeo. Monſtravit enim mihi, cum coram aliquando adeſſem, MStos Chymicos Zoſimi, Pappi Philoſophi, Pſelli Epiſtolam de lapide Philoſophico, de Iſide Prophetiſſa, Olympiodori codices. Item Macri & Phyſiologi membranas, illas contuli cum excuſis, has deſcripſi. Vidi & tum nonnullos MStos ex Erfurtenſi Bibliotheca commodatos codices, ut Bernh. Geyſtenſem, Petrum Heliam, cui nonnulla Ovidiana adjuncta erant, cum Catonis diſtichis. Nec apparent alia MSta in Bibliothecae ejus Catalogo, quem amicus ſuperiore anno mecum communem faciebat. Ejus poſt obitum excuſos libros in Belgium tam raro ferri ſane miror. Praeter quidem Epiſtolas ad Vorſtium, Neſteros, & ad me, quas *Boſius* Jenae edidit, qui & plures habet & colligit etiamnum, nihil prodire hactenus memini. Et rareſcunt itidem in noſtratium Bibliopoliis. *Joh. Fritſchius* Lipſienſis Librarius poſſidet ejus opus Inſcriptionum, quemadmodum fatetur praefatione in Gutherium de jure manium a ſe denuo editum, & exſpectat, ut publicet, Maecenates. Ego contuli hactenus Manilium cum membranis, Claudianum Mamertum, & hunc quidem cum iis, ex quibus Petrus Moſellanus primam editionem dederat, qui tamen multa praetervidit. *Barthii* ad Orthodoxographorum textum, nullius fere pretii eſt editio. Rectius *Schottum* ſecutus fuiſſet. Nactus & nonnulla Membranarum Schedia valde antiqua ex Caelio Aureliano ſum. Ovidium chartaceum de Arte amandi ab amico ſuppeditatum itidem cum Berſmanniana commiſi. Metamorphoſin itidem charteam nuperrime meam aere feci; ſed nonnullis in locis inſpecta parum juvit. De caeteris nunc nihil. Chriſtianos Poëtas in manum ſumerem denuo, ſi ſumtuarii adeſſent; quorum curam tamen nondum prorſus abjeci. Forte enim quo minime credam gurgite, erit piſcis. Exſpectavi diu Theodulfum Aurelianenſum, & Alcimum Avitum utrumque *Sirmondi*, Commodianum, Hantvillenſis Archithrenium, & nonnullos, quos *Labbeus* promiſit. Sed fruſtra. Damaſium Pariſinae nuperae Editionis nactus ſum. Ceponii in Geneſin verſus ex Adverſariis *Barthii* (cujus & Animadverſiones in Paulinos Petricorium & Pellaeum mecum ſunt) deſcripſi, quantum inibi exſtat. Bernardo Geiſtenſis Palponiſtam longe auctiorem & emendatiorem reproducerem, ſi textus alicubi integrior reperiretur. Lipſiae fuit olim in Collegio Min. Principum, ut Catalo-

talogus indicat, cum Henrico Samarienſe, & aliis nonnullis raris, ſed a mala manu furtive jampridem ſubtractus. De Victore Maſſilienſi ſeorſim excudendo itidem cogito, modo Typographus officium ſuum non deſerat, & typos novos paret. De aliis nunc parco ſcribere. Utinam aliquis Solimarium Gunteri, Johanneida Corippi, quae in Bibliotheca Budenſi fuit, Antiocheida Joſ. Devonii, quam Cambdenus laudat, tenebris erueret! Tu, vir Nobiliſſ. ſi quid juvare potes, beneficentiam tuam exſere, quam grati depraedicabimus; atque utinam ſuperiore anno ad nos viſiſſes! Deum veneror, ut te diu ſalvum tuis, nobis ac literis ſervet. B. V. Scrib. ὡς τάχιστα. Cygn. d. XVII. April. CIↃIↃCLXXXIII. Quid Ampliſſ. *Langermannus* agit? ecquando Anthologia Graeca auctiore nos beabit, & caeteris promiſſis? Quae hic addidi boni ut conſulas oro. Alia occaſione forte alia & potiora.

EPISTOLA CLXXXIX.

NIC. HEINSIUS

Chr. Daumio.

Cygneum.

INdigne medius fidius, ſic ut nil magis, fero, vir clariſſime, litterario huic commercio, quod mihi frequentiſſimum cupiam tecum exerceri, tot objici incommoda ac moleſtias, per quas fiat, ut alternae epiſtolae aut tarde perferantur huc illuc, aut plane non perferantur. Quas ſane ultimas ad me dediſti, eae cum longo tempore Hamburgi inter manus *Lucae Langermanni* eſſent quodammodo attritae, vix tandem ad me pervenere ante tertium ab hinc menſem. Libellos vero, qui epiſtolam comitabantur, ne nunc quidem accepi, ſed tamen exhibendos propediem mihi fore confido. Nimirum adeo turbatae primo biennio res noſtrae fuere, ut cum amicis exteris conſuetudo omnis abrumpenda nobis fuerit, dum defixi in contemplatu calamitatis noſtrae haeremus unice, nec alio curas aut cogitationes convertimus. Nunc procella, quae nos totos involverat, diſſipatur paulatim ac evaneſcit. Itaque operam daturus ſum diligentem, ut frequentiores in poſterum ad vosperferantur: praeſertim cum noſter *Graevius* mihi aſſeverarit, fixam eſſe Lipſiae ſedem a ſuo fratre, cujus opera in litteris curandis tuto poſthac poſſimus uti. Interim, quod exemplum harum litterarum, quas ante hoc biennium ad te & Cl. *Gebhardum* datas periiſſe in via e tuis ſum edoctus, non ita nuper fortuito ſeſe obtuliſſet mihi, ejus copiam tibi faciendam duxi, unde liqueret, officio me haudquaquam defuiſſe, ſimulatque poſt peragratum ultimum ſeptentrionem, & attritam multo tempore valetudinem, in tranquilliorem ſoli natalis portum me ſubduxeram. Neque enim quicquam in iis praeterea commendandum occurrit. Ubi tranquilliora tempora nos reſpexerint, quod propediem fore auguror, tantum fortaſſis confidentiae mihi arrogabo, ut auſurus ſim moleſtiam tibi exhibere, ſuper conquirendis libellis nonnullis apud vos in publicum prolatis, ſed quos videre nobis hic terrarum minime contingat. Cujus ſunt

notae philologicae ſat multa Weitziana ac Riviniana, quae apud nos haberi non poſſunt. Eoque in numero illius in Ibin Ovidianam animadverſa, hujus non pauca, qua Graecis ſcriptoribus, qua poëtis Chriſtianis illuſtrandis, ut audio, data memini, & vidiſſe me *Andreae Senftlebii* nuces ſaturnalitias, libellum non inelegantem. Nec dubium eſt mihi, complura id genus alia inter vos proſtare, quae mereantur noſtris quoque uſibus patere. Nam de ſcriptis Reineſianis, omni eruditione cumulatis, fama eſt non pauca, cum ab *Andrea Boſio*, tum a te quoque exſpectanda nobis, per quae ſingularem in modum erudiamur. Ego etſi conſilium cepi jam pridem de privata vita amplectenda, quae me deſultorem hactenus in ſolida apud Muſas, tanto neglectas tempore, reponat gratia, tamen nec valetudo, nec temporum calamitas ſatis ferunt, ut animo defaecato convertar ad ea perlimanda, quae per majus otium chartis olim illevi. Et ſane ſi tempeſtas bellica interquieſcat nonnihil ac ſedetur, Germaniam veſtram denuo adeundam mihi propono, ut ſalubrium thermarum ope debilitati pedum, quam ſatis incommodam experior, quoquo modo conſulatur. *Graevius* noſter, quantum licet per temporum iniquitatem, aſſiduus occupatur in Cicerone illuſtrando. *Gudium* aula Holſatica ſibi adfixit, de quo rari ad nos feruntur nuntii. *Gronovium* patrem poſt diuturnam valetudinem hydrops ante hoc biennium nobis eripuit. Filius natu major, dum peregrinatur apud Tuſcos, a magno Duce, literarum amantiſſimo, quam laudem Mediceis omnibus eſſe domeſticam minime ignoras, ad profeſſionem bonarum artium Piſanam evectus eſt, ſuffectuſque in locum praeceptoris ſui *Valerii Chimentelii*, in flore aetatis ipſo extincti, cujus limatiſſimum de Biſelliis veterum vidiſſe commentarium potuiſti. Catalectorum Maronianorum & ſcripta exemplaria & vetuſtae editionis codices adhuc quaero nequicquam. Quantivis pretii fuiſſe mihi eſt viſum exemplar illud, ſub initia artis typographicae ipſa prolatum in lucem, cujus teſtimonio V. C. *Caſpar Barthius* in Adverſariis frequenter eſt uſus. Sed ad quem liber is pervenerit, indagare non poſſum, Valerii Flacci codices editos excuſſi pleroſque, nec defuere manu exarata volumina ejuſdem mihi ſcriptoris. In quibus praeſidii nonnihil fuiſſe ut haudquaquam negarim, ſic tamen ad conjecturas recurrere frequenter ſum coactus. Bibliothecam meam hac aetate e Suecia, ubi haeret majorem partem, exſpecto, quam nactus & Alcimum Avitum & Theodulphum *Sirmondi* praeſtare tuis uſibus potero. Utriuſque enim exemplar geminum me reor poſſidere. Cl. *Langermannus* totus eſt foro & cauſidicinae addictus. Quanquam non ſemel jam eſt pollicitus nobis, mox fore, ut ad ſtudia Graeca poſtliminio revertatur. Vale, vir praeſtantiſſime, & mihi favere, ut ſolebas, perge. Dabam Hagae Comit. CIↃIↃCLXXIV. XXX. April. Gregor.

EPI-

EPISTOLA CXC.

CHRIST. DAUMIUS

Nic. Heinſio.

Magnum.

VOto forte diutius, Nobiliſſ. Heinſi, tuo, imo & meo, protollo reſponſum ad binas tuas, mihi longe acceptiſſimas, meum. Sane hanc moram cauſati fuerunt Amici, a quibus mihi pollicebar, quae deſiderabas. Sed, praeter ea, quae adjunxi, caetera fruſtra. Acceſſit exſpectatio literarum *Graevii* noſtri; ne quid dicam de invaletudine, quae per aliquot hebdomadas, cum aliis deinde remoris, ſtudiis meis juſtitium indixerat. At ego avidiſſimus ille ſtitor tum Val. Flacci, tum Alc. Aviti & Theodulphi a *Sirmondo* editorum, deſiderio horum fere contabui. Quibus tandem aliquando a te impetratis (deus faxit quamprimum!) quam laetabor tum, quam triumphabo! Libelli mei ſuperiore anno ad *Langermannum* miſſi, ſed ut ex tuis cognovi a litteris avulſi, an interea appulerint, valde ſcire aveo. *Gebhardo* tuas miſi; at reſponſum adhuc dum ab eo praeſtolor. Qui, niſi fallor, *Senſtlebii* tum Nuces Saturnalitias, tum Aleam, ut pote editor, ipſus donabit. *Rivini* nonnulla opuſcula, ut Tertullianum, Victorinos, (quibus tamen non addidit, quae *Sirmondus* publicaverat inter quinque patrum opuſcula, quae poſtea a *Boſio*, nunc μακαρίτῃ, nactus erat, & quorum *Joh. Anton Campanus* in epiſtolis ſuis olim meminerat) Caſſii Problemata, Phaenonem, Dioclem Caryſtium, Summa artis Poëticae faſtigia, epiſtolam de Nazianzeno, quae ab ejus Filio, paulo ante ſuum Lipſia diſceſſum impetravi, a me capeſſe. Caetera hactenus non reperi, dabo autem ulterius operam, ſi quid aliunde ſe prodat, id ut tibi aſſeram. *Weitzius* in Ibin an quid ſcripſerit, dubito. Certe nunquam comperi. Venerunt his diebus in manus meas Notae ejus in Cypriani (vel Tertulliani) Sodomam. Inſcripſerat, ut ex ἀντογράφῳ patet, ultimo vitae ſuae anno, is poſt Chriſtum natum erat 1642. *Caſpari Hofmanno* celeberrimo Medico. Sed typographine culpa, an ipſius *Hofmanni* incertum, liber inter chartas Amici nuperrime defuncti, qui multa *Hofmanni* ab ejus obitu acceperat, delituit, a Filio ad me miſſus. Eas Notas noſter Typographus pollicitus eſt ſe editurum poſt Lipſienſem proximam Panegyrin. Potero tum, ſi fiet, addere Gronovianas Notas, ex ejus Obſerv. in Script. Eccleſiaſticos. *Barthii* veterem Virgilium cum Catalectis quis nunc poſſideat, compertum nondum habeo. *Chimentellium* nondum vidi. Etſi meus *Konigius*, Profeſſor Poëſeos Altdorfinus, qui te mecum admiratur, tuam poëſin magnifice effert, & ſalutem tibi a ſe adſcribi enixe rogat, eum poſſidet: ab eo ut ejus conſpectum habeam, ſpero me facile impetraturum. Ille in Theodulphi verſu quodam.[1] *Exul, inops, pauper, triſtiſſimus, anxius, agens,*

1 In Sirmondi editione lib. IV. Carm. pag. 213. legitur *angens*. Sed, ſi mihi liceret ſententiam dicere, *algens* praeferrem omnibus conjecturis. Notum illud Juvenalis, *probitas laudatur & alget*. Theodulfus vero haec adjectiva, quae miſeriam ejus exprimunt, ex ſollemni quaſi formula, cumulavit. vid. ad Ovid. Epiſt. VI. 162. & I. Amor. VIII. 113. vide etiam Inf. Epiſt. CCIX.

agens, uti in Caniſii Editione jacet, ubi τὸ *agens* Barthius in *egnus*, pro *egenus*, inepte mutarat, Reineſius autem in *aegrens* mutarat, τὸ *agens* retinet, exponitque, qui ſine gente eſt, ut *amens*, qui ſine mente eſt. Valde vellem hîc inſpicere *Sirmondum* poſſe obſervationes meas: ut poſt domeſtica quaedam inpedimenta tandem e diverſis ſchedis congeram, non abnuo. Servet modo Numen benigniſſimum nos vivos ſalvoſque. Quae ad Statium emendationes interea tibi natae ſunt, utinam communes nobiſcum eſſent! Volebam plura; ſed avocor. B. V. Vir Nobiliſſ. & favorem perſevera mihi, qui haec deproperabam Cygneae XIV. Kal. Septemb. Anno CIↃIↃCLXXIV.

EPISTOLA CXCI.

CHRIST. DAUMIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

QUas Nonis Octobribus ante triennium hoc primas ad me *Gebhardumque* dediſti, vir Nobiliſſime, hoc vero ipſo Anno menſe Aprili deſcriptas denuo miſiſti, accepi 14. Decembri demum. Tuas inde *Gebhardo*, a quo inſertas accipis, cum *Senftlebii* de Alea libello (Nucum Saturnalitiarum, ob diſtracta exemplaria, copiâ neque ipſi, neque mihi hactenus fieri potuit, inquiram tamen amplius) his nundinis Lipſienſibus tranſmittam. A *Graevio*, neſcio an meas cum faſciculo acceperis; certe miror ab ipſo ad geminas meas nihil reponi. Fraterne ejus in aula ſit, an quis alius, equidem haereo. Placuit itaque has ad *Langermannum* per ipſius Fratrem curare, experimentum capturo, an haec via ad te verior breviorque futura ſit. *Weitzii* in Cypriani Sodomam Notae ob domeſtica remoramenta, & publicam ſuperioribus menſibus Eccleſ. & Scholarum Viſitationem Electoralem, nondum praelum ſubierunt: neque mea nonnulla, quae editurus alioquin eram. Uxoris praeterea, ex qua prid. Kal. Nov. Filiolus mihi ſeni natus, adverſa valetudo hebdomade iſta curas manibus meis item excuſſerunt. Avitum & Theodulphum Sirmondianos utinam ſecunda aura huc adveheret. Nam a *Boſio*, qui humanis pridem exceſſit, nihil amplius mihi opis. Ejus Bibliothecam Illuſtriſſ. & Celſiſſ. Principem Vinarienſem emiſſe narrant. Juniorem *Gronovium* Norimbergam nuper tranſiiſſe fama eſt. Qua de cauſa me fugit? Exſpecto autem brevi, ut amici inde mei eam mihi aperiant. Valerium Flaccum anxie etiamnum deſideramus. Sed de valetudine tua afflicta neſcio quis rumor, utinam falſiſſimus! increbuit. Ea ut in ſolido locetur, diuque vigeat, caeleſte veneramur Numen. Interea caetera a te expetita hinc inde conquiro; ubi fuero adeptus, nulla mora intercedet, quin ad te ſtatim curentur. B. V. Vir Excellentiſſime, & favorem tuum mihi perſevera. Dabam Cygn. d. 28. Decemb. Anni CIↃIↃCLXXIV. ad finem tendentis: cujus exodium novique exordium longe feliciſſimum apprecor.

EPI-

EPISTOLA CXCII.

NIC. HEINSIUS

Chr. Daumio.

Cygnam.

EST sane, cur optimi *Langermanni* officiis plurimum me debere haud ingratus agnoscam, Daumi Clarissime, qui in litteris nostris ultro citroque curandis, sedulitatem suam ac fidem argumento non uno nobis approbatam nuper voluit. Ultimas certe meas diligentem in modum ejus opera perlatas ad te fuisse ex iis datur colligi, quas noster *Graevius*, vir omni candore, omnique morum ac liberalioris disciplinae elegantia uberrime instructus, non ita nuper, dum rus contendens utor ejus solenni hospitio, mihi abs te traditas voluit, una cum *Rivini* libellis nonnullis, apud nos haudquaquam visis hactenus, eamque ob causam longe acceptissimis. De altero fasciculo Hamburgum meos in usus ad *Lambecii* fratrem abs te misso quod ad eundem perscribebas *Graevium*, errorem esse nunc demum doceor per *Langermanni* litteras, qui monet nec *Lambecio* fratrem esse, aut Hamburgi aut alibi locorum, & sibi esse concreditum fasciculum, quem a *Lambecii* fratre nequicquam exspectassem. Ceterum defuisse hactenus occasionem, qua tuto ad me perferri possit. Nam priorem fasciculum, qui nonnulla e scriptis tuis, praesertim poëticis complectebatur, diu est, quod sum consecutus. Toto jam triennio ut a curis ac occupationibus abstineam, per contumaciam fit valetudinis, ejus potissimum impulsu cum studiis tot annos intermissis rediturus in gratiam, nisi consilii hujus ac propositi expertem me vellent cum tricae forenses super paterna haereditate, quibus diuturnis pridem teneor implicitus, tum publica temporum & patriae bellis atrocissimis objectae calamitas. E Germania redux ante hoc biennium ad paternum larem, libros complures mecum advexi, quos in Ubiis potissimum collegeram, dum bibliopolarum tabernas sagacius indago excutioque. Hos cum ruri nuperius essem, quo deferendos cum reliqua curavi bibliotheca jampridem, non licuit pervestigare, ut Alcimum Avitum Sirmondi promissum tibi seponerem, oppressus a morbo tum, qui ne nunc quidem satis remittit. Opinabar & Theodulfum ejusdem *Sirmondi* in Ubiorum colonia quoque a me repertum, verum inspecto catalogo, non Theodulfum, sed Eugenium ibi a me comparatum fuisse invitus agnosco. Quem si tuis usibus non inutilem arbitraris, seponam libentissimus, ante decursum Martii mensis omnem in villam, ut opinor, rediturus, nec quicquam diligentiae desiderari in me patiar, ut & Theodulphum consequaris: praesertim si pax sera nos hoc anno respexerit, facillimum erit *Emerici Bigotii* summo studio abs te desiderati exemlar consequi. Nam quod a me postidetur, cum *Sirmondi* ipsius munus sit, manu ejus, fronti voluminis adscripta, id testante, aegre fateor a me demittam: nisi quod tuae in spem gratiae, vir humanissime, nihil non velim debeamque effectum dare. Cogita interim etiam atque etiam ac perpende tecum, si quid

praeterea libellorum conquisitum velis, quod una cum Avito ad te veniat, qui vix meretur, ut solus atque incomitatus itineri semet accingat: & ego tuam munificentiam si non assequi & aequare, aemulari certe percupiam, si meae res sit facultatis. E scriptis Senftlebianis Aleam veterem, Argo, & nuces Saturnalitias memini possidere in bibliotheca mea nuper inventas. De Rivinianis quae desunt mihi, agam proxime, ut & de Weitzianis; Neque enim satis respondet memoria, ut de iis quicquam adfirmem, nisi consulta prius inspectaque bibliotheca. Opera eadem Theodulphum *Sirmondi* adibo super versu illo, *Exul, inops, pauper, tristissimus, anxius, agens.* Contextu Valerii Flacci & Maronis jam ante hoc triennium typis descripto, annotatis meis typographus manum admovere cessat hactenus, dum praestolatur tempora magis pacata: quae adsint utinam, & nos adflictos solentur propediem! Ego Poëtarum Christianorum corpus post curas *Georgii Fabricii* tuis beneficiis acceptum referri ab orbe litterato vehementer velim. Vale, Vir eximie, meque inter tuos numerare, qui te colendo concedo nemini, perge, quaeso, in posterum. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXV. XIV. Martii.

EPISTOLA XCIII.

CHRIST. DAUMIUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

QUas cum fasciculo, in quibus & *Gebhardi* literae, ad *Lucam Langermannum* superiore Decembri misi, an acceperis, vir Nobilissime dubius adhuc feror. Nunc nactus ex insperato hominem, qui in Belgium ad vos se iturum professus est, illi breves has, & ob serius indicatum ejus discessum satis festinatas commisi, ut hac oportunitate explorarem, quid meis interea esset factum. Afferebatur superiore anno de adversa valetudine tua tristis nuncius. Ea si (quod voveo!) mutavit, & si vales, bene est; Deumque oro ac veneror, ut vitam tibi proroget & diuturnam & vegetam. Per exhibitorem harum speramus citius responsum nos nacturos; se recte enim curaturum commensali suo hactenus Lipsiae, amicissimo meo, certa fide spopondit. De Val. Flacci, Virgiliique ac Silii editionibus quae spes tandem, item de Avito ac Theodulpho *Sirmondi*, certior fieri admodum desidero. Lipsienses promittunt post nundinas Editionem Paullini Petrocorii de vita Martini, cum Paullini Pellaei, Ausonii Nepotis, Eucharistico, a *Jureto* & *Barthio* Animadversionibus illustratorum. Qui si pactis steterint, exempla vobis servabuntur. B. V. Magni nobis aestimate vir, & diutissime vive. Dabam Cygneae die XVIII. Martio Anno CIↃIↃCLXXV.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XCIV.

NIC. HEINSIUS

Clr. Daumio.

Cygnaeam.

MArtio Menſe nuperius decurſo, vir clariſſime, reſcripſi ad tuas perquam jucundas, quas beneficio noſtri *Graevii* eram conſecutus, faſciculumque *Lucae Langermanno* ad te curandum commiſi, tum hominem ſimul obſecravi amiciſſimum, ut quas a te mihi tradendas erat nactus, quamprimum mitteret, id quod factum hactenus ab illo non eſſe miror & doleo. Interim proximis diebus, dum Leidam forte excurro, alterae abs te una cum Geronticis Barthianis ſunt traditae praeter exſpectationem omnem. Praeterea is, qui tradebat, cum offerret operam ſuam in curandis, ſi quae ad te perlata vellem, arripiendam duxi occaſionem opportunam, ac confeſtim Avitum Alcimum *Sirmondi*, quem munus a me acciperes, paravi. Nam de Theodulfo jam pridem ſignificabam, non illum, ut putaram primo, ſed ejuſdem Sirmondi Dracontium a me redemtum in Ubiis pridem fuiſſe. Nec deſpero tamen fore, ut Theodulfo aut Lutetia, aut aliunde nanciſcar brevi, praeſertim ſi pax alma nos tempeſtive reſpexerit, quod faxit deus. Id enim niſi ſit, & quidem quamprimum, ſtudia bonarum artium jacere apud nos pergent. Amici tui hîc terrarum ad unum omnes recte omnino valent. *Jacobus Gronovius* obſervata nonnulla ad Dionem Coccejanum, Arrianum de Expeditione Alexandri Magni, & Tactica Aeneae proxime in publicum dedit. *Gysbertus Cuperus*, conſul Daventrienſis, quem ex Obſervationum libellis tribus luce pridem donatis potes noviſſe, totidem alios praelo paratos habet, cum aliis ſcriptis rem antiquariam egregie illuſtrantibus. *Abrahamus Berkelius*, praeter Stephani Byzantini fragmenta recens inventa, Antonini quoque Liberalis Metamorphoſes cum annotatis ſuis emiſit pridem. Eundem Antoninum, curis aliquanto uberioribus illuſtratum, *Thomas Munckerus* ſub praelo nunc habet. *Graevius* noſter Meurſianis trium inſularum antiquitatibus edendis nondum eſt defunctus. Me occupationes privatae, eoque permoleſtae, quod circa tricas verſentur forenſes, a Muſis divellunt hactenus nolentem. Prodierunt & annotata *Samuelis Tennulii* in ſtrategemata Frontini. *Theodorus Ryckius* Servio ſe manus admoturum pollicetur. Vale, vir praeſtantiſſime, & ſi quid ſtudiis tuis videbor conferre poſſe aut ornamenti, aut utilitatis, manda confidenter, quod voles. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXV. XXI. Maii. Gregor.

EPI-

EPISTOLA CXCVI.

CHRIST. DAUMIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

QUas XXI. Maii Gregor. hujus anni ad me dederas, vir Nobiliſſime, XVI. Junii Greg. recte Lipſia ad me fuerunt perlatae; ſed abſque *Sirmondi* Avito, quem neſcio retinueriſne tutemet tecum adhuc, an Amicus ille, qui literas ad me curavit. Exſpecto igitur, anxio cum deſiderio, munus tam rarum, tam praeclarum, tam optatum: pro quo quas agam habeamque gratias vix ſatis reperio. Non autem perlatae fuerunt hactenus illae tuae, quas menſe Martio cum faſciculo ad *Lucam Langermannum* dediſſe vis, quas quemque non minus avide deſidero, ac Avitum, Theodulphi Aurelianenſis Opuſcula a *Sirmondo* 1646. edita (non enim *Rivini* Editio omnia complectitur) ſi conciliare vel meo aere poteris: gratiſſimum erit. Unde enim alioqui conſequar, non novi. Dracontium *Sirmondi* a *Barthio* olim nactus ſum, ex cujus exempli notis ad oram adjectis *Rivinus* male excerpſerat, quae ſuae editioni inepte inſeruit, ut ad *Reineſium* ſcribere & loca indicare me memini. Caeterum quia a *Graevio* literas accepiſti, dabo itidem operam, ut per eum, ſi quid faſciculorum, deo dante, deinde mittam, curari queat. Epiſtolas Plinii *Thomaſius* edidit, mihique inſcripſit, quod Barthianorum Codicum trium uſuram ei conceſſiſſem. Nunc in Epiſtolis Politiani edendis allaborat, quas una auxi. *Reineſii* Epiſtolarum ad me daturum, a *Boſio* editarum, exemplum, ſi deſideras, mittam quod mihi ſupereſt, ſi per novitium id Amicum, quo nunc utimur, commode fieri poteſt: Sin; *Graevii* fratri commendabo, ut ne deſit mihi gratificaturo vobis, rogato. Meum cum Columbano Catonem nuperrimum neſcio an acceperis. Sunt & ejuſdem *Reineſii* tum ad *Neſteros*, tum ad *Vorſtium* editae epiſtolae. Si quid harum aut aliorum librorum poſces, indica ſaltem, faxo, niſi inimpetrabile ſit, a me habeas. Ego ubique quaero Architrenium Hantevillenſis ab *Aſcenſio* editum, & Hericum de vita S. Germani. Sed fruſtra. Etſi enim hunc a *Barthio*, qui ex Meurſiano Codice deſcripſerat, adeptus fuerim, mallem tamen excuſum tractare, quod ille in transſcribendo ſua aliquando, ſtudione an properationis incuria neſcio, inmiſerit. *Weitzii* Cyprianus nondum praelo ſubjectus eſt ob domeſticas nonnullas difficultates, & Typographi lentam operam, qui & Victorem Maſſilienſem ultra votum meum diutius premit. Nec Lipſienſes Paulinum Petricorium ereptum in manus hucuſque reſumpſerunt, culpa puto ſumptuarii, qui chartae ſatis ex voto Typographi ſuppeditare negat: unde editio differtur. *Gronovii* illa obſervata nondum vidi. Ubi is agit jam? Non pauca de eo mihi per litteras retulit jucunda *Konigius* Profeſſ. Altorffinus, cum quo in Bibliotheca ibi publica ſermonem miſcuerat. *Gisbertus Cuperus* auditus, non viſus eſt mihi. Neque *Tenulii* Frontinus ad nos pervenit. Fragmentum Stephani Byzantii & Liberalis Metamorphoſin

ſum

ſum nactus. Antoninum *Gatakeri* ſaltem poſſideo: *Caſauboni Boſius* uſui olim meo conceſſerat. His diebus in Ciceronis Philippica IX. ſub finem fere, pro eo, quod in omnibus, quot vidi, editis legitur: *Ut igitur, ſi ipſum conſulem, quid velit, ſic pedeſtrem ex aere ſtatuam, tanquam ex ejus auctoritate & voluntate decerno* &c. auſus fui emendare: *Huic igitur, ſi ipſum conſulam, decerno.* te, vir ingenio, doctrina & acumine ſingulariſſime, cum *Graevio* arbitrum, an bene ſucceſſerit, capio cupioque: qui, dum Meurſianis inſudat, Ciceronem forte ad tempus ſepoſuit. Vale, & vive diutiſſime. Cygneae CIↃIↃCLXXV. XVIII. Junii Gregor. Literis meis ſuperioribus Kal. Sept. Jul. datis & ad *Graevium* miſſis addideram nonnulla *Rivini* opuſcula. Die vero 28. Decemb. Jul. per *Lucam Langermannum* Senftlebii Aleam (nondum enim Nuces reperimus) cum *Gebhardi* ad te literis.

EPISTOLA CXCVII.

CHRIST. DAUMIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

Litteras tuas, Nobiliſſ. vir XXI. Maii datas, veluti interea reſcripſi, accepi, ſed nondum illas, quas menſe Martio cum faſciculo ad me datas miſiſti. In nuperioribus meis ex feſtinatione nimia erravi, vice Antonini Liberalis de Marci Antonini Editionibus verba faciens. Etiam Stephani Byzantini fragmentum a *Berckelio* proditum me habere fruſtra dixi. Eſt enim meum a *Tennulio* publicatum. Unum igitur idemque an diverſa, haereo. Mitto nunc ex inſperato aliunde eruta *Rivini* Chriſtianorum Poëtarum Opuſcula hactenus magnam partem inter ſegeſtria a Bibliopolis relata rejectaque. Proximis Lipſienſium nundinis a *Böhemo* noſtro Avitum acceptiſſimum tuum munus exſpecto. Utinam & Theodulphi Sirmondiani fieri me liceret compotem. Deſidero etiam Commodianum, Hippolytum Martyrem a *Marq. Gudio* vetere amico primum publicatum, & ex veteribus libris Hantvillenſis Architrenium, meo aere parandos, ſi parabiles ſint. Res domeſticae meae hoc anno, ſi unquam, ſatis afflictae me a Muſis plurimum abſtinuerunt. Spero impoſterum, deo dante, meliora. A *Graevio* me nullas prorſus accipere maxime mirum eſt. Juniorem *Gronovium*, vel Patris ϛ μαναξίτυ cauſa ſalute a me mactari (niſi grave eſt) velim. *Weitzii*, *Senftlebii* & alia talia adhuc inquiro, at nondum tamen reperi. Ubi adeptus fuero, & horum faxo ut fias compos. *Philippus Labbeus* Soc. J. Pariſiis an adhuc vivat, & num Gloſſaria Graecol. vetera ab eo auctiora, ut Catalogi quidem nundinales promiſerunt, prodierint, ſi forte per te reſcire potero, id oppido gratum mihi fuerit. Pollicitus is plura eſt in Bibliotheca nova MSStorum, praeſertim Hiſtorica & Poëtica, utinam ſtetiſſet promiſſis! Quid Valerius Flaccus agit? quando noſtro conſpectui tamdiu deſideratus hoſpes ſe ſiſtet? Pluribus te in mage ſeriis occupatiſſimum, vir Nobiliſſ. non onero. B. V. & ſalve diu diuque. datae Cygneae a. d. XXV. Auguſt. ſt. Jul. CIↃIↃCLXXV.

Digitized by Google

EPISTOLA CXCVIII.

CHRIST. DAUMIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

AVitum Sirmondi cum adjuncta Elegia, mihi lecta, uti & priores, jucundiſſima recte per *Bohemum* noſtrum accepi tandem. Pro quibus denuo gratias ago habeoque. Aviti Homiliam de Feſto Rogationum, & Epiſtolas Lugduni excudiſſe *Vincentium Portonarum* Anno 1536. chartis 12. cum *Simlerus* in Bibliotheca Geſneriana a ſe aucta memorat, miror, cur *Sirmondus* id tacuerit. *Langermannum* proxime per literas denuo conveniam de ad ipſum abs te miſſis literis, & meis itidem cum faſciculo quid factum fuerit, exploraturus. Caetera, quae in literis cum faſce libellorum Rivinianorum ſuperiore hebdomade ad *Bohemum* noſtrum miſſis memoravi, nunc repetere parco. Hoc addo ſolum. *Rivinum* ſibi in corrigendis iis Poëtis multum indulſiſſe, ut vel ex Corippo initio libri 2. liquet, de Eugenio ne quid dicam. Unde *Reineſii* ſtrigilim non immerito expertus eſt. Niſi grave eſt, rogo, ut vel tribus ſignifices, an recte meae hactenus traditae, & ſi quid porro deſideres, mea opera ſimul utaris. Pluribus moleſtus aut importunus eſſe deſino. B. V. Vir aeternum colende. Dab. Cygn. Kal. Sept. Stylo Jul. CIↃIↃCLXXV.

EPISTOLA CXCIX.

NIC. HEINSIUS

Chr. Daumio.

Cygneam.

BInis tuarum reſponſum a me deberi, jampridem invitus agnoſco, *Daumi* praeſtantiſſime, quarum alterae Decembri menſe anni proxime decurſi, ſunt exaratae, Junio ſubſequenti alterae, nec diſtuliſſem partes debitae ſcriptionis, niſi quod rogato jampridem a me per epiſtolam in Galliis amico, ut Theodulphum *Sirmondi*, quem videre flagitas, conquirat, nil reſcripti ferrem hactenus. Certus tamen ſum, non defuturum illum meis precibus in re tantilla, ſi liber inveniri utcumque poſſit. Interim Alcini copiam ſibi jam factam eſſe augurari licet, niſi fruſtratur nos illorum diligentia, qui ejus ad te curandi provinciam jam dudum ſuſceperunt, quique litteris libello additis ad te curandis ſpem noſtram non fefellerunt. Illud vero permoleſte fero de litteris meis, quas *Langermannus* debuerat curaſſe, eas ad te perlatas non fuiſſe. Architrenium & vitam S. Germani conquiram diligenter, ſi auctiones, quae per vicinas urbes, & in hac aula frequentes admodum, & tantum non quotidianae ſub autumnum habentur, tale quid ſe nobis offerant. Epiſtolas a *Reineſio* ad te exaratas, cum ante hoc triennium eſſem Francofurti, ſum nactus. Epiſtolas

ſtolas Plinii a *Thomaſio* editas hîc terrarum hactenus non vidimus. Committebam olim in Etruria vulgatas ſcriptoris hujus editiones, cum vetuſtiſſimo codice Medicaeae bibliothecae, cujus ope menda complura deterſi. Poſſideo & ipſe membranas ejuſdem ſcripti, ſed non valde antiquas; miror interim bibliopolas noſtros, qui volumen illud cum notis omnium, quotquot hactenus prodierunt, interpretum ſe dare falſo jactitant, *Claudii Minois* animadverſiones, & copioſas & ſcriptorum codicum praeſidio haud contemnendo ſubnixas, omiſiſſe. *Politiani* nonnulla inedita adhuc deliteſcunt inter Italos. Certe oden longe pulcherrimam, quae in Poëmatis ejus non exſtat, Horatio *Chriſtofori Landini* videas praefixam. *Jacobus Gronovius* Italicis jampridem valere juſſis, Daventriae in patria ſedes ſuas fixit. de valetudine mea, ut diu adfecta, ſic in pejus quotannis vergere, non falſi apud vos rumores ſparguntur. Quo magis ſum aſſiduus in re privata componenda reliquum vitae ſtudiis daturus, quod propoſitum ut conſtantius teneri a me poſſit, ſeceſſum in agro Trajectino circumſpexi jam mihi, in quo hibernam, ut ſpero, tempeſtatem ſum exacturus. Pro *Senftlebii* de alea libello, gratias hîc egi optimo *Gebhardo*. Nuces Saturnalitias, Argo, & Alani parabolas ab eodem editas *Senftlebio* jam aliunde ſum nactus. Meurſianae trium inſularum antiquitates, & Plinii Panegyricus cum notis *Dominici Baudii*, Graeviano beneficio lucem jam vident. Nunc Cicero ejuſdem praelum Typographicum eſt ſubiturus. Conjecturam in Philippicis Ciceronis tuam uterque approbamus. Antonini Metamorphoſes cum novis *Thomae Munckeri* animadverſionibus, & *Gisberti Cuperi* commentarius in ſigillum Harpocratis propediem juris publici fient. Idem de Stephano Byzantio *Berckelii* ſub Kalendas Januarias erit ſperandum. Pro *Rivini* opuſculis ad *Graevium* miſſis, quae dudum nactus ſum, gratiis agendis non defui. xx. Septemb. Gregor. CIↃIↃCLXXV. Hagae Comit.

EPISTOLA CC.

NIC. HEINSIUS

Chr. Daumio.

Cygneam.

SEptembri menſe, quas ad te ſimul ac praeſtantiſſimum *Gebhardum* dabam, vir Clariſſime, eas recte tibi cumtas fuiſſe licet augurari. quando exploratam jam argumento non uno habemus fidem ac diligentiam illius, qui eas in ſe receperat. De Alcimo Avito praeſertim ad te perlato gratulor immane quantum mihi. cum ita te de me meritum eſſe agnoſcam, ut tuis commodis nihil antiquius eſſe mihi debeat. Hoc igitur munuſculum, quod numeroſa profuſaque liberalitate remuneratum voluiſti, miſſis ad me *Rivini* compluribus opuſculis, ut jam nihil e ſcriptis hominis ſane eruditi videar deſiderare, multo equidem rubore me ſuffuſum ſentio; quando nihil invenio meis hactenus in ſcriniis, quod tua hac munificentia penſetur. Lutetiam ad *Emericum Bigo-*

tium, virum perquam officiosum, & mihi in paucis conjunctum, litteras jam pridem dedi, per quas est rogatus serium in modum, ut Theodulphum *Sirmondi* nobis conquirat, nec detrectavit ille demandatam spartam: sed distulit nonnihil, dum ex agro Rhotomagensi, quo rusticatum pridem concessit, sub Kalendas Decembres redux in urbem, officio hoc defungi commodum possit. Proxime daturus ad illum litteras de Architrenio & vita S. Germani monebo, ut si fortassis incidat in utrumque, aut alterutrum horum, eos assertum nobis eat. Stephani Byzantini fragmentum Berckelianis illustratum notis nunc ad te mitterem, nisi ipsum *Berckelii* Stephanum cis paucos menses proditurum scirem, cui annotata illa in fragmentum auctiora accedent. Hebraeus apud nos, cui *Pinedo* nomen, eundem Stephanum suis illustratum commentariis praelo typographico commisit. Antoninus Liberalis *Munckeri* & *Gisberti Cuperi* dissertatio de sigillo veteri Harpocratis publice hic prostant: nec non Meursianus de trium insularum antiquitatibus commentarius. Commodianum *Rigaltii*, & Hippolytum Martyrem *Gudii* frustra quaesivi in officinis librariorum. in auctionibus si occurrant quandoque venales, eorum ut fias compos, opera a me dabitur. Alterum horum bibliopolae Parisini Cypriani operibus proxime editis addiderunt. Hippolytum castigatiorem, ut prae se fert, *Combefisius* in auctuario, sive supplemento bibliothecae patrum. *Philippus Labbeus* in vivis esse desiit jam pridem. Glossaria antiqua, quae multos jam annos sub praelo Lutetiae nescio quas ob causas haerere pergunt, non ille collegit, sed *Carolus Labbeus*, ad quem *Scaligeri* complures exstant epistolae. Hunc quoque librum, etsi nondum juris publici factum, a *Bigotio* sperare sum jussus. Ajunt apud vos Phaedrum jam pridem prodiisse notis *Augusti Buchneri* illustratum, quem videre mihi numquam contigit, cum unice Phaedrum ipsum habeam in deliciis. Nec dubito quin id genus libelli sat multi, per Saxoniam vestram typis descripti sint, qui conspectu nostro fraudantur hactenus. Plinii epistolas a *Thomasio* luci datas jam sum nactus, ut & Nepotem Cornelium *Bosianae* editionis nuperae. Quid factum sit illis litteris, quas ad te curandas *Langermanno* commiseram anno proxime decurso, haud scire possum, cum propter haec bella rarius ad illum scribam. Certe litteras ipsas & accepit ille, uti testatus est mihi, & curae eas sibi fore est pollicitus. De *Graevii* quereris silentio, & ille jam officii sui per me admonitus: ut dubitare vix possis fore, ut in posterum is sese tibi praestet diligentiorem. Redemit *Elzevirius* ab haeredibus *Vossii* ϑ μακαρίτου complura viri summi opera hactenus inedita, aut certe auctiora, in quibus libros ejus de vitiis sermonis. Vale, vir clarissime, & mihi, ut facis, perge studere. Hagae Comitum Prid. Kalend. Novembrib. CIↃIↃCLXXV.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCI.

CHRIST. DAUMIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

BInas tuas, Nobiliſſ. Heinſi, priores xx. Sept. poſteriores xxviii. Octob. Stili Gregor. datas xxx. Novemb. ſt. Jul. junctim accepi. Quibus quo minus ſtatim reſponderem, tum occupationes incredibiles, tum narrationes de inundatione Belgica horrendae cauſatae fuerunt. Gaviſus ſum ſane iis lectis Riviniana feliciter ad te perveniſſe, atque utinam & alia ſic poſſint curari. Reperi enim in meis Bernardi Geyſtenſis mei exemplum, ut & Homilias veterum in Nativ. Chriſti, & Catonis ante quadriennium reviſi unum, Barthii item Claudian. Mamertum, cum *P. Aretini* Colloquio muliebri ab eodem interpretato, *Rivini* Hildeberti Cenom. Homilias. Quos libellos, ſi nondum poſſides, vel etſi poſſides, modo tanti ſint ut poſcas, prima quaque occaſione ut tuis accedant, donec alia indagavero, dabo operam. Theodulfo, qui non ita pridem in Amſtelaedamenſium pergulis librariis adhuc exſtitit, ſi eximio *Emerico Bigotio*, Pariſiis, ubi editus, venanti propitia Delia faverit, beabor ut qui maxime, & tibi, viroque illi eruditiſſimo, quas non agam gratias? Epiſtola tua menſe Martio ad *Langermannum* miſſa, ad quem tamen interim meas dedi, neſcio an perlatas, nondum appulit. Inter libros, quos anxie quaero, eſt & Gulielmus Apulienſis, Rhotomagi, niſi fallor, ante hoc ſeculum fere editus, deinde a *Duchesnio* inter Hiſtoricos Franciae relatus. Quo ipſo opere, grandioris procul dubio pretii, potiri mihi nondum licuit. Nec *Claudii Minois* in Plinium annotata cognita nobis fuere. Ut *Landini* Horatii, Odae illius a Politiano praefixae cauſa, compos fiam, allaborabo, qui nuperrime ab amico Virgilium *Pierii* Pariſiis editum demum obtinui. Illius Etruſca Poëmata hic terrarum vix ſperanda erunt. Editus eſt Venetiis 1546. liber hoc Titulo: *Rime diverſe de molti eccellentiſſ. autori, nonovamente racolte. Ejuſque altera* pars ſequenti anno. Inſunt *Bembi*, *Sannazarii*, *Naugerii*, *Molſae*, *Arioſti* Carmina. Sperabam in illis & *Politianum* reperturum. Sed falſus animi fui. Caeterum tuas ad *Gebhardum* Uratiſlaviam ea ipſa hebdomade, qua accepi, curandas Lipſiam miſi. Quod & factum eſſe reſcripſerunt amici. Exſpecto ergo proximis Nundinis reſponſum. *Philippum Labbeum* pro *Carolo* quod poſui, fefellerunt me Catalogorum nundinalium inepti conſarcinatores, ratum *Caroli* operam illam *Philippum* reſumpſiſſe. Doleo ſane, cum e vivis tam cito ſublatum, a quo tam multa praeclara ac rara opera e MSStis promittebantur. Phaedrum a *Buchnero* unquam editum non memini, nec quid monuerunt ipſo vivo mei diſcipuli, quos a me ſibi commendatos in fidem receperat: nec poſt obitum gener ejus *Otho Praetorius*, qui epiſtolas ejus, Poëmata aliaque editurus erat, ſi ſuperfuiſſet diutius. Nunc horum omnium neſcio an ulla ſpes. Orationes Panegyricae nonnullae prodierunt junctim. Corn. Nepotem ejus Hamburgenſes nobis dederunt. Libri, quos

memoraſti, utinam & ad nos transvolent, & qui praela morantur adhuc, quamprimum in lucem prodeant, voveo unice. *Cuperi* Obſervationes etiam *Königius* Profeſſor & Bibliothecarius Altdorfius valde mihi commendabat, quas necdum conſpexi. Apud nos Corippus *Rittershuſii* Altdorffii editus habetur. Epiſtolae *Reineſii* ad *Joh. Vorſtium* Coloniae March. excuſae, quibus offendit nonnihil noſtrates Theologos, nunc rarius viſuntur. An ad te pervenerint, uti & quas ad *Neſteros* ſcripſit, ſcire velim. Edidit idem *Vorſtius* Sulpicium Severum, Corn. Nepotem, Juſtinum, Val. Maximum & alia, quae ad me mittere voluit, ut diſcipulis meis commendata divenderem. Sed cum Bibliopolam non agam, & ſalubrius in ipſis librariorum tabernis nonnunquam emantur, renui officium, quod fruſtra ſumſiſſem. Quod ſi horum quid arridebit, vel tribus indica. *Vlitii* curas in Venaticos Poëtas ſecundas, & illuſtris tui parentis, ὃ μακαρίτου, Theonem nunquam adipiſci potui. Eſſent multa alia, ſed te tantum virum hiſce ut onerem, religioni duco. Ex Poëtis, quos *Julius Scaliger* cenſet, fruſtra aliunde eruere ſtudui *Pauli Cerrati* de Virginitate Carmen. Item quos *Raviſius Textor* laudat *Cantalycium*, *Pacificum*, *Quintiliani Stoae* Cleopolim, *Remaclum*, *Mich. Anglium*, *Valerandum Varanium* &c. Sunt ſane rariſſimi. *Matthaei Vindocinenſis* Tobiam edidit Oporinus 1563. quod poëma in Rutgerſiana Bibliotheca exſtitit, teſte catalogo pag. 92. ſed neque hanc editionem indipiſci potui. Non ita pridem quaſi primus evulgavit *Heringius*, qui de Molendinis ſcripſit. Olim Lugdunenſes Anno 1505. edidere longe auctius, quam *Heringius*. *Barthii* membranae, quae *C. Gevartii* fuere, nunc mecum ſunt, ſed vix dimidiae. Val. Flaccum ecquando tandem videbimus? quando Maronem? Quando aſſertionem Fragmenti Petroniani, de quo nonnihil τοῦ θεῷ proximis. Nunc enim publicis privatiſque negotiis defeſſus ſum, & interturbor dum haec exaro non ſemel. B. Vale & vive diutiſſime, Nobiliſſ. vir, ac mihi cupere perge. Dab. Cygn. d. xv. Decemb. ſt. Jul. A. CIↃIↃCLXXV. Deprehendi tandem Auctorem Etioſtichi illius de Natali *Bapt. Mantuani*, quod πολυμαθέστατος *Reineſius* pag. 51. Epiſt. ad me in Epitaphio lapide Mantuae inciſum pertendebat. Ego vero tum contra recentioris, genio Diſtichi & aliis rationibus ductus, eſſe ſuſpicabar. pag. 16. 51. 59. Is eſt *Bernhardus Sturmius* al. *Valterius Patſchovinus*, apud quem Centuria 5. num. 73. Etioſtichorum Gorticii Anno 1568. in 8. editorum, legitur. Opuſcula illa Mantuani, quae Mantuae 1516. excuſa, & in *D. Calixti* Bibliotheca olim exſtiterunt, ſupra modum videre aveo. Verum unde nanciſcar?

EPISTOLA CCII.

CHRIST. DAUMIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

POST nuperas ad te, vir Nobiliſſ. datas, & jam, ut ſpero, exhibitas, donatus ſum a Profeſſore Lipſienſi *Lic. Oleario*, praeſenti Orationum Herodotea-

tarum libello, quem, cum nihil novi aliud nunc ſuppeditaret, mittere placuit alia, quae mihi offerri videbatur, via. Etſi enim in juventutis tantum gratiam is concinnatus eſt: tamen vel aſpexiſſe ſaltem juvabit, & conſtabit nonnihil inde, quid a noſtratibus publicetur. Eſt auctor alioqui vir humanus, eruditus & diligens, ſperamus (ſi vita nobis a deo ter Opt. nobis concedetur prolixior) plura ac potiora. Deſtitutus ego uno & altero jam menſe Collega, qui ſuperintendentis munus homo ambitioſiſſimus ambiit & exambiit, laboribus ejus in me unum devolutis, ad plura ſcribenda raros dies habeo vacuos. Nec nunc ſatis otii eſt. Non poſſum tamen non adjicere, quod incidit, me quum ex *Graevio* noſtro perceperim te Fragmentum Tragurienſe pro genuino Petronii aſſerere, valde optare, ut aſſertiones eae publicae legantur. Apud Joh. Salisber. lectorem Petronii ſtudioſiſſimum, Epiſt. 196. haec legimus: *Utinam ſubmergatur in thermis, quibus dignus eſt, quas meruit, ut conjiciatur in rutae folium, cujus pertonus in poenam delinquentium meminit.* Annon *Petronius* hîc reponendum, cum hoc proverbium *in rutae folium conjicere*, in eo ipſo fragmento occurrat? Idem Salisb. l. 3. Policrat. cap. 13. *Pica ſiquidem pulvinaris efficaciſſima eſt, & ut dici ſolet, cornix nocturna.* At ἄπαξ illa *pica pulvinaris* in eodem Fragmento jacet. *Theſaurum* genere Neutro dicit. At ſic apud Plautum olim legebatur in Aululari obſervante *Barthio*, Adv. pag. 1431. Et ſic clare viſitur in meis Membranis, quas ab eo poſſideo. Quin & 3. Trin. 3. verſ. 35. ſi diſtinctio omittatur, eadem vox apparebit. *hoc ubi Theſaurum effuderis.* Conſideretur modo is locus. Sane & auctor Queroli, prout ſcripti codices referunt, teſte *Rittershuſio* pag. 95. ad eum, & *Grutero* pag. 113. non temere uſurpavit. Sic poſtea Beda in vita Cudberti cap. x. verſ. 19. Angelomus Lexov. praefat. Comment. in libros Regum, & Alcuinus. Laudat & hos *Barthius* pag. 2151. & 2723. Haec neſcio an novitii ſuppoſitoris eſſe queant, praeſertim cum multa alia id diſſuadeant. *Statilium* ajunt contra *Wagenſeilium* ſcripſiſſe pro Fragmento Traguriano. Cujus ſcriptum utinam in meam poteſtatem veniat. Sed avocor. Tu vir Nobiliſſ. haec incomptius deproperanti ignoſce; & an probentur tibi, vel tribus aperire dignare. B. V. Dab. Cygneae d. xx. Dio. A. CIↃIↃCLXXV. ſt. Jul.

EPISTOLA CCIII.

NIC. HEINSIUS

Chr. Daumio.

Cygneam.

VOluptate mehercules ingenti perfundebar ante paucos dies, facta mihi copia epiſtolae tuae Decembri menſe pridem decurſo exaratae, per quam ſum edoctus, binas meas recte tibi redditas fuiſſe, *Daumi* clariſſime. Nam quamquam amiſſae in via utriuſque facilis omnino jactura fuerit habenda, malo tamen officii mei diligentem atque illibatam conſtantiam tibi liquido apparere. Ad *Langermannum* diu eſt, quod litterarum nihil dedi, revocantibus nos a commer-

mercio utrimque litterario bellis funeſtiſſimis, per quae neceſſitudinum, etiam antiquiſſimarum vincula labefactari videas ac convelli. Ita fit, ut ignorem prorſus, quid nam iis factum ſit litteris, quas ejus fidei ad te curandas proxime commmiſi. Cum revertar ad officium litterarum, rem totam curatius apud illum explorabo, ſi valet tamen, ac ſuperſtes eſt. Totus enim adhuc in luctu, amiſſis nuper compluribus amicis, eo deveni calamitatis, ut nihil ominer niſi funeſtum. In Italia certe nuper amiſi *Octaviam Falconerium*, & *Carolum Datum*, viros mihi conjunctiſſimos, ne quid de Cardinali Etruſco *Leopoldo Medicaeo*, dicam, Principe artium bonarum longe amantiſſimo. Sed a funebribus hiſce ad laetiora tranſeamus. Ab *Emerico Bigotio* faſciculum librorum ſum juſſus exſpectare jam pridem, qui, ſi mihi Theodulphum *Sirmondi* feret, ut auguror, libellum ſine procraſtinatione eadem, qua Avitus ad te pervenit via, niſi ſi quam tutiorem ultro indicabis, perferendum curabo. Jubet vir praeſtantiſſimus te plurimum ſalvere, ac rogat, ſi quandoque offeretur tibi venalis editio Lipſienſis Anni 1552. Orationum Gregorii Latinarum, ex interpretatione Rufini, eam ſibi vindicare ne graveris. Ut enim in lectione patrum praecipue Graecorum eſt aſſiduus, ita magno ſtudio conquirit, ſi quae verſiones horum antiquae, aut etiam recentes typis deſcriptae ſunt. Tum doceri cupit, quis *Langevoethus* ille, ex cujus verſione Lipſiae jam olim publicata, orationem Nazianzeni curaviſti denuo edendam. Hunc quoque libellum, ſi commodo tuo fieri poſſit, conqueri a te velit. Proxime ſcripturus ad illum rogabo, ut Gulielmum tuos in uſus viciſſim conquirat. Nec deerit ſuis partibus, ut eſt mire officioſus. Rerum Gallicarum ſcriptores a *Duchenio* publicati apud nos ſi quando venales occurrunt, quod raro quidem contingit, pretio diſtrahuntur inſano. Unde fit, ut in mea bibliotheca hactenus deſiderentur. Sed jam Regii Lutetiae Typographi in eo ſunt, ut novam horum editionem meditentur, & quidem luculentiorem. E libris, quos deſignas, Bernardum Geyſtenſem, tum & Cenomanenſem Hildebertum *Rivini* nondum videre contigit. Nec *Rittershuſii* Corippum aut *Reineſii* ad Vorſtium epiſtolas. Sed Francofurto fortaſſis haberi poſſent. Etruſcorum *Politiani* geminam poſſideo editionem, Aldinam alteram, alteram Mediolanenſem; cui *Julius Caeſar Scaliger* pulcherrimum manu ſua elegidion adſcripſit, arbitratus nihil in Etruſca poëſi hoc libello exſtare praeſtantius. Odae illius Latinae, quam *Landino* dedit *Politianus*, initium tale erat, quantum recordor; *Vates Threicio blandior Orpheo*. Latet ea alibi in ſcriniis meis. Quae cum excutientur, tui recordabor. Nam ipſum Landini Horatium non poſſideo. *Auguſti Buchneri* opera omnia in lucem proferri rei litterariae intererat omnino: fuit enim vir ille mire elegantis ingenii. Plinii epiſtolas animadverſionibus *Claudii Minois* illuſtratas, & Gratium *Vlitii* ad te mittam, ſimul dabitur per otium libellos e latebris armarii mei indagare. Theonem parentis mei etiam invenero haud difficulter, non enim rarus apud nos in auctionibus occurrit venalis. Utinam plures deſignares ex hiſce, qui a te deſiderantur potiſſimum. Hoc ut facias quam primum vehementer te rogo. Matthaei Vindocinenſis editionem Lugdunenſem opi-

Digitized by Google

opinor me poſſidere, Oporinianam non vidi: ſed in membranis deſcriptus non raro oblatus mihi eſt. Baptiſtae Mantuani opera in tomos quatuor diſtincta ex editione Antverpiana poſſideo. Typographi Pariſini opera Gregorii Magni & Leonis primi dederunt nuper e ſcriptis libris auctiora ac caſtigatiora, praelo commiſſuri propediem Ambroſium quoque & Auguſtinum, pari diligentia recognitos, ut & Caſſiodori opera. *Baluzius* capitularia Regum Gallorum ſub praelo habet duobus voll. in folio. Apud nos praela Typographica feriantur quodammodo propter bella. Francofurti ad Viadrum Anno 1602. edita eſt *Chriſtophori Pelargi* methodica explicatio actorum Apoſtolicorum. Accedit vita & peregrinatio D. Pauli ab Euthalio Diacono & Sophronio deſcripta. Hunc librum & *Bigotius* & ego vehementer deſideramus. Vale. Hagae Comitum IX. Mart. CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA CCIV.

CHRIST. DAUMIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

NON minore ego perfuſus fui laetitia, acceptis & lectis tuis literis, quae poſtridie Kal. April. ſt. Jul. cura Bohemi noſtri recte ad me pervenerunt. Ex iis autem intelligo te meas, 12. Dec. ſuperioris anni Styl. Jul. ſcriptas, cum *Oſiarii* Opuſculo Herodoteo tum nondum fuiſſe nactum; aut ſi poſt datas ad me tuas demum nactus es, libellum tamen non una. Quod minime placet. Id ex Dn. *Carpzovio* didici, qui in literis tuis ad ipſum exaratis, faſciculum meum non accepiſſe te ſignificaſſe affirmabat. Curatus eſt autem per *Graevii* fratrem, nec reſcivi ſatis hactenus, quid de illo factum ſit. Amicos tam praeſtantes te amiſiſſe, ipſe pariter doleo. Amiſi & ego, licet vilioris ſortis, amicum tamen utiliſſimum mihi, & libris raris conquirendis, etiam vili aere plane incomparabilis diligentiae *Joh. Sextum*, cui Catonem meum, quem cum Geiſtenſis, an Geiſſenſis, Palponiſta, duplo jam notis auctiore & emendatiore, ſed nondum excuſo, & *Reineſii* ad Vorſtium Epiſtolis nunc mitto, inſcripſi. Is ſi viveret adhuc, Clariſſimo *Bigotio* tuo forte gratificarer celerius. Inquiram tamen per alios, quantum potero. Eum praeſtantiſſimum virum, ut a me viciſſim quam officioſiſſime ſalvere jubeas, enixe rogo. Cato, tumultuario ſtudio congeſtus, non accurate habitus, ſi placet, & tanti eſt, poſſet illi mitti. Redhiberem contra aliud exemplum. Gyſtenſis nullum ſupereſt. Hildeberti haec compingens reperire non potui. Sequetur occaſione proxima. Gr. Nazianzeni ex Rufini tranſlatione habetur in publica ſive Senatoria hîc Bibliotheca, cui ego cuſtos ſum. Apologeticus, de Epiphaniis ſive Nat. Domini, de luminibus, quod eſt de ſecundis Epiphaniis, de fide liber, de Nicena fide, de Pentecoſte & Spiritu S. de ſemet ipſo ex agro reverſo, de dictis Hieremiae praeſente Imperatore, de reconciliatione & unitate Monachorum, de grandinis vaſtatione, de Arrianis quod non liceat ſemper & publice de deo contendere;

quae uno volumine Argentinae per Joan. Knoblouch. 1508. in 4to ediit *Joh. Adolph. Mallingius*, qui praecedente anno Abelmum Avitum primus evulgarat. Editionem Lipſ. Anni 1522. nondum conſpexi. *D. Georgius Langevoith* fuit tum temporis Paſtor Eccleſiae Chemnitenſis in Miſnia, quo publicavit Lipſiae, anno MDCLXXV. orationes duas Graece in Chriſti Natalem, unam Baſilii, alteram Gr. Nazianzeni, a ſe in Latinam Linguam verſas cum paucis additis notis. Promiſit plures, ſed vix praeſtitiſſe reor. Eum libellum ſemel tantum vidi. Euthalii Narrationes in Epiſtolas Pauli omnes (neſcio utrum Enarrationes, an Argumenta Epiſtolarum intelligenda) memorat, loco & anno tamen non addito, Catalogus auctionalis Rotheanus Amſterodami 1689. excuſus, quam noſter Bohemus ad me miſit, Num. 783. pag. 57. Qui niſi fallit, neceſſe eſt plura Euthalii exſtare, quam vitam illam D. Pauli, quae habetur in Oecumenii editione Graeca ſplendidiſſime Veronae in folio procurata Anno 1532. pag. 237. Neſcio an etiam in *Morelli* Oecumenii editione 1630. nec enim vidi. Argumenta ſane Epiſtolarum in Veronenſi edita exſtant, & forte ſunt ipſius Euthalii. Alioqui ille Euthalius de vita Pauli, adjectus eſt graecolatinus Georgii Majoris paris argumenti libello, Wittenb. 1559. in 8to. Et Francofurti ad Viadrum prodiit 1601. cum Sophronii additamento impenſis *Joh. Hartmanni*, forte auſpiciis *Chr. Pelargi*, qui & ſequenti anno ſuo in Acta Apoſtolica Commentario (quem conquiram quantum poteſt) adjecit. De Gul. Apulienſi forte fors favebit. *Politiani* illa Oda acceptiſſima mihi erit, ſi illa potiar, uti & Plinius *Minois*, & *Plinii* curae in Venaticos ſecundae, & Theo Nobiliſſ. Parentis tui. O beatum illum diem, qui me illis exhilarabit! Abdiam Babylonium nondum ſum adeptus. Perſuaſeram mihi exſtare in Bibliotheca P. Colonienſi, ſed jam fruſtra me fuiſſe ſenſi. Itaque & illo Chriſtiani neſcio cujus Poetae carmine nobis carendum eſt. Cujus ubi vel initium cognovero, acquieſcet animus interea, donec totum editione illa explorata adipiſcar. Antverpienſis, quo ad Pitulos, nam prius Francofurtenſis fuit, Mantuani illa Editio valde vitioſe excuſa eſt ex Aſcenſiana, non emendatis iis, quae ipſe Mantuanus mutaverat in Bononienſi, quae tamen non omnia complectitur. Reliqua Tomo I. III. & IV. aliis typis adjecta ex Mantuana illa Anni 1516. in 8to. (vel ex Belgicus Catalogus, cujus Fragmentum a Bohemo jam teneo, ante aliquot annos excuſus, praeſert, Lugdunenſi) deſumpta ſunt, quae neque in Francofurtenſi, nec ejus anteriore, bis enim ſunt mutatae primae & ultimae paginae, extabant. De caeteris Scriptoribus noviter editis, aut edendis jucunda oppido narratio fuit, & aveo plura talia cognoſcere, vicem relaturus, quibuſcunque modis potero. Mirum fatum eſt nonnullorum ſeriorum temporum ſcriptorum, qui dimidii exſtant, dimidii perierunt, niſi in Bibliographiis ſuperſtites ſint. Sic Corippi Juſtinus ſupereſt: Johanneis ejuſdem nondum lucem aſpexit, quam *Caſpolinus* olim habuit. Guntheri Ligurinus ſaepe excuſus circumfertur. Solimarius ejuſdem nondum publice prodiit. Josephi Devonii de bello Trojano libri 6. a *Dreſemio* cum Notis dati ſunt: Ejus Antiochais a *Cambdeno* verſibus inde productis laudata, nondum nobis viſa.

visa. Petri Rigae Aurora adest: Ejus de vita Crispini & Crispiniani carmina ignorat nostra aetas. Matthaei Vindocinensis Tobias exstat: Poetica ejus, vel, ut inscripsit, Poetria nondum prodiit. de Curia Romana *Flacius* publicavit, sed Poetria ejus, utut ab eodem edi promissa, adhuc tamen supprimitur. Gul. Britonis Philippeis adest: non ita Karoleis. Vitalis Gallici Querulus *Gruteri* ope lucem vidit: Ejus Amphitruo vel Geta, cujus initium: *Graecorum studia nimium nimiumque secutus* adhuc delitescit. Sed hi versificatores ultimi fere aevi sunt, de quibus *Bigotio* tuo (quem non nisi ex Ovidio & Prudentio tuo novi, & plura tamen de eo scire vellem) cura forte, prae sacris illis Patribus, vix ulla est. Henricum Samariensem, pauperem dictum, erui alicunde posse valde opto. Ejus Sermonem de S. Nemine habeo. Hi scriptores non boni licet aevi, aliquando tamen conducunt ad melius cognoscenda, ubi conferuntur, tempora. Horum multi a *Labbea* in Bibliotheca nova memorantur. Sed obitus ejus immaturus eos omnes intercepit. Nazianzeni Λεξίθεον Lipsiae cum sua versione edidit *Joh. Hornschuckius* Prof. olim Graecae Linguae Anno 1645. non parum a *Rivino* adjutus, quae nescio an vobis cognita sint & expetantur. Alia a *Langio*, *Pirckeimero* aliisque versa prolixitatem vitaturus, & aliis occupatus nunc silentio praetereo. B. Vale, vir φιλολογιωτατε, & si taedium multiloquentia haec mea forte parit, comiter ignosce. Dabam Cygn. XIX. April. st. Jul. Anno CIↃIↃCLXXVI. ὁι τάχιστα. Obsignaturus has commodum accipio Vratislavia literas *Gebhardi*, & Amplist. *Conradi*, cujus parens olim Prosopographiae Melicae tres Millenarios edidit: Filius autem continuat. Eas dum resignare festino pro Conradianis maximo festinationis impetu ad te pertinentes resigno. Ignosces huic meo infortunio. Video variantes Virgilii inesse Lectiones. Quas tamen, uti nec literas inspexi: festinat enim Tabellarius. Noli curiositati alicui meae id tribuere. Nisi moram ille satis alioqui traxisset, remisissem ipsi, ut describeret denuo. Sed spero veniam hanc mihi apud te paratam.

EPISTOLA CCV.

NIC. HEINSIUS

Chr. Daumio.

Cygnaeo.

Literas tuas Decembri mense exaratas, quibus orationes Herodoti eruditâ manu illustratae, munus accedebant, accepi quidem tempestive satis, sed rescribendi officium distuli, spe ab amico facta fore, ut Sirmondi Theodulfum hic terrarum daretur indagare tuos in usus, ne Cl. *Bigotii* opem frustra implorarem, quod is Rhotomago pedem hactenus non moveat, librum Lutetiae quaesiturus, uti erat pollicitus. Sed quando nihil nobis est praesidii in nostris bibliopolis, Lutetiae per amicum quemcumque curabimus librum devehendum, si *Bigotius* cunctari perget. Interim & aliae tuae Aprili mense exaratae supervenerunt, cum Reinesianis epistolis, ac Catone & Geystensi

tuis. Reinesianas epistolas, quod nondum videram, habui profecto longe acceptissimas, uti & Geystensem. Nam Catonem *Bigotio* servavus, ut voluisti cum aliis libellis, ejus in usus a me sepositis & Rhotomagum ituris propediem. Petronii nomen quod ivisti restitutum in Epistolis Sarisberiensis, subscribo conjecturae tuae omnino. Vidit enim ille ea Petronii, quae & hactenus sunt circumlata, & in Fragmento Traguriensi exhibentur, quod multis argumentis sit manifestum, plura non vidit. Multa veteres, & in eodem Petronius fragmento extulerunt masculina, quae in usu esse desierunt postea, & nonnisi neutro nunc utuntur genere. *Fatus, coelus, lorus, iurus, candelaber* & complura talia, in quibus multus est Trimalchio, ineptus atque intempestivus antiquitatis captator, qualis a Petronio ridendus proponitur; haec suo loco pluribus adstruemus. *Wagenzeilium* dure atque inclementer habuit *Statilius*, nec *Valesio Hadriano* pepercit: hujus Apologetica typis Blavianis ante hoc sexennium una cum Petronio Traguriano sunt descripta, cujus exemplar conquiram tibi, cum aliis libellis ad te perventurum, quos jam habuisses, nisi mora etiamnum injiceretur ab occupationibus permolestis, quae hactenus non sinunt me divelli ab hac aula, & in sinum bibliothecae confugere. Spero tamen hanc aestatem omnibus molestiis colophonem imposituram, quod faxit deus, cum & valetudo in pejora vergat quotidie, & ego ante supremae diei adventum scriniis meis miserum in modum disjectis consultum nonnihil velim. Praeter amicos nuper morte intempestiva ereptos mihi nunc etiam *Henricus Valesius*, vir plurimae eruditionis, obiit supremum diem. Historiae Ecclesiasticae tomum quartum, scriptores Latinos complectentem erat pollicitus, tum Aristidae ac Libanii varia inedita, Harpocrationem, notas in Ammianum auctiores, commentarios de critica veterum, Antiquitates Atticas, aliaque scripta, quibus nunc lucem fortassis nequicquam speremus. Academia Leidensis e Gallis Theologum nuper accepit pereruditum, & humaniori litteratura ac linguis orientalibus probe excultum, *Stephanum Monachium*, *Samuelis Bocharti* intimum quondam amicum. Ego Roma exspecto libros non paucos recens editos, atque in his varia antiquitatis monumenta, ut Columnas Trajani atque Antonini, nuperae editionis cum notis *Bellorii*. Catenam SS. Patrum in Marcum, vitas Angeli Colotii, Octavi Pantagathi, Fulvii Ursini. Ibidem eduntur Geographi veteres qua Graeci, qua Latini, magnam partem hactenus in publico non visi, & collecti a *Luca Holstenio*. De versionibus antiquis Graecorum patrum quae scribis, cum *Emerico Bigotio* communicabuntur, ad quem nonnihil litterarum propediem est dandum. *Bigotius* ipse vitam Chrysostomi Graecam hactenus ineditam diu est quod molitur. Nazianzeni complura Rufino interprete me scio possidere, sed cujus ea sint editionis, pro certe non adfirmaverim. Litteras Cl. *Gebhardi* resignatas non est quod excuses, aut depreceris. Apud me enim, vir praestantissime, in hisce talibus impune ab amicis peccatus, aut potius peccari non potest. Vale, Hagae Comit. 22. Jun. CIↃIↃCLXXVI.

EPI-

EPISTOLA CCVI.

CHRIST. DAUMIUS

Nic. Heinſio.

Hafniae.

DEdi ad te, Nobiliſſ. vir, ſuperiori menſe Aprili literas ſatis prolixas cum faſciculo Catonem & Palponiſtam meum, & *Reineſii* ad *Vorſtium* Epiſtolas complexo, quas quemque *Bohemus* noſter, ad quem illa mittebam, tibi tradere juſſus erat. Nunc anxius an recte appulerint, denuo ſcribo, etſi aliis occupatus, addens exiguum illud *Hildeberti*, quod mihi ſupererat, & fragmentum Euthalii, prout a G. Majore editum eſt; nam *Pelargus* integrius dedit, & nonnihil forte a Majoris edito varians. Inquiſivi hactenus in deſiderata varie, ſed nondum quid eorum repertum ac impetratum eſt. Ne ipſa quidem *Pelargi* in Acta Apoſtolica Commentaria. Non deſinam autem porro inquirere. Facilior res eſſet, ſi vel Lipſiae vel Norimbergae ipſus degerem; nam quibus illa injungo mei ſecuri libros non ſemper attendunt. Hoc mihi mirum, haec in acta Commentaria non exſtare Francofurti ad Oderam in Bibliotheca *Pelargii*, quae nunc Academiae eſt, cujus Catalogum nuperrime publicavit Bibliothecarius, *Becmanni*, illius Originum Lat. Linguae Auctoris, Filius. In quo Catalogo his diebus offendi Bernardum Palponiſtam Coloniae 1501. excuſum eſſe, inibique exſtare. Videbo igitur, ut nanciſcar induſtrium aliquem ibi hominem, qui cum mea editione contendat. De Theodulfo & caeteris mihi promiſſis, quaeſo, quae ſpes? Euthalii Francofurtenſem editionem Anno 1601. (*Pelargi* arbitror eſſe) mea manu proxime deſcribam, tantilla temporis ac chartae jactura, ſi forte interea aliunde nacti eitis: ſin minus, ut conferre poſſit cum membranis ſuis Cl. *Bigotius*, cui tecum denuo ſalutem? Interim an priores meae, etiam illae, cui *Olearii* libellus appactus erat, per *Graevium* ad te miſſus, ſalvae tibi redditae fuerint, valde doceri vel tribus aveo. B. Valete uterque, & favere porro mihi ne dedignamini. Dabam Cygn. d. XXIII. Aug. ſt. Jul. Anno C. CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA CCVII.

CHRIST. DAUMIUS

Nic. Heinſio.

Hafniae.

ECcum, vir Nobiliſſime, quem in meis ante hoc octiduum datis, pollicebar Euthalium ex Francofurtenſi exemplari, etſi ſatis properanter, fideliter tamen deſcriptum, & quidem prout editus circumfertur, cum omnibus ſuis virtutibus & vitiis. Nam & accentus etiam vitioſos, & reliqua repraeſentavi, ut jacebant. Contuli etiam cum Veronenſi editione, quae alicubi nonnulla omittit, ut videatur *Pelargus* auctiore uſus fuiſſe exemplo. Illius

enim hanc esse credo ἔκδοσιν. Nam in Bibliothecis reperiuntur quidem ejus in Acta Apost. Commentaria, absque tamen Euthalio. Inquisivi in illa, verum nondum venalia alicubi reperi; & forte si Euthalius abest, a Vobis non ita desiderantur. De quo tamen, nisi grave est, per occasionem, moneri volo. Catalogum MSStorum Bibliothecae Paulinae Lipsiae propediem edet meus *Fellerus*, ejus Bibliothecarius nunc. Cujus exemplaria, ubi praelo exibit, vobis servabimus. Pluribus te, vir πολυΦίλτατε, jam non onero, unum saltem rogitans adhuc, ut an mea, praesertim quibus *Gebhardi* litterae inerant, acceperis, vel tribus docqas; mihique favorem tuum perseveres. B. V. Dab. Cygn. d. III. Kal. Sept. CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA CCVIII.

NIC. HEINSIUS

Chr. Daumio.

Cygnaeum.

Nescio an ad te perlatae sint, quas cum tibi, tum Cl. *Gebhardo* inscriptas una mense Junio curabam per amicum Leidensem. Facit tamen explorata jam ante non uno nomine ejus diligentia, ut recte perlatas opiner ac prorsus confidam. Postea contigit Vianam excurrere, ubi e ruderibus disjectae bibliothecae obtulerunt se mihi Plinius *Claudii Minois*, & *Vlitii* Gratius, quos ad V. C. *Fred. Benedictum Carpzovium*, ut tibi tradantur, misi. De Theone Sophista patris mei indagando bene te jubeo sperare: nam & liber is apud nos in officinis bibliopolarum satis est obvius, & ipse ejus exemplar non unum possideo. Jamque accepisses, cum duobus hisce libellis, nisi exemplari, quod se mihi forte offerebat, Aphthonius fuisset annexus, & quidem collatus cum membranis, quem viae longinquae discrimini committendum haud duxi. Reliquum est, ut Catalogum promissum suppedites quamprimum eorum codicum, quos desideras cum maxime. e Gallia Italiaque diu est, quod litterarum nihil accipio. Florentiae *Laurentium Pantiatichum*, virum litteratum in primis, & mei peramantem, e vivis audio excessisse. *Bigotius* ruri delitescit, ita fit, ut nihil litterarum pridem ab illo acceperim. Post vindemiam tamen exactam Rothomagum, credo, revertetur, ut solet, atque illic hyemem est exacturus. Epistolas Ciceronis, quas familiares vocant, *Graevii* nostri ac variorum notis illustratas ac in tomos duos digestas publice propediem videbimus, puto. De caeteris altum in re litteraria apud nos est silentium. Vale, Hagae Comit. v. Septemb. CIↃIↃCLXXVI.

EPI-

EPISTOLA CCIX.

NIC. HEINSIUS

Chr. Daumio.

Ogganum.

PRoxime te monebam, vir Clarissime, de Plinii epistolis, & Gratio Lipsiam missis, quos a *Fr. Bened. Carpzovio* accipies, misi jam accepisti. Theonem parentis mei postea & Bohemo vestro ad te curandum, meo nomine, ni fallor, tradidit *Th. Ryckius*. De aliis libris, qui a te desiderantur, indagandis parem mihi successum spondeo, cum quales hi sint, ex te plenius cognovero. Theodulfum certe ut procuret tibi quamprimum *Bigotius* noster, denuo a me rogabitur, ubi rure, quo aestatem totam delituit, atque etiam nunc delitescit, in urbem reversum cognovero. Id autem vix fiet ante Kal. Januarias proximas, si quid credendum *Stephano Monnebio*, viro praestantissimo, & *Bigotii* interioris notae amico, quem Academiae Leidensis curatores, ad SS. Theologiae Cathedram, nuper Rothomago evocarunt. *Samuelis Bocharti* meritissimum discipulum, a quo Josephum uberius recognitum jubemur exspectare, quando molitus idem *Bosius* intempestivo nobis funere est subductus. Romae *Joannem Briceum* natione Britannum excessisse e vivis audio. Ultrajectini nostri *Gisbertum Voetium* lugent, clari nominis Theologum, anno aetatis LXXXVIII. exstinctum. Euthalium de vita D. Pauli tam editum a *Georgio Majore*, quem descriptum tua manu una cum Hildeberto Cenomanensi recte accepi. Atque illum quidem perferendum in Gallias, ubi tuto licebit, curabo ad *Bigotium*: habeo enim variorum codicum farraginem, quos illi jampridem debeo. Sed a piratis nihil tuti est. De *Pelargo* non opinor sollicitum esse *Bigotium*. Catalogum Paulinae bibliothecae jam a Cl. *Carpzovio* sum nactus. pro *Olearii* libello diu est quod gratias tibi egi. Vale 24. Novemb. CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA CCX.

CHRIST. DAUMIUS

Nic. Heinsio.

Elegans.

UTraque Epistolia tua, vir Nobilissime, tum Nonis Septembr. tum 24. Novembr. hujus Anni exarata, recte reddita mihi sunt, una cum Plinio & Gratio per *Carpzovium* nostrum transmissis. Pro quibus quas gratias agam & quid redhostimenti reponam dum dispicio, & alia aliunde ex transverso interveniunt, elabitur mihi respondendi occasio. Sed injurius in tantam αὐθεντίαν tuam essem, si porro filerem, teque de Amicorum tuorum fide suspensum tenerem diutius. *Bohemus* noster nondum ad me scripsit. Spero autem ejus literas cum Theone B. Parentis tui me proxima Lipsiensium Nundinarum occasione accepturum. Literas ad *Gebhardum* statim misi. Paulo post ab Ursislavienſibus

Lip-

Lipſiae degentibus relatum eſt, ipſum Paralyſi correptum, dum Actum oratorium exhibere meditaretur. Etiam *Fellgibelius* Bibliopola Vratiſl. amicis narravit, ſe nihil a *Gebhardo*, quod ad me pertineret, accepiſſe. Fuerunt tamen poſt nundinas, qui *Gebhardum* literas dediſſe affimabant. Unde meas denuo ad ipſum miſi: ſed nihil regeſſit ille hactenus. [1] Theodulfum Aurelianenſem *Sirmondi* (qui a Theodulo alius eſt ſcriptor) adhuc anxie prae omnibus deſidero, quem ex veſtratum Catalogis didici Amſtelodamenſium & aliorum tabernas librarias jam pridem occupaſſe. In illa editione geſtio noſſe, an Paraeneſis ad Judices ea, quam *Petrus Daniel* primus vulgavit, *Elmenhorſtius* deinde repetiit, & ex ea, me ſuppeditante, *Rivinus*, initio, quod in illis deeſt, auctior pleniorque fuerit edita. In Epiſtola ejus ad Modoinum de ſuo exilio, verſus eſt, prout Caniſius edidit: [2] *Exul, inops, pauper, triſtiſſimus, anxius, agens.* ubi vocem ultimam Barthius in Adverſ. mutaverat in *egnus*. Rivinus in *aeger*. Reineſius in 2. ad me epiſtola *aegrens* malebat. *Königius* Profeſſor Altorfinus retinebat τὸ *agens*, ut eſſet compoſitum, quale *amens* eſt, & ſignificaret eum, qui ſine gente eſt. Sunt talia ibi alia, cur eam editionem, quae & alioqui plenior & abſolutior eſt caeteris, praetereaque nonnulla aliorum Opuſcula continet, vellem conſulere. Eam vel meo aere, quod ſtatim refuſurus eſſem, optarim nanciſci poſſe. *Menagium* gaudeo adhuc vivere. Ejus habeo Poëmata, & Diogenem Laërtium. *Politiani* pulcherrimam illam ad *Lauduram* Odam reperi in editione Horatii Baſileenſi Georgii Fabricius 1555. Poëmata vetera de corrupta Eccleſiae ſtatu a *Flacio* edita pleraque exſtant in tomo primo Memorabilium Joh. Wolfii, excepto Bernardo Morlanenſi, ſive Cluniacenſi, cujus haec editio, ut prima, ita integrior & Bremenſi *Chytrei*, ac Roſtochienſi *Eilh. Lubini*, & Rintelenſi longe melior eſt. Nam Luneburgenſem ultimam non vidi. Praeterea praefatione, qua caeterae carent, auctior. Ea ſi fuero indeptus, (quaeram ubicunque potero) faxo ſtatim atque accepero ad te, Heinſi nobiliſſime, curetur. Eſt quidem admodum rarus inventu liber: fit tamen aliquando, ut inſperato tales offerantur venales. Interim ut videas, qualia illa Poëmata ſint, & quotnam, ſchedas, quae ſuperant a puerulis olim, me alibi occupato, antequam poſſeſſor libri fierem, inde deſcriptas mitto, rogans tamen ut poſt inſpectionem, ne aliorum viſum offendant, conſcindas, mihique ignoſcas, quod tam ſubitas chartas elegantiſſimis tuis oculis objicere non fuerim verecundatus. Morlanenſis illius Bernardi, ſive Morvalenſis, membranas olim apud vos habuit *Damaſus Blyenburgius*, uti e centone ipſius Ethico liquet. Edo nunc Hieronymum Graecum Theologum, a *Barthio* in Adverſariis laudatum, cum Gennadii Scholarii non diſſimilis argumenti opuſculis.

1 Vide de hoc Theodulfo *Trithem.* de Script. Eccleſ. n. 260. & *Miraei* Auctar n. 136. & *du Pin* Biblioth. Eccleſ. tom. VI. pag. 124. *Sirmondus* editionem primam a *Petro Daniele* curatam eſſe ait in notis ſuis pag. 278. alia carmina edidit *Mabillon.* Analect. pag. 410. quem & vide pag. 377. 378. & *Baluzii* Miſcellan. tom. I. pag. 491. & tom. VII. pag. 21. & *Pagii* Critica ad Annum 835. & *Boecler.* Bibliograph. Critic. pag. 753. edita etiam poëmata quaedam Theoduli in *Caniſii* lectionibus tom. II. part. II. pag. 65. Editionis novae.

2 Vid. ſupra. Epiſt. CLXXXV.

culis. Ecce ſpeciminis interim loco quae excuſa ſunt. Reſtant quatuor adhuc octerniones. *Joh. Chriſtoph. Becmannus*, *Chriſtiani* originum Scriptoris Filius, Francof. Marck. Hiſtor. Prof. & Bibliothecarius miſit ad me Palponiſtae Bernhardi Geſtenſis (ſic excuſum eſt: Gloſſae addunt vetuſtam eſſe villam prope Monaſterium ſitam; opus hîc eſſet Weſtphalo, qui locum, ut cluit, nominaret ac deſcriberet.) Canonici Eccleſiae S. Mauritii extra muros Civitatis Monaſterienſis, ubi & ſepultus eſt; qui etiam fuerat quondam Cancellarius Epiſcopi Monaſterienſis, Apographum ex editione Colonienſi Anni 1504. apud Heinr. Quentel. excuſam, unde infinita reſtituere & ſupplere in mea editione, quae ſic non prima, nec fere ullius pretii eſt, potero. Is *Becmannus* totus jam eſt in vertendo Johanne Melele, vel Malele, mediorum temporum ſcriptore Graeco, de quo & *Voſſius*, a *Valeſio* in excerptis Peireſcianis prorſus omiſſo: quem editione dignum *Becmannus* judicat, quod Chronico Alexandrino multis in locis genuinus inde intellectus contra *Raderum* inferri, multaque reſtitui in illo queant hiantia, δυσνόητα, incongrua. *Graevii* epiſtolas Ciceronis nondum vidi, uti nec ejus Plinianum Panegyricum *Baudii* Commentario illuſtratum. In illarum Libro 7. Epiſt. 6. Verſuum illorum veteris Poëtae Trochaicorum alterum ultima voce corruptum arbitror. Quem ſic lego: *Multi, qui domi aetatem agerent, propterea ſunt improbi.* Non *improbati*, ut vulgo hactenus lectum eſt. Quid cenſetis? Poëmatis illius de Berengario a te ad Claudianum laudati, utinam fieri poſſem particeps! Abdiam Babylonium neque ex *Lazii*, neque Pariſienſium editione Lipſiae alibique reperire poſſum. Si apud vos occurret, meo aere redime quaeſo. Per *Carpzovium* indicatum ſtatim refundam. Vel ſaltem Carminis illius veteris, quod *Lazius* edidit, initium haud gravatim communica. Inter mea deſideria ſunt Hieronymus de haereſibus Judaeorum a *Claudio Menardo* publicatus: Item Vigilius Tapſenſis de trinitate: Architrenius, Commodianus, Alcimi Aviti Colonienſis & Baſileenſis Editiones; Fauſti Andrelini Elegiae, Q. Marcus Corradus de Lat. Lingua Bononiae excuſus, Phil. Berterii Pithanôn libri, Henrici de Male Fortunatis Elegia de diverſitate Fortunae & Philoſophiae conſolatione Lugd. 1509. Suſpicor Henricum Pauperem ſive Samarienſem eſſe. *Tanaquilli Fabri* praeter Anacreontem & Phaedrum nihil habeo. Inter ἀνεκδοτους Gaufredi Poëtriam novam, Bernardi Silveſtris Megacoſmum & Microcoſmum. Henricum Samarienſem vel meo ſumptu deſcribi facerem, ſi quis id oneris in ſe ſuſciperet. In Italiae & Galliae Bibliothecis frequentes ſunt. Sed talium infinitus eſſet numerus, & te tantûm virum onerare talibus maximae religioni duco. *Buchneri* in Prudentii Hymnum Natalitium reperi in meis ſuperfluum. Eſt Dreſdae doctus vir, ejus auditor olim, qui multas ejus Commentationes nondum editas poſſidere nuper dicebatur. De eo inquiram per amicos. Si quid & tu vir Nobiliſſime deſideras, & copioſe annotaveris, forte & uni & alteri tibi conciliando bona fors favebit. B. V. & ſecuturum annum feliciſſime auſpicare, ſalvuſque cum multis aliis hilariſque tranſige. Dab. Cygneae d. XXIII. Dec. ſt. Jul. A. CIↃIↃCLXXVI. Quando tandem Valerius Flaccus publicum viſet? Quando Virgilius?

EPISTOLA CCX.

NIC. HEINSIUS

Chr. Daumio.

Cygnum.

TUto me crediturum esse *Bohemo* vestro, quicquid aut literarum aut libellorum committerem, ad te perferendum, sum ratus, *Daumi* praestantissime, quando verbosas meas mense Junio ad te simul & doctissimum *Gebhardum* exaratas ejus fidei commendabam, tradito & postea eidem parentis mei Theone. Sed cum hactenus ex te non intelligam epistolas illas recte curatas esse, minimum abest, quin interceptas in via, certe perditas, habeo persuasum ut credam. Si ita est, aliam ad *Gebhardum* parabo. Nolo enim vir officiosissimus suspicetur labores suos a me negligi. De Plinio *Claudii Minois* & *Jani Vlitii* Gratio melius liceat ominari, quos Lipsiam perlatos Novembri mense non ita nuper decurso atque inde ad te missos e literis Carpzovianis pridem cognovi. Reliquum est, ut & tuae literae rei ejus me securum reddant. Euthalius tuus *Bigotio* destinatus, etiamnum penes me haeret, quod tutam, qua in Gallias mitteretur libellus, occasionem hactenus non sum nactus. Rescivit tamen jam hunc penes me esse *Bigotius*, teque tantum laboris sui caussa suscepisse, vir modestus erubescit. De Theodulfo *Sirmondi* ad te mittendo promissa denuo iteravit. Hoc volebam nescius ne esses. De Hildeberto Cenomanensi in publicum proferendo cogitare *Baluzium* audio. Opinor mihi visas, praeter homilias, nescio quas sanctorum vitas ejusdem scriptoris apud *Graevium* nostrum, editore eodem *Rivino:* Sed enim operi supremam manum haud videbatur imposuisse. Quaero hactenus poëmatia antiqua, quae *Flaccus Illyricus* olim edidit de corrupto Ecclesiae statu. Sed ita quaero, ut iis carere possim, si non commodum offerantur. *Graevius* Ciceronis Epistolas, & Florum nondum emisit in publicum. Vale, *Daumi* Clarissime, Hagae Com. CIↃIↃCLXXVII. X. Februar.

EPISTOLA CCXI.

CHRIST. DAUMIUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

A *Bohemo* nostro, Nobiliss. Vir, Theonem nondum accepi, spero tamen occasione commoda adepturum, nuperrimeque ei aurem denuo vellicavi. Fasciculum autem cum literis meum Carpzovianis adjunctum sperabimus interea fuisse perlatum. In iis gratias egi pro Plinio & Gratio, quas nunc repeto. *Gebhardo* etiam destinatas misi. Is ad me quae rescripserit, insertum [illegible] docebit. Ejus meusque Amicus vir Ampliss. *Johannes Henricus Cunradus*, *Caspari* olim tot viris doctis, ut Theatrum ejus Symbolicum & prosopogra-

pographiae Millenarii tres teſtantur, vita donatis Clari Filius, illuſtriſſ. Duci Lichtenſteinenſi a Conſiliis, mecum cognoſcere avet Beatiſſ. Parentis tui annum diemque emortualem, tuumque ipſius natalem. Ei haud invitus, ſpero, gratificaberis. A Cl. V. *Emerico Bigotio* Theodulfum Sirmondi perlaetus exſpectabo. Deus proſperet noſtrarum utriuſque iter. Hildebertum a *Baluzio* promitti incredibile dictu eſt quam me exhilaret. Impenſe enim eum Auctorem amo. Reſtant ſane longe plura, quae *Rivinus* non edidit, publicanda. Utinam promiſſo ſtaret *Baluzius!* Vita Agnetis, ejus nomine ex conjectura a *Barthio* edita, poſtea a *Rivino* repetita omnino eſt, Alexandri Eſſebienſis Angli, de quo *Lelandus*, & exſcriptor ejus *Baleus*, hujus vero *Pitſeus*, videndi. Rivinianae editionis exempla ipſo editore vivo diſparuerunt neſcio quo abacta, ut aliquando per jocum ad ipſum dicerem, ipſum eo libro mures paſcere velle, quod abderetur, nec in conſpectum ullius veniret. Poſt ejus obitum *Barthius* ſuum exemplum mihi donabat: ſed mancum. Quae poſtea a ſucceſſore in matrimonio ipſius, nunc etiam defuncto, receperam, ea *Graevius* a me nactus eſt. Videbo an per *Carpzovium* ea indagari queant, ubi deliteſcant. *Marquardus Gudius* per *Petrum Axenium* ad me miſit praeteritis diebus Membranas elegantes Ganfredi, ſive Gaufridi de vino ſalvo Angli, cujus initium ex Bromtone commune fecerat mecum olim Epiſtola ad me 103. *Reineſius*, quas integras intra ſeptiduum, dum ille Dreſdae in negotio Sereniſſ. Ducis ſui haereret, deſcripſi, librumque ſuperiori hebdomade gratus remiſi. Promittit alia ἀνέκδοτα, in quibus & Henricus Samarienſis, quem Septimelenſem vocat, & Patavii eodem nomine exſtare *Tomaſius* refert. Gaufredi duo capita inter Poëmata illa veterum a *Flacio* editorum, quae hinc inde etiamnum, utinam favente Delia, venor, habentur. Mitto alias pagellas mei Opuſculi. Reſtant duo octerniones, ubi abſolvetur habebitis & *Graevius* & *Bigotius*, & ſi quis favet alius, qui interea honorifice a me ſalveant, a me exempla: quae ſpero *Carpzovium*, uti pollicitus eſt, & ſubito has a me exigit, curaturum. Sed avocor, hoc unum addo. Heri aderat nobis *Tobias Ludolfus* Sax. Altemb. Camerae Director, Aethiopici Lexici Londini excuſi auctor, apud quem cum honorificentiſſima tui mentio, juſſit ſalutem plurimam aſſcribere, brevique & literas ad te ſe daturum inſuper pollicitus eſt. B. V. vir Nobiliſſime & aeſtimatiſſime, diuque ſoſpes vive. Daham Cygn. prid. Kal. Martii ſt. Vet. CIↃIↃCLXXVII.

EPISTOLA CCXII.

NIC. HEINSIUS

Chr. Daumio.

Cygneam.

PLinium *Minois*, & *Vitii* Gratium ad te perlatos eſſe gaudeo ſane plurimum, qui tum demum me bene mereri arbitror de re communi litteraria, ſi tuis ſtudiis conſultum eo, vir praeſtantiſſime. de Theone parentis mei, parem fatorum indulgentiam promitto mihi. de Theodulfo *Sirmondi* denuo promiſſo-

rum admonui *Bigotium*, ac interim Euthalium conſignavi in Gallias mittendum in manus *Stephani Monachii*. In ipſo Theodulfi verſu a te producto videtur ſcribendum, *triſtiſſimus*, *anxius*, *amens*. Poëmatis de corrupto eccleſiae Romanae ſtatu a te tranſmiſſis utar, dum exemplar typis deſcriptum offeretur. Hieronymi, cujus ſpecimen miſiſti, reliqua libens videbo. de Johanne Malela per *Beemannum* edendo ſalivam moviſti. Opinabar enim ejus editionem nobis non aliunde, quam [1] e Britanniis eſſe exſpectandam, ubi pervetuſtum ejus ſcriptoris codicem adſervari meminerim. Tuam in Tullianis Epiſtolis conjecturam cum *Graevio* communicari. Nam is liber ab eo recognitus lucem nondum aſpexit. Poëma de Berengario, quod e tenebris eruebam olim Patavii, typis deſcribendum curavit pridem ac commentariis illuſtravit *Hadr. Valeſius*. Si quod exemplar ejus venale invenero, tuis invigilabo commodis, ut & de caeteris, quae videris deſiderare, in primis de Abdia Babylonio bene te ſperare jubeo, qui ſi e Baſileana non poſſim editione, ſaltem e Pariſina a me accipies. Vale, vir Humaniſſime. In Plinii epiſtolas commentarios ſuos nos juſſerat ſperare *Pricaeus*, ſed is fato nuper eſt functus Romae. Parens meus obiit ſupremum diem xxv. Februar. Gregor. Anno CIↃIↃCLV. Ego natus ſum die Julii XXIX. Anni CIↃIↃCXX. Hagae Comit. VI. April. CIↃIↃCLXXVII.

[1] Et inde etiam accepimus: nam Oxonii 1691. cum interpretatione & notis *Edm. Chilmeadi*, cum diſſertatione de auctore per *Humfred. Hodium*. & Epiſtola doctiſſima *Richardi Bentlei* ad *J. Millium* prodiit. Auctor vero ipſe non ſatisfecit exſpectationi, cum multa fabuloſa & dubiae fidei narret, & plagiarius manifeſtiſſimus ſit. Quae ex Euſebio deſcripſit ad examen vocat *H. L. Schurfleiſchius* in Notitia Bibliothecae Vinar. pag. 51. & *ſeqq.* vide & Cl. *Cranium* de Furibus librariis diſſ. 1. pag. 27.

EPISTOLA CCXIII.

CHRIST. DAUMIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

THeonem Illuſtris Parentis tui quotidie exſpecto a noſtro *Bohemo*, qui ſe accepiſſe, & commodam mittendi praeſtolari occaſionem amico nuper retulit. Pro quo interim denuo gratias ago. Abdia Babylonio prorſus careo, (ut vides ex Praefatione Opuſculi mei, cujus aliquot exempla, ſi noſtro *Carpzovio*, ut ſpero, curanti fortuna faverit, mitto; plura miſſurus, ſi ea grata vobis futura cognovero, & quidem charta aeque candida) itaque & ejus poſſeſſionem anhelo. Putabam exſtare in Bibliotheca Colonienſi, cum *Barthii* quae fuerat, eam e Riviniana Bibliotheca redimerem: ſed falſus animi fui; non enim ibi reperitur. Carmen autem illud, aut ſaltem illius initium, unice deſidero. Ut & neſcio quo fato Theodulfum *Sirmondi*, in quo τὸ *agens*, i. e. ſine gente, in ſyllabam non peccabit: non enim peccat in *amens*, praepoſitione etiam ibi producta. Euthalius excuſus ut ad me revertatur, non eſt opus. Tanti enim non eſt, ut ſumptus cauſetur; & ego aliud praeterea ex-

exemplum poſſideo. Suſpicabar fore ingratum, quod non integer in eo *Majoris* opuſculo apparet, & cujus tamen editio a Pelargiana alicubi variat. Lubuit autem talium curioſo *Bigotio*, ſi forte careret, & hoc exemplum meo MSto adjicere, ut quale illud editum foret, ipſe oculis ſuis arbitraretur. Quicquid autem feceris; vir Nobiliſſ. omne illud ex praeſtantiſſimo tuo judicio factum perplacebit. *Boſius ἐμπαιζων* ex Caeſareana, Lipſienſi & aliis Bibliothecis ad Joſephum ſuum emendandum inſtructus erat: ſed morte praeventus ſpem nobis non rem reliquit, quam alii expleant. Interim Diſputationes ejus, in quibus ad Joſephum facientia ex illis MSStis nonnulla inſperſit, non plane inſuper habenda. *Monachio* optarem eas opes, atque illa media! Sed quis praeſtabit? Favit *Boſio Lambecius*, uti peculiaris ad illum ſcripta Epiſtola teſtatur, quae typis excuſa eſt. *Beemannus* ad meas nondum reſcripſit. Nec prius, quam his nundinis potuit exemplum Hieronymi mei ad ipſum commode curari. Incertum de rebus Berengarii praenimis aveo. Initium ejus e Bibliotheca Patavina *Tomaſini* didici. Excuſum autem jam eſſe, nondum reſciveram. Coſippum *Rittershuſii* quatuor argenteis venalem Norimberga ut afferri curem propediem, meum erit. Promiſerat Amicus exemplum, quem vanidicum tandem ſenſi. Vidit eum apud me his diebus *Petrus Axenius*, Sereniſſ. Ducl Sleſvici ac Holſatiae a Secretis, qui ad me Dreſda, ubi unum & alterum menſem in negotio Principis ſui haeſerat, ad feſquidiem viſit, Phaedro, quo me donabat, cum ſuis in 1. Librum Notis pridem Hamburgi editis, cum repetita utraque *Rigaltii* editione, aliiſque ſcriptis clarus. Notas in Librum. II. & IIII. MStas ad me Dreſda legendas miſerat. Is cum Hamburgo Lipſiam veniſſet, per *Franckenſteinium* curavit ad me Membranaceum Codicem Gaufredi de vino ſalvo Angli; nim. Poëtriam ejus novam, cujus duo capita *Reineſius* in ad me Epiſtolis ex Chronicis Anglicanis mecum communicaverat; *Flacius* autem alia duo in a te deſiderato libello, non tamen addito Autoris nomine, dedit. Alium tamen ejus ibi librum de Curia Romana, quem & *Wolfius* in Memorabilibus ſuis repetiit, & laudavit *Hieremias Paduanus*. Promiſit autem *Axenius* a *Marq. Gudio* intimo ſuo, a quo Membranas illas ad me portandas impetraverat, Henricum etiam Samarienſem, ſive ut ille, & alia Italiae MSSta, appellabat, Septimelenſem; quem ſuſpicor Henricum de Male Fortunatis eſſe Lugd. 1509 editum; quae ubi domum reverſus fuerit, quod proxime fiet, oportunitatem commodam nactus, ad me non invitus ex promiſſo curabit. Illum Gaufredum deſcripſi, ſed Membranae verſu 526. *Cordis ad exemplar Regis formata* . . . . . vitiatae erant eraſo nomine proprio, inque ejus vicem repoſito Carolo. Ejus exempla in Galliis & Italia plura habentur, ut *Labbei* & *Tomaſini* Catalogi teſtantur. Sed quis hic nos juvet? Utinam in Lugdunenſi veſtra haberetur Bibliotheca? *Boſii* Bibliotheca Academiae Jenenſi, ut ajunt, beneficentia Principis addicetur. Catalogus publice exeuſus non eſt. Vidi, quae Amicus meus quidam inde excerpſit; ſed ille quae captui ſuo inſerviebant, excerpſit, melioribus & ſibi ignotioribus relictis. Doleo autem *Boſium* a me commodato accepiſſe indices in Joſephum & pleroſque Grae-

cos Patres a *Barthio* confectos, propriaque ejus ſcriptos manu, quos ab haeredibus recipere non potui, forte a ſtudioſo aliquo furto ſubtractos. Catalogos, quos memoras, non vidi. Vidi autem B. Parentis tuſ, *Rutgerſii*, *Voſſii*, *Pawii*, *Riolani* &c. & habeo fragmentum ex neſcio quo Catalogo, ſane bonis libris ac raris inſtructiſſimo. Libros, quos deſidero, nonnullos properanter conſignavi. Forte ex his unus & alter aliquando obveniet venalis. B. V. & diu vive, τιμαλφίστατε Domine. Dabam Cygneae inter mille avocamenta, die XVI. Maii CIↃIↃCLXXVII.

EPISTOLA CCXIV.

CHRIST. DAUMIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

QUas vero pro Virgilio, Victore Maſſil. & Icone *Rutgerſii* denuo tibi, Illuſtris Patrone, ſufficientes ſolvam gratias, quibus tum beneficentia, curaque *Carpzovii* noſtri mea iterum augeſcit Bibliotheca? Sane non reperit tenuitas mea, cujus vel umbram reponat, nedum ut ſaltem par quod eſſet ulla vel minima ex parte reponat. Sufficiant ergo interim tibi, Nobiliſſ. vir, gratiae ex animo dictae: qui ſi ſic perges, coelo me dignum ut arbitrer facies. Superiores meas recte puto redditas. Nunc ne prorſus ſteriles hae veniant, etſi ſteriles veniunt, adjeci variantes Lectiones Prudentii MSSti Paulinae Lipſiae bibliothecae non magnae, ut ipſe vides, rei, & magnam partem circa ſcripturam occupatae: tamen ne deſimus, tantilla chartae & temporis jactura, officio noſtro, & ut videas, cum quibus aliis membranis illae conveniant, nec quid melius ſperes, militatum hoc omne eſt & datum tuae in ſpem gratiae, cum potiora nunc deſint. De caetero cum haec occaſio ad te mittendi ſubita ſit, & occupationes meae eaeque diverſae nunc cumulentur, pono calamum, & bene diuque valere te jubeo, ô & praeſidium & dulce decus meum! Dab. Cygneae a. d. IX. Julii Anno D. CIↃIↃCLXXVII.

EPISTOLA CCXV.

CHRIST. DAUMIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

A *Carpzovio* noſtro, vir Nobiliſſ. Fautorum & Amicorum Maxime, lubens intellexi, Theodulphum favente Numine, te tandem impetratum Amſtelaedamum miſiſſe; unde is eum ad me curet. Id ut vir impetrabiliſſimus, quantum poteſt, efficiat, meis eum rogavi literis, dedique peculiarem ſive hac ſive alia proxima occaſione curandum faſciculum, *Capo errei* in Metamorphoſin Ovidii Notas, *Buchneri* Panegyricum, & in Prudentii Hymnum Natalitium Animadverſiones complexum; ſi una cum epiſtola hac vice non poſſit,

Digitized by Google

poſſit, expediendum commodiore, modo ne iis libellis mittendis fruſtra ſim. Sed quid hi ad tuum munus? Haerebo profecto in tabulis tuis nomen lentum, ſi unquam expungendum. Corippum *Rittershuſii* adhuc ab amico exſpecto: quem ubi conſecutus fuero, ſequenti dabo oportunitate. Mei Hieronymi integri exempla nonnulla per *Carpzovium* ad te ableganda, puto tandem perlata eſſe. Vir Clariſſ. *Ant. Magliabechius* vitam Bernardi Geyſtenſis in MSto Bibliothecae Mediceae reperiſſe dicitur: Eam ut per ejus meumque amicum adipiſcar, operam navabo. *Voſſii* de vitiis Sermonis & *Graevii* Ciceronis Epiſtolae ubi prela exierint, non ſine ſignificatione pretii haud gravatim certiores nos facito. Magni Parentis tui Theonem a *Bekemo* nondum vidi, qui occaſionem mittendi raram literas ad amicum cauſatus eſt. Eum indies avidiſſime exſpecto. Mirer enim ſi non tandem aliquando daretur per tantum temporis intervallum *Flacii* illa deſiderata & Nazianzenus *Langevoithi* nondum e latibulis eruti ſunt. Inquiram autem ulterius. Si quid porro gratum tibi deſideras, indica quaeſo. Offeruntur aliquando praeter ſpem diu alias quaeſiti libri. *Quo minime credis gurgite, piſcis erit*, ait tuus Ovidius. Ita Vale, vir Nobiliſſ. & amare me conſtanter perge toto affectu tuum. Dabam Cygneae d. xxv. Julii ſt. V. Anno CIↃIↃCLXXVII.

EPISTOLA CCXVI.

NIC. HEINSIUS

Chr. Daumio.

Cygneae.

TArdius aliquanto, atque adeo praeter ſpem duabus tuis referibo, Daumi Clariſſime, obnoxius valetudini aliquandiu, deinde & ob rem familiarem curandam avocatus ab aula frequenter. In praecipuis tamen reſponſi procraſtinati cauſa fuit, quod ſpe per amicos facta Abdiae Babylonii, abs te deſiderati, e latebris Bibliopoliorum apud Roterodamios eruendi, cum exemplar ipſum, quod offerebat ſe venale, inſpexiſſem, deprehendi invitus carmen Poëtae Chriſtiani incerti, in fronte libri a *Wolfgango* [1] *Lazio* e membranis pervetuſtis juris factum publici, cujus a me mentio facta jam non ſemel eſſet, illic haud quaquam comparere. Unde fit, ut omnino ſuſpicer errorem eundem per plura diſperſum exempla, Pariſinis aliiſque Lazianam editionem ſecutis typographis anſam dediſſe omittendi hujus carminis. Sed bene habet, quod non multo poſt aliud ſeſe exemplar apud Leidenſes in auctione publica, quod tibi vindicarem,

1 Abdiae hujus editio a *Lazio* curata prodiit Baſileae 1551. nuper inſeruit eum codici Apocrypho N. Teſtamenti Cl. *Fabricius* tom. II. in initio, & teſtimonia varia de hoc ſuppoſititio ſcriptore praemiſit. pag. vero 401. editiones recenſet. inter quas omittit Pariſienſem 1566. quam poſſideo. in illa ut & priore 1560. eſt praefatio Lazii, ſed carmen illud, de quo hic Heinſius, omiſſum. Ad ſeculum decimum eum detrudit *Oudinus* de ſcriptoribus Eccleſiaſticis tom. I. pag. 420. ceterum haecſ, & epiſtola CCXVIII. editae inter Daumianas a *Joh. Andr. Gleichio*. Chemnicii Anno 1709. pag. 270. & *ſeqq.*

carem, offerebat. Nam quamquam liber ipſe Abdiae adglutinatus eo in volumine parte ſui mutilatus exhibetur, nihil ego illud ad Abdiam ejuſque ſocios a *Lazio* editos ratus pertinere, redimendum vel ſic duxi, quod ſpero me feciſſe te non nolente. Rogatus interim a me nonnemo eſt ex amicis Leidenſibus, ne quam negligeret occaſionem libri quam primum Amſtelaedamum mittendi ad *Danielem Elzevirium*, unde mox Lipſiam ad humaniſſimum *Carpzovium* curaretur, quando is utrique noſtrum in his talibus gratificari pro caetera ſua benignitate non alienum abs ſe ducit. Carmen ipſum e verſibus plus minus quadringentis conſtat, ſed fortaſſis aut a *Georgio Fabricio* in corpore Poëtarum Chriſtianorum jam denuo exhibitum, aut ab aliis poſt luce puhlica donatum, quod tuum erit curioſius indagare: quando nec Fabricii opus, nec alii codices, unde id liquere certius nobis poſſit, nunc ſunt ad manum. Ejus initium ſub finem hujus Epiſtolae deſignatum invenies. Theodulphum jam pridem ad vos delatum oportet: Nam de Theone miror, tantillum libellum tam diu in via haerere. Rarius Leidam excurro, quo tamen ſub dies cogito proximos, ad curam meam revocaturus, ut aut opera *Danielis Elzevirii*, quae feliciter jam nobis ceſſit non ſemel, liber ad te perferatur, aut ſi is periit, aliud conſequamur exemplar, quod factu arduum non erit. Et haec quidem hactenus. Nunc veniendum eſt ad tuas longe jucundiſſimas, quarum alterae Majo menſe, Julii alterae erant exaratae. D. Hieronymi de Trinitate opuſculum cum aliis eidem additis habui, ut tua omnia, perquam acceptum. Cujus & *Graevio* noſtro *Ryckioque* ac *Monachio* exemplaria jam diviſi, diviſurus & propediem ſua *Bigotio Spanhemioque*. Ipſe *Graevius*, ut eſt tui amantiſſimus, Ciceronis ſui exemplar per *Elzevirium* tuos in uſus Lipſiam mittendum jam curavit; quod ut ſignificarem tibi, me obſecrabat nuper. De Joſepho *Stephani Monachii* lentum, ut apparet, erit negotium. Britanni tamen de editione ſcriptoris hujus nova cogitare pergunt magis ac magis, eamque in rem aere ſuo redemta cupiunt, quae *Boſius* ad ſcriptorem illum meliorem reddendum e variis Bibliothecis complura collegerat, quod negotium curandum *Graevius* ſuſcepit. *Boſii* ipſius ſcripta poſſideo perpauca, atque in his Cornelium Nepotem editionis primae, ac diſſertationem de Pontificibus urbis Romae, deque Clinicis Eccleſiae veteris, quantum memini: Unde eruditionem hominis ad praeclara nati colligere arduum non fuit, quo magis fato ejus tam praecipiti ingemiſco. E libris, quos tibi fore uſui es teſtatus, jam *Baſilii Zanchii* poëmata ſum nactus, quae una cum Abdia Babylonio ad te curabo perferenda. E reliquis pleroſque, nam de omnibus polliceri niſi temere nihil poſſum, ut conſequaris aliquando, pro meis facultatibus curabo. Editio Lugdunenſis anni MDIX. varios poſteriorum temporum verſificatores complexa, exſtat, ni fallor, in armariis meis. Sed illam alia poſterior in eadem urbe procurata excepit, quam & ipſam me reor poſſidere. *Voſſius* de vitiis ſermonis praelo Elzeviriano nondum, quod ſciam, eſt commiſſus. Interim Gallicanos typographos exercet Lexicon ejuſdem fere argumenti, a viro quodam gentis illius doctiſſimo operoſe contextum, cujus ſpecimen *Bigotius* pridem ad me miſit. Prodiit hic nuper in lucem libel-

libellus poſtumus [1] *Everhardi Feithii* antiquitates Homericas complexus: ejuſdem Atticas antiquitates Bibliopola nos jubet ſperare. *Jacobus Gronovius* Livium Parentis ſui typis deſcribendum curat, cui de ſuo multa eſt additurus. De Graecia *Palmerii* alias puto egi, cujus editio parte ſui majore eſt profligata. Sed partem Graeciae tantum comprehendit: reliqua autor morte praeventus non perfecit. *Thomas Munckerus* poſt editos in Britannia mythologos Graecos, vere proximo Latinis notis eruditis illuſtratos typographo Hagano vulgandos permittet. *Graevius* praeter Ciceronem in Floro edendo pridem occupatur, &c. Vale, vir Clariſſime, & feliciter aetatem age. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXVII. Nonis Octobris. De Corippo *Rittershuſii* non eſt, quod multum labores. *Weitziana* in Muſeum & Theocritum nunquam vidi. Mirum *Lazium* ignoraſſe auctorem, qui Hieronymus Paduanus eſt, toties hoc nomine ante Lazianam editionem Lipſiae, Viennae & alibi excuſum, etiam a Pulmanno Antverpiae. De paſſione Domini noſtri Jeſu Chriſti carmen heroicum luculentum ad Donatum Epiſcopum incerto auctore,

Maxime Coelicolum, ſupera qui celſus ab aula
Aeterno imperio ſuperes, fortique tridente
Res hominum, divumque regis, quo turbine diro
Judaei irruerint, rabies quae traxerit illos
Tanta, tuo nato poenas inferre nefandas,
Horrendumque genus mortis, crudelius ipſa
Terque quaterque nece, eſt animus deſcribere verſu.
Tu modo fluctiferum, pater, haec rege vela per aequor,
Primitiaſque meae, ſi qua eſt, en accipe Muſae.

1 Vide Epiſtolam hujus Sylloges Tom. II. 515. pag. 812.

EPISTOLA CCXVII.

CHRIST. DAUMIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

THeonem tandem a *Bohemo* noſtro, & Theodulphum a *Carpzovio* ſalvos nactus ſum. Pro quibus quas agam gratias vix reperio: ita beneficiorum numero & magnitudine me vincis, Nobiliſſime vir. Uterque magno me gaudio affecit: Theo quidem imprimis ob *Camerarii* emendatam a beato tuo Parente verſionem, cujus judicium ſemper miratus ſum; Theodulfus autem ob integra, quae mutilata prius legebamus, & addita longe plura prius non viſa. Miror tamen in *Caniſio*, & illo in Bibl. PP. Colonienſi, plura ejus haberi, etiam a *Rivino* recuſa, quae *Sirmondus* omiſit, invituſque vidi hujus rei cauſam in notis praeteritam. Multa jam obſervavi exinde, abſque ea editione alioqui non cognoſcenda. Unde denuo pro hoc beneficio gratias tibi *Bigotioque* curanti libellum perſolvo longe maximas. Quas & debebo majores, ubi Ab-

Digitized by Google

diam *Lazii* accepero, utut appactus liber parte ſui mutilatus ſit. Illud Poëma (*Jeſuidae* aliis nomine inſcriptum) quod adjecit *Lazius*, tanquam incerti Auctoris, eſt *Hieronymi Vallenſis*, vel, ut alii, *de Vallibus*, *Paduani*, quem Geſnerus male anno 1494. claruiſſe ait. Vixit enim ille *P. Donatus*, cui conſecravit hoc, anno 1442. ut videre eſt pag. 141. Biblioth. Pad. *Tomaſini*, quam indultu Amici aliquando perlegi: apud quem legimus etiam Paduae MStum *Jeſuidae* & Carminum *Hieronymi de Vallibus* haberi. Narratque idem *Geſnerus* in Biblioth. alibi *W. Lazium* habere MStum hujus, alibi Viennae 1510. in 4to. editum eſſe: Ego autem non ſolum MStum chartacium, ſed & Lipſienſes quatuor editiones in Libraria mea aſſervo, anno 1509. 1512. 1516. 1517. in 4to. excuſas apud diverſos Typographos. Edidit & 1559. Antverpiae apud Bellerum in 12. *Th. Pulmannus* cum Dominici Mancini Poëmatis, ut ait, multis tamen omiſſis, quae apud me ſunt: nimirum de Paſſione Domini, & quatuor virtutibus: *Macarii Mutii* equitis Camertis (de quo in epiſtolis Politiani) triumpho Chriſti, omiſſa iterum eleganti proſo ſermone Praefatione Argentinae prius excuſa, & aliis aliorum carminibus. Exſtat anno 1494. Lipſiae procuſa expoſitio Myſteriorum Miſſae, Chriſti Paſſionem figurantium Anonymi. Is auctor hujus *Hieronymi* longe plures verſus in teſtimonium advocat. Quibus inibi lectis *Barthius* olim adeo captus eſt, ut crediderit eſſe vetuſti alicujus auctoris Hieronymi dicti, & in Librum LXVII. Adverſariorum cap. 2. non ſine laude ejus exſcripſerit. Ex quo aliquando haec verba excerpere memini: *Sane vero talia, ut ipſum opus, eximie deſideramus; jungunt enim ſacris rebus Romanam dictionem, ita ut vix ullum ſuperſtitem Poëtarum Chriſtianorum iſto meliorem cenſere poſſis.* Haec ille. Variant autem plurimum exemplaria, praeſertim *Pulmanni*, quem interpolaſſe multa ſuſpicor. Variat & lectio in *Lazii* edito, ut ex paucis verſibus illis deſcriptis animadverto. Qui eo gratior hac propter appellet. Hieronymi mei Graeci quatuor adhuc hiſce adjeci exempla, ſed a literis his abjuncta, ut eas *Carpzovius* noſter, ſi non cum faſciculo, ſaltim abſque illo prius ad vos propellat. Niſi grave, & ubi occaſio erit, velim mittatur aliquando ad Juniorem *Gronovium* a me perhonorifice ſalutandum, hujus exemplum. Qui primam Parentis ſui ad me epiſtolam, cum periiſſet, denuo deſcripſit: Parentis vero Livium eum denique recudere volupe eſt. Habeo primam ejus editionem: ultimam paulo ante ſuum ex hac vita diſceſſum mihi promiſit; ſed morte praeventus praeſtare non potuit. A *Graevio* nihil vidi, neque literas, neque Ciceronem: inquiram autem vel apud *Carpzovium*, qui ſe exemplar ab *Elzevirio* accepiſſe ſcripſerat, & *Mexenkenium* Prof. Publ. e Belgio etiam exemplum nactum eſſe ante nundinas memoraverat. *Boſii* Bibliothecam Jenenſi publicae adjunctam affirmant. Utrum MSSta ejus addita excuſis Codd. fuerint, me praeterit. Uſui ejus, cum viveret, concedebam indices in Graecos nonnullos, quibus & Joſephus additus erat, incredibili diligentia a *Barthio* confectos & *αυτοχειρι* ſcriptos. Verum poſt obitum ejus diſparuerunt, nec ab haeredibus recuperare potui, a tegaci procul dubio manu ſubtracti, ut & nonnulla alia. Publicavit iis, quae

te

te poſſidere memoras, plura, quae ſi in manus meas incident, faxo iis ut potiaris. De Joſepho ejus nonnulla ex ejus ad me [1] literis excerpſi. *Weitzii* in Muſaeum exiguus Notarum abſque textu libellus eſt, Ambergae in 12. anno 1613. excuſus. Maximam partem cum indice, ſi non totus, correpſit in notas Pareanas. In Theocriti ſaltem Charites notas edidit Coburgi Anno 1624. in 8. pauciſſimis pagellis, quas ad *Barthium* miſerat. Sunt mera ſententiarum collectanea. Inquiram in utrumque libellum; utinam felici ſorte! Corippum *Rittershuſii* per Zwollanos ad Elzevirios miſit *Carpzovius*. Verſificatores illi Lugduni anno 1509. & poſtea additi qui ſint, reſcire aveo. Octo auctores mei, inter quos Cato, Theodulus, Facetus &c. anno 1505. ſunt excuſi. Henricum de male Fortunatis 1509. cum Comment. Lugd. proditum deſidero: ſed vix ſpero. Si is Henricus pauper vulgo dictus eſt, aliis Septimelenſis, ſpero ex promiſſo *Petri Axeni* a *Marq. Gudio*, qui nuperrime alteras Gaufredi membranas emendatiores & Scholiis locupletiores ad me curavit, his diebus per *Carpzovium* Hamburgum. Commodianum, Architrenium, autorem de geſtis Berengarii, Mantuani veteres editiones ante Antverpienſem luci datas anxie deſidero, aere meo lubens redempturus per *Carpzovium* curando. Ad Amorum triumviros ſunt apud me Notae *Barthii*, ex V. MSto. ad vetuſtiſſimam edit. nullius anni & loci in Folio, quam in Italia puto excuſam. Pro judicio variorum bonorum librorum gratias ago habeoque. Utinam & ad noſtras oras appellant. Haec admodum feſtinans. Inelegantiae ergo me excuſabis τιμαλφέσατε vir B. Vale, ſoſpeſque diu diuque age! Dab. Cygn. d. 16. Octob. ſt. V. Anno CIↃIↃCLXXVII.

1. *In Joſephum nunc totus incumbo. Ad eum excudendum operam ſuam honeſtis conditionibus obtulit Johannes König, bibliopola Baſilienſis. Etiam Lipſia ſpes aliqua adluceſſit fore, ut Lipſienſis cujuſdam ſumtu haec excudat. Sed lentum negotium eſt: & labor plane taedioſus. Nam vix ulla periodus eſt, quae non adnotatiunculam requirit: & chronologica multum operae temporiſque ſibi poſcunt. Verſio autem Geleniana infinitis locis a Graeco recedit: quam tamen & ipſam emendare animus eſt. Eſt vir magnus, qui ſuadet, ut varias lectiones ſolas ſeparatim edam, ut in Polybio fecit Boclerus: ſed id a me impetrare nondum poſſum. Ut tamen acceleretur editio quae in tanta exſpectatione eſt, conſtitui verſionem intactam relinquere; & ſolummodo graviora illius ἁμαρτήματα in notis perſtringere: controverſias quoque pleraſque, praeſertim Chronologicas in aliud opus exercitationum ad Joſephum & hiſtoriam ſacram, ſi deus vitam dederit, ſeparatim, & per partes, ritu diſputationum Academicarum edendum, rejicere. In notis autem id potiſſimum operam dabo, ut textus Joſephi emendetur, & variae MSS. lectiones, doctorumque virorum conjecturae recenſeantur.*

EPISTOLA CCXVIII.

NIC. HEINSIUS

Chr. Daumio.

Cygneam.

LAetor me hercules, ut qui maxime, cum Theonem parentis mei, cum *Sirmondi* Theodulphum ad te ſalvos perveniſſe, idque cura ac beneficio praeſtantiſſimi *Carpzovii*, cui hoc nomine uterque plurimum ſane debemus. Ab hoc ſucceſſu augurium capio non vanum mox fore, ut & *Baſilii Zanchii* Poëmata & Abdias Babylonius, jam dudum viae commiſſi, fato utantur pari. Caeterorum, quos deſideras, codicum ratio a me habebitur, cum venales offerentur. Quas vero grates, *Daumi* clariſſime, tibi nunc agam pro Corippo *Rittershuſii*, quem librum in Bibliopoliis hîc terrarum nequicquam quaeras? quas pro S. Hieronymi de Trinitate opuſculo? cujus copiam & *Jacobo Gronovio*, quod jubes, & *Emerico Bigotio* ſum facturus. A *Bigotio*, quod miror, jam totis ſex menſibus literarum nihil ad me perlatum. Diu eſt, quod *Aegidius Menagius* ſignificabat per litteras lugere inconſolabiliter fraternam mortem: ſed & id vulnus jam cicatricem duxiſſe debuit. *Jacobus Gronovius* praeter Livium parentis ſui, & ſuum, obſervata peculiaria typis deſcribenda curat, ut audio, ſuper Livianis locis compluribus rem Geographicam tangentibus. Habet & ſub praelo *Gisbertus Cuperus* quartum Obſervationum Philologicarum librum. Tres priores longe auctiores caſtigatioreſque poſſet publico ſimul dare, ſed, ut ſunt tempora, typographum huic rei fruſtra circumſpici opinor. Amſtelaedamenſes *Bomii* fratres tamen Callimachum dicuntur luci parare, Animadverſis *Annae Fabrae Tanaquilli* filiae illuſtratum. Ciceronianas *Graevii* Epiſtolas jam debes accepiſſe. Ejuſdem Florus lucem propediem quoque videbit, quem & alia proxime excipient. Ferunt & Luciani libellum de Calumnia publico datum, cum notis *Jacobi Tollii*, ſed quem nondum videre mihi contigit. *Thomas Munckerus* amicus meus adſiduus eſt in Mythologis Latinis recognoſcendis, quos in unum volumen conjectos aeſtate proxima in publicum, ut opinor, emittet. Nunc poſt Hyginum abſolutum Fulgentio manum admovere coepit, cujus codicem vetuſtum, & multis locis ſibi utilem e Leidenſi bibliotheca nactus, ſubſidia conquirit majora, ſed irrito hactenus conatu. Conqueritur in ſuis ad me litteris nec *Baptiſtae Pii* in hunc ſcriptorem commentaria, nec *Jacobi Locheri*, quae Anno 1521. in Germania ſuperiore dicuntur prodiiſſe, reperire ſe poſſe: *Locherum* praeſtare ſi nobis potes, & me non minus, quam *Munckerum* ipſum, & rem litterariam omnem perpulchre demereberis. Volebam plura, ſed recens a morbo, qui me aliquam diu lecto habuit adfixum, vires ſcriptioni non ſatis reſpondere invitus intellexi. Vale, mi *Daumi*. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXVII. Kal. Decembris.

EPI-

EPISTOLA CCXIX.

CHRIST. DAUMIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

APpulerunt tandem d. 24. Decemb. ſt. V. poſt tuas, vir Nobiliſſime, literas x. Decembri a noſtro *Carpzovio* ad me recte miſſas, Clariſſimi *Graevii* Ciceronis epiſtolae, & *Zanchius* tuus cum Abdia Babylonio. Quibus libris quid mihi gratius obvenire potuiſſet, nunc non memoro: verba enim deficiunt, & pudore afficior, cum cogito me tot beneficiis obrutum victumque, tam ingratae mentis hominen vivere cogi, nec paria facere poſſe. Doleo ſane ſortem mihi adeo adverſari, ut quod valde velim efficere nullus queam. Viſebantur ante unum & alterum menſem in quodam auctionis Lipſienſi Catalogo abs te deſiderata vetuſta illa a *Flacio* congeſta Poëmatia. Sed cum ille ſerius ad me perveniſſet, jam ab alio praerepta illa fuerant, nec reſcire potui, in cujus pervenerint poteſtatem. Sic caetera a te cupita necdum reperi; nec tamen deſpero tempus, deo volente, futurum, ut & illa alicunde erui liceat. Cl. *Graevio* non tantum his, ſed & peculiaribus litteris agam gratias. *Gisberti Cuperi* Obſervationibus Philologicis nondum potiri datum eſt, uti nec *Munckeri* Mythologis Latinis. *Jac. Locheri* Fulgentium nunquam vidi, ex appendice Simleriana Geſneri mihi ſaltem notum. Ejus Poëmata nonnulla ſpreta olim adeo *Jano Grutero*, ut ex praefatione partis 5. Poëtarum Germanorum liquet, poſſideo aliis appacta. Horatius cum Scholiis, ſed non magme puto rei, exſtat in Bibliotheca hîc publica. Forte ab anno 1498. quo Argentorati Horatium edidit, doctius aliquid accuratiuſque poſtea publicavit. Quod ſi Fulgentium indagare deinceps dabitur, a me non negligetur. Interim ſignifico *Barthium* ad Commelinianam Mythologorum Latinorum Editionem nonnulla notaſſe, quae ſi Clmo *Munckero* arrideant, a me fideliter excerpta habebit. Dabo exiguum harum guſtum. pag. 192. libri 1. pro melos carminis *expectabat*, legit ille *expectorabat*. pag. 171. cap. 17. Mercurium dici voluere quaſi *mercium curum*. *L. Mercicurium*. pag. 173. cap. 15. Anacreon *antiquiſſimus* autor, l. *amabiliſſimus*: pag. 184. cap. 7. lib. 2. pro *impoſſibilis* latro *L. improviſibilis*. Videndum tamen, an non praecedenti voci *potentior* opponatur. pag. 193. cap. 16. de Dionyſio, in femore ſuo *miſit*, l. *inſuit*. pag. 215. fine capitis de Marſya & Orpheo: Paſtores ſunt, qui aliena ſulcando *ſubtilius* paſcunt. L. *ſua vilius*. Alia addere non vacat. Plura ad Continentiam Virgilianam adſcripſit. Baptiſtam Pium in Fulgentium, uti & ejus Elegias a Raviſio Textore ejuſque exſcriptoribus laudatas, itidem nunquam vidi. Novi Bibliopegos & alios homines, qui veterum talium librorum ingentem numerum conſciderunt, e quorum manibus aliquando quoſdam eripui. Hinc non mirum rareſcere ubique eos, nec faciles inventu eſſe. De caetero ſi qui libri grandiores, qualis Abdias iſte, pro quo adhuc debitor ſum, fuit, ad me deſtinabuntur,

velim ſignificari mihi pretium illorum, ut per Dn. *Carpzovium* poſſim refundere: Et ſi quos amplius libros deſideras, eorum indicium dari, ut ſi non omnes, ſaltem unus & alter attendi poſſit, & pro te acquiri. Ea propter ſcripſi & Noribergam ad Cl. V. *Chriſtophorum Arnoldum*, Amicum meum veterem, qui Cl. viri *Ant. Magliabechii* amicitiam mihi conciliavit, addito exemplo tuarum litterarum. Ad quas reſpondit his verbis: *Pro literis Heinſii, in gemmarum & emblematum cenſu habendis, maximas, quas poſſum, gratias ago: Amavit nos quoque Daphnis, & Epiſtolio me aliquando beavit; cum quo veterem revocare amicitiam, Leydae a nobis initam (ſi liceret) omnino vellem. Saluta virum Celeberrimum verbis meis, quem ſilentio hactenus colui; & adhuc colo* &c. Haec ille. Plura vetat acris gravedo, primum ad ſcribendum caput averſans, nec parum oculis moleſta, quam abſtinentia ſtudiorum omnium optime curo, ſingulis fere annis acciduam. B. Vale, Amice incomparabilis. Dabam Cygneae Kal. Januarii Anni a nato Chriſto CIↃIↃCLXXVIII. cujus ut & longe plurium ſecuturorum auſpicium feliciſſimum fortunatiſſimumque eſſe jubeo. *Frid. Nauſea* edidit Anno 1531. Coloniae Anonymi Philalethi Euſebiani in vitas, miraculaque paſſioneſque Apoſtolorum, Rhapſodias. In illis reperio integra capita ex Abdia deſcripta, niſi is potius ex hoc deſcripſit, aut *Lazius* primus Editor initia hujus immutarit. Poſſet ex hoc Abdias aliquoties, ſi tanti, emaculari.

EPISTOLA CCXX.

CHRIST. DAUMIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

Hiberni frigoris ſaevities & me inclementius, praeſertim menſe Januario habuit, *Heinſi* Nobiliſſime, Maecenas honoratiſſime. Quo magis doleo te binos ferme menſes lecto fuiſſe affixum; Deumque veneror, ut ſalvum quamprimum ac ex voto ſoſpitem ſeculo & Muſis te diutiſſime praeſtet ſervetque. Victorem Maſſilientem, quem cum Virgilio (at quanto, quam memorabili, & quantis gratiis digno munere!) a *Carpzovio* noſtro exſpectare me jubes, laetiſſimis excipiam amplexibus. Viales interim illis faveant benigni! Forte erit, ut & Panegyricus Berengario dictus e latibulis prodeat, & meum ſingulari jucunditate exhilaret animum. Quanquam laetitiam hanc turbare non parum videantur cogitationes ac ſolicitudines, quomodo tantis beneficiis tuis redhoſtiam ego, ab omni ejuſmodi ope inops, cum materia occaſione fere nulla ſit, & ſic tamquam in ingratum benignitas effundatur tanta. Sed & hic, ſpero, Numen caeleſte providebit. Manum illam in Victore alteram, quam *Pulmanni* arbitraris, mihi ejus eſſe neutiquam eſt viſa. Habeo enim illam frequentem in Codicibus, quos *Barthius* a Raphelengianis aere ſuo redemerat, Juvenalibus puta tribus, Sedulio, Aratore, Schedis Horatii &c. quibus uſus erat *Pulmannus* in ſuis Editionibus. Caſtigationes Vellejanas denuo emendatas quam vellemus

lemus *Arnoldus* & ego prodire? Judicium enim ſingulariter acuunt collatae tales editiones judicioſorum hominum. Hieronymi ille libellus, ſi ad me mitteretur, ſedulo darem operam, ut brevi temporis ſpatio, niſi liber Victore Maſſilienſi, quem intra decendium deſcribebam, forte craſſior ac prolixior ſit, exſcriptus a me ipſo, prima ſtatim tuta occaſione per Dn. *Carpzovium* remitteretur. An *Bigotio* libelli mei accepti fuerint, ſcire jucundum fuat. De Lactantii noviter reperto ſcripto & a *Baluzio* edendo *Graevius* ſalivam jam moverat. Utinam quamprimum rei ſpes illa transcribatur? A *Baluzio* alioqui dudum edita, ad nos, quod ſcio, vix aut nondum pervenerunt. Sane *Hildebertum* Cenomanenſem, ſi & illum publicaret, avidiſſime expeterem e Bibliopoliis. Imperfecta enim ſatis eſt Riviniana, nec ullo inſuper modo poteſt haberi, ne ab ejus quidem Filiis, qui parentis ſui hunc librum ignorare fere videntur. Poſt obitum ejus diſparuiſſe miror omnia illius exemplaria. Habeo nunc mecum ex Paulina Lipſienſium Bibliotheca Membranaceum grandem Codicem, in quo Mamutii neſcio cujus de virtutibus Elegia plus mille conſtans verſibus, Oroſius, Arator, Rigae & Prudentii nonnulla, ut Pſychomachia, Hamartigenia, Hymni. Quae cum tua, vir Nobiliſſ. comparare coepi, varias proxima occaſione, modo tanti ſint, miſſurus. Sed nolo inficetis meis nugis tibi, vir Nobiliſſime, tuiſque ſtudiis eſſe moleſtiae, quem valere ac ſalvere ex animo jubeo. B. Vale iterum iterumque & ſalve. Deproperabam Cygneae inter illa ἐμπαίσματα Nonis Maii CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA CCXXI.

NIC. HEINSIUS

Chr. Daumio.

Cygneae.

SUB hibernam tempeſtatem proximam me receperam ex aula in locum ſolitarium, quem ſtudiis meis ſeceſſum deſtinavi, ut & vires a morbo dejectas inſtaurarem, ſimul ut bibliothecam, mire conturbatam tot jam annis, ordinarem, ac meis aptarem uſibus. Cujus tamen in propoſiti ſucceſſu ne omnino mihi ſatisfecerim, per intervenientem morbum factum eſt, qui cum ab aliis curis, tum ab officio litterarum, quod amicorum pluribus debebam, tibi in primis, me avocavit hactenus. Illuſtrium ſeptem virorum poëmata, quae debebam tibi, miſi jam ad *Elzevirium*, quibus ille Vellejum Paterculum eſt additurus. Panegyricum carmen Berengario dictum iis additum oportuit, ſed exemplar, quod jam ſepoſueram ad te mittendum, neſcio quomodo in armariis meis aberravit, & manus meas fruſtratur. Ubi comparebit denuo, quin ad te iturum ſit dubitare non debes. *Thomae Munckero*, quae Barthiana ad Fulgentium Mythologum proxime annotata communicabas, fuerunt acceptiſſima, ac horum pleraque approbationem ejus ſunt conſecuta. Abdiam Babylonium *Salmaſius* cum pervetuſto *Fr. Jureti* codice contulerat, uti is ipſe ſaepe in ſcriptis teſtatur. Dum excutio Bibliothecam meam, complura illic volu-

volumina invenio apud Italos praeſertim excuſa olim, quae hîc terrarum raro videntur. Ut *Pauli Manutii* de comitiis & urbe Romana commentarios. ejuſdemque ac Fratris Petri de Damaſceno diſſertationem. Victorem; & a *Morellio* editum alterum Hieronymi libellum Graecum cum verſione Latina. Vale. Vianae ad Leccam 24. Junii Gregor. CIↃIↃCLXXVIII.

EPISTOLA CCXXII.

CHRIST. DAUMIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

Litteris tuis, vir Nobiliſſ. repoſuiſſem reſponſum maturius, ſi *Carpzovius* noſter ad Acidulas Egranas profectus voto meo non defuiſſet. Nunc commodum ſalutante noſtras oras Clariſſ. *Graevio*, non potui non ei committere *Arnoldi* ad te literas. Quibus ſi quid reddes reſponſi, curabo illud ad eum ſtatim atque accepero. Mar. Vict. Maſſilienſem, etſi mihi hactenus amatiſſimum, & inter κειμήλια repoſitum, male fecit *Graevius*, cum dono abs te mihi datum olim affirmavit, quod tum ex ejus αὐτογεάφῳ, tum ex Epiſtola CXXIV. ad *Reineſium* a me ſcripta, videre eſt. Idque credidi firmiter, cum tot Epiſtolis acceptis, ne ſemel quidem vel a te, vel a *Graevio* eo nomine fuerim commonitus. Securius igitur eo libro, quaſi meo uſus, ad typos quidem textum deſcriptum habeo: ſed nondum cum deſcripto commiſſum: qui liber etiam Catalogo nundinali Lipſienſi non ita pridem inſeri juſſus eſt, quaſi mox publicandus, fueratque publicatus, niſi exſpectaſſem aliunde ad commodius edendam editionem Gagneianam, quam & te rogare memini. Hac vice igitur, ne beneficium tuum mihi prorſus pereat, remittere per *Graevium* non potui. Bidui enim intervallo collatio & notarum deſcriptio, tot intercedentibus remoris, expedienda non erat. Si ſtatim, ac Lipſiam appulerat, id me monuiſſet, obtinuiſſet facilius. Exiguam igitur hanc morulam aegre noli ferre, cujus benevolentiam toties expertus ſum. Remittetur cura *Carpzovii* quamprimum, non ſine gratiis. Scribit autem *Graevius*, quem fruſtra hoſpitem exſpectavi, te, vir Nobiliſſ. promittere, ſi remiſero, aliud mihi ejuſd. Editionis exemplum; quod ſummis precibus rogo, maximiſque deſideriis mihi polliceor. Atque utinam & Gagneianam una nanciſci poſſem. Editionem enim nondum abjeci; ſed ſi vitam Deus largietur, vel meis ſumptibus, ubi ad eam rem tantum aeris collegero, uti Hieronymum dederam, dabo typographo, exemplaque ad vos mittam. Μακαρίτ Ἱερωνύμ (procul dubio is meus eſt Hieronymus) Φιλοπονία παντι χρησιαρῷ ὠφελοῦσα quot chartarum opuſculum eſt? Utinam olim habere licuiſſet, adjunxiſſem meo. Octo illa opuſcula Catonis, Theoduli &c. ipſus poſſideo: At non Lugdunenſem illam Anni 1538. quam valde cum veteriore illa componerem, ſi tam felix impetrator eſſem. Henricum de male Fortunatis Lugd. editum quaero, qui Septimelenſis, aliis Samarienſis eſt, cujus communicationem aut a Clariſſ. *Magliabechio*, qui ejus vitam

Digitized by Google

vitam e MSS. ſua manu mihi deſcripſit, & *Barthol. Scalae* opuſcula cum aliis dono miſit: aut a *Marq. Gudio* exſpecto, in gratiam *Magliabecchii* eum editurus. Berengarii Panegyriſten ubi nactus fuero, quas non gratias acturus ſum? atque utinam referre daretur. Indicium ſane rogo adhuc librorum copioſius, ut ſi reliqui ſtatim non compareant, unus & alter ſaltem, qui ſe primum offerat, tibi, Maecenas honoratiſſime, conciliari queat. B. V. incomparabilis *Heinſi*, & maxime feſtinatis incomptiſque benigne ignoſce. Dabam Cygneae a. d. 21. Aug. ſt. Jul. A. V. R. CIↃIↃCLXXVIII. *Buchneri* epiſtolae jam Dreſdae excuduntur. Vidi ſpecimen.

EPISTOLA CCXXIII.

CHRIST. DAUMIUS

Nic. Heinſio.

Vianen.

Litteras ad te, vir Nobiliſſ. meas Clmo. *Graevio*, cum Lipſiae haereret, cum Arnoldianis concreditas, jam in manus tuas illuſtres perveniſſe arbitror. Hac vice per Ampliſſ. Dn. *Carpzovium* remitto tandem Victorem Maſſilienſem, pro cujus tamen diuturna permiſſione gratias (ſi ſufficit) peringentes ago, & maxime memor hujus ero beneficii. Ibi quae ad Hilarium notata ſunt, Maximi Parentis tui manu exarata agnoſco: quam novi ex litteris αὐτογεγράφοις ad *Barthium*, & vidi in diverſis virorum doctorum Philothecis. Sed cujuſnam manus ſit, qui pag. 115. *velantes* ad oram ſcripſit, *Rutgerſiine*, cujus manum nondum vidi, an alterius, noſſe perquam haveo. An *Rutgerſii* ſunt pauculae ad Victorem pag. 14. 15. notae? Noli autem, Domine maxime venerande, indignari, quod tamdiu apud me detinuerim hunc libellum, qui, niſi ex errore meum putaſſem, & ſi citius fuiſſem vel a *Graevio* monitus, jam olim, & quidem brevis, poſtquam primum accepi, temporis ſpatio, ad ſuum reverſurus erat Dominum. Septem illuſtres Poëtas una cum Vellejo & *Rutgerſii* effigie, cujus unum cum *Arnoldo* noſtro commune feci, poſt *Graevii* diſceſſum demum recte adeptus ſum: unde mihi nova debitio nata eſt. Quî vero ex tabulis tuis nomen expungatur meum, nondum queo perſpicere. Valde placet in eo collatio cum primigenia editione, ex qua ſic vera lectio feliciter fuit eruta. Utinam & alii Auctores ad primas ſic revocarentur editiones! Septimellenſis dimidiam fere partem ex Lipſienſi Bibliotheca nactus ſum: nam caetera librarius omiſerat; utinam aut a *Magliabecchio* aut a *Gudio* (uterque enim promiſit) ſupplenda! Berengarii Poëtam anxie exſpecto. *Manutii* illa ſcripta, quae poſſidere te ais, hucuſque fuerunt mihi incognita. De Hieronymo ſuperius ſcripſi. *Raenerius* Medicus, qui octo illos verſificatorculos recudit, utinam aliquando hac facie conſpiciendos, etiam Ovidii Metamorphoſin evulgavit, & neſcio quid in Lutatii Argumentis ex Manuſcriptis ſibi praeſtitiſſe viſus eſt. Si *Munckeri* Fulgentius in lucem prodiit, eum nondum ſum conſpicatus. Gaufredum cum tertiis Membranis a *Gudio* ad me miſſis commiſi,

proxima oportunitate publicandum. Suspicor eum suam Poëtiam (sic vocat) bis edidisse: tantae discrepantiae alicubi in eo apparent. Victoris Massiliensis Morellianum exemplar, & quae ei accessere Poëmatia, debebunt adhiberi suis editionibus, qui postea Bibliothecis Patrum inseruere. Nam *Georgius Fabricius* uno & altero loco in suis Poëtis Christianis sibi permisit, quod non debebat. Etiam in Drepanio omisit distichon, quod & reliqui fecerunt. Bene Vale, vir nobilissime, evergeta aeternum commemorandi, & me alio Victoris exemplo tibi amplius obstringo. Datum Cygneae a. d. XVI. Octob. Anno CIↃIↃCLXXVIII.

EPISTOLA CCXXIV.

NIC. HEINSIUS

Chr. Daumio.

Cygneam.

INvitus quidem ex ultimis tuis cognovi *Graevium* nostrum, tam vicinus vobis cum esset, curis avocatum domesticis, te non convento pedem ad nos retulisse e Saxonia vestra, de qua redux ceteroquin complura narravit nobis haud injucunda auditu. Nunc in Floro luce donando totus est, in quem quicquid conjecturarum e scriniis meis corradi potuit, id omne communicavi cum amico nostro. Vellejum meum tertia parte auctiorem & emendatiorem luci paratum jam habeo, quo aequiore animo a te inspiciendae sunt castigationes meae properanter nimis in publicum nuper emissae. Hunc enim libellum cum poëmatis Septem Illustrium Virorum, quod sibi redditum ultimis significarit noster *Carpzovius*, ejus tibi copiam jam esse factam vix est ut dubitem. Panegyricus Berengario dictus, qui aberravit in pluteis meis, nondum e fuga retractus est. Victor Morellianae editionis, tamdiu apud te servetur licet, dum alterum ejus exemplar ad te perveniat, quod tibi seposui. Frequenter quidem amicus noster, etiam cum libellus ei traderetur ad te mittendus, a me monitus est, ejus repetendi curam ne negligeret, ut fatetur ipse, cum eorum, quae ad oram codicis *Rutgersius* annotaverat, nullum mihi exemplar sit reliquum. Sed oblitus, quantum apparet, moniti saepe iterati a me, effluere sibi passus est has preces. Tibi autem, vir Clar. satisfactum rebar, si editione illa ad satietatem utereris. Gagneianam Victoris editionem nequicquam quaero hactenus: ad *Arnoldi* litteras rescriptum *Carpzovio* nostro mittam hodie. de Poëmatis *Angeli Politiani* Etruscis olim inter nos actum memini, quorum editionem Aldinam possideo & alteram Mediolanensem Anni 1519. cui vir maximus *Julius Caesar Scaliger* manu sua adscripsit, *dignum poëma non solum, quod quibusvis praestantissimis vulgaribus scriptis adnumeretur, sed etiam quod praestantissimum omnium habeatur.* Vale, Idib. Novemb. CIↃIↃCLXXVIII. Viennae ad Leccam.

EPI-

EPISTOLA CCXXV.

NIC. HEINSIUS

Chr. Daumio.

Cygnum.

DE Victore Maſſilienſi, cur tam anxie feſtinares nihil omnino cauſſae erat, Daumi Clariſſime, poterat enim in ſcriniis tuis acquieſcere, dum aliud exemplar, quod ſum pollicitus tibi, traderetur. Id tibi apud me quemadmodum praeſto eſt, ita Panegyricum Berengario dictum nondum erui eſt datum e latebris Bibliothecae meae. Hyberna haec tempeſtas aliquanto inclementior facit, ut cubiculo rarius exceſſerim in muſeum: ſub adventu hirundinum tamen id tutius licebit, ſine valetudinis incommodo, quae me loco adfixit. ad Hilarium quae annotata ſunt ex *Puteanorum*, ut ſuſpicor, codice, non parentis mei, ſed *Rutgerſii* manum praeferunt, ex cujus legato quia ad me pervenit, librum cariorem habeo. Altera illa manus, quae pag. 115. comparet, mihi plane eſt incognita. Caſtigationes Velleianas ad te perlatas eſſe gaudeo, non quod ſint tanti, quae te lectorem poſſint ſperare, ſunt enim tumultuarium in modum a feſtinante conſcriptae. Sed ut videas pro jure amicitiae noſtrae, ita me arbitrari, etiam minima mea ad te pertinere. adauxi eas altera fere parte, multis rejectis aut immutatis, in quibus videbar mihi poſt intentiores curas a ſcopo aberraſſe. ad Cl. *Arnoldum* litteras menſe Novembri dabam, quas te accepiſſe confido. De Hieronymi libello agam cum *Graevio* noſtro, ſi ſit, cui deſcribendum concredi poſſit. Sin minus, ad te referendum aliquando curabo, ubi tuta ſeſe offeret occaſio. *Raeuerius* ille argumentis in Metamorphoſes Naſonianas vetuſtis recognoſcendis utilem ſe operam navaſſe gloriatur, quod tamen doctiſſimus *Munckerus* negat, qui a me argumenta ea accepit cum vetuſtiſſimo codice Florentiae collata. *Munckerus* Fulgentio ſuo adhuc typographum quaerit. Vianae 10. Februar. CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA CCXXVI.

CHRIST. DAUMIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

PRO Maronis tui, vir Nobiliſſ. munuſculo non tenui, quod ais, quippe accurato ſtudio ad antiquitatis Auctoriſque genium elaborato, grates denuo ago ſed tenues, ſolis nimirum verbis conſtantes, non re aliqua ſuffultas. Utinam felicitate illa bearer, qua viciſſim aliquid contra praeſtare poſſem iis, quae in me hactenus praeſtita ſenſi. Deus orandus eſt, ut deſiderio noſtro quamprimum conſulat. Interim & annotationes in divinum hunc vatem paratas avide exſpectabimus, atque ut huic operae multiſque aliis porro ſuperſis, Caeleſte Numen quotidianis votis implorabimus. Cl. *Bigotius* ſi tibi Berenga-

rii Panegyricum procuret, quantas ipsi, tibique simul debebimus gratias! Quod & de Hieronymi Graeci φιλοπονίᾳ dixerim. De Malela quia *Beemannus* ad ultimas diu responsum non reposuit, nunc iterum litteras ad eum dedi monitorias, me doceat, quid nobis de promisso suo sperandum sit. Quod statim atque edoctus fuero, vobis, viri honoratissimi, significabo. Audio multis eum obrutum esse negotiis; unde forte illum laborem ad tempus sepositi. Sed certiora, ubi respondebit, quod proxime facturum spero, ex ipso cognoscemus. Claudii Marii Vict. Editionem Gagneianam, imo si potest, etiam a Sirmondiana & Zehneriana aliam adhuc, si ad conferendum mitteretur, quando aliter non datur, gratus remitterem. Primam Argentinensem Anno 1507. habeo, veterem praeterea nullam. Ideoque tam anxie desidero, quod *Zehnerus*, quae in Colonienſi sunt lectiones variae, editionis Argentinensis esse dicat, & vice versa, quae Argentinensis ajat esse, Colonienſis: ex Basileensi vero *Moltheri* pauciſſima quaedam afferat, quasi paucis locis inspexisset saltem, non contulisset integrum. Lactantii noviter repertum Libellum a *Baluzio* grandibus, ideoque sumptuosis, voluminibus esse inclusum, insigniter dolemus. Sic enim ejus potiundi spes eo minus apparet, quo rarius cariusque in nostram Germaniam ea opera ventura sint. Conjicio id ex Homiliarum Caesarii exiguo a *Baluzio* editarum Opusculo, quo me munificentissimus *Carpzovius* donavit. Qui si parvo aere non acquirendus est, quid fiet de ingentibus Parisinorum operibus? *Reinesiana* illa an possim acquirere allaborabo. Olim cum edebantur, plura habui exempla, quae cesserunt amicis, ut praeter unum e singulis compactum jam nullum mihi supersit. Observabo autem ne elabantur, modo bona Fors eas pagellas obtulerit. Sed fac, τιμαλφίσωτι *Heinsi*, mittas indiculum desideratorum; forte felicius si non hic, tamen ille plureſve occurrant, quibus tibi rem gratam praestare queam. Orationem *Buchneri* de 4. Virgilii Ecloga, utut forte ante tibi possessam, hisce inclusi. *Munckeri* Hyginus & Fulgentius an prodierint nosse non parum desidero. Utinam *Baluzius* Hildebertum Cenomanensem evulgaret? Reperi nuper fragmentum illius ex Libro de Miseria Conditionis humanae apud Auctorem incertum, cujus annis abhinc ducentis Loci Communes ex Patribus collecti titulo *Pharetrae* prodierunt: cujus tres quasi Editiones deprehendi; prima Norimbergae sub incunabulis Typographiae foras data est, altera in pulchris membranis scripta aliquot, quod miror, capitibus sive titulis auctior servatur Lipsiae in Paulino, quibus nuper usus sum. Tertia post loco incerto excusa, infinitis modis auctior, ordineque prorsus immutato, atque in Alphabeticam seriem redacto; ubi & ultimorum Poetarum Scriptorumque Hildeberti, Gaufredi, Henrici Pauperis, Galteri &c. adduntur, in publica hic Bibliotheca adservatur. Sed nolo porro taedio esse hisce minutiis. Tu vive, vir Magne, diutissime in Reip. literariae magnum ornamentum praesidiumque, favorem perge salveque. Dabam Cygneae Kal. Octob. R. O. R. CIↃIↃCLXXIX.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCXXVII.

CHRIST. DAUMIUS

Nic. Heinſio.

Vianen.

LIteras tuas, vir Nobiliſſ. Kal. Febr. Julianis, ac Hieronymum Graecum, Avitumque Gagneii die quinto Aprilis demum ad me ſalvos perveniſſe nuncio. Reſcripſeram ſtatim ad literas, niſi Ampliſſ. *Carpzovius* noſter Dreſdam profectus in negotio Senatus Lipſ. domo abfuiſſet. Interea me domeſtica & publica negotia infinita ab his libellis recte uſurpandis avocarunt. Deſcripſi tamen jam Hieronymum, praelo quam proxime ſubjiciendum, ut & pro Amicis meis, & tibi, quae tuis, quia tam rara merx eſt, diſtribuas, exempla ſuppetant. Alcimum & Victorem Gagneii cum Fabriciana editione committere coepi, brevi abſolvendos. Video autem Pariſienſem hanc ἔκδοσιν ex priore Anni 1536. apud *Vincentium Portonarium* expreſſam, quam & ipſam una cum *Moltheri* A. 1546. Baſileae procuratam, aut Colonienſem A. 1509. videre poſſe in votis habeo. Interea accepit a me *Carpzovius*, Muſarum Patronus, Eobani vitam a *Camerario* deſcriptam, quam rogabas, ad te ut cum nonnullis *P. Lotichii* Elegiis in ejus Poëmatis non reperiundis, a me in gratiam *Graevii* noſtri deſcriptis, mitteret, quod mihi eſſent gemina ejus libelli exempla. Caeteros an poſſim alicunde e latibulis eruere, dabo operam. *Hildegardis* Phyſicam & *Guibertum* de Myrrhinis ipſus nondum vidi. Reineſianae de lingua Punica Diatribes olim multa habebam exempla, quae tamen praeter unum amicis jam pridem ceſſerunt omnia. Inquiram autem in illam diligentius. *Mabilloni* Analecta nondum oculis meis objecta fuerunt. Vellem ſcire vel unius alteriuſque Poëtarum nomen, quos ſuo ille inſeruit, ut ſic de reliquis, cujus cenſus forent, conjecturam poſſem facere. *Becmannus* ad nuperrimas meas, quas *Carpzovius* illi miſit, nondum reſpondit, nec cauſam ſatis exputo. Cl. *Munckero*, ſi vivit adhuc, quod opto, proſperam ac perpetuam voveo valetudinem. Paulinum Nolanum & Hildebertum, ubi prodierint, prae caeteris mihi expetam. De Panegyrico Berengarii fors venaturo favebit Delia. Lactantio de mortibus Perſecutorum comitate *Carpzovii* praelaudati uſus fui. In eo cap. 23. pag. 21. Vox *injurietas* aures meas radit, quae genii ac oris Lactantiani vix credetur, dum ſic vulgatum eſt: *Mendici ſupererant, a quibus nihil exigi poſſet, quos ab omni genere injurietatis miſeria & infelicitas fecerat.* Legendum mihi videtur: *quas ab omni genere injuriae tutos miſeria & infelicitas fecerat.* De qua emendatione ſententiam tuam & acutiſſimum judicium praeſtolor. Syllabum auctiorem abs te deſideratorum librorum exſpecto. Forte enim unus & alter obveniat adhuc, quem tibi jucundum fore nobis perſuademus. B. V. & diu vive, ſummo literarum commodo, Bataviae tuae, imo totius Germaniae Φείσῳ, Maecenas Opt. Max. Dabam praepropere Cygneae a. d. IV. Maii A. CIↃIↃCLXXX. His vix ſcriptis appulit ad me exemplar Valerii Flacci tui: cui utinam & notae

fuiſſent additae, quas impatienter abeſſe ferimus. Quam gaudio exultaverim eo viſo, vix dici poteſt. Poſt Avitum & Victorem expeditos, Valerii quas habeo editiones, ut excutiam diligentius excitabor. Quas vero pro exoptatiſſimo hoc munere gratias ſatis tibi, vir munificentiſſime, agam non habeo, denuo nomen in tuas tabulas relatum vix unquam expungendum. Apud Ovid. 7. Met. 276. an legi queat: *mortari marmore*, pro *mortario marmoreo?*

EPISTOLA CCXXVIII.

CHRIST. DAUMIUS

Nic. Heinſio.

Vienam.

QUos pridem reſtituere cum gratiis libros tuos, vir Nobiliſſ. tibi cogitabam, & me oportebat, eos retinere hactenus me vel invitum coegit dira haec temporum infelicitas, quae vias ad vos fere omnes intercluſit, ob Lipſiam contage peſtifera famoſam. Exſpectamus ſpe ducti exſtinguendae brevi penitus malae luis, ut itinera denuo aperiantur commerciis noſtris litterariis, & ſic Hieronymus tuus, Gagnerii Alcimo comitatus, ad te redire poſſit, cum faſciculo exemplarium meae editionis Illuſtri tuo nomini inſcriptae, cujus unum nunc exemplum ſpeciminis loco juſſus adjiciet Ampliſſ. noſter *Carpzovius*, qui Paulinum *Barthii* e meis forulis protractum beneficentia ſua luci ſiſtit. Ignoſces autem, vir εὐδοξότατε, ſi quid in meis diſplicebit, qui variis curis ſenioque obrutus, ſegnior indies ad expedienda ejuſmodi negotia, nec ingenium in numerato habeo. *Flacii Illyrici* Antilogium quid libri ſit, explorare nondum potui; nec norunt Jenenſes, quos conſului; quippe apud quos olim ille Theologiae Profeſſor vixit. Non deſinam tamen inquirere ulterius. Spes fuit nuper facta *Porti* de compotatione Graecorum potiundi, quae ſi minus decollat, habebis una. Ovidii recenſionem te meditari lubens cognovi. Nactus ſum nuperrime MS. Chartaceum Metamorphoſeos, & aliud Artis amatoriae, item de Remedio Amoris. Sed admodum recentia utraque. Ne cum tua editione conferrem, Hieronymus, Avitus & Victor tui uſurpandi a me, & nonnulli rari libri, quos eximius *Carpzovius*, dum nobiſcum ageret, ſecum advexerat, nonnullos & uſui meo benigne hîc reliquerat, impedierunt, & poſtea Paulinus notis *Jureti*, *Barthiique* illuſtratus. Dabo vero operam, ut his expeditus, ad Ovidium conferam me; ſi quid modo boni eruere inde valeam; quod vix tamen credibile mihi, ita unus & alter locus jam inſpectus votis minus ſatisfacit. Librorum, quorum mentionem feciſti, nullum vidi ego, excepto *Baluzii* Miſcell. tertio tomo, quem cum prioribus Jenenſe bibliopolium ſuppeditavit. Poëtas *Mabilloni* ut pararem mihi allaborarem, niſi magnitudo, quam ais, pretii & me abſterreret. Aveo tamen reſcire, undecunque potero, Autores illi quinam ſunt, quos ille edidit; & an inter eos appareant Henricus Septimellenſis ſive Samarienſis, ut apud nonnullos dicitur, vulgo Pauper; Geta, hoc eſt, Vitalis Gallici, cujus querelus

Digitized by Google

lus exſtat, Amphitruo, Bernardus Geiſtenſis, imprimis Bernardus Silveſter. Sic enim nec grande abnuerem pretium. In emendando Lactantio actum egi. Obſervavi enim interea, quod prius non attenderam, ab ipſo *Baluzio* hunc locum inter errata emendatum jam fuiſſe. Clmi *Montkeri* Fulgentium (nam Hyginum, niſi ſecunda ea editio eſt, habeo) nondum vidi. Etſi in Catalogo nundinali jam viſatur tanquam editus. Commodiano & Panegyrico Berengarii utinam ex auctione aliqua, expoſito aere a me certe ſolvendo, per te, vir honoratiſſime, potiri queam. Victoris Maſſilienſis a *Canchii* manu notati uſum a te mihi, viis, deo nos reſpiciente, recluſis, mihi polliceor. Cujus ô ſi & Lugdunenſem 1536. (nam in tua Pariſienſi multi hinc inde verſus omiſſi ſunt, quos tamen alii ex Gagneiana producunt) & Baſilienſem *Molliberi*, vel commodato habere daretur. Forſan adjutus energetae mei Magni *Carpzovii* auſpiciis ille & a me, ſi vivo, prodire ſic valeat. Sed interturbatus deſinere jubeor. B. V. ſalve, & diu diuque ſoſpes age, τειπόντι ἐμὸν δυχρμα. Dab. Cygn. IV. Id. Decembr. CIↃIↃCLXXX.

EPISTOLA CCXXIX.

BERN. ROTTENDORFFIUS

Nic. Heinſio.

Amſtelodamum.

TAndem aliquando, licet tamen ſerius, libero fidem meam in tranſmittendis codicibus MSS. Vir Clariſſ. quidquid hîc illatum morae, aut culpae commiſſum: totum illud vitae meae deſultoriae, & praxi negotioſae admetiendum eſt. Ab illo enim tempore, quo te anterioribus menſibus Amſtelodami ſalutavi, vix tribus diebus continuis domi ſubſtiti; ita perpetuis excurſionibus occupor; inprimis vicinorum Principum aulis. Mitto itaque in praeſens Claudianum MS. & ejuſdem libros de raptu Proſerpinae: quibus ultro ſeſe adſociant Ovidii libri de Ponto, de Arte amandi, item ejuſdem Metamorphoſeon lib. adſervantur adhuc in meo muſeo Gloſſae in membrana in lib. amorum & artem amandi, in quas ut jam inquiram non vacat; ſi tamen illas deſideraveris, proxima occaſione ſubmittam. Idem eſto judicium de editione Aldina operum Ovidii antiquiſſima, & aliis in eundem auctorem commentariis. Juvenis olim quaedam annotavi ad illum auctorem: quae videntur periiſſe: nec libet, nec licet, ut inquiram quorſum devenerint. Mitto aliquid ex nugis meis. Noli ridere, mi Heinſi, quod ſtrepam velut anſer inter olores. Videbis alia propediem, quae magis forte propitiabunt genium tuum. Clariſſ. *Gronovium* ad vos rediiſſe laetanter accepi: praevia ſalute, velim ipſi indices; me a Caeſaria Majeſtate nactum omnia opera Auli Gellii eleganter MSS. quae ipſi ſuppeditabo libens. Ab eo petes Gloſſas in Metamorp. Ovidii & alia in eundem auctorem, quae mea ſunt. Vale, Vir Cl. Monaſt. CIↃIↃCLVII. 19. Febr.

EPI-

EPISTOLA CCXXX.

BERN. ROTTENDORFFIUS

Nic. Heinſio.

Amſteledamum.

DOctiſſime Clariſſimeque vir. Quod parcus ſum & infrequens in ſcribendo, perpetuis meis itineribus & excurſionibus adſcribendum eſt. Ante obſidionem noſtram pluſculas ſeptimanas commoratus Bonnae in Aula Electoris Colonienſis. Inde redux arctiſſima premor obſidione cum meis concivibus, qua ſoluta avocor Padebornam & Oſnabrugum, atque apud eorum locorum Principes itidem aliquot dies ſubſtiti: nunc me Rittperga tenet. Et haec cauſa eſt, mi optime Heinſi, quo minus quam deceat, vacem amicis. Nuper Coloniae Triſtia Ovidii nactus MSS. & Epigrammata Martialis, quae alias rarius MSS. vidi. Si iis indigeas, velim verbo notifices. Habeo itidem duas Martialis primaevas editiones, ipſo MSS. non deteriores. Si tibi animus fuerit adornare novam editionem, prompte omnia ſuppeditabo. Idem eſto judicium de Lucano, qui pariter tertio vel quarto adſervatur MS. cum tribus primaevis editionibus in meo Muſeo. Quando ante quadraginta annos, & quod excurrit, ſtudiorum cauſſa commorabar Roſtochii apud *Eilhardum Lubinum* virum Cl. quaedam ad Ovidium annotavi; quae mihi tamen perierunt. Ne tamen totus ſim aſymbolus, pauca tranſmitto. Ubi ex noſtris mercatoribus non nemo ad vos excurrerit, jubebo ut codices meos, quos tibi utendos ſubmiſi, repoſcat: tam diu velim apud te deliteſcant. Eſt mihi Editio Claudiani Antverpienſis, cui ſubtextus Avianus; quem itidem MS. ſecundo habeo. Tollo manum de tabula, avocor enim ad menſam. Vale. Rittpergae CIↃIↃCLVIII. 20. Martii Spero nos viſuros Ovidium & Claudianum in majori 8to. ut reliquos Poëtas Virgilium, Horatium, Juvenalem &c.

EPISTOLA CCXXXI.

BERN. ROTTENDORFFIUS

Nic. Heinſio.

Amſteledamum.

CLariſſime Heinſi, amicorum optime. Tranſmitto Triſtia Ovidii, & Epigrammata Martialis MSS. quamvis multarum Bibliothecarum forulos perreptarim, nuſquam Martialem offendi MS. Eſt mihi elegans Martialis Editio Romana in fol. de anno 1573. quam adornarunt *Conradus Schweinheim* & *Arnoldus Pannartz*; quae codice MSS. non deterior, & alia Aldina in 8to. Habet itidem noſter *Gronovius* Gloſſas in Metamorphoſen Ovidii. Item *Thomae Walleis* Moralizationes in eundem Auctorem; omnia MS. quae ſi ſervire poterunt, repetes ab eo. Adſervantur & aliae adhuc Gloſſae in lib. Amorum & de Arte amandi in meo muſeo, quas itidem ſubmittam, ſi deſideraveris. Nactus

ctus ſum nuperis diebus cum aliis codicibus calamo exaratis ampliſſimum commentarium *M. Arnulphi Aurelianenſis* in Lucanum; velim me edoceas, quis ille *Arnulphus*, num editus? extat in membrana apud me MS. Scias praeterea, quod Viennae in Bibliotheca Caeſarea extet Metamorphoſis Ovidii ſecundo MS. Item omnia illius Auctoris opera; quae verbo impetraſſem ab Imperatore defuncto, nunc omnis ſpes decollavit. Aſſervantur item Monachii in Bibliotheca Electorali, Ovidii Metamorphoſeon lib. 15. Item de arte amandi lib. 1. de remedio amoris lib. 1. & 2. Item alii de arte amandi lib. item de Ponto, Faſti, Claudiani de Raptu Proſerpinae lib. 3. Vale. Monaſt. CIↃIↃCLVIII. 9. Maii.

EPISTOLA CCXXXII.

BERN. ROTTENDORFFIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

ANterioribus diebus, mi optime Heinſi, Holmia per *Elzevirios* geminas a te accepi; quibus a me Virgilii duos codices MSS. petis, quos jam mitto, quibus ultro ſeſe adſociant ſeptem illuſtrium virorum Poëmata, in quibus [1] *Archontorus* noſter choragium ducit; & Muſae Juveniles *Alexandri* VII. ab eodem *Archontoro* in lucem productae. Velim iſthaec boni conſulas. Poſt octo dies praeterpropter cum Sereniſſ. Electore Colonienſi Hildeſium, inde Wolfferbytum excurſurus, habebo tui rationem; Scio enim inibi extare innumeros codices calamo exaratos. Naſonem tuum nuper Neuhuſii vidi apud *Furſtenbergium* noſtrum, iſtius loci Antiſtitem, dedit is etiam geminas tuas mihi legendas: Magna mihi cum illo intercedit neceſſitudo: Princeps totus politiori literaturae addictus jam adornat Patriae Hiſtoriam, quae etiam propediem manumiſſa lucem adſpiciet. Jam gemunt ipſi tres ſcriptores terrae ſanctae Weſtphali ſub praelo; qui hactenus omnes MSS. delituerunt in meo Muſeo. Pulcherrimam adornari curavit Typographiam in Arce ſua Neuhuſiana. Fecimus ſaepiuſcule honorificentiſſ. Tui mentionem. Ab *Elzeviriis*, nec codices MSS. nec imagines Cardinalis, nec Naſonis opera accepi; monebo illos, ut ſeſe tuae voluntati conforment, ſcio illos eſſe paratiſſimos. Ubi incideris in Dn. *Roſenhan*, Aulae regiae in Suecia cancellarium, ſi recte memini, ipſi omnem cultum & obſervantiam ex me deferas. Fuit is ſeptem annos, & quod excurrit, inquilinus meus tempore tractatuum pacis in hac urbe; velim item ipſi offeras unum exemplar ex plauſibus votivis, ſi etiam poſſideas Muſas juveniles *Philomathi*. Et ſeptem Illuſtrium virorum Poëmata, quae jam tranſmitto, optarem ipſi offerri, ſin minus, tibi ſervabis. Praeterea Hildeſio redux praepropere ad te ſcribam, quas membranas MSS. nactus, item illis adjungam Catalogum omnium meorum Cod. MSS. Haec occupatiſſimus illino papyro. Vale: & ſalve Monaſt. Weſtphalor. CIↃIↃCLXII. 6. Auguſt. *Archontorus* noſter valde anhelat ad Elegias tuas in Italia editas.

1 *Ferrandus Archontorus* eſt *Ferdinandus Furſtenbergius*, ut conferenti editiones Antverp. 1662. & Amſtel. 1672. patebit.

EPISTOLA CCXXXIII.

BERN. ROTTENDORFFIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

CLariſſime vir, amice pl. colende. Tranſmitto antiquiſſimum Virgilium cum notis Servii, quem nuperis diebus nactus: his adjungo geminum exemplar Silii Italici; cujus ad marginem varias lectiones ex antiquiſſimis membranis Eccleſiae Colonienſis deſumptas ſua manu adſcripſit *Joh. Livineus* vir Clariſſ. *Laevini Torrentii* ex ſorore nepos; alterum neſcio cum quo Romano Codice collatum; his frugre, ſi libet. Si literatiſſimo meo Principi Epiſcopo Paderbornenſi Silium tuum, vel Val. Flaccum inſcripſeris, feceris ipſi rem gratiſſimam, & experieris re ipſa illius liberalitatem: nec mihi moleſtum erit, ut tibi vel torquem auream, vel ſimile quid, quod poſſis propitiare genium tuum, elaborem. Ego hac hora, dum haec illino papyro, cum dicto Principe excurſurus Ratisbonam ad Comitia Imperialia: inde reverſus, ſi deus vitae pepercerit, plura ſuppeditabo. His vale & ſalve. Monaſt. Weſtphaliae CIↃIↃCLXIV. 14. Januar. Velim dicas domino *Roſenban* magnam ex me ſalutem, addatur quod jam utroque filio, juvenibus ab eruditione ſolida clariſſimis, orbatus ſim.

EPISTOLA CCXXXIV.

NIC. HEINSIUS

Bern. Rottendorffio.

Monaſterium.

QUas tu Januario menſe ad me dediſti literas, cum membranis Maronianis & Silii exemplaribus editis, eas heſterno demum accepi die. Abſentia tua opinor factum eſſe, vir Clariſſime, ut ii, quibus tu Ratisbonam diſcedens provinciam faſciculi curandi demandares, minus diligenter officio ſuo ſint functi. Certe menſes duo vix ſunt, quod *Elzevirius* de faſciculo ad ſe perlato, ac ſimul nautae Holmienſi tradito, me commonuit. Virgilio ut opitulari pro virili pergas, etiam atque etiam te exhortor. Cui ante veris adventum manum a me fore imponendam confido. Morantur nonnihil editionem cum occupationes publicae, tum codices vetuſti, quos amici de novo nuper admodum ſubminiſtrarunt. *Marquardus* in primis *Gudius* miſit proximis diebus exemplar longe praeſtantiſſimum ex Italia allatum. De Silii exemplaribus exoſculor ſedulitatem tuam & ſingulare mei demerendi ſtudium. Utroque tamen codice jam pridem ſum uſus, quod *Johannes Bollandus*, vir doctiſſimus, bibliotheca S. I. Antverpiana depromptos, mecum communicavit *Livinei* exemplar. Praeter ea, quae *Modius* in Novantiquis lectionibus, & in Emendationibus *Carrion* ex membranis Colonienſibus longe optimis publice jam caſtigarunt,

runt, ſi qua ipſius *Livinei* accedunt, ea ſatis ſunt jejuna, ut quod res eſt, dicam. At quantivis pretii illa Gryphiana minoris formae, cum diſcrepantiam omnem complectatur libri Colonienſis, quem *Modius* & *Carrion* jure toties laudarunt. Multa autem continet, eaque omnino praeclara, quae nec *Modio* nec *Carrioni* intellecta ſunt, ut ex meis in ſcriptorem illum animadverſis facile deprehendes. Puto autem *Carrionis* manum in illo codice apparere, quod cum Modianis excerptis non ubique conveniant. Coloniae cum eſſem ante hoc decennium, in bibliotheca Cathedralis Eccleſiae multo ſtudio has Silii membranas perquiſivi, ſed fruſtra, jam enim cum aliis multis, quas idem *Modius* in Novantiquis laudavit, erant ablatae cuſtodum, ut opinor, ſocordia. Ex quo poſtremum te compellavi, de Prudentio dedicando *Principi Paderbornenſi* cogitabam. Sed in Silium & Valerium, quae annotavi, multo paratiora ſunt editioni, praeſertim in Valerium notae, quae tantum a me perlegendae ſunt; ut ſupremam manum deſinant requirere: ſi quid ex his Principi noſtro omnium acceptiſſimum fore opineris, ne diſſimula, quaeſo, tum & dignitates & honores, quibus fungitur, diligenter expreſſos quamprimum ad me mitte. De munificentia ejus quod bene ſperare me jubes, etſi eſt gratiſſimum, praecipuum tamen praeſidium in benevolentia & affectu tanti herois collocavi. Prodibit, ni fallor, propediem Claudianus meus, aut jam prodiit, cujus ut exemplar geminum confeſtim ad Reverendiſſimum Principem per tabellarios mittatur, quorum alterum tu tibi vindices, *Elzevirio* hodie in mandatis dedi, ſcripturus & ipſe ad Principem proxime. *Roſenbanius* anno proxime elapſo e vivis exceſſit. Ego ſolitudinem tuam atque orbitatem, qui filiis jam duobus ad praeclara contendentibus ſis privatus, doleo vehementer. Vale, vir Clariſſime; Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXIV XV. Kal. Sept. Jul.

EPISTOLA CCXXXV.

BERN. ROTTENDORFFIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

VIrgilii membranas & Silii exemplaria edita, recte tibi reddita eſſe, laetanter accepi. Sciſcitatus ſum ex Epiſcopo & Principe Paderbornenſi; quem ex tribus hiſce Poëtis, Prudentio videlicet, Valerio Flacco & Silio Italico, ſibi malit inſcribi. Reſpondit ſequenti verborum tenore. *Cl. Heinſio de cognita ejus in me benevolentia gratias ago, & plurimum debeo, quod amicitiam inter nos Romae initam, publico aliquo teſtimonio confirmare & inſignire cogitat. Si mihi auctoris dedicandi optio datur, malo Prudentium, Chriſtianum Poëtam Eccleſiaſtico Principi convenientiorem: quod ejus humanitati poteris ſuggerere, & perſuadere, omnia illius ſcripta a me fieri maximi.* &c. Subnectit poſtea; *De Heinſio curabo, ne illum operae, ac ſuae in me voluntatis poeniteat.* Haec ſunt verba Principis. Ne ego jam totus ſim aſymbolus in negotio hocce promovendo, mitto Prudentium integrum MS. In quo, circa initium & finem Enchiridii veteris

& novi inſtrumenti reperiuntur, quaedam carmina, quae non extant in editione *Victoris Giſelini*, quae venit in apricum circa Anno 1564. ex officina Plantiniana. Mitto etiam Prudentii Pſychomachiam MS. elegantem ſatis. Et ejuſdem libros contra Symmachum urbi Praefectum itidem MS. Dum haec illino chartae, caſu incido in *Antonium Liberum*, qui Hymnum unum interpretatus eſt. Habeo itidem antiquiſſimam Daventrienſem editionem, quae *Giſelino*, ut ipſe teſtatur, ubique tantum opis tulit, quantum ullus alius. *Murmelii* item commentaria in Martyrem Romanum extant in meo Muſeo. Sed non poſſum in praeſens in illa inquirere. *Liberum* mitto in Hymnum,

Inventor rutili dux bone luminis &c.

Valde anhelo, ut videam Valerium Flaccum a te recentatum & manumiſſum. Idem eſto judicium de Silio Italico. Mihi pronuper ex comitiis imperialibus reduci, alicubi praeda facti aliquot Codicis MSS. In his Statius totus elegans & vetuſtus, Seneca Rhetor, Solinus Polyhiſtor, Martianus Capella & in illum commentarius, Sidonius Apollinaris, Fulgentii Mythologiarum lib. 3. & ejuſdem de Allegoria libror. Virgilii lib. 1. Sextus Aurelius Victor, Vegetius de re Militari, Tuſculanae Quaeſtiones Ciceronis, Chalcidius in Timaeum Platonis, Codex antiquiſſimus ante 800. annos ſcriptus, & plures alii in membranis eleganter ſcripti. Euthanaſiam meam, ut ſpero, brevi videbis, quam ſummo Pontifici inſcripſi, & plura alia. Valde aveo videre novam illam Claudiani editionem. Vale, & me ama. Monaſt. CIↃIↃCLXIV. 14. Decembri. Si Dn. *Barenklau*, olim hic meus inquilinus, Holmiae ſubſiſtat; velim multis nominibus ex me ſalveat.

P. S. Petis, mi optime Heinſi, ut Principis mei honores & dignitates, quibus fungitur, diligenter expreſſas ad te mittam. Noſti illius ſingularem doctrinam & morum ſuavitatem, ut vere poſſim dicere,

Doctius aut melius nondum Germania pectus,
Vidit honoratâ ſceptra tenere manu.

Inſcripſi ipſi olim quid, cujus dedicationem mitto. Reliqua patent in catena aurea, quam ſubnecto. Hoc certum eſt, quod Barones *Furſtenbergii* inter illuſtres Germaniae Proceres a tempore Caroli Magni non ſine gloria inclaruerint, & quod ex eadem familia tres S. R. I. Principes, ut pote *Gulielmus*, Magnus Ordinis Teutonicus in Livonia Magiſter; *Theodorus* Epiſcopus Paderbornenſis, & noſter *Ferdinandus* prodierint. Non addo in praeſens plura. Siquidem,

Eſſet id in vaſtum mittere ligna nemus.

Vale iterum.

EPI-

EPISTOLA CCXXXVI.

NIC. HEINSIUS

Bern. Rottendorffio.

Monaſterium.

TU vero, quantum video, demereri me non ceſſas, Rottendorffii eximie. Perlata quippe ſunt ad me diebus proximis Prudentii exemplaria in membranis exarata cum tuis litteris, merum mei amorem ſpirantibus. *Principis Paderbornii* ſententiam tuo beneficio penitus exploratam mihi nunc eſſe lætor. Mavult nimirum heros litteratiſſimus Chriſtianum poëtam ſibi eccleſiae columini dedicari, quam ex ethnicis quemcumque. Nec diſſentio ego, aut in contraria eundum mihi duco. Memineris ſolummodo velim, animadverſiones in illum ſcriptorem meas mihi etiamnum apparandas eſſe, quas in Valerium Flaccum & Silium Italicum tantum non confectas in ſcriniis ſervo. Sunt tamen in promtu farragines ſcripturae diſcrepantis ex variis iiſdemque vetuſtiſſimis Prudentii codicibus a me jam olim inter peregrinandum collectae. Inter quos principatum facile tenet Puteanae bibliothecae codex litteris majoribus Romanis, quas capitales vulgo nuncupamus, exaratus, ſed magna ſui parte mutilatus & truncus, cum in eo libri adverſus Symmachum conſcripti, aliaque nonnulla deſiderentur. Uſus quoque ſum libro Bodlejanae apud Oxonios bibliothecae pervetuſto, qui Prudentii omnia complectebatur. Uſus & Voſſianis membranis & *Laevini Torrentii* ſchedis. Sed quod ad rem non minimum facit, a *Langermanno* impetrari poterunt, quae ille ante annos hos duodenos, cum Lutetiae una convivebamus, ex antiquiſſimo Thuanorum codice excerpſit. Haberi quoque poterunt, quae *Emericus Bigotius* ex Ambroſiano libro longe veterrimo, ac litteris itidem conſcripto majoribus Romanis, Mediolani ſibi comparavit. Eſſe tamen *Daumium*, virum in Saxonia eruditum ac humanioribus litteris probe inſtructum, in eo, ut Prudentium recenſeat, nonnemo ex amicis nuper monebat. Sed nil prohibet duplicem curam ſcriptori egregio ſub eandem tempeſtatem a duobus conſecrari. Majus impedimentum majorque procraſtinatio incumbit ac ſubverenda porro videtur a publicis occupationibus, quae, minitantibus nunc bellum foederato Belgio Britannis, ſolito denſiores me circumſtant, cum nunquam ſoleant intermittere, ſic ut abſit minimum, quin nuntios humanioribus litteris mittendos parem, niſi vitae privatae reddar, quo votis omnibus adſpiro. Claudianus meus jam pridem publice circumfertur, & niſi augurium me fallit, exemplar ejus tibi deſtinatum in manus tuas pervenit, ſin non recta per Monaſterienſes tabellarios via, at opera Celſiſſimi *Ferdinandi*, quod illi te adeſſe ſim opinatus, quando *Elzevirio Danieli* in mandatis dabam, ut geminum Claudiani exemplar Paderbornam curaret perferri, una cum hiſtoria *Loccenii* Suecica, quam princeps optimus videre deſiderabat. In Virgilio parum negotii mihi eſt reliquum, niſi quod *Chriſtina Alexandra* ſpem fecit, fore, ut ſubſidia haud exigui momenti ex aeterna urbe ſecum ad me perferat, cum pedem illinc movebit. De poëmatis

etiam meis lentum eſt negotium, in quibus tamen edendis occupari jam typographus coepit. Praeter *Schefferi* de Pythagorico dogmate commentarium, prodiere nuperrime ejuſdem cura apud Ubſalienſes Tactica Arriani & Mauritii hactenus inedita: prodibit propediem ejus de ſtylo opuſculum. *Barenklavius* in regni Suecici Senatorem proximis comitiis eſt erectus, conſpirante omnium ſuffragio, quae dignitas raro confertur in illos, quos natalium ſplendor haud comitatur. Nactum te eſſe codices membraneos complures in itinere Ratisbonenſi lactor. Chalcidii in Timaeum Platonis commentarius alicubi integer in priſcis bibliothecis latere creditur. ita certe perſuaſum habebat ut crederet *Holſtenius ὁ μαχαίτης*, qui eo ſcriptore plurimum delectabatur; cujus alteram tantum partem publice circumferri haud ignoras. Celſiſſimo Principi, quem in oculis aſſidue fero, me ut de meliori nota commendes, etiam atque etiam rogo. Vale, Flos amicorum, & feſtinatae ſcriptioni ignoſce. Exarabam Holmiae Suecorum Anno CIↃIↃCLXV. Kal. Februariis.

EPISTOLA CCXXXVII.

NIC. HEINSIUS

Bern. Rottendorffio.

Monaſterium.

Dies viceſimus, ni fallor, nunc exactus eſt, quod pro Prudentii ſcriptis exemplaribus ad me perlatis gratias qualeſcunque agebam, mi Rottendorffi, pari gratiarum actione nunc apud te defungor pro epiſtola herois *Ferdinandi*, tuo beneficio proximis diebus reddita, ad quam reſponſum hîc habes minime procraſtinatum, ne tantae viri Principis benevolentiae videar defuiſſe. Caeterum, quod proxima occaſione ſignificare neſcio quomodo negligebam, alibi curis occupatus, id nunc addo, eſſe nonneminem ex amicis meis, in foederato Belgio, qui aveat doceri, quid factum ſit ſchedis poſtumis *Mallincrotii ὁ μαχαίτης*, praeſertim iſti apologiae, quam Eraſmo noſtro dederat. Parari quippe a bibliopolis in Gallia Lugdunenſibus operum Eraſmianorum editionem novam, cui Apologiam hanc non inconcinne aut praeter ordinen, aut praefigi poſſe, aut ſubjungi, ſi vobis harum rerum cenſoribus acerrimis id minime inconſultum videatur. Tu quaeſo nonnihil reſcribe, ut deſiderio hominis amiciſſimi, is eſt [1] *Hadrianus Wallius*, ſatisfiat.

Plura

1 Vide Epiſt. XV. & XVI. *Walli* & *Heinſii* tom. III. pag. 869. Apologiam vero illam, quam pro Eraſmo ſcripſerat, produſſe neſcio. *Martinus Lydius* olim ſcripſerat, de qua vide *Baylii* Lexicon tom. II. pag. 1100. quam *Merulae* edenti vitam Eraſmi ſubmiſerat *Joannes Lydius*, ut diſcimus ex Epiſtola ejus ad *Merulam* tom. II. Sylloges hujus pag. 376. & quam fruſtra diu quaeſivi in *Merulae* vita Eraſmi Anno 1707. Leidae edita. Sed quae nunc legitur in X. tomo operum Eraſmi novae editionis. Aliam apologiam edidit nuper 1713. *Marſollerius*, quam Jeſuitae Trevoltienſes cum in ephemeridibus ſuis maligne carpſiſſent, partes *Marſollerii*, vel ipſe, vel alius ſuſcepit in diſſertatione inſerta commentariis literariis (*memoires litteraires*) Hagae 1716. tom. II. pag. 336. *Joh. Richardus* etiam Coloniae Anno 1688. edidit libellum, quo illum cum Eccleſia Catholica ſenſiſſe probare conatus eſt, quae *Lydii*, ſi eam vidiſſet *Richardus*, contraria eſſet.

Plura quae nunc ſubtexam, haud ſunt in promtu. Niſi id unum, ardenter anxieque memoriam mei me velle tibi commendatam eſſe, nec minus illi Principi, quem ego prae caeteris mortalibus unice in oculis fero. Vale. Exarabam Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXV. a. d. VI. Kal. Mart.

EPISTOLA CCXXXVIII.

NIC. HEINSIUS

Bern. Rottendorffio.

Monaſterium.

DIU eſt, vir clariſſime, quod me rerum tuarum ſtatus omnino latet. Nec opinor tamen mei ſtudium apud te frigere, cujus ſingularem benevolentiam tot argumentis habeo perſpectam. Diviſerunt nos bella, ne ſola ab intervallo locorum eſſet injuria. Bella inquam, quae cum patriae & tuae & meae minus fortunata obvenerint, mihi tamen & privatim damnoſa ſenſi. Miſſis quippe Amſtelaedamo ad me Octobri menſe Anni CIↃIↃCLXV. centum aureis per tabellarios ab *Elzevirio*, cum a bello metus haud eſſet, reſignatas ajunt a Principe veſtro praeter exſpectationem litteras, & rei pretioſae quod in iis comparebat, fiſco addictum. Mihi certe aureos illos periiſſe invitus deprehendi. Sed ab hiſce ingratis ad alia tranſeamus. Poëmata mea, cum difficillimis hiſce conflictata aliquamdiu temporibus, lucem vix tandem vident, quorum exemplar aut accepiſſe ab *Elzevirio* jam debuiſti, aut mox es accepturus. Vile hoc munuſculum ut pro cetera tua comitate in partem haud malam interpreteris, enixe te rogo. Maroniani & Prudentiani codices, quos ex bibliotheca tua depromptos benigniter omnino communicaſti, jam ad te rediiſſent, (ſum enim iis jam magna ex parte uſus) ſi obſeſſis per militem viis liceret. In Prudentio praeter libros adverſus Symmachum conſcriptos vix alia mihi enotanda reſtant: ut paucorum dierum otium, quod propediem captabo, *Principis Paderbornani* deſideriis utcumque poſſit reſpondere, cui tanto viro gratificari unice cupio. Virgilianae lucubrationes tanto plus curae ac temporis requirunt, quanto ſcriptor divinus poëtas omnes carminis felicitate poſt ſe relinquit intervallo. Ut in publicum obſervata iſta non tam cito ſint proditura. Res tuae quo ſint loco, quid mediteris ipſe: quid Princeps ille, purpuratorum ac Germaniae univerſae decus, de quo dudum eſt quod nil audio, ſi me docueris, habebis inſigni beneficio tibi obaeratum. Vale, humaniſſime & amiciſſime Rottendorffi. Exarabantur Holmiae Suecorum Anno CIↃIↃCLXVI. a. d. XV. Septembr.

EPI-

EPISTOLA CCXXXIX.

BERN. ROTTENDORFFIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

NObiliſſime, Ampliſſimeque Domine. Quod anterioribus hebdomadibus domi meae non offenderis me, dolenter tuli, quod teſtor ſyncera mente; obtuliſſem domum meam, rhedam & equos, immo quidquid eſt fortunarum, nec paſſus fuiſſem ut declinaſſes in hoſpitium publicum. Sed alias erit alia occaſio concurrendi, & ſeſe mutuum ſalutandi tam amica pectora. Adfui nuperis diebus *Principi Paderbornenſi*, cujus juſſu Numum aureum, illius Principis effigiem continentem, & alium ejuſdem ponderis & pretii pro clariſſ. *Voſſio* fieri hîc curavi. Sub idem tempus nepos meus ex ſorore excurrebat Lovanium, & Amſtelodamum tranſiturus: concredidiſſem illi ipſa agalmata, ſi tum ultima manus ipſis fuiſſet impoſita. Quaerenda itaque alia tutior occaſio; nollem enim illa tabellariis ordinariis committere, quorum nonnulli fluxae ſunt fidei. Si recte memini, petiiſti olim a me, in omne id minutatim inquirerem, quod adornaſſet olim *Mallinckrotius* noſter de vita, religione & doctrina magni *Eraſmi*; ſcias ex iis quadaem adſervari in muſeo meo, & ab ultima auctoris manu, & plura expecto. Sed caute hoc in paſſu mihi gradiendum, nec nimium haec apud talium poſſeſſores ſolicitanda; aut debuccinanda, alias ex facili poſſent ire in favillas, ut ita prorſus memoria tanti viri oblitteraretur. Magnus ille vir, cum quo mihi ab annis pluribus intima, immo fraterrima, interceſſit neceſſitudo, paucis menſibus ante mortem, ſuorum ad praelum paratorum ſcriptorum mihi ſubniſit catalogum; quem tecum in praeſens communico. Extat etiam vita illius apud me, ipſiuſmet manu conſignata. Dum haec illino papyro vere ingemiſco, quod tantus vir in tantas miſerias praecipitatus. Non dubito quin legeris *Joh. Pierii Valeriani* Dialogum de Infelicitate literatorum, vere poterat in illo choragium ducere *Mallinckrotius* noſter. His vale & ſalve. Monaſt. CIↃIↃCLXVII. 20. Maii. Quid, quaeſo, fit noſtro *Gronovio?* citius ex pumice elicerem aquam, quam unicum literarum apicem ex illo. Reſcribe quid fieri velis numis illis aureis, nollem illos cuivis concredere, non enim contemnendi ſunt pretii. Alias tradam illos fido alicui amico excurrenti Amſtelodamum, ut Dn. *Elzevirio* in manus tradat: Notifices idem velim Cl. *Voſſio*.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCXL.

BERN. ROTTENDORFFIUS

Nic. Heinſio.

Helmiae.

LIbero tandem fidem meam in tranſmittendo numo illo aureo, *Principis* noſtri *Paderbornenſis* effigiem continente: extimum illius ſchema fateor rudiuſculum eſt, aſt interior ſubſtantia melior. Subſtiti apud illum integrum menſem & quod excurrit, cum intenſiſſimis conflictantem febribus. Nunc, Deo ſint laudes, opera mea iterum in ſolido locatus; hinc heſterna die illinc domum reverſus; ſub quod tempus tabellarius ordinarius Amſtelodamum cogitabat; cui mox duos illos numos, unum pro te, alterum pro Clariſſ. *Voſſio*, ad Dn. *Elzevirium* deferendos concredidi, a quo utrumque capſula incluſum petes, & aequi bonique conſules. Vale, & me ama. Monaſt. Gueſtfal. CIↃIↃCLXVII. 18. Julii.

EPISTOLA CCXLI.

FR. BEN. CARPZOVIUS

Nic. Heinſio.

Hegam.

INgens doctrinae tuae longe majoris admiratio, ſaepe hactenus per literas eam exprimendi mihi commovit deſiderium, quod quo minus exequerer, me cohibuit pudor, qui conatibus meis ſemper adverſatus fuit hactenus, ne ignotus te, virum illuſtrem & maximi nominis fama celeberrimum, intempeſtivis literis & alloquio forte ingrato interpellarem. Sed confirmavit animum, ſumma humanitatis tuae laude jam erectum, quae ſe modo offerebat occaſio, quam ſicuti negligere nequaquam oportuit, ita hujus fiducia benevolentiam tuam magnifice mihi promitto. Noveris, vir ſumme, pluribus abhinc annis, in monumentis, quae *Grutero* vel neglecta vel viſa nondum fuerunt, colligendis illuſtrandiſque occupatam fuiſſe *Reineſii* noſtri τοῦ ἐν ἁγίοις induſtriam, feliciori ſane, ſi quid judico, quam ullius alius ante ipſum ſucceſſu. Qui ſicut in inquirendis undique explicandiſque (iis non magis, quas noviter invenerat ipſe, quam quas ante collegerat *Gruterus*) inſcriptionibus fuit optimus; ita in edendis iiſdem, & ad lucem publicam promovendis minus fuit ſecundus: & expertus eſt adverſum magis, quam proſperum optimi viri labor fatum; de quo dixi quaedam in excuſa, quam ſolicitatus a bibliopola noſtro, cui perſuaſi ut edendo egregio operi ſumtus impenderet, ſcripſi, epiſtola; Hanc una cum ſpecimine, quod ad aulam mittendum fuerat, ut Illuſtriſſimi Senatores de typo & aliis ad iſthoc opus neceſſariis cognoſcerent, ad te quoque, vir ampliſſime, qui in quibuſdam partibus beatum Autorem juviſti, tuumque exactiſſimum judicium fero, ut de hoc conſilio noſtro ſententiam dicere, & de ſuc-

ceſſu ejuſdem ominari poſſis. Facies id autem libere: nam de candore quidem tuo non dubito, cujus fidem & integritatem exploratam habet, quam in aliquot orbis partibus abunde perſpexit, Patria tua, cujus publica & ardua negotia ſumma cum laude nec minore fide geſſiſti. De mea quidem maximi tui nominis obſervantia, in eoque colendo indefeſſo ſtudio, ſecurus eſſe poteris; & quam velim, ut egregio aliquo documento iſtud tibi confirmare poſſim. Ergo niſi indignum me obſequii erga te gloria, qua maxime inclareſcere cupio, exiſtimaveris, audacter quidvis oneris, quam laudis meae maximam partem interpretabor, mihi injunges: & ſi quid in his terris noſtris curandum habueris, me uteris, qui tui cauſa maximas etiam moleſtias ſuſpicere cupio. Literariae frugis etſi non adeo fertiles, prorſus tamen nec ſteriles noſtrae jam ſunt terrae; & prodiit modo hic Excell. *Thomaſii* de Exuſtione mundi liber, quem quod exiſtimarem ſerius ad vos perventurum, ſarcinulam his literis appendere volui. *Joh. Ludolfus* ampliſſimus vir, & in aula Saxo-Alterburgenſi, cujus Cameram curat, magnae dignationis, Hiſtoriam Aethiopicam (lexicon ejus linguae jam olim in Anglia edidit) adornat, cujus en ſpecimen. Dn. *Wagenſeilius* his modo diebus diſſertationem epiſtolicam de *Legiſlatore pedum* Gen. 49. qua modeſtiſſime & eruditiſſime ab eodem viro doctiſſimo (nam emiſerat hic ſuperiori anno diſſertationem de duce Judaeorum ſublato, in qua ducem exercitus pedeſtris a Jacobo per legiſlatorem de pedibus deſignari probaverat) differit, editam ad me miſit. *Loccenii* Hiſtoria & Antiquitates Succicae, majori apparatu quam extiterunt hactenus, nunc apud nos eduntur, & eis unum vel alterum menſem abſolventur. Ad *Bigotium* virum doctiſſimum, cum quo crebrum literarum a te coli commercium accepi, qua ratione literae perferantur, ſcire velim: per mercatores enim noſtros, qui ſaepius in Galliam proficiſcuntur, fruſtra inquirimus eruditorum ſedes, & literas ad hos perferendi ii modum ignorant, niſi locus, vicus & aedes, ubi habitent, indicetur, aut nominetur mercatorum aliquis celebrior, ad quem literae mittantur *Aeg. Menagius*, Gallorum clariſſimus, an adhuc in vivis agat, unde cognoſcam? Rogavit me bibliopolarum noſtratium aliquis, ut Amoenitates Juris Civilis recudendas ipſi ſuppeditarem, nempe ut eadem forma, qua Canonici Juris delicias *Strauchius*, quas collegerat & is ediderat, imprimi has quoque curaret: quod tamen fieri nollem, ſi adhuc viveret nobiliſſimus & eruditiſſimus vir, aegre forſan laturus ab externis ſcripta ſua involari. Varias lectiones *Reineſii* auctiores & emendatiores propediem dabo; praelo eas jam ſuperiore menſe commiſi. De tuo quid Valerio Flacco fiat, de quo jampridem praeclara nobis promiſimus, qualia in Claudiano, Prudentio & cumprimis Ovidio, miramur; avide expectamus. Vale. Dabam Lipſiae Nonis Januarii Anno CIↃIↃCLXXVI. quem ut ſubinde alii excipiant tibi feliciſſimi, ſtudiorum ratio Deum venerari jubet.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCXLII.

NIC. HEINSIUS

Fr. Ben. Carpzovio.

Lipſiam.

NIhil profecto auſpicatius optatiuſque per vitam omnem adfulſit mihi, Clar. *Carpzovi*, tua illa compellatione nupera, quae cum per ſe jucunda in primis ac perhonorifica praeter ſpem ſupervenit tempore prorſus funeſto, ac fragoribus armorum miſerrimum in modum nos obtundente, ſic nuntios tulit longe gratiſſimos ſuper re litteraria, cui unice jam a teneris unguiculis volo, totque ac talibus donis adfatim cumulatam ſeſe inſinuavit mihi, quibus ego ne Perſarum quidem gazas potiores duxerim. Ita & luculentam adfectus tui aeque ac munificentiae teſſeram in una eademque epiſtola ſum amplexus, & complura didiciſſe me cognovi, quae maeroris nubem, animo meo pridem adfuſam, per ſummas haſce temporum difficultates plane detergant atque amoliantur. Nam ut pereruditum & laude debita haud quaquam fraudandum Cl. *Thomaſii* commentarium de Stoica mundi exuſtione nunc non tangam, quem nondum perlegiſſe totum mihi contigit, quod judicarem ſciagraphiam Hiſtoriae Aethiopiae Ludolphianam multa continere, quae morari oculos Magni Etruriae ducis merentur, Principis, ut artium bonarum cognitione pulcherrime inſtructi, ſic rerum exoticarum prae caeteris mire curioſi, ipſum libellum per tabellarios, ut primum licuit, Florentinam in aulam mittendum curavi, acceptum haud dubie illic, ut qui maxime, futurum. De ſpecimine vero inſcriptionum antiquarum quid narrem? Cum conclamatam omnino illius operis editionem rerer, ſic enim ferebant rumores, incredibile dictu eſt, quanta voluptate ad conſpectum ejus ſim perfuſus. Auguror profecto fore, ut Sereniſſimus Saxoniae Elector apud ſeros poſteros mercedem tanto beneficio parem ſit conſecuturus, meritiſſimam nominis immortalitatem, quando ſaeculi hujus non eſt referre gratiam pulcherrimo facinori ſatis convenientem. Quae a me olim collata ſunt ad lucubrationem illam exornandam, exilia illa plane & perpauca, tanti mehercules non erant, quorum tam invidioſo mei nominis cum praeconio in ipſa praefatione meminiſſes. Eram potiora longe ac ulteriora communicaturus, quae in Italia collegi olim, praeſertim e ſchedis *Pyrrhi Ligorii* a *Luca Holſtenio* ſuppeditata, niſi morte praeventus magnus *Reineſius* nos id agentes deſtituiſſet. Fieri etiam potuit, ut aliunde ea ſit nactus ſenex optimus. Sed aſſervantur praeterea penes me nonnulla poſt obitum ejus effuſa, quae conquiram in ſcrinis meis, ubi primum bibliothecam omnem licebit excutere, ut tibi cedant utenda, ſi quam fortaſſis marmorum vetuſtorum appendicem lucubrationibus Reineſianis attexes. Audio Marmorum Arundellianorum a *Seldeno* illuſtratorum editionem locupletiorem, ſed nondum mihi inſpectam, apud Britannos prodiiſſe. Exſpecto etiam ex Italia propediem ejus

argumenti nonnulla ſuppeditaturos codices, illic terrarum recens juris publici factos. Sed hac de re plura, ubi inſtituti tui rationem propius cognovero. Multum equidem demereberis orbem eruditum hoc labore tam pio tamque utili. Nec parum debebunt tibi poſteri pro variis ejuſdem *Reineſii* lectionibus, quarum te moliri editionem multum adauctam ex tuis intelligo, praeſertim ſi partem illius operis ſecundam, hactenus deſideratam & pro deperdita habitam, luce publica donabis. Valerio Flacco, quando ſcire poſtulas id, manum admovebo, ubi a rei familiaris componendae moleſtiis, quae me totum nunc exercitum habent, nonnihil emergam, quod ante decurſum fore proximae aeſtatis confido, ſed inter haec bella quis ſeriae meditationi locus? aut quid conchinnum chartis illinatur? interpellat praeterea valetudo, nec lucubrandi contentionem admittit. Cum Gallis rarum propter haec bella mihi nunc intercedit litterarum commercium, ſublato praeſertim e vivis viro illuſtri *Joanne Capelano*, a quo frequentes admodum accipiebam epiſtolas, antequam collidentur Belgae cum Gallis. *Aegidius Menagius* etiam vivit & valet, daboque operam, ut proxime ex me cognoſcat, & quid ille comprobet editionem illam Amoenitatum juris, quam apparatis. Scribo enim non numquam ad *Emericum Bigotium*, illi in paucis amicum, qui Rotomagi nunc fixit ſedem, ac vicinus habitat in illa civitate Patribus Oraſtorii, quos vocant. Si quid voles ad illum litterarum, mihi permittas licet. Quod reliquum eſt, vir Clariſſime, ita de me ſtatuas volo, neque fore ut commitam mea ſupinitate interverti mihi benevolentiam ſingularem, eo luculentiorem, quod ſponte oblatam; operamque a me dandam fore pro virili, tum munificentiam tuam, non quidem pari liberalitate, ſed tamen animo non prorſus ingrato foveam ac remunerem. Vale, meque in tuis, quod cupio vehementer, numerare perge. xx. Februar. Gregor. CIↃIↃCLXXVI. Hagae Comit.

EPISTOLA CCXLIII.

FR. BEN. CARPZOVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

MOleſtias difficillimi itineris, ex quo heri demum redii domum, poſtquam per quatuor ſeptimanas Dreſdae mihi commorandum fuit, humaniſſimae tuae litterae bona fide abſterſerunt, in quibus cum benevolentia certare animadverti elegantiam, neque adhuc decernere licet, penes utram harum victoria ſit. Nam ſicuti confuſa res gaudium eſt, & varia atque indiſcreta animo objicit, ita difficile mihi fuit definire, majorine cum admiratione cultum atque inuſitatum iſtum dicendi ornatum (quem haereditario jure ab incomparabili Parente nactus, cum accedere ei nihil poſſe videbatur, novis tamen incrementis auxiſſe videris) proſequi; vel amore & obſervantia inſignem, quam e literis prolixiſſimis humaniſſimiſque intellexi, humanitatem colere deceat.

In

In qua dubitatione haerenti, & undique circumſpicienti, qua ratione tam inſignem benevolentiam remunerari poſſim, dum omnis nunc quidem praeciſa occaſio eſt, malorum nominum exemplum ſuccurrebat, quibus dum praeſens pecunia non ſuppetit, qua ſe debito liberent, ſolutionem differunt. Pari modo & literarum tuarum exhibitum honorem, quem maximi beneficii loco habeo, & ſancte teſtor nihil per integram vitam mihi contigiſſe glorioſius, quia alia ratione nequeo, nuda & ſimplici confeſſione, adjecta ſimul promiſſione, nequaquam in ingratum aut immemorem iſtum collatum fuiſſe, colere volui. Et his quidem literis intervenientibus cuncta mea officia in quavis etiam re, quam vel mihi committere voles, vel ego exequi potero, tibi devincta habebis, meque ipſum perpetuo pietatis atque obſervantiae nexu obſtrictum. Ad *Ludolfum* de cura tua circa ſciagraphiam Hiſtoriae Aethiopicae, in Hetruriam ut promoveatur, ſcribam proxime; ipſius interea nomine ampliſſimas tibi ago gratias. Reineſiani operis ſucceſſus vereor ut impediatur per belli calamitates, quod noſtris regionibus proximat: copiis Brandeburgicis & Caeſareanis non hoſtilibus quidem, ſub ſpecie tamen amicitiae omnia vaſtantibus, & ipſo bello magis exitialem pacem colentibus, in agris provinciae noſtrae aeſtiva non minus, quam hiberna hactenus, agitantibus. Mira ſane eſt bellorum hodie facies, queis copiae, ultra quadraginta milliaria ſaepe diſperſae ſunt ejuſdem ducis, ſaltem ut vicinis male ſit, & eidem bellorum ruinae involvantur omnes. Noſtrum ſane Sereniſſimum Electorem, a bello alieniſſimum, blandiſſimis hactenus verbis ad iſtud invitarunt Caeſareani, de Suecorum clade ſummopere gaudentes; & cum parum hac ratione conſilia ſua proficere intelligant, nunc provinciam depopulationibus vexant, ut bello eam implicent. Id metuentes bibliopolae, qui probe intelligunt inter armorum ſtrepitus non exaudiri teneras Muſarum voces, mercem librariam inemtam relinqui, ad majoris operis editionem, cujus lucrum non praeſens eſt, trepidant, neque temere eam aggrediuntur: potius Concionatoribus vel Advocatis, quorum ſeges uberior eſt quam eruditorum, idoneos libros, ut ſchedas Voluſianas, quae praeſente pecunia emuntur plebi, excudunt. De *Brummero* ita eſt, ut ſcribis, in torrente Arberino eum interiiſſe: quod hoc ipſo die cum accuratius inquirerem, confirmaverunt ipſius fratres, mercatores; & neglexeram cum ſchedam conſcriberem, id ſcrutari, contentus eo, quod audiveram antea, Lugduno Genevam abiturientem aquis ſuffocatum eſſe, quas putabam fuiſſe lacus Lemanni ſive ſtagni Genevenſis. Neque multum adeo hic error nocebit, ſiquidem ſcheda iſthaec, quam rogatus a biblipola ſcripſi, ſaltem ut aulae gratia inſtituto huic magis conciliaretur, nunquam futura eſt ipſius operis acceſſio, in pauciſſima etiam diſperſa exemplaria (neque plura quam viginti excuſa ſunt) adeo ut paucis, ad quorum conſpectum ea perveniet, poſſit imponere. Alium eumque graviorem in ea commiſi errorem, dum *Pyrrhi Ligorii*, qui ſeculo abhinc vixit, benevolentiam praedicavi in juvando iſthoc inſtituto, cujus tamen laus omnis tibi debebatur, qui e ſchedis *Ligorii* iſta ſuppeditaſti τῷ μακαρίτῃ. nempe de *Ligorii* aetate mihi non recte conſtabat antea, & paſſim tamen eum

laudari animadvertebam in ſyntagmate. *Daumium*, cum quo alias nullum mihi intercedit literarum commercium, proxime de faſciculo, num tranſmiſerit, interrogari curabo. *Locceni* Hiſtoria Suecica, quam curae meae commiſit Autor, Senex optimus, auctior multum prodiit apud nos, quam extabat antea: neque enim gloriae gentis, a qua damna & beneficia non exigua accepit provincia noſtra, invidemus, ego quidem optime cupio. Indices ad eam contexui, & ut emendatior ederetur, curavi. Jam in Antiquitatibus Sueogothicis excudendis occupantur operae. *Marſhami* Canonem Chronicum ex conſilio meo, cum pauca ad nos perferri exemplaria cernerem, eaque pretio majore divendi, recudi curavit aliquis noſtratium biblipolarum: multa & innumerabilia menda, quibus prior ſcatebat editio, e noſtra ſublata eſſe, ipſi etiam agnoſcent Angli. Francofurti vaſtum Antigrotianum *Calovii* opus biblicum, cujus hactenus prior ſectio, quae vetus Teſtamentum illuſtrabat, ſaltem extitit, nunc integrum abſolutum eſſe, ab Autore ad me venientes literae nonciarunt; addidit, doni loco ſibi mille Imperiales a Sereniſſimo Electore eſſe oblatos, laboris pretium, quem tamen jam antea, cum ſeorſim quaeque exiret ejus particula, ſive bibliopolae ſive Reſpondentes (nam ſub Diſputationum ſchemate fruſta ejus prodibant) penſaverant. Cum *Calixto* Helmſtadienſi ingentes eum iterum ſuſcitare lites, ad me perſcriptum eſt, de quibus, quamprimum infeſtis ſignis concurrerint, te faciam certiorem: ipſe enim adhuc earum rationem ignoro. *Thomaſius* hac hebdomade Regulas Philoſophicas juſto emiſit libello in publicum, quibus tamen parum quod te capi exiſtimem, non immorabor. *Rappolti* in Horatium Commentarium ſuperiore jam anno apud nos editum, te vidiſſe arbitror: quaeſo quid de eo ſentias, indices; parum ſane tibi placere poſſe, ex cauſa non una ſuſpicor. Frater meus adverſus *Maſenium* Jeſuitam libellum futuris noſtris vernalibus nundinis emittet, juſſus ut eum ſcriberet a quibuſdam Proceribus in aula. Mihi vero cum iſthoc hominum genere manus conſerere ſemper diſplicuit; raro enim integra dignitate paratur, ſaepe convitiis infamis redditur victoria. Alter Fratrum *Ligtfotii* Hebraice Talmudicas in Evangeliſtas notas nuper recudi curavit, pro quo ſtudio invidiam & obtrectationes reliquorum Theologorum aegre ferentium Calvinianorum, quos vocant, in noſtris nidis denuo excludi pullos. Adeo nempe hîc vigent partium ſtudia, quibus nunquam me immiſceo, malo otioſus eorum eſſe ſpectator. Vale, vir ampliſſime, neque me quemquam tui ſtudioſiorem exiſtima; quod ſi noſter hic ſcribendi impetus tibi non diſplicet, crebras hujuſmodi literas a me poſtula, quibus quantum abeſt elegantiae, tantum obſervantiae & cultus ineſſe exiſtimabis. Dabam Lipſiae d. IV. Kal. Mart. Anno CIↃIↃCLXXVI.

EPI-

EPISTOLA CCXLIV.

NIC. HEINSIUS

Fr. Ben. Carpzovio.

Lipsiam.

Iraſcor mihimet ipſi non leviter me hercules, quod ſub ipſum neceſſitudinis noſtrae exordium, quando aequum omnino erat operam cum maxime a me dari, ne quid peccarem in peculiarem illam, vir Clariſſime, benevolentiam, qua me immerentem artiſſimis ex complexus modis, partibus meis defuiſſe argumento tam manifeſto deprehendor. Quod ſi jam paria tecum facere non poteram in hoc mutui adfectus certamine, tuis certe veſtigiis tuoque exemplo erat inſiſtendum, ut vel paſſu non aequo ſubſequerer ſaltem, quem non dubitatur aemulari. Ceterum cum culpa omnis diluari tanto tempore reſponſi jure optimo conjicienda ſit in unam valetudinem, quod malum mihi jampridem adeo familiare factum eſt, ut raro intermittat, tuae nunc erit benignitatis arbitrari, ignoſcendumne ſit confitenti reo, an implacabiliter ſuccenſendum, deque ultione cogitandum habeas, quam ipſe praeſumſi quodammodo, indignitate facti graviſſimum in modum commotus. Hoc unum pro cauſa tamen mala interim dixiſſe liceat, immane quantum aberraſſe a vero, ſi ſuſpicaris, quicquam alloquiis tuis, tam excultis omni litteratum, tamque amabilibus offerri poſſe jucundius mihi acceptiuſque. Praeſertim cum inde cognoſcam, atque ediſcam complura ſemper harum lucubrationum, quibus inter vos, communi hac bellorum, Europam paene univerſam concutientium, calamitate vacuos, multumque hoc nomine felices cenſendos, viri eruditionis laude ſpectati, humaniora ſtudia illuſtratum eunt, ac pro virili exornant. Videbaris ultimis tuis frigidam quodam modo affudiſſe ardentiſſimae exſpectationi meae, de Reineſianis inſcriptionibus in lucem tua opera mox proferendis, ſed bene habet, quod nundinarum Francofurtenſium Catalogus deſperare nos vetat. Cum ego amicos Gallos Italoſque tam laeto nuntio haud quaquam fraudandos eſſe ſim ratus, qui opus illud, publicae utilitati egregie conſulturum, non minus avide quam ego ulnis ambabus, ubi prodibit in lucem, amplexuros eſſe uno conſenſu profitentur. Audeoque ominari ſereniſſimum Electorem haud ſubtracturum impenſas, quas promovendae editioni operis tam eximii abs ſe ſuffectum iri ſpopondit pridem, laudabili in primis exemplo. Specimen Ludolfianum Hiſtoriae Aethiopicae, quod in Etruriam per tabellarios miſeram, juxta meam commentarii ipſius expectationem ea in aula, cum apud Ducem ipſum, tum alios apud proceres excitavit, ut non poſſit vir doctiſſimus ſine certa nominis ſui gloriaeque contumelia procraſtinare libri editionem. Utinam & apud nos homines litterati, qui e multis perpauci nunc ſuperſunt, veſtra cognitione dignum nonnihil moliantur. Quod tamen ne ſperari quidem par eſt, niſi profligato bello pax adfulgeat quam primum. Meurſianas trium inſularum anti-

qui-

quitates, a me inventas Holmiae in Bibliotheca regia, ac typis apud nos deſcriptas, ut meo nomine ad te perferendas curaret Elzevirium rogavi. Prodibunt etiam hac aeſtate Ciceronis epiſtolae, animadverſionibus *Joh. Georgii Graevii* illuſtratae, fortaſſis & operum Grotianorum pars Theologica, in tres tomos ingentes diviſa. *Pyrrhus Ligorius* Italus in lucem nihil emiſit, praeter exiguum libellum vernaculo ſermone conſcriptum, editumque ante annos plus minus cxx. quo antiquitates illuſtrantur Romanae. Parabat immenſum opus de iiſdem antiquitatibus in volumina circiter xxx. diſtinctum, cujus tomos duos aut tres eminentiſſimus Princeps *Franciſcus Barbarinus* curavit deſcribendos, ac ſuae Bibliothecae vindicavit. E quibus inſcriptiones antiquas manu ſua *Lucas Holſtenius* excerpſit mecum communicatas ante annos hoſce xxviii. Quinquennio poſt miſſus denuo in Italiam a Suecorum Regina, quod ea cognoviſſet opus omne *Ligorii* in Taurinenſi Ducis Bibliotheca adſervari, ejus deſcribendi copiam a matre Ducis in uſus regios flagitavi, reſponſumque tuli ſe donaturam ipſo autographo Reginam; ad quam liber ipſe poſtea, ni fallor, eſt perlatus, in quo longe plurimas exſtare inſcriptiones hactenus publico non exhibitas ut credam, facit ſpecimen Holſtenianum e paucis vaſti operis corraſum voluminibus. Londino litteras accepi modo, quibus narratur, prodiiſſe illic marmora Arondeliana curis ſecundis *Seldeni* partim, partim aliorum animadverſionibus illuſtrata. Theologorum iſtae contentiones tam acerbae utinam interquieſcant tandem, cum plus conferre videantur ad Chriſtiani nominis diſpendium, quam incrementum. Apud nos quoque neſcio quis nuper exortus eſt Coccejaniſmus, qui Theologos noſtros, ni mature provideatur huic malo a proceribus foederatae Belgiae, atrocem in modum collidet. *Rappolti* in Horatium commentarios, quos memoras, haud vidi. Nec eorum exemplaria hactenus, quod ſciam, ad nos ſunt advecta. *Emericus Bigotius* ad me ſcribit, conſultum a ſe per litteras *Aegidium Menagium*, de nova Amoenitatum juris editione, quam bibliopolae veſtrates meditantur, reſpondiſſe amicum ſuum, auctores ſe vobis eſſe, ut editionem in breve tempus differatis. Ita fore, ut exemplar ab ipſo auctore variis in locis auctum atque emendatum conſequamini. Supremam epiſtolae verboſiori plus aequo manum impoſiturus unum, quod a te petam, hoc eſt, ut familiariter inter nos in poſterum agamus, ut amicos decet minime fucatos, procul habitis verborum phaleris, omnique orationis lenocinio, cum invidioſa laude conjuncto. Nam & ego inſtrumentum ſupellectilis meae tam curtae abunde habeo perſpectum, & uno candore, quem amicis praeſtare ſemper ſum paratus, cenſeri malo, quam iis laudibus, quas in me nec agnoſco, nec aliis liquere ſum certus, qui me minus amant, quam abs te diligor. Vale, & mihi velle perge. Hagae Comitum a. d. iv. Eidus Majas CIↃIↃCLXXVI.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCXLV.

FR. BEN. CARPZOVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

EA infelicitate laboro, ut locorum intervallo, quo disjungimur, temporis quoque, quo literae tuae ad me pertingunt, reſpondeat diuturnitas, ſeroque ad me perveniat gratiſſimus earum uſus. Et neſcio unde factum ſit, ut IV. Eid. Majas datae his demum diebus ad me perlatae ſint, pro qua omnem aliam facilius ferrem moram. Tantam ſane, poſtquam redditae ſunt, attulerunt voluptatem, ut nulla major afferri potuerit; tum quia tuae ſunt, cujus omnia admiror & diligo, (ne quid amplius dicam, quod prohibes) tum etiam quia ex illis etiam cognovi multa rem literariam attinentia, quae jucundiora cognitu mihi ſunt, quam exiſtimare facile poſſis. Cum primis de *Grotii* incomparabilis & vere divini viri operibus junctim edendis gratum fuit cognoſcere. Etſi enim omnes ab ipſo editos libros poſſideam, quippe quos tanti aeſtimo & in tantum laudandos exiſtimo, in quantum eruditio & doctrina intelligi poſſunt; de Belli etiam & Pacis jure θαυμασίως libros per quotidianum uſum adeo familiares mihi reddiderim, ut memoria complexus fuerim complura eorum capita; quippe in iſtis ex ſuis penetralibus erui civilem ſapientiam, ex opulentiſſimis theſauris depromi prudentiam, nec nudam eam aut inornatam, ſed magnifico apparatu inſtructam animadverti: tamen cum non ignorem, quam multa adhuc Maximi viri ſcripta ἀνέκδοτα lateant; cumprimis epiſtolae, (has vero in maximis deliciis habeo omnium autorum, ſiquidem in iis varia & multa eaque miſcellanea eſt eruditio) quarum apud Dn. *Blavium* Sen. cum tribus abhinc annis Amſteoldami eſſem, ampliſſimum vidiſſe memini faſciculum, ipſius Summi viri τῶν ἐν ἀγίοις manu ſcriptum; magna ſpes eſt hac ratione & occaſione iſtas reliquis operibus acceſſuras eſſe, & rem literariam egregia hac acceſſione veluti laetiſſimo incremento auctum iri. Quo loco non poſſum non indignari quodammodo iis, quorum in manu & copiis hujuſmodi opes deliteſcunt, quas tamen publico invidentes premunt, & ad inſtar pervigilis arboris aureae cuſtodis apud Naſonem tuum, ne ad ullius conſpectum tanta perveniant bona, cavent. Quo in numero ne te quoque habeam, cujus beneficio praeter Poëmata & Orationes vix quicquam ex ampliſſimis paternis bonis ad nos pervenit, propriorum foetuum praeſtantiſſimorum prohibet excluſio, qua illorum deſiderium quodammodo cohibuiſti vel expleviſti. Sed ne ſchedae Paternae pereant, & cumprimis epiſtolae, quarum maximum orbi erudito excitarunt deſiderium nonnullae hinc inde ſparſae, quas indice collegi omnes, in his talibus conquirendis aſſiduus, prohibebis. Credas ſane me ultra eruditionis & doctrinae ipſius terminos in pretio habere, & velut ſanctius quiddam atque divinius in Divo tuo *Parente*, *Grotio* & *Salmaſio*, quos identidem Reip. Litterariae triumviros ſoleo appellare, venerari: quorum poſtremus etſi ſaepe

in famam & illuſtre nomen ſummi Parentis tui injurius fuerit, exorto inani de Lingua Helleniſtica certamine, placet tamen etiam furor & febriculoſae mentis quaſi acceſſus. Dum epiſtolarum mentionem feci, incidunt *Gronaei* viri eruditiſſimi elegantiſſimique literae ad amicos, quas uno volumine congeſtas & deſcriptas vidiſſe memini inter *Gronovia*, Gronoviana. Maximi facio hujus viri opuſcula alia, neque enim multa magnaque in publicum emiſit, & quae emiſit, poſſideo & imo omnia, ſuperiori etiam anno, ut apud nos Orationes ſeorſim ederentur, Autor extiti; & quovis pretio comparare vellem epiſtolarum uſum, proinde eas edi, ſicut ſuperioribus annis Burlaeanae nitidiſſime editae ſunt cura Generi, maximopere cuperem. *Meurſii* trium Inſularum deſcriptionem, cujus in literis tuis ſpem mihi feciſti, nondum accepi, eamque apud mercatorem Amſtelodamenſem, qui literas tamdiu penes ſe habuit, haerere exiſtimo: in antoceſſum vero gratias ago maximas, & qua ingens hoc beneficium demereri poſſim, omni ratione ſtudebo. Unus ſane tu collaborantium in Belgio ſtudiorum adhuc agone videris cauſam, & maximi Parentis exemplo eorum ſuſtinere gloriam, niſi quod major quodammodo praeſtito tibi debetur laus, qui ſolus & ſine pari agis, quod is cum *Grotio*, *Voſſio*, *Barlaeo* & aliis maximis ſeculi viris perfecit. Ab injuriis quoque temporum & iniquitate fatorum ut vindicentur iſtae, quas dixi, Anteceſſorum tuorum reliquiae, omni ratione providebis, neque patieris intercidere antea iſta ſeculi ſervati fragmenta, quod nunc neſcio quid tetro gravius minari videtur, & heu calamitate & fato quaſi omnibus bonis artibus in exilium actis. Ex Italia ſuperioribus diebus miſſas accepimus *Ferrarii* Origines Linguae Italicae, eruditas ſane & elegantes, quarum autorem ſolum quoque in Italia, eruditorum olim ſede, fugientium Muſarum curſum ſiſtere intelligo. Quae de *Pyrrho Ligorio* narras in tuis literis, nunquam antea audiveram, neque de ipſo *Pyrrho* quicquam reſciveram, ſaltem ex libello, quem *Scheffenus* de re vehiculari edidit, mihi erat cognitus. *Meadii* & *Bigotii* humanitatem cum ſumma eruditione conjunctam exoſculor, & conſilium edendarum J. C. Amoenitatum bibliopolae ut in aliud tempus differat, auctor ero: jamdudum etiam quorundam amicorum deſiderio accerſitis a Nob. Dn. *Elzevirio* nonnullis libelli elegantiſſimi exemplaribus ſatisfeci. Religionis nova diſſidia apud vos iterum oriri, & factioſa *Cocceji* aliorumque citari nomina, doleo: relatum autem jam antea mihi fuerat, ſenem optimum *Heidanum* officio ob partium nimis acre ſtudium eſſe exuturn. Quod factum miror, ſenium & merita viri reputans; ſed quid non facit religionis inepta perſuaſio, quae Fratres, ſaepe etiam Parentes cum liberis committit, & intempeſtiva ſemper movet certamina? qui affectus errori atque falſae opinioni innixus, non pietas dicendus aut religio eſt, ſed ſuperſtitio. Hic *Gomari* apud vos olim & *Arminii*, apud nos hodie *Calixti* & *Calovii* collifit animos, & in ipſis partibus diverſa excitavit ſtudia. Et tamen de iis capitibus nonnunquam acerbe contenderunt, quae ad pietatem nihil omnino conferunt, quaeque utut ſe habeant, genuinum amorem adverſus Deum, ac debitum erga homines officium nec promovent nec impediunt. De iiſque interdum dimicatur, de quibus

bus revera nullus inter partes est dissensus, ubi neuter errat, nisi eo solum, quod alterum errare credit, sibique adversarium fingit. Scilicet insidet eorum animis occulta quaedam & subtilis arrogantia, qua fit, ut semel susceptum bellum non facile deserant, malintque animosius disceptando victores ac superiores videri, quam modesta conciliatione & pacificatione in imbecillitatis, propriarum virium diffidentiae, vel erroris etiam ac incogitantiae suspicionem incidere. Accedit praerapidus ingenii fervor, quo fit, ut de iis, quae paulum obscurius aut incommodius dicta sunt, praeceps judicium feratur, ne adversariorum sententia, qua par est, patientia audiatur; ubi vero de Antagonista vel semel iniquius sentire coeptum, tum quicquid ille dicit, in pejorem partem rapitur, & aliud ex alio bellum seritur, quaeque optime atque innocentissime dicta sunt, in novam altercandi materiam convertuntur. A qua ratione animus meus longe abhorret, quantum a bellis, quibus hodie totus orbis flagrat, tantum a controversiis hujusmodi alienus. Verum enim experior, nihil Musis cum Marte esse commune, & humaniores literas ineruditas istas pugnas & contentiones aversati, quas barbara illa ingeniorum corruptrix, judicii vastatrix, eloquentiae inimica, prodigiosarum tum cogitationum tum locutionum mater Sophistica movet, qua nihil nisi vitilitigare & inanibus mente ac sensu cassis vocibus tum nobis tum aliis imponere docemur. Ergo sicut praelia non aliter, quam in chartis hebdomadalibus specto, quas nobis nuncii advenientes impertiunt, ita nec istis me immisceo turbis, quae in ecclesia aut scholis moventur indies, quas satis habeo e chartis, quarum amplissima seges nascitur, cognoscere. Castra & partes nec amo nec sequor, nisi nunc illa forte, in quibus imbellis cum matre puer semotis arbitris belli damna resarcit, quae inire animus est. Nam ut de privatis etiam rebus meis aliquid ad te perscribam; cum lectissima Virgine *Anna Elisabetha Jegers*, celeberrimi apud nos Mercatoris filia, & vitae & fortunarum contubernium facere constitui; & nuptiis quidem earumque solennibus dies IX. Kal. Novembr. dicta est. Ambo floremus aetatibus; & ut studiis Musisque commodius servire possim, nec molestis officiis (quae nancisci facile possem) ab iis abstrahar, lautius tamen vivam, simul ut ipsius fortunae me magis similem reddam, ad mercaturae studium animum adplicui; ita Musis & Mercurio simul vacare, & dies posthac inter eruditas & Mercuriales literas, noctes inter somnum & Cypridem partiri potero. Epithalamium num a te exorari possit, vir amplissime, maximam mihi gloriam allaturum, quamvis dubito, tamen ne desperem, animum addit insignis tua benevolentia & humanitas, quam in literis tam abunde promisisti: quae si ad hoc officium adduci aut ulla ratione conciliari possit, credas me non neglecturum eam esse, & quidvis oneris subiturum, modo sciam quo demereri te possim. Proxima occasione cum pulvisculo conradam schedas, quarum lectione te capi posse existimem, & quam vellem, ipse ut occasionem talia subministrandi suppeditares, & quae grata forent, indicares. Literas, si quas ad me dare volueris, ad *Elzevirium* mittes; huic enim jam indicavi mercatorem Amstelodamensem, qui mea in Belgio curat, ut ipsi tradat. Vale. Dab. Lipsiae ipsis Aug. Non. CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA CCXLVI.

NIC. HEINSIUS

Fr. Ben. Carpzovio.

Lipſiam.

NEſcio quo fato meo fiat, *Carpzovi* praeſtantiſſime, ut litteras ad te daturus, quod facio equidem quam libenter, tamen procraſtinatae ſcriptionis culpa mihi & frequenter ſubeunda ſit & deprecanda. Sic nuper dum in eo ſum, ut litteris tuis longe ſuaviſſimis copioſiſque nonnihil reponam, morbus repentinus in ipſo veſtigio hoc agentem adortus, non permiſit hactenus, ut officio defungerer, vel tralatitium in morem, quod permoleſte me habet, praeſertim cum occaſionem tuis deſideriis gratificandi peropportunam, quam ipſe anxium in modum curaque omni circumſpicere debebam, ultra offerres. Significabas enim de nuptiis te cogitare ineundis, meque, pro amicitiae noſtrae jure hortabaris, ne quid gravarer verſibus epithalamiis haec ſollemnia proſequi. Non ignoras tu quidem qua es animi aequitate, quis publicae rei apud nos ſtatus ſit, quamque bellis hiſce calamitoſiſſimis jugulum noſtrum ac ipſa vitalia infeſtentur. Mihi vero prae aliis meorum popularium haec bella praecipue ſunt incommoda, quod dudum adverſae valetudini objecto portus circumſpiciebatur quietus, & ab agitatione & curis publicis remotus, in quo vitae reliquum Muſis ſtudiiſque vacaturus tranquille componerem, idque jam ante tempeſtatis atrociſſimae exortum. Qui caſus oppido funeſtus adeo me ab omni propoſito vitaeque inſtituto prorſus dejecit, ut durante hoc bello non corpore magis quam animo dejectus, nihil magis egerim, quam oblectamenta ſtudiorum haberem procul, ſolatiis ipſis altiſſimum animi maerorem exulcerantibus. Recordatus tamen quo tu adfectu, qua mentis benignitate me nuper ad amicitiam tuam invitaveris, videbar mihi graviter peccaturus in ipſas humanitatis ac naturae leges, ſi quicquam tibi cupienti ac poſtulanti denegarem: quapropter ſi quid non inconditum videbuntur hi verſus ſpirare, amoris tui vim ac genium in iis oſculare, ſin aegroti hominis deliramenta agnoſcis, & agnoſces puto, ſic arbitrare, quaeſo, nihil eſſe, quod corpore ac animo dejectum me poſſit erigere, quem ne tu quidem, quem in oculis aſſidue fero, & tua commoda excitaverint. Reliquum eſt, ut deus Opt. Max. inceptis tuis adſpiret, novumque vitae genus, ſed cum publica conjunctum utilitate amplectenti, adſit. De operibus Grotianis ita eſt, ut dicebam pridem. Prima in publicum prodibunt ſcripta viri magni Theologica. Reliquorum partim conficient Epiſtolae, quibus ingens incrementum debebat acceſſiſſe ex iis, quas collegeram olim ad Parentem meum ac Avunculum *Janum Rutgerſium* conſcriptas. Sed quando poſt diuturnas lites ſuper ſcriniis paternis, judices voluerunt, ut eorum non niſi pars altera ipſo haereditatis jure ad me devolvatur, video futurum, ut pars horum magna intercidat. Exſtabant olim in iiſdem ſcriniis non dico centuriae, ſed myriades aliquot epiſtolarum, non tantum ad Parentem ac Avunculum, quos dixi,

ſed

ſed ad *Joſephum* quoque *Scaligerum*, *Geverhardum Elmenhorſtium*, alioſque a primariis hujus ac ſuperioris ſeculi viris ſcriptarum, quae cum blattis tineiſque diu luctatae, non niſi minima ſui parte ex hoc forenſi naufragio emergunt. Eſt in hoc oppido vir illuſtris *Conſtantinus Hugenius Zulichemius*, qui poſſidet in armariis bibliothecae plura literarum volumina ad *Juſtum Lipſium* exarata, quae certe in publicum proferri merebantur. Memini videre in iis multas *Scaligeri*, *Caſauboni*, *Cujacii* aliorumque praeſtantium virorum hactenus ineditas. Simultates Theologicae de die in diem apud nos crudeſcunt, non ſine praeſentiſſimo reipubl. incommodo periculoque. In aliis ſcientiis, ſi quid earum profeſſores rixantur ac decertant, de ſuo id omne ludunt corio, uti Athletae ſolent pugileſque. At Theologicae vitiligationes, ut caeteris aſperiores, ita ſanguine Chriſtiano paſcuntur ac pingueſcunt. De pernicioſo iſto more plura ſubtexerem, niſi omnia in tuis jam occupaſſes, quibus libens ſubſcribo. Tradidi *Elzevirio* tres libellos ad te mittendos, e quibus Antoninum Liberalem tibi vindicato. Plinium *Claudii Minois* & *Vlitii* Gratium, ad Cl. *Daumium*, rogo, cures perferendos, cui dudum promiſſos ſcito. de *Reineſii* variis lectionibus inſcriptionibuſque percunctandum nonnihil reſtabat, ac plura de communibus ſtudiis addenda, niſi ſcirem animum tibi totum eſſe in nuptiis, alio igitur tempore id fiet. Vale. Hagae Comitum 5. Octob. CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA CCXLVII.

FR. BEN. CARPZOVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

INgens viſis tuis literis me gaudium, carmine vero perſpecto inceſſit prae admiratione ſtupor, neque vel carminis nitorem, vel benevolentiae tuae admirabilem vim amplecti aut intelligere potui: ac inter negotia mercurialia, quibus per nundinas hoc menſe noſtra exercetur civitas, vere obtigit,

Tale tuum carmen nobis, divine Poëta,
Quale ſopor feſſis in gramine, quale per aeſtum
Dulcis aquae ſaliente ſitim reſtinguere vivo.

Sic ut inter gaudii, quo animus meus jam occupatur, argumenta iſthoc potiſſimum verſatur, ſic inter ſolennia & ſacra nuptialia praecipuum hoc extabit ſummi Poëtae & maximi hoc ſeculo viri amoris & benevolentiae teſtimonium, quo primus ego in hac urbe inter reliquos meos cives me oſtento. Utinam vero pro ingenti hoc beneficio quicquam in copiis meis, quod reddere poſſem, extaret, aut ingenium noſtrum aeque ad exhibendum, ac animus, promtum foret; efficerem ſane ut intelligeres nullum mihi hoc beneficio majus obtingere potuiſſe, nec majori me ac vitae meae ſic inſtitutum genus affici poſſe gloria, quam ut multi inviderunt hactenus, ita impoſterum hoc velut graviſſimo praejudicio firmatam, dubiam amplius reddere nequaquam poterunt. Non parvo tamen me moerore ſimul affecit minus firma tua, de qua ſcribis, va-

letudo, quam & patriae calamitate & aetate ingravescente & tot itineribus collecto morbo affligi facile credo; ac voveo, ut Deus eam confirmet, tibique tandem a molestissimis & arduis publicis functionibus otium & tranquillitatem concedat, ut Musis ex voto tuo non magis ac universae reip. litterariae vacare, & a muneribus istis, quod de Vestricio Spurinna Plinius ait, receptui canere possis. Praevideo enim, magnis tunc & amplissimis incrementis rem literariam auctum iri atque opera editum, quae longe praestant schedis & chartis, quibus hodie potius laborat, quam gaudet orbis. Nuper quidem cum occasionem aliquid ad te perferendi mihi praeberet aliquis mercator, illico corrasi, quae ad manus erant confusa atque indiscreta, eaque ad te jam pervenisse existimo: sed reperies in iis non multa, quae animum tuum oblectent: nam ne oculis quidem eruditis tuis digna inter ea multa puto, intelliges tamen inde meae erga te observantiae & voluntatis promtitudinem, quae etiam in minimis rebus se tibi probare, si majoribus non licet, satagit, & simul quantum tua ac tui similium scripta his talibus, aeraque lupinis distent, agnosces. *A. Borremanii* nuper ad me missus Variorum liber, (pro quo & Meursiano modo edito decribus insulis ingentes tibi ago gratias, ac velim hos, quos misi, quasi in vicem missos accipi libellos, majus enim longe istis debetur redhostimentum,) admodum placet & varietate sua me oblectat: multifariam sane eruditionem ostendit & felices successus ingenii; si in simili studio vir eruditus pergat, pollicetur. *Meursii* autem curae collectionis magis & diligentiae laudem, quam ingenii merentur, ut pleraque illius πολυμαθεστάτου viri in Adversariorum seu Collectaneorum modum adornata opera. *Cuperi* etiam Harpocratem & *Bartholinorum Thomae* & *Caspari* libellos de Armillis, Inauribus & Puerperio Vett. Lugduni apud vos editos accepi; diverso tamen & dispari studio conscriptos: neque hi ad *Lipsii*, *Scaligeri*, *Casauboni*, *Grotii*, *Turnebi*, *Wowerii*, & divi Patris tui Philologiam & hujus fastigium unquam accessuri videntur. Nostrae veroque terrae harum frugum minus feraces sunt: *Bosius* enim extinctus est; cujus cum memoriam gratam tibi fore confiderem, funebria his diebus, cum farcinulam ad te componerem, addebam: *Thomasius* autem pueris in schola, cujus Rectorem & Ludi magistrum agit, informandis; *Frankensteinius* in Academiae rationibus computandis, non sine rei literariae damno occupantur, ut libris scribendis incumbere non possint. Quid de *Rappolti* in Horatium commentario censeas jam antea ex te quaesiviisse memini, & iterum sententiam tuam ut exponas rogo, nam ejus exemplaria jamdudum ad vos esse perlata non dubito. *Grotii* operum editionem novam avidissimis votis expeto & expecto: Nam ut hujus, & *Episcopii* & *Curcellaei* in theologicis rebus mirifice se mihi probant sententiae, sive jam Arminianorum, sive Remonstrantium, sive aliis nominibus veniant, ita in Politicis ejus prae omnibus aliis admiror θεῖον scribendi modum, & singulare ac proprium ipsi verborum ὄγκον. Quorum autorem cumprimis in epistolis ejus veneror, & ô utinam collectae tandem in publicum emanarent omnes summi & admirandi viri schedae, nec quicquam periret, quod ab ingenio & calamo ejus provenit. Idem quoque de Maximi Parentis tui sparsis & quasi dere-

derelictis scriptis sentio vovcoque: neque enim parvo cum dolore animi quam male ab haeredibus ea habita sint, dum tu abes solus paternarum opum dignus vindex, intelexi, quarum unam plagulam praestare aliorum voluminibus mihi semper fuit persuasum. Non omnem tamen abjicio spem, quin tuo adhuc quaedam in lucem sint perventura beneficio *ἀνέκδοτα*, aut recusum saltem iri edita, sed quibus caremus, ut Silium Italicum, Theocritum, & quaedam sacra. Haec enim majori cum animi moderatione eum tractasse, quam vulgo hodie fit a nostris aeque ac adversae partis hominibus, ex Homiliis binis inter Orationes editis, & Aristarchi prologo ac aliunde clarum est. Apud nos quidem litium & rixarum nullus nec finis est neque modus, in ipsis etiam partibus novae partes: jamque *Calixti* & *Calixtii* eriguntur iterum adversa & infesta signa, quorum in abjectis chartis calumniis refertis extat specimen. Bibliotheca nostrae Academiae hactenus neglecta, cura magistratus nunc iterum adornatur; novusque ei praefectus est Bibliothecarius, cujus, quam sub auspicium muneris Orationem habuit, mitto cum Catalogo MStorum in ea extantium. *Vossius* superiore mense maxima cum rei literariae jactura nec minore meo dolore, qui conjunctissimus ipsi vixeram, Berolini diem suum obiit. Heri etiam *Knupferus* profunde doctus Musicus, & qui de Veteri Musica egregium opus adornabat, in quo *Marco Meibomio* neglectos Autores recenseret, & *παρεσφαλμένα* in editis ab eo nonnulla notaret, e vita discessit: cujus morti brevi carmine, quod hic adpono, maximo cum luctu & moerore animi scripto illacrymavi. Scilicet quotidie res literaria damna patitur haud exigua, nisi quod tua incolumitate adhuc ea contineri se gaudet. Hanc igitur ut tibi servet, & collapsam reddat ac erigat omnis boni dator Deus, ex animo voveo. Dabam in nundinis autumnalibus d. XVI. Kal. Novembr. CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA CCXLVIII.

FR. BEN. CARPZOVIUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

PRidie ad *Elzevirium* aliquot exemplaria misi carminis tui, meo honori quod consecrasti, & quo nuptiis nostris maximum splendorem ac decus conciliasti. Gratiae, quas pro hoc officio & honore mihi exhibito tibi unquam agam, nequaquam attingent gloriae magnitudinem, quae inde ad me derivata prae aliis civibus omnibus meis peculiaris mihi obtigit, ac tantum non invidiam apud quosdam excitavit: erit tamen ejus memoria apud animum meum aeterna, aeque ac amplissimi tui nominis fama, quam doctissimis tuis carminibus meruisti, divine vates, apud orbem eruditum. Hugenianum apparatum epistolarem Cl. Virorum fane diu est cum suspicarer ingentem esse, & confirmarunt modo tuae literae: utinam vero claustris tandem effractis, quibus invidiose asservantur, publicae luci exponeret aliquis doctas has celeberrimorum virorum schedas, ut & Maximi viri *Hug. Grotii* Sermonis, & Parentis tui,

tui, cujus laus & fama immortalis in memoria hominum vigebit, epistolarum partem tot votis desideriisque expetitarum conspicere liceat. Illustri viro ipsi tantum otii suppetere, ut scrinia sua excutiat, non & haec quasi melioris aevi fragmenta colligat digeratque, facile intelligo; alios tamen ipsi domesticos & familiares ὅις γοιν χλωρὸν non deesse confido, quibus haec provincia ab Ampl. Possessore, te auctore, rectissime imponi possit. Ab *Elzevirio* nuper tres missos accepi libellos: *Minois* Plinium; *Vlitii* venatica & Ant. Liberalis Metamorphoses. Duos ad *Daumium* destinatos esse facile conjiciebam: & priori id inscriptum erat; postremum vero, quia in literis tuis ante hac mentionem ejus feceras, Munckerianae editionis ad me pertinere putavi. Itaque eum retinui, & prioris geminos saltem *Daumio* misi, transmissurus & hunc, ut primum sententiam tuam aliter cognovero. Commode enim & carere possum hoc libello, cum utar editione Berkeliana; & eundem possidebo, si cum venia & gratia tua id posse, intellexero. *Loccenii* Historiam & Antiquitates Suecicas mea cura apud nos ex Autoris voluntate recusas, a me etiam indicibus auctas, cum epithalamiorum exemplis ad *Elzevirium* pridie misi, & confido recte ad te perventura esse omnia, unde voluntatis nostrae promtitudinem intelligere possis. Neque enim aliter accipi velim omnia nostra erga te V. A. officia, quae nunquam merita tua aequabunt, si maxime summa cura & studio id laborem. Aeterno itaque nexu tuus manebo; & ut gloria, quae divino tuo carmine mihi obtigit, in memoria civium meorum & aliorum eruditorum perpetua erit, sic certo statuas, me non minus gloriae ac famae tuae aeternum fore studiosum. Vale. Dabam Lipsiae d. 17. Novemb. st. Gregor. CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA CCXLIX.

NIC. HEINSIUS

Fr. Ben. Carpzovio.

Lipsiam.

Etsi perspectam quodammodo videbar in te habere miram ingenii facilitatem, indulgentiamque, superasti tamen hanc exspectationem improvisus, fateor, *Carpzovi* praestantissime, qui tam levi opella tibi sic passus satisfieri, versibus inquam epithalamiis, si numerum horum metiris & loquacitatem meam, sat multis, si pretium, pauxillis sane, nec dignis, qui aut tabellariis per itinerum longinqua essent oneri, aut te legentem & melioribus assuetum delassarent. Cumulasti hanc benignitatem missis ad me voluminibus non paucis, quae nuper apud vos in publicam prolata lucem haud parum prae se ferunt, quo oculos curiosos & bonarum artium amantes morentur. Qua propter Germaniae vestrae jure optimo gratulari posse videor, quae in decus litterarum juvenes tot egregios, nec mihi notos hactenus nunc fovet & emittat. Ut de aliis nihil dicam, is, qui observationum suarum specimen in Julii Pollucis onomasticon dedit proxime, multum nos jubet de ingenio suo sperare. Sic & mecum *Graevius*,

vius, ſic alii ſentiunt litteraturae Graecae non imperiti, quibus contigit libellum inſpicere. Ipſius Pollucis mire depravati codicem vetuſtum optimumque, etſi mutilum, Mediolani comparatum poſſidebam olim, ſed hunc *Iſaacus Voſſius* a me tulit, cujus bibliotheca praeſtantiſſimis codicibus ſcriptis inſtructa in Britannias pridem hinc emigravit, dominum ſecuta, & cum illo nobis intercepta atque ibi terrarum moratura. Hanc tuam tam inſignem liberalitatem oporteret equidem a me quodammodo penſari, ſed is non eſt rerum noſtrarum ſtatus, ut inter tantos reipublicae graviter quaſſatae fluctus, ad ornandas augendaſque litteras, Pacis nutriculas, enitamur. Ut cognoſcas tamen quid Eccleſiam apud nos Academiamque turbare nuper de novo coeperit, mitto *Frid. Spanhemii* epiſtolam ſuper controverſiis iſtis recens apud nos editam, quam auctor a praelo Typographico adhuc madentem proximis diebus ad me mittebat. Felicia profecto primaevae eccleſiae tempora, quibus fides adhuc ſtata, nec tot phaleris, tot ſtrophis fucata jurgiorum ac diſſenſionum, ſe Deo ac hominibus ſimplicitate quadam illibata commendabat. Nunc eo perventum eſt, ut, dum quiſque eccleſiam in partes ſuas trahit, vix partes Deo ullas ac eccleſiae relinquat. Ferrem tamen haec utcunque, ac nimio pietatis ſtudio fieri arbitrarer, niſi amotis modeſtiae ac charitatis repagulis, internecivis odiis res hinc inde gereretur, & conviciis inter textrina vix ferendis, idque tanta ambitus, tanta iracundiae oſtentatione, ut legis divinae ſecuros eſſe prorſus appareat, dum exiſtimationem ſuam in tuto collocent, nec erroris ſua confeſſione convincantur. Sed ut miſſa haec faciamus, nuptiarum ſollemnibus jam te defunctum, vir eximie, cum Muſis in gratiam rediiſſe audeo augurari: ac proinde ſperandum, ut magni *Reineſii* poſtumis, quae debes publico, pertexendis jam totus denuo occuperis. Mihi certe nihil optabilius acceptiuſque obtingat audiendum. Meurſiana complura Holmiae in regio armario adſervantur, luce nondum donata, quae edenda hîc terrarum curaſſem, niſi interveniſſent tempora muſis ac bonis artibus adverſa. Grotianorum operum editionem cum haec ipſa tempora, tum *Petrus* filius nonnihil morantur; olim non uni in republica muneri ampliſſimiſque legationibus admotus, nunc vero neſcio quorum criminum in reatu, & tantum non oppreſſus a magnis adverſariis. Hanc illi conflaverunt invidiam inventae in ſcriniis Viquefortianis epiſtolae nonnullae, liberius ſententiam ferentes de mutato poſt Wittiana fata reipb. apud nos ſtatu. *Rappoltii* in Horatium commentarios etſi jam perlatos in Bataviam noſtram vix dubito, tamen hactenus nec legi nec vidi, quod ad Leidenſes meos, Amſtelaedamioſque, quo deferri id genus merces ut plurimum primae ſolent, rarius excurram, tricis forenſibus domeſticiſque adfixus etiam, & curandae valetudini: locum tamen unum alterumque Petroniani fragmenti ab illo ſollicitutos Cl. *Graevius* per litteras pridem communicabat mecum, in quibus verſatus videbatur non omnino feliciter. Quamquam e tantillo argumento commentarium omnem ſi metiri aggrediar, merito videri poſſim injurius. In orationibus parentis mei Homilias binas non inelegantes exſtare recte mones. Nam tertiam, quae de quinque articulis egit in Synodo Dordracena ventilatis, omiſit

illic Typographus, credo, ne mercem minus redderet vendibilem inter pontificios. Hanc si non vidisti, quaeram in scriniis meis, & ad te perferendam aliquando curabo cum offeretur: nam in officinis librariorum raro admodum occurrit. V. Cl. *Joannis Vorstii* excessum fero indigne: nam & magno studio ejus scripta conquisivi, & nisi funesta haec intervenissent tempora, jam ut conciliarer illi fuissem adnisus. Nos *Gysbertum Voetium* Theologum celebrem, sed acriorem multis visum, amisimus. *Joannem Petraeum* etiam Romae audio excessisse. Epigramma, quo *Knupfero* parentasti, mirifice mihi placet, omnia illic arguta brevitate se commendant: certe post *Buchnerum* e vivis sublatum nihil elegantius hoc in genere scriptum apud vos memini videre, nec aliter arbitraturum reor *Graevium*, cui tam politi carminis copiam sum facturus. Habes hîc iterum ad *Daumium*. Aliorum supiniras, quorum opera pridem in meis ad illum curandis sum usus, facit, ut plus aequo tibi sim molestus. Vale. Hagae Comitum 25. Novemb. CIↃIↃCLXXVII.

EPISTOLA CCL.

FR. BEN. CARPZOVIUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

QUO acrioribus stimulis nostrum erga te urgetur officium, eo procedit tardius, incertum quasi atque dubium, qua ratione partibus suis recte defungi possit. Hinc dies aliquot, imo menses, dum domo absum, effluxerunt, antequam animum literas ad te dandi sumerem, veritus, ne si illico prolixis tuis elegantissimis, omnique volumine mihi charioribus, literis responderem, promtitudine hac velut arrogans, & qui paria me iis reddere posse confidam, argui possem. Nolui etiam inanes prorsus ad te venire literas, sed ei sarcinulam addere, cujus perferendae per servum nostrum, merces in Belgio coementem, oportuna jam mihi dabatur occasio. *Loccenii* Suecicam Historiam cura mea hîc editam, a me etiam indice auctam, ad te binis abhinc, cum epithalamiis nostris, mensibus missam, recte perveniisse existimo: interea indidem, unde Historia pervenerat, *Pufendorfius*, gentium & naturae excellentissimus in Scania doctor, Suecicae gentis adversus Germanorum, & cumprimis Brandeburgicorum, criminationes defensionem suscepit, quam ad nos advectam, etsi hominum nostrorum & Reipublicae rationibus parum consentaneam animadverterem, tamen quia pessimae causae non malum patronum hunc intelligebam, ab ipso etiam praestantissimo autore libellum missum acceperam, recudi curavi, ejusque exemplar mittere volui: gentis enim hujus amore te quoque, qui ad eam Legati amplissimo antea munere praeclare functus es, teneri conjiciebam: & memineram adhuc in aere tuo me esse, quod *Meursii* Ithum insularum descriptione, & *Buremanni* variarum Lectionum libello me conbrahere voluisti, *Spanhemii* etiam historica, de qua in postremis tuis spem nobis fecisti, epistola, sed quae ad manus meas nondum pervenit. Caeterum

Meur-

Meurſii (ut ad nomen noſtrum, quod nomen noſtrum tibi adeo obſtrinxit, redeam) plura ἀνέκδοτα Holmiae latere jam audiveram antea, & certior factus ſum e tuis literis: ac gratum quidem & proficuum commodo publico & literariae rei fuerit, ea edi omnia, ſed neſcio tamen, quomodo minus ad palatum meum vir antiquitatis Graecanicae callentiſſimus, & in congerendis hujuſmodi literis laboriosiſſimus ſcripſerit, multitudine librorum praeſtantiam eorum quaſi elevans', & plura congerendo, quam digerendo, materiam potius librorum idoneam, quam juſtum volumen Lectori relinquens: ſane Locorum Communium inſtar habere mihi videntur ipſius ſcripta pleraque, neque ad *Caſauboni*, *Scaligeri*, Divi tui Parentis (quas omnes Graecae eruditionis antiſtites & Achaiae in literis Reip. Triumviros appellare ſoleo) monumentorum dignitatem accedere, in quibus lectionis varietati ingenii acrimoniam & idoneum ordinem junctum ſuſpicimus, dictionis autem elegantiam prorſus admiramur. Hîc contra exſucca atque indigeſta omnia, ac quod ille de Seneca dixit, *Sine calce arenam* deprehendimus. Nimirum paucis ea ingenii contingit felicitas, ut lectionis multitudinem ſtili elegantia & juſto ordine diſtinguere, ac ſuo quidvis loco adhibere poſſint, plures cruda protrudunt ſtudia ſua, ſaltem ut librorum editorum laude vehantur, & fama nominis inter autores referatur. Dolendum contra, eos qui idonei ſunt praeclaris operibus edendis, ſive metu invidiae, ſive faſtidio gloriae, ab iis ſe abſtinere: quod de te quoque jampridem queſtus eſt literatus orbis, cujus cauſam in epiſtola ad te data oravit [1] *Rolandus Mareſius*, in quam his diebus forte incidi. *Martinus Hankius*, qui antea de Hiſtoricis Graecis & Latinis Commentarios dedit, nuper de ſcriptoribus Hiſtoriae Byzantiae libellum ad me miſit edendum, jamque de eo cum bibliopola conveni. *Biſſelius* etiam doctiſſimus Jeſuita in Palatinatu ſuperiore, eadem qua illuſtrium ruinarum decadas ratione compoſuit, ſingularium hujus XVII. ſeculi tria ſeptennia edidit, & excuſa ea mihi tranſmiſit. *Joh. Schilterus* Conſiliarius in aula Jenenſi Saxonicus, amicus noſter, ſuperiori anno Manuductionem ad Philoſophiam moralem edidit: quam, ut doctiſſimi viri, fortaſſe antea non cogniti, notitiam acciperes, adjiciendam duxi: nam aliud eruditum, quod mitterem, non ſuppetebat, neque magis eruditos tuos oculos defatigare volebam: larga alias harum fuiſſet ſeges. Noſtram tamen in *Rappolti* obitum elegiam adponere volui: etſi enim noctuas Athenas portare argui poſſem, dum tibi elegantiſſimarum elegiarum conditori ſummoque artifici, rudes noſtros atque inconditos verſus offero: perſuaſit tamen amor in me tuus, ne conſpectui tuo eos ſubducerem. Huic ergo atque adeo tibi ipſi audaciam iſtam imputabis: & per hunc, quem coepimus, ac plures ſecuturos annos recte valebis. Dabam Lipſiae e comitiis provincialibus Dreſdae per aliquot ſeptimanas habitis redux modo factus. d. X. Kal. Februar. CIↃIↃCLXXVII. A *Daumio* faſciculum tranſmiſſum domui redditus inveni. Excuſabis ergo hujus aeque ac harum literarum tarditatem: feſtinataeque jam ſcriptioni ignoſces. Sero ad officium redii, & jam ultra quam juſtum eſt iſtud accelero, adeo modum inter nimium & parum ignoramus.

[1] lib. II. Epiſt. XLIX.

EPISTOLA CCLI.

NIC. HEINSIUS

Fr. Ben. Carpzovio.

Lipſiam.

NOvembri menſe te compellabam proxime, mittebamque *Friderici Spanhemii* libellum, de Coccejaniſmo, quem vocant. Ex illo tuas accepi jucundiſſimas die XVII. ejuſdem Novembris exaratas, quibus & epithalamii mei exemplaria complura, & Loccenianam Sueciae hiſtoriam videris addidiſſe. diſtuli, fateor, reſponſum diutius, quam par eſt, dum ſarcinas iſtas operior, auguratus fore, ut una eademque opera & tuis reſpondeam, & gratiarum actione defungerer, qui non ceſſas continuis munificentiae argumentis me cumulare. Caeterum cum *Emericus Bigotius* V. C. proxime ad me perſcripſerit, Amaenitates juris Menagianas ex editione ſecunda praelo Pariſino eſſe pridem commiſſas, id neſcire te nolui, ne bibliopolae veſtri ſpem vanam fovere pergant, libri ejus typis ſuis deſcribendi. Hoc labore defunctum idem *Menagius* obſervata ſua in Cujacianas obſervationes luci donaturus eſt. Praeter capitularia Regum Gallorum duobus ingentibus tomis edita Lutetiae, & Poenitentiale Theodori Cantuarienſis, ac voluminibus XIII. Spicilegii Dacheriani, *Vaillantii* numiſmata antiqua, & alterius neſcio cujus de Diis ignotis commentarius Lugduni prodiit, cui inſcriptiones antiquae complures hactenus in publico haud viſae inſeruntur. Occupatur & *Huetius* in commentario ſuo de veritate religionis chriſtianae, opere a multis laudato. Antonini Liberalis Metamorphoſes jure optimo tu tibi vindicaſti, neque enim alteri a me deſtinabantur. Plinii epiſtolas & Gratium recte perlatos eſſe ad doctiſſimum *Daumium* augurari licet. Quod litteras, quas hactenus Hamburgenſi & Leidenſi via ad illum dedi, frequenter in via perditas cognoſcam, audeo tibi denuo moleſtus eſſe, ne vir officioſiſſimus ſuas compellationes a me negligi aut inſuper haberi arbitretur. Leidenſes *Palmerii* Graeciam antiquam ſuis typis deſcribunt. Vale, vir eximie, & mihi, ut coepiſti, velle perge. Hagae XII. Februar. CIↃIↃCLXXVII.

EPISTOLA CCLII.

FR. BEN. CARPZOVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

MAluiſſem epiſtolae comitem faſciculum dare, nonnulla apud nos, quae prodiere, continentem, ut mole quaſi tarditatem meam redimerem, & tuarum literarum elegantiam compenſarem, ſed defuit hactenus iſtum ad vos perferendi occaſio: & menſes interea bini effluxerunt. A *Daumio* etiam cum literis faſciculus in muſeo noſtro jam per aliquot ſeptimanas ad vos pertingendi rationem circumſpicit, ſed quam tamen nondum licuit indagare, neque ante nun-

nundinas vernales ejus nanciſcendae ſpes eſt: itaque ſimplici litterarum officio defungi malui, quam fruſtra ſperando apud te, virum ampliſſimum, negligentiae culpam contrahere. Non parum autem miror, quam pari fato & tuus ad me deſtinatus *Spanhemius*, & tibi tranſmiſſus a me *Loccenius*, cum epithalamiis in binis faſciculis urgeantur, vel potius cohibeantur, ne ad ſuum quiſque perveniat dominum. Ac ego quidem mercatori Harlemenſi unum eorum ad vos ferendum dederam, & *Dan Elzevirio* commendaveram, a quo interea literas accepi, nihil a me ad ipſum eſſe perlatum profitentes. Nimirum itineris longinquitas & hiberna tempeſtas, ſed ſuper omnia hominum incuria hoc nobis incommodi afferunt, ut uſu talium rerum, quae ab amicis proveniunt, careamus. Non prorſus tamen deſpero, interea ad vos perlata eſſe, ſi non omnia, quaedam tamen, quae tranſmiſerim. Menagianarum Amaenitatum editionem diſſuaſeram bibliopolae, ante quam auctiores eas nos ſperare juberes: ſuperſtitum enim in auctorum ſcripta ſemper mihi diſplicuit aliquid juris ſibi ſumere; & vel ea ſaltem recudere, abſque autoris conſenſu, religio mihi fuit ut ſuadeam. Ergo potius *Tanaquilis Fabri* epiſtolis manum & ſumtus admovere juſſi, ſi omnino cupiat Criticum libellum e taberna ſua protrudere: nam iſto auctore non alius noſtra aetate in ſtudio critico & humanioribus literis fuit praeſtantior, & libelli ejus in noſtris tabernis non proſtant, ſed e Gallia arceſſendum eſt, ſi quis deſideret exemplar: In demortui etiam bona relicta ſpecioſiori jure ſuccedere poſſunt, quam vivi ſpirantiſque ſibi arrogare libros eorum inſtitores. Recentium, quos proditurus memoras, librorum in vicem non habeo quod nunciem, niſi quid nundinae Francofurtenſes novi afferant, quae ſicuti ſemper aliquid novi, ita crebro etiam monſtra alunt. Vale. Dabam feſtinante calamo, quem incitat abituriens in Belgium mercium conquirendarum cauſa noſter famulus. Lipſiae. d. 24. Mart. CIↃIↃCLXXVII.

EPISTOLA CCLIII.

NIC. HEINSIUS

Fr. Ben. Carpzovio.

Lipſiam.

QUicquid librorum ad me dediſtis, tu ac praeſtantiſſimus *Daumius*, tua hîc uſus opera, id omne recte ad me perlatum eſt, niſi quod in ultimis tuis neſcio cujus faſciculi mentionem video injectam, quem opinor viae nondum eſſe commiſſum. Debebam, fateor, non modo remunerari tam luculentam munificentiam, ſed etiam matura gratiarum actione profeſſus eſſe tempeſtivius aliquanto animum tanti beneficii intelligentem, niſi receſſus ab hac aula multum remotus, atque illic valetudo ſuperveniens ſatis diu me attinuiſſent ruri, atque ab officio praeſtando invitum revocaſſent. Ita fit, ut duabus tuis longe jucundiſſimis ſuaviſſimiſque reſponſum debeam. *Spanhemii* epiſtolam ſuper controverſiis inter Theologos noſtros nuperius exortis, quid cauſſae ſit, cur tuo conſpectui tamdiu ſubducatur, vix comminiſci poſſum. Addo nunc

Petronium *Joh. Boschii* annotatiunculis illustratum, quibus cum conjecturas non paucas inseruerit ex ore meo in familiari colloquio exceptas, in nonnullis harum tamen mentem meam haud satis esse assecutus videri potest. Sed in tam parco frugis litterariae apud nos proventu, quid ego exhibeam, nisi tenue & jejunum, cum tu interim hanc messem totis horreis mihi admetiaris. De Meursianis scriptis recte omnino judicas, non quidem in eis apparere eam scriptionis limam atque elegantiam, qualis & requiri soleat & praestari ab hominibus emunctae naris in hoc litterarum genere, sunt tamen conjuncta cum emolumento publico, quod locorum instar communium cujusque argumenti res praecipuas in unum collectas oculis subjiciunt, quae sparsae ac divulsae apud scriptores antiquos proferuntur. Ut omnino rei litterariae intersit, quae reliqua viri praestantissimi non pauca in armariis regiae apud Holmianos Bibliothecae delitescunt, qua auctiora quam circumferuntur hactenus, qua luci nondum commissa, erui quamprimum ac luce publica donari. Cl. *Locenius* vellem res sub hoc rege a Suecis domi forisque gestas haud invidisset nobis. Schilterianam manuductionem ad Philosophiam moralem & legi & probavi, miratus in hoc viro haud protritam antiquitatis cognitionem, quem mihi commendant & merita ipsius, & tu lucubrationis tam eruditae donator, & doctissimus *Graevius*, cui viro, multa mihi conjuncto necessitudine, aut affinis est aut consanguineus, ut audio. Sed & carmen elegiacum, quod exsequiis doctissimis *Rappolti* dedisti, haud publici saporis est, & mire elegans. Meum tanti non erat, quod typis apud vos publicis describeretur. Sed, quae benignitas tua est, ut non ex omni parte me demereris, voluisti nimirum amicitiam tuam, qua unice glorior ac triumpho, publice testatam esse, meque tibi debere, quod a memet ipso mutuari nequicquam sperem. Tuum mercaturae studium, quia non satis aperte illic tetigeram, venit postea in mentem subjungere hos duos versiculos,

Quin & Mercurio probatus aequo
Lucri praemia tollit adfluentis.

Idque post illum, *Ne Census male deteratur obstat*, ut Mercurii in superioribus meminisse jam nihil sit necesse. De *Tanaquilli Fabri* epistolis apud vos de novo edendis, si rem maturius resciviſſem, poterat a me agi cum *Emerico Bigotio*, & adhuc agam, quamquam metuo, ne serius id sim facturus, ut ille *Τανακρίτης* filiam *Annam*, feminam eruditionis laude insignem, quae & Florum commentariis suis & Callimachum, quod magis mirere, illustratos nuper publico dedit, per nonneminem ex amicis suis (vivit enim ea Lutetiae) curaret compellari, si fortasse opuscula illa parentis auctiora atque emendatiora, quod reor, possideat, ac vobiscum communicata velit. Erat *Tanaquillus* vir peramoeni ſine, sed procacioris ingenii, & qui in castigandis scriptoribus vetustis nimium indulgeret, ac permitteret sibi quandoque, nullis adhibitis aut consultis membranis, sed lubrica hariolandi arte, quae sagacissimo cuique imponit, ut nosti. In his ipsis epistolis alicubi exagitavit parentem meum, ut proterve satis, sic nullo jure, ut demonstravi in meis ad Nasonis Artem Amatoriam annotatis, digressione

sione satis longa, qua effectum est, ut illum postea facti temerarii poenituerit, quod ex *Graevio*, qui inter amicos ejus potiores fuit, aliquando cognovi. Sed per istas velitationes nunquam fiet, ut ego viri meritis detractum velim. Viri boni & eruditi apud nos nunc occupantur in Stephano Byzantio illustrando, opinor fore, ut & Hostenianae in eundem scriptorem animadversiones typis Elzevirianis propediem describantur. Editur & *Palmerii* Graecia antiqua, opus postumum. Romae typis Barberinis eduntur Geographi veteres partem majorem Graeci, nec visi hactenus in publico, quas idem collegerat *Holstenius*. Tu quid de Reinesianis nos jubes sperare? Vale 5. Maii. CIↃIↃCLXXVII.

EPISTOLA CCLIV.

FR. BEN. CARPZOVIUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

QUod non citius, & tum cum per mercatores e nundinis nostris vernalibus ad vos redeuntes licebat, ad multo gratissimas tuas literas responderim, febriles languores, quibus per aliquot septimanas vexabar, causa fuerunt: His per Dei gratiam & medicorum opem dispulsis, nihil prius aut antiquius habui, quam ut isthoc respondendi officio defungerer ad jucundissimas tuas: quarum quo plures accipio, eo magis amoris & benevolentiae tuae certus reddor, neque ulla re magis, quam hujus constantia & firmitate me affici sentio. Et sane inter Mercuriales, quas modo agebamus, minime feriatas, ferias molestissimorum negotiorum eruditissimam tuam epistolam quasi condimentum, inter febriles vero ardores levamen, quasi sopor fessis, sensi. Ergo nec in respondendo me lentum esse decebat, qui tamen per morbum aliter non poteram, cui hanc tarditatem nostram imputari velim. *Spanhemii* interea epistolam de Theologorum vestrorum modernis dissidiis recte a mercatore Amstelodamense, cui forte *Elzevirius* tradiderat, missam accepi, nec sine indignatione, interdum etiam ob salsa & facета Auctoris dicta, risu, frivolas in gravissimo religionis negotio contentiones inde cognovi. Cui vero bono in detrimentum charitatis armata loquacitas? quid conducunt tot chartarum folia nigrae loliginis succo illita, quibus liquidae pietatis succus inest nullus, & quarum tamen ambitioni Numen praetenditur? Indignatur sane quisque probus nova indies dogmata cudi, & hinc schismata nasci, animorum dividias ali, & in Christiano corpore sectarum pertinaciam & contentionum pruritum vigere. Sed nimirum his satis vestrae non magis quam nostrae urgentur ecclesiae, ut internis motibus agitentur, ac licet cum externis hostibus satis habeant, quod agant, malint tamen in sua potius viscera arma convertere, cognatasque acies, ut Poëta ait. Rectius consilium suscepit frater meus, dum Pontificia castra invasit; edito superioribus diebus adversus *Masenium*, societatis Jesu Presbyterum, & editis de humanioribus literis compluribus libellis clarum, qui novam Praxin intra octidui exercitationem Pontificiam religionem amplectenti fuerat commentus, Examine, quo sacram scripturam & Augusti-

num

num a Jesuiticis detorsionibus & calumniis vindicavit, & nostrae pariter ac Pontificiae religionis dogmata ad lancem veritatis justo volumine expendit. Nescio num affectus mihi imponat, an rei veritas impellat, ut praeclare de libro sentiam, solida certe, quae non sine dictionis cultu ab eo pro causa nostra allata sunt, argumenta judicem. Ad humaniores literas pertinentium libellorum rarus est apud nos proventus. Francofurtenses *Vossii* vestri de Historicis Latinis & Graecis Commentarios recuderunt, eadem ratione, qua antea ejusdem de Physiologia & Theologia gentili, vitiis item Sermonis ediderunt opera: adeo nobis vestra saltem legendi vestigia & denuo excudendi, quae publici juris feciſtis, opera relicta est gloria. Unus tamen *Martinus Hankius* novi operis tibi nunciandi nobis copiam dedit, emisso de Byzantinarum rerum scriptoribus graecis Commentario, in quo vitas & scripta auctorum quinquaginta, qui de Constantinopolitanis aliisque Graecis antiquitatibus monumenta nobis reliquerunt, distinctiorem in modum recensentur, judicia etiam de eorum scriptis feruntur: quem in modum jam superioribus annis idem Clarissimus autor de Rerum Romanarum scriptoribus geminos ediderat libros: de quibus aeque ac nunc publici juris facto Commentario sententiam non dico, quam amor erga virum optimum, qui mihi etiam librum, ut typographum & editorem ei conciliarem, Uratislavia miserat, cohibet. Id tamen profiteor, ut colligendi & varios Autores evolvendi laboris laude se commendant, ita ingenii gloria se minus mihi probare hujusmodi Collectanea, magis placere ab ipsorum autorum ingenio profecta opera, de quibus rectius etiam sive in bonam, sive in alteram partem ferre judicium licet. Juxta horum (sed exactos & cum judicio digestos) nulli mihi praestantiores videntur labores, quam qui edendis illustrandisque bonis autoribus impenduntur. Et sane cum ad famam acquirendam duae literatis propositae sint rationes & quasi viae, una per suas lucubrationes, quas cujusque ingenium ex se parit, altera per alienas: licet illam priorem multi tanto huic praeferant, quanto parentem nutrici ante ponere solemus, ego tamen audacter dixerim, melius fore hac nostra aetate locatam operam in scriptis veterum emendandis atque illustrandis, quam in novis quasi foetibus ingenii concipiendis & pariendis. Quae causa est, cur tuum, vir amplissime, qui tot nobis praeclaros autores, Ovidium, Claudianum, Prudentium, & horum obscura loca, illustrata dedisti, institutum plane probem; ac quamvis saepenumero cum *Rol. Maresio* doleam, non crebriores proprii ingenii ex toto foetus tuos videre; cum ad novi scriptoris laudem adspirare tamen tibi non difficile sit, quique Poëtae atque Oratoris partes perfecte impleviſti; studia tamen tua, si recte judico, collocare fructuosius & ad extruendam tibi nominis immortalitatem firmiora ac solidiora fundamenta isthac ratione jacere videris. Simili in opera se exercuit studium amici nostri *Ulrici Obrechti* in Argentoratensi Acad. P. P. & celeberrimi *Boecleri* successoris ac generi, qui superioribus mensibus Augustae Historiae sex scriptores vulgo junctim edi solitos, denuo emendatiores edidit, & notis additis illustravit, in quibus post literarum Principes *Casaubonum* & *Salmasium*, spicilegium, quod relictum sibi deprehendit, instituit.

Digitized by Google

tuit. De Valerio tuo Flacco ut ſimile quid proxime experiamur, & hic ad ſummas tuas laudes, queis per Orbem literarium veheris, cumulus accedat, votis contendere non deſinam. Affinis tui Nob. Dn. *Goeſii* de juſtitia Pilati Commentarium ſumma cum voluptate perlegi, ſed multa praeterea adferri poſſe, quae omnino ad rem faciunt, nec minus momentum cauſae afferunt, judico. Hîc in vicinia ſuperioribus annis quidam *Joh. Stellerus* advocatus, & qui fortaſſe plurimis peſſimiſque cauſis in foro adfuerat, publice edito libello Pilati etiam cauſam defendendam ſuſceperat, profano plane auſu, qui etiam per magiſtratum exemplarium confiſcatione coercitus fuit. Eum poſtea ſub *Maphanaſii* nomine quidam Dan. *Hartnaccius*, & tandem publice apud nos habita Juridica Diſſertatione, *Joh. Frid. Moebius* confutandum putavere: ſed utraque ex parte minus ſolidis rationibus pugnatum exiſtimo, neque Reip. qualis eo aevo Judaeorum erat, aut Imperii, quod ſibi in hos Romani ſumebant, ſtatum ſatis & ut par erat, fuiſſe excuſſum. Ad Hebraeorum potiſſimum jura, & Pontificum circa capitalia ſupplicia infligenda poteſtatem, Judiciorum item formam reſpiciendum erat, non juris Romani apices Pilato objiciendi, quod a pleriſque JureConſultis factum deprehendo: atque hîc *Seldenus* aliquis, *Cunaeuſve* veſtras, in partes venire debebat, qui Rabbinorum volumina & Jura Ebraeorum excuteret, & quid a Cajapha in forma Judicii aberratum, in quantumque Pilato licuerit examini a Judaeis de ſonte habito adſentire, vel contradicere, aliaque ad hanc cauſam neceſſaria doceret. *Hulſii* ſpecimen Theologiae Hypotheticae non parum mihi lucis ad Spanhemianam a te tranſmiſſam epiſtolam (pro qua adhuc tibi debeo) intelligendam attulit. Coccejanam ſane Theologiam & vigentes apud vos contentiones plenius quam a *Spanhemio* factum fuerat, exhibuit. Salisburgi Pater *Otto Aicher* varias inſcriptiones veteres hinc inde extantes, templorum, tumulorum, imaginum, aliorumque locorum in publicum emiſit. A *Chriſtophoro Philippo de Waldenfels* editi ſelectae Antiquitatis libri, Noribergae modo excuſi, vix typis, nedum eruditorum oculis digni ſunt; nec *Angeli Galluccii* Hiſtoria Belgica, ad Romanum non ita pridem editum exemplar a Noricis jam recuſa, opera iſthac digna videtur, adeo jejuno & Hiſtoriam parum decente ſtilo conſcripta, ut ad quodvis potius, quam Hiſtorici munus idoneus is ſcriptor cenſendus ſit. Circa Anglos ſcriptores non inutile ſtudium adhibuit *Martinus Kempius*, Regiomontanus, praeſtantiſſimorum iſtius gentis Theologorum, qui integro currente ſeculo ad praeſens uſque tempus floruerunt, partim etiam adhuc florent, ſcripta per certas claſſes, cuivis materiae Theologicae datas, recenſens, cum appendice de Regia Londinenſi Societate: ubi quaedam hactenus nobis parum cognita reperire licuit. Ex Italia, Romae hoc demum anno excuſa *Latini Latinii* Viterbienſis, qui ſuperiori ſeculo floruit, Bibliotheca, Obſervationes, Connectiones, Conjecturas & Varias Lectiones in ſacros juxta ac profanos ſcriptores continens, ad nos pervenit, ubi felicius optimum ſenem circa ſacros, quam externos ſcriptores rem geſſiſſe, cognovi. Ex Scania Danicis armis hodie oppreſſa, (quae vereor ne iſtam iterum ad gentem redeat) *Samuelis Puffendorfii*,

praeſtantiſſimi juris gentium & naturae doctoris, exercitationes cultiſſimas accuratiſſimaſque caſu quodam accepi: nam aperte ne epiſtolam quidem ex iſtis oris huc ferri, quam maxime etiam laboremus, integrum eſt: Has ut primum accepi, avide perlegi, nec ſine ingenti admiratione, ingenii acumen, ſtili nitorem, praeſtantiſſimorum ex bonis Autoribus locorum applicationem & profundam viri doctrinam complexus ſum, ac aegre tuli nitidiſſimum libellum Germania extorrem eſſe oportere: Ergo typographo cum recudendum tradidi, ne noſtri homines tanti boni copia careant, & exemplum ejus, cumprimum fuerit expreſſus, ad te mittam. De *Tanaquilis Fabri* epiſtolis recudendis conſilium ſuſpendam, donec reſcivero, num a *Bigotio* ſupplementum iis a filia *Anna* conciliari poſſit. Verum ſane de eo viro judicium tuum eſt, & procacitate ingenii eum multos eruditorum irritaſſe conſtat, ac ex alieni nominis arroſione & morſu gloriam ſibi quaeſiviſſe, dum Codicum antiquorum ſecurus, ſuis ſaltem inventis ſibi placens, de ingenii fama pleriſque detractum ivit. Electus tamen ejus ſtylus recondite elegans, rerum varia cognitio, inventionum ſubtilitas, & alia quae delenifica habet, in amorem rapuere imae & mediae caveae literatos, ſic ut apud nos complures copiam ejus librorum ſibi exoptent. Sed jam epiſtolae ſtatuendus eſt a me modus, a te concedenda venia, tum ob prolixitatem, in quam, dum non animadverto, excrevit, tum ob parum ſervatum dictionis cultum rerumve ordinem, quas pro ut in mentem venerunt, in calamum fluere volui. Quare elegantiſſimarum a te literarum amplius particeps fieri non meritus, ad benevolentiam tot modis hactenus ſolicitatam, confugio: inde non minus, literis meis ignoſcendi, quam reſponſione ea porro dignandi gratiam mihi promittens. Vale. Dabam Lipſiae Prid. Kal. Jull Anno CIↃIↃCLXXVII. P. S. A *Daumio* ſuperiori menſe diverſos faſciculos accepi: quos quia ad vos pertingendi occaſio nulla interea erat, neque literas ego per rationes antea expoſitas dare poteram, in hoc tempus aſſervavi, quo eos cum aliis ſchedis (quae, dum epiſtolam ſigno, ad manus erant) tranſmittendos duxi. Vale iterum.

EPISTOLA CCLV.

FR. BEN. CARPZOVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

NOlui occaſionem ad te perferendi faſciculum Daumianum, de quo nudius tertius ſcripſeram, praetermittere; cui quam vellem, ut jungere aliquid poſſem, quod tibi gratum fore exiſtimem. Sed recentia non ſuppetunt, & vetera, olim apud nos edita, quae vel nondum habeas, vel deſideres, ignoro: ut omnino mancum hîc officium noſtrum eſſe oporteat. Pridie cum literas ad te darem, Salmaſiani operis indictricem ſchedam mittebam, ad exemplar Graevianum, quod doctiſſimus vir huc miſit, excuſam, ſimulque ſtudium noſtrum circa iſtius editionem indicabam: Interea incidit, ejus autorem cum Magno tuo Parente aliquoties in re literaria fuiſſe colliſum, ac graves controverſias viris in-

interceſſiſſe; proinde veritus ſum, ut ſtudio huic noſtro, veluti manibus Paternis iniquo, minus faveas, certe quidem libellos exiſtimationi Heinſianae injurios recudi aegre feras. Sed reputans tamen apud animum meum, virtutem etiam in hoſte laudari ſolere, ac reconciliatos fuiſſe, dum viverent, eruditione illuſtres ambos viros, in ſpem erectus ſum, operis editioni te nequaquam refragaturum, iſtud potius communicatis cum doctiſſimo *Graevio* conſiliis promoturum eſſe. Nuper cum inter alios de Claris viris ſermones apud Illuſtrem aulae noſtrae Heroa, *Henr. Friſium*, ſupremum Conſiliorum Electoralium Moderatorem, tui, & quo ſe familiariter uſum fuiſſe quondam, cum ſtudiorum cauſa Belgium perluſtraſſet hîc gloriabatur, Divi Parentis mentio incidiſſet, nihil adhuc videre ſibi licuiſſe is querebatur, unde diem vel annum emortualem Maximi hujus viri, *Danielis Heinſii*, cognoſcere potuerit. Qua in re nec ego, iſtius aeque ignarus, quicquam ſuggerere poteram; neque tamen dubito, parentationis aut ſermonis funebris honorem ipſi ceu reliquis claris Profeſſoribus habitum fuiſſe, poſtea in literas miſſum typiſque deſcriptum, unde aetatis & fati rationem cognoſcere liceat. Qua in re conſilio & ope tua me indigentem (nam ſummo viro talium indagatori curioſo fidem dedi ſedulo me ſciſcitaturum eſſe) ut juves, quam maxime rogo. Idem vir Illuſtris de [1] *Cunaei* epiſtolis, quas ſcriptas ſe aliquando vidiſſe meminiſſet, me rogavit, an non ad modum Barlaeanarum interea prodierint? Contubernio enim *Cunaei* ſeſe uſum fuiſſe, (cui *Buchnerus* ipſius ſtudia commendaverat) & propterea maximis in deliciis ſe viri ſcripta habere, graviterque dolere, quod tam pauca prodierint, ajebat. Num hac quoque in parte eruditam viri curioſitatem explere, meque voti compotem reddere, & docere poſſis, Cunaeanae reliquiae prorſuſne interierint, digno deſtitutae herede, an adhuc expectandum aliquid ſit, experiri auſus ſum. Sed ignoſces huic confidentiſſimae petitioni, quam, quia a nemine rectius talia reſciſcere licet quodammodo, neceſſitati tribues. Rationem autorum edendarum Graevianam omnibus noſtris hominibus valde placere, in ſuperioribus literis, indicaſſe memini. Et eſt in hac urbe bibliopola, qui Juſtinum, quem Lugdunenſes in Gallia typi cum *Bongarſii*, *Bernegeri*, *Thyſiique* integris notis, appendice notularum doctiſſimi *Joh. Georgii Graevii* addita, excuderunt Anno 1670. recudere mallet, ſi pace *Graevii* id fieri liceret: quo nomine ut ad Clariſſimum virum literas darem, me rogavit. Sed cum litterarium commercium cum eo hactenus mihi non interceſſerit, & credam Elzevirianis typis hunc autorem a Clariſſimo viro non ereptum iri, proindeque religio mihi ſit occaſionem iſtud auſpicandi e negotio captare, ubi repulſam pati poſſim, malui officium meum bibliopolae denegare, quam periculum iſthoc experiri. Quod ſi per te reſciſcere, vel, qua auctoritate apud *Graevium* vales, impetrare liceret, ut cum ejus venia iſthaec editio hîc recudere-

1 Hae anno proximo, me curante, prodierunt, & inter eas leguntur Illuſtris hujus *Friſii*, ſummi eruditorum Maecenatis, Epiſtolae ad *Cunaeum*, & ejus reſponſiones, ut & *Buchneri*, quibus *Friſium* ad Academiam Batavam abeuntem commendavit.

deretur, aut notas, ſi paratas in iſtum autorem haberet, ſubmitteret; pretio iis, quod vellet, poſito: tibi non minus ac ipſi auctori, apud quem autoritate tua hoc beneficium conciliabis, bibliopola ejuſque ego nomine, obſtricti erimus. Vale. Dabam Lipſiae d. Kal. Sextil. CIↃIↃCLXXVII.

EPISTOLA CCLVI.

NIC. HEINSIUS

Fr. Ben. Carpzovio.

Lipſiam.

SUB nonas, quantum recordari datur, Majas ante hos duos menſes litteras ad te dedi, ut uberes verborum, ſic & bonae frugis parum copioſas. Nunc quod ſcribam, etſi vix occurrit quicquam, tamen cum Theodulphi Aurelianenſis opuſcula, diu multumque deſiderata a noſtro *Daumio*, e Galliis tandem eſſem conſecutus, non aliam offerri videbam viam, qua ad amicum communem pervenirent, niſi opem hîc tuam implorarem, cujus ſtudia mihi demerendo expoſita ſemper & parata eſſe non uno argumento ſum expertus. Ea igitur ad *Elzevirium* nunc mitto, addito & altero libello, quem *Daumius* ad *Bigotium* mitti pridem volebat: ſed cum Euthalium ipſe manu ſua deſcripſerit, *Bigotio* tradendum, haud fore e re ſum arbitratus addi libellum typis deſcriptum, quilicet ad dominum nunc ſuum revertatur. *Stephani Byzantini* binas apud nos procurari editiones pridem, puto, narravi. Alteram Commentariis *Abrahami Berckeliis*, Hebraei *Pinedo* alteram animadverſionibus illuſtratam. Nunc perſuaderi ſe per me *Elzevirius* eſt paſſus, ut Holſtenianas in eundem ſcriptorem curas, eruditas illas ac luculentas, typis ſuis deſcribat. Opinor etiam fore, ut idem nobis det Ammianum Marcellinum curis ſecundis a *Valeſio* & *Lindenbrogio* illuſtratum. Lutetiae prodiit Euſebius ejuſdem *Valeſii* editionis ſecundae. Ibidem ſub praelo fervet *Cangii* gloſſarium ad ſcriptores mediae & infimae Latinitatis, opus eruditum ſane, cujus ſpecimen *Bigotius* ad me nuper miſit. *Thomas Munckerus* Mythologos Latinos luci paratos habet, ſed iis typographus vix eſt, ut manum admoveat ante vernam tempeſtatem proximam. De *Fabri* epiſtolis apud vos edendis proxime agebam, eaque de re hodie ad *Menagium* ſcribo, a quo litteras nuper accepi, quibus nuntiat Amaenitates ſuas juris jam prodiiſſe cum aliis quibuſdam libellis, ſe auctore, quas propediem ad me oblata opportunitate ſit miſſurus. Ciceronis Epiſtolae familiares variorum, ac praecipue *Graevii*, animadverſionibus illuſtratae jam lucem vident. In Galliis prodiit jam, aut proditurum proxime novum volumen, ſcriptores Hiſtoriae Byzantinae tres quatuorve hactenus ineditos complexurum. tum orationes Themiſtii auctiores, & Zonaras. Britanni in Jamblicho edendo occupantur. Vale. Hagae Comit. 8. Julii CIↃIↃCLXXVII.

EPI-

EPISTOLA CCLVII.

FR. BEN. CARPZOVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

VIX dederam miniſtro noſtro, mercium conquirendarum cauſa in Belgium ablegato, ad te ferendas cum faſciculo literas, cum a te iterum epiſtolam accipio, amoris & benevolentiae, ac diuturni mei ſilentii indulgentiſſimae tolerantiae teſtem: cui etſi quod reſpondeam vix habeo, pudore non minus confuſus, quam argumenti copia deſtitutus: nolui tamen bis peccando graviorem apud te notam contrahere, ſi iteratae tuae benignitati pari tarditate, qua nuper cum per morbum aliter non liceret, iterum ſalvus reſpondeam. *Daumium* de Theodulpho mox accipiendo, (nam in via ad nos eum haerere conjicio) literis tuis certior factus, ſecurum eſſe juſſi: Ac miſit is ad me eum faſciculo epiſtolam, quam hîc ſolam vides: iſte enim occaſionem ad vos pertingendi apud me manebit. *Graevii*, de quo ſcribis, Ciceronianae epiſtolae ad nos perlatae ſunt, binis voluminibus nitidiſſime editae, cum integris variorum notis, quod genus edendi libros admodum mihi placet: Schrevelianus ſemper diſplicuit mos, quo reſectis optimis obſervationibus, quandoque leviſſimas notas loco ſelectarum accepimus. Atque utinam doctiſſimo viro integrum Tullii opus iſtum in modum adornandi & edendi, de quo ſpem praeclaram fecit, otium & vita ſufficeret: quorum alterutrum ferme bonis ſcriptoribus deeſſe ſolet. Quemadmodum duobus abhinc ſeptimanis doctiſſimum virum *Joh. Conr. Durrium* vita deſtituit, qua cum maximo eruditorum dolore Altorfi, ubi publice ſummo cum ſtudioſorum fructu & magna laude docuerat, *Virdungi*, *Piccarti*, *Rupertique* digniſſimus ſucceſſor, exceſſit. Et jam ſolus in iſta Academia ſuper eſt *Wagenſeilius*, qui famam antecceſſorum ſuſtinere quodammodo poſſit; *Durrio* quidem quod parem iterum ſit ſortitura, qui hunc ſtili nitore, Ariſtotelicorum dogmatum exacta ſcientia, Hiſtoriarum cognitione, & Theologicarum rerum exquiſitiſſima doctrina aequet, vix ſperare licet. Circa *Salmaſii* operum editionem ſtudium noſtrum hinc colliges, quod epiſtolam Celeberrimi *Graevii*, ut cernis, hîc recudi curavi, qua plures in ſocietatem pretii repraeſentandi invitem. Aequas cenſeo conditiones, nec intelligo, quid deſiderare in iis quis poſſit, qui modo ſerio maximi viri lucubrationes aeſtimet: (quas equidem plane admiror, licet alicubi male digeſtas, quandoque etiam magnorum virorum famae & exiſtimationi, & cumprimis Magno tuo Parenti, nimis iniquas) cum praeſertim jucundum etiam ſit, ſingulos vel binos ſemper ordine, quo prodeunt, tomos impetrare: nec dubito plures repertum iri operis tanti fautores, qui bibliopolam ſumtibus ſint adjuturi, quem nec *Graevius* conſiliis deſtituet. Vale, vir celeberrime, & me porro ama. Dabam Lipſiae d. XIX. Kal. Sept. CIↃIↃCLXXVII.

EPISTOLA CCLVIII.

NIC. HEINSIUS

Fr. Ben. Carpzovio.

Lipſiam.

NON leviter, *Carpzovi* ornatiſſime, res noſtras haec bella conturbant, me certe a ſtudiis adeo reddiderunt alienum, ut vix meminerim ea fideliter ac intentiore cura a me tractata, dum ſedeo Deos omina meliora poſcens. Qua in re vide an ruſticum illum imitatus, qui amnem, dum defluēret, exſpectabat ſpei ſuae irritus. Propediem me Muſis reddam, aptis tempori fallendo ſolatiis, ne ſemper haeream in contemplatu funeſto luctuoſorum temporum. Vides cauſas, quae me pridem avocant ab officio epiſtolari, quod cum ſponte tibi deberem, nunc tanto magis debeo, quod tribus tuis ſub unum fere idemque tempus mihi redditis, reſcribi pridem oportuit. Tardavit etiam nonnihil officium ſpes mihi facta gratificandi amico communi, ad quem litteras hic mitto non obſignatas, ac tuis oculis delibandas, ne quae iis ſum complexus ſuper re litteraria, apud te denuo ſint repetenda. Vidimus diebus proximis hic terrarum Principem *Paderbornium*, virum omni litteratura perpulchre inſtructum, & ipſis Gratiarum manibus formatum, mihi autem amicum veterem ac Romae olim cognitum. Cujus recordatio facit, ut auſim munus tibi auferre Antiquitates ejus Paderbornenſes, pridem quidem editas, fateor, ſed tamen cum frequenter me provoces & laceſſas ſingulari munificentia, jure debitas a me tibi, quod praefatio operis a me profecta eſt. Adderem poëmata ejuſdem tibi *Daumioque* a me deſtinata, ſed libellus nunc non eſt ad manum, quem in armariis meis, nunc neſcio ubi oberrantem eruam aliquando, & ad te perferri curabo, minime indignum qui a te pervolvatur aliquando. Ceterum ſilentium tuum, vir praeſtantiſſime, cur operoſum excuſes in modum, nihil rationis videbatur, niſi humanitati ceterae hic quoque ſatisfactum ipſe velles. Nam tanti erat litteris tuis, nunquam non acceptiſſimis, tanto tempore carere, ut poſt morbum diuturnum te convaluiſſe iis nuntiares. Cl. *Spanhemii* epiſtola, cum pacis ſtudio videatur data, nonnullis, fateor, tamen locis occultae neſcio quid praefert loliginis, cui ille praetexit cauſas inſultus frequentiſſimos Coccejanae, quam vocant, partis; a quibus, etſi neutra, ut credi vult, caſtra ſecutus, ſe lacerari idemtidem ac proſcribi ſenſerit odiis minime occultis. ſed nos hanc litem noſtram non facimus, qui eruditionem virorum praeſtantium veneramur, affectus nimios, quibus in ſe aguntur, non approbamus. *Maſenius*, quem narras, in contubernium Principis Paderbornenſis adſcitus eſt, ac *Scatenio*, vivis nuper erepto, ſucceſſor datus, quem tamen e ſolis ſcriptis habeo cognitum. Fratris tui opus *Maſenio* oppoſitum, cum ad nos perferetur a librariis, quod propediem fiet, ut evolvam minime ſum intermiſſurus. Apud nos nihil fere rei exquiſitioris parturiunt typographi. horum bini jampridem occupantur in Stephano Byzantio luci permitttendo, binis commentariis illuſtrato. Quibus

acce-

accedit tertius *Elzevirius*, Holſtenianas in eundem ſcriptorem animadverſiones longe doctiſſimas prolaturus in publicum, unde veteri Geographiae plurimum lucis atque ornamenti accedit. Quando vix eſt, ut ad veterem ingenii illam polituram accedant, qui aetate noſtra hoc agunt, ut per ſcripta in publicum emiſſa orbi innoteſcant, proximum eſt, ut tu recte arbitraris, ut antiqua monumenta ab oblivione ac mendis, quibus aſperſa ſunt per librariorum incuriam, vindicentur. Dum id ſic fiat, ne alienos labores ipſi fucorum inſtar involemus, quaeque ante nos dicta ſunt, pro noſtris publice oſtentemus. a qua ſcabie dum multi ſibi non temperant, exiſtimationis ſuae ac vigiliarum naufragium faciunt modis ſane turpiſſimis. *Ulrici Obrechti* nihil horum prae ſe ferentis annotata exquiſita in Hiſtoriae Auguſtae ſcriptores vidi, ac multum, ut omnia quae ab hoc ingenio proficiſcuntur, approbavi; velim eo excitentur exemplo alii, qui dum in omnes ſe vertunt formas, ut ingentes procudant commentarios, multum ex alienis plumis ornamenti mutuantur, e ſuis parum. Affinis mei Pilatus judex adverſarium acuit [1] Cl. *Burmannum Heidani* generum, qui ſe immerito provocatum queritur ac indignatur. Nec diffiteri poſſum virum clariſſimum aliquanto acerbius habitum. De inſcriptionibus antiquis ab *Aicherio* Salisburgi, ut ais, editis ſalivam moviſti. ſi tamen in antiquis illis nova ibi omnia nec hactenus in publico ſpectata. *Latini Latinii* lucubrationes non reſpondent exſpectationi meae. Mendae enim plerneque, quas in bonis ſcriptoribus deterget, pridem ab aliis ſunt notatae. Quid, quod ejus in Ciceronem lucubrationes illic omittuntur, cum tamen illi ſcriptori prae ceteris caſtigando inſudarit ſenex optimus, quod dediſſe typographo credo editores, ne opus in molem nimiam excreſceret. A *Bigotio* ſuper epiſtolis *Tanaquilis* Fabri nullum hactenus reſponſum accepi. *Claudium Salmaſium*, ut erat concitatioris ingenii, graves cum Parente meo exercuiſſe ſimultates ignorari a litterarum amantibus non poteſt: quem petulantiſſime paſſim exagitavit, quo magis gaudeo nihil hiſce maledictis omnino repoſitum a Parente meo, qui contumelias haſce contemnebat, ut latratum livori ingenii, deque ſuis in rem litterariam meritis ad poſteritatem provocabat. Graviora longe ſunt cenſenda, quae in *Hugonem Grotium* ſibi permiſit idem *Salmaſius*, ejus quippe vivi cum amicum ſe profeſſus eſſet, mortuo procaciſſimis modis inſultavit, idem peccaturus in *Juſtum Lipſium*,

1 Gaudeo ipſius *Heinſii* teſtimonio moroſi affinis procaciam damnari: ſi enim umquam indignis modis habitus pater fuit, a *Goſio* certe injuriam inſignem accepit, qui cum Rev. *Woodwartio*, Paſtori Hagienſi, Ultrajectum proficiſcenti, libellum a ſe conſcriptum tradidiſſet, ut patri meo legendum daret, addiderat preces, ut ſi quid animadverſione dignum inveniret, eum moneret. Quod in aliena ſcripta arbitrium cum pater recuſaret & deprecaretur, inſtare juſſus *Woodwartius*, tandem permovit patrem, ut quaſdam adnotationes in chartam conjiceret, gratiarum actionem pro amica & expetita monitione ſperantem. Sed ita viſis ſtricturis impotens animus exarſit ira, ut acerbiſſimis animadverſionibus come officium penſaret. Nec deſuit pater famae, ſed reſponſionem typis mandandam jam confecerat, cum mors inceptum deſtitueret: habeo quidem iſtius reſponſi formam & primas lineas, ſed deſcriptum nitide exemplar, inter manus ſtrangulatum, periit. Satis conjicere licet, cujus in gratiam id factum fuerit, ſed quod vulgari minime publice intereſt.

bum, ſi ſuis de militia Romana commentariis ſupremam manum impoſuiſſet. Hos ſcopulos vitemus potius ipſi, quam aliis in eos impingentibus iraſcamur. Ego certe cum plurimos *Salmaſii* errores in adverſaria mea redegerim, eos ſi acerbius exagitarem, metuebam, ne viderer oblitus & me hominem eſſe, tantum abeſt, ut exiſtimationi ejus ac famae perperam conſultum vellem. Parens meus, quando id doceri cupis, obiit ſupremum diem ſenio ac morbis confectus Anno CIↃIↃCLV. a. d. XXV. Februar. Gregor. hoc reſciſcat ex te illuſtriſſimus *Friſius* licet. Vale. Nonis Octob. CIↃIↃCLXXVII.

EPISTOLA CCLIX.

FR. BEN. CARPZOVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

EUM vero amicitiae uſum cenſeo longe maximum, ex quo plures nobis amici contingunt, & novi noſtrae qualiſcunque virtutis aeſtimatores conciliantur. Quo circa non poſſum non immortales tibi agere gratias pro conciliata Doctiſſimi *Graevii* benevolentia, quam humaniſſimis literis & praeſtanti munere Ciceronianarum modo cultiſſimo editarum epiſtolarum is mihi teſtatus eſt. Ac quaſi ex compacto olearii eodem tempore benevolentiſſimis literis & gratiſſimis muneribus me aggreſſi eſtis uterque, ille quibus dixi epiſtolis, tu vero nitidiſſimo Monumentorum Paderbornenſium volumine, quod inter praeclara librariae meae ſupellectilis cimelia primum locum ſemper tenebit, perpetuus grati redhoſtimenti monitor. Licet enim iſthaec Monumenta aeque ac Herois ejuſdem Poëmata, (quae etiam in collectis ab *Elzevirio* ſeptem Illuſtrium virorum, Poëmatibus Anno 72. excuſa extant) jam ante poſſederim, coemta ab ipſo Dn. *Elzevirio* cum Anno 1673. Amſtelodami eſſem, tamen grata tui memoria & hoc praeſtanti munere teſtata mihi benevolentia, in immenſum hujus exemplaris pretium intendet, & exiſtimationem ultra modum augebit; ut rejecto priori iſto & ad amicum relegato, hoc in oculis animoque ſim geſturus. Et ſane rarum in Principe eruditionis decus meretur admirationem, quam ipſi apud eruditos non magis haec proprii ingenii Monumenta, quam veſtrae, tua, inquam, *Graeviique* in juſtorum Panegyricorum modum adornatae praefationes Prudentii & Suetonii conciliarunt; ut in maxima felicitatis parte ponendum ſit Principi, quod vos tantarum virtutum claros Praecones nactus ſit. Quid apud nos praeſens autumnus literariae frugis tulerit, adjectus Catalogus indicabit, cujus beneficio ego recenſendi ſingulos libellos labore ſuperſedere poſſum. Ex Anglia allata ſunt *Seldeni* Marmora Arundelliana copioſiora edita & inſignibus additamentis auctiora; relatum praeterea, ibidem prodiiſſe *Joh. Leſlei Epiſcopi* Roſſenſis de origine, moribus & rebus geſtis Scotorum libros X. *Guil. Outrami*, Eccleſiae S. Petri apud Weſtmonaſterienſes Canonici, de Sacrificiis libros duos. *Joh. Windet* librum de vita functorum ſtatu ex Ebraeorum & Graecorum comparatis ſententiis concinnatum, cum

cum Corollario de Tartaro Apoſtoli Petri, in quem praevaricatores angelos dejectos memorat. *Guil. Brigge* Ophthalmographiam. Sed haec fruſtra vobis narro, qui maturius hoſce libros habetis, quam eorum ad nos notitia pervenit, magna orbis parte diviſos a Britannia. Ex Italia venientes literae nunciarunt Romae *Ambroſii de Altanvera* Bibliothecam Dominicanam uſque ad Annum 1600. abſolutam eſſe. Ibidem monachos S. Baſilii Breviarium imprimere in lingua Graeca vulgari. *Joh. Bapt. Verum* Venetiis Hiſtoriam ſuam libris aliquot auctiorem evulgaſſe. *Sertorium Urſatum* Hiſtoriam Patavinam praelo commiſiſſe, cujus ſecundum tomum Marmora erudita ſint impletura. *Donatum Calvum* ephemeridem hiſtoricam de Bergamo tribus voluminibus edidiſſe. Ex Gallia praeter Ephemerides eruditas Anni 75. Gallice ſcriptas nihil accepi. *Puffendorfii* Diſſertationes, quas in poſtremis meis memoravi cura mea jam recudi, una cum *Val. Alberti* Compendio juris naturalis orthodoxae theologiae conformato, modo edito mitto, ut vel aliqua parte debiti, quod Monumentorum Paderbornenſium dono me contrahere voluiſti, exſolvar. Nondum equidem appulerunt iſta, ſed apud Dn. *Adrianum van Hoek*, cui Dn. *Elzevirius* tradidit, adſervantur, oblata occaſione ad nos perferenda. tamen perſpectus pridem elegantiſſimus liber me muneris, licet nondum accepti, magnitudinem agnoſcere & infinitis modis tibi obſtrictum eſſe cogit. A *Daumio* allatus hac ipſa die cum literis faſciculus commodiſſime hac occaſione ad vos mittendus fuit, nec dubito Corippum interea, binis adhinc menſibus ablegatum, recte appuliſſe. Vale. Dabam Lipſiae d. xx. Octobr. CIↃIↃCLXXVII.

EPISTOLA CCLX.

NIC. HEINSIUS

Fr. Ben. Carpzovio.

Lipſiam.

BIni proxime faſciculi ad me perlati ſunt abs te ac *Daumio* noſtro, vir praeſtantiſſime, quorum uterque varios complectebatur libros, munificentiae veſtrae, nimis quidem profuſae, indices; quorum conſpectus in ruborem me dedit: ita alia ex aliis beneficia me cumulant ac premunt. Monumenta Paderbornenſia haud ingrata tibi fore confido, ſi non meo, illius certe Principis nomine, qui per Germaniam veſtram ſui ordinis propemodum ſolus rei litterariae decus ac majeſtatem ſplendide tuetur. Is Septembri menſe, cum adeſſet nobis, qua eſt humanitate, multis me obteſtabatur, uti hanc hiemem ſecum in dioeceſi ſua exigerem, idemque poſtulatum per litteras longe humaniſſimas iteravit poſtea. Jamque in eo eram, ut convaſatis ſarcinis optimo Principi gratificarer, niſi morbus ſupervenisſet, qui etſi remittens nunc nonnihil, tamen praeſcribit mihi imperatque quodammodo, ut nunc paucioribus, quam velim, tecum agam. Iter vero propoſitum erit differendum, ſi non in vernum tempus, certe dum vires dejectas nonnihil erexero. In Italia typis deſcribi audio *Bartholomaei Scalae* Florentinam hiſtoriam hactenus ineditam. Ad

hunc *Scalam* circumferuntur Epiſtolae *Angeli Politiani* nonnullae, falſae majorem partem, & in quibus hunc hominem aſſidue ludit, ut mirum videri poſſit, ſi hiſtoria ea, quam jubemur ſperare, elegantiam ſit praelatura. Romae ſub praelo eſt Bibliotheca magna Rabbinica, de ſcriptoribus & ſcriptis Hebraeorum, auctore Dn. *Julio Bartholoccio de Celleno*. de ceteris libris apud nos, aut in lucem proxime prolatis, aut mox proferendis ago cum noſtro, ut vides, *Daumio*; mitto hîc imaginem Avunculi mei *Johannis Rutgerſii*, quam aere incidendam curavi nuper, ac libro vernaculo, qui de familiis Dordracenis apud nos producitur, inſerendam. Exemplaria complura inter amicos tuos, meoſque dividenda mittam opportuniore tempore. Vale, Hagae Comitum Kal. Decembrib. CIↃIↃCLXXVII.

EPISTOLA CCLXI.

FR. BEN. CARPZOVIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

NOlui committere, ut annus ante elaberetur, quam ad humaniſſimas benevolentiſſimaſque literas tuas reſpondiſſem, ſimulque gratias pro acceptiſſimo nitidiſſimoque munere Monumentorum Paderbornenſium doctiſſimi Principis, qui in tanto culmine jam ſolus ferme litterarum ac verae eruditionis gloriam & decus tuetur, egiſſem: ſed quas non reperio tanta benignitate dignas. Neque enim in cenſum aliquem aut ad ἀντιδωρα dignitatem pervenire poſſunt tranſmiſſae hactenus diverſis vicibus ſchedae apud nos natae. ita ut praeter nudam ac ſimplicem grati animi teſtificationem nihil mihi relictum hîc eſſe ſentiam: & extabit pulcherrimus hic Codex inter reliquos meos libellos magni non minus debiti mei, ut ſic dicam, exactor, quam favoris tui index. Rutgerſiana icon mire placuit non magis ab ſculptoris artem, quam ſubjecti epigrammatis elegantiam; & cuperem ſane omnes, qui eruditione claruerunt, ſive hoc, ſive ſuperiore ſeculo, viros hac ratione excuſos eſſe, quorum non contemnendum numerum, tam conjunctim a certis autoribus (ut *Miraeo*, *Boiſſardo*, *Sambuco*, *Reuſnero*, *Meurſio*, *Tomaſino*, *Imperiale*, aliiſque) collectorum & editorum, quam e Gallia Belgioque ſparſim accerſitorum equidem poſſideo; deſunt tamen adhuc multi, ſive quod incuria hominum iſthoc honoris & memoriae genere eos non coluit, ſive quod excuſi licet, ad conſpectum tamen meum non pervenerunt, eoſque adeo indipiſcendi mihi copia non data eſt. *Caſauboni* ſane, *Petavii*, *Sirmondi*, *Petiti*, *Heraldi*, *Turnebi* & quorundam aliorum, patrum noſtrorum noſtraque aetate eruditione praeſtantiſſimorum virorum icones nunquam videre contigit; cum contra leviſſimorum autorum ſaepe imagines ſingulis eorum ineptiſſimis libris parietinae inſtar herbae adhaereant: praeſens etiam aevum, circa *Boeclerum*, *Rupertum*, *Loccenium*, *Scheffernm* alioſque nonnullos minus curioſum eſſe doleo, & priorum temporum erga praeclare meritos viros hac in parte pietatem praedico, cujus egregium docu-

documentum Athenae Belgicae ſive Lugdunenſes a *Meurſio* publico juris factae praebent. Hujus inſtitutum praeclarum ut quis apud vos continuet, & ſecutos illa tempora egregios & praeſtantes viros, quibus Belgium ſemper claruit, orbi ſiſtat, famaeque temporum ac memoriae hominum mandet, optandum fuerit: ne forte & tua, vir celeberrime, imago, & doctiſſimi *Graevii* (Gronovianam nuper ab Amico miſſam accepi) & reliquorum clarorum virorum vultus cum vita orbi aliquando ſubducantur. Quare quod de monumento Virginii Rufi Plinius in epiſtolis queritur, poſt decimum mortis annum neglectum & imperfectum illud jacere: & quia tam rara in amicis fides, tam parata oblivio mortuorum, monet, ut ipſi nobis conditoria extruamus, omniaque haeredum vel amicorum officia praeſumamus. Simile quid ut de tua icone ſtatuas, & quemadmodum ſummus & immortaliter meritus vir Parens tuus, vivus ſpiranſque aliquot formis excuſus fuit (quarum tres ipſe poſſideo) ita & *tu* iſthoc a poſteritate debitum officium praeſumas; quodque *Rutgerſio* praeſtitiſti, ipſe tibi non invideas, autor fuerim. *Schefferi* doctiſſimo libro de Militia navali difficile erit, nec fortaſſe ulla ratione conſequi potero, ut conciliem typographum ſumtus praebiturum. Nam prioris editionis jam Anno 54. adeoque viginti & tribus abhinc annis, quae prodiit, ſuperſunt exemplaria; unde colligit minus vendibilem hunc eſſe librum, & ſi altera editio excreſcat multum, pretio aucto difficiliores repertum iri emtores ejus metuit bibliopolarum natio. Ergo niſi *Zunnerus* Francofurtenſis, qui de Re vehiculari libros ſatis emendate excudit, perſuadori poterit, ut & hos de Militia navali, argumento non porſus illis diſſimiles, typis ſuis exſcribat libros, aegre ſive apud nos, ſive in ſuperiori Germania alibi aliquis ut ſumtus neceſſarios impendat, inducetur. Neſcio enim, quam malint hi homines Poſtillas, quas vocant, ſaepe aliquot tomos grandes, aut libros Juridicos Medicoſve excudere, quam philologicos hiſtoricoſve, quos tamen per univerſum orbem apud Pontificios non minus & per Italiam, quam apud aliarum religionum nationes divendere licet: cum iſti libri conciones aut fori formulas continentes, non niſi in certo tractu ſuos reperiant aeſtimatores emtoreſve. Sed ita ſeculum eſt, & tale literarum bonarum fatum! Apud nos bibliopola quidam *Pierii* Hieroglyphica recudit, quae metuo ne plurimis mendis ab operis conſpurcentur: nam pars Francofurti, pars Jenae excuditur, quae diſperſio facile naevis occaſionem dare poteſt, cum praeſertim iſtorum locorum officinae imperitos & negligentes correctores alere conſueverint: ut proinde nihil emendati vel nitidi nobis de hoc libro promittere, vel apud vos jactare poſſimus. *Chriſtianus Weiſſius* quidam, vir ſatis eruditus mihique amicitia cognitus, de inſcriptionibus earumque origine natura & uſu libellum his diebus praelo ſubmiſit, quem non indignum eruditis oculis veſtris futurum exiſtimo, & quibuſdam, cumprimis abſolutus fuerit, adjiciam; ſimulque *Puffendorfii* de Controverſiis circa jus naturae ſibi motis tractatum, qui nunc in vicinia (quando hic per Anteceſſores non licet) excuditur, tranſmittam: ut vel ſic aliqua parte debiti, quod eleganti tuo munere me contrahere voluiſti, me expediam. Cujus in gratiſſima mentione, gaudio non minus, quam rubore

iterum ſuffuſus deſino, teque multum valere jubeo, utque porro faveas, ſummopere rogo. Dabam Lipſiae penultima ruentis Anni CIↃIↃCLXXVII. die.

EPISTOLA CCLXII.

NIC. HEINSIUS

Fr. Ben. Carpzovio.

Lipſiam.

DEcembri menſe, poſt valetudinem diuturnam cum ex aula Hagana receſſiſſem in hanc ſolitudinem, recidiva confeſtim ſum tentatus, quae adhaeſit mihi hactenus. Nunc tamen cum mitius mecum nonnihil agat, nihil habeo prius, quam ut excuſem deprecerque tantam litterarii commercii ceſſationem, quam longe odioſiſſimam deteſtor exſecrorque, non alio magis nomine morbum expertus moleſtum, quam quod interea temporis fructu omni ac voluptate tecum per litteras colloquendi ſim fraudatus. Ceterum cum lucem jam aſpiciat Vellejus Paterculus animadverſionibus meis hic illic illuſtratus, auctor typographo fui, ut libelli ejus exemplaria ad te *Daumiumque* ſimul noſtrum perferenda curaret, additis faſciculo ſeptem Illuſtrium virorum Poëmatis, quae tibi ac amico noſtro pridem ſum pollicitus, tum & Rutgerſiana imagine, cujus copiam facas, rogo, eidem *Daumio*. Vix tanti, fateor, erat Vellejus, qui ad te mitteretur, cum opus in ipſa valetudine feſtinatum plus ſatis majorem limam requirat, & animum defaecatiorem. Coepi tamen jam caedere vineta mea, tertia ſui parte adauctis meis annotatiunculis, compluribuſque eraſis ac mutatis, in quibus videbar mihi ſcopum non ſatis conſecutus. Munificentiae tuae longe praeſtantiora, fateor, opponi oportuit, ſed in hac egeſtate quid poſſim praeſtare praeter nudam te demerendi voluntatem? Imagines virorum illuſtrium non paucas poſſidebat pater meus, quas inter *Scaligeri* utriuſque, *Caſauboni*, *Lipſii*, *Petri Victorii*, *Joachimi Camerarii*, *Laurentii Medicis*, *Andreae Alciati*, *Laevini Torrentii*, *Dominici Baudii*, *Johannis Secundi*, aliorumque, quorum pleraeque penes me aſſervantur etiamnum. *Anna Fabra*, *Tanaquilis* filia, poſſidet quidem epiſtolas parentis ſui multo auctiores, quam publice circumferuntur, ſed neſcio quas ob cauſas gravatur eas communicare nobis aut publico. Menagianas juris amaenitaes altera parte auctiores diu eſt, quod accepimus ab auctore. *Pierii* Hieroglyphica qui apud vos excudunt reliqua ejuſdem opuſcula, quae rara inventu ſunt, huic operi deberent attexere. Difficilis praeſertim ejus eſt libellus de fulguribus. Puffendorfianum librum, eique additos complures alios recte accepi pridem, gratiaſque pro iis actas a me aliquanto maturius oportuit, ſi fuiſſem meus. Verboſius tecum agam, ubi vires adhuc jacentes nonnihil erexero ac confirmavero. Vale, Vianae ad Leccam XXIII. Jun. Gregor. CIↃIↃCLXXVIII.

EPI-

EPISTOLA CCLXIII.

FR. BEN. CARPZOVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

MEmoriam Ampliſſimi tui nominis ſub diſceſſum Excellentiſſimi *Graevii*, epiſtolari officio colendam duxi: quod epiſtolam, quae de affectu & obſervantia noſtra indicis munere fungi debet, a nemine rectius, quam cultus ſocio afferri poſſe crederem; qui pluribus etiam coram obſequium erga vos noſtrum, cujus unius gloria mihi relicta eſt, exponet. Utinam vero, quam exhibere par erat officiorum promtitudinem, ita explicare licuiſſet, quamdiu apud nos fuit vir excellentiſſimus, ut & ejus deſiderio & noſtro officio factum fuiſſet ſatis, nec is de neglecto hoc queri apud te poſſet, & deterrere, ne idem experiaris aliquando & ipſe: verum tum abſentia mea, in quam adventus exoptatiſſimus inciderat, tum valetudo ipſius, qua ſub diſceſſum affligebatur, multam occaſionem nobis ſurripuit meritiſſimo viro inſerviendi, a cujus benevolentia veniam expectamus ſtudiorum qualiumcunque: pro quibus ut & tu, qui multum apud ipſum vales, intercedas, rogo. Tibi vero quas gratias pro tranſmiſſo cultiſſimo Vellejo & ſeptem illuſtrium Poëtarum farragine agam? quaſve laudes ob illum dicam? Ergo ne ſola Poëtarum cohors tibi debeat, quorum praeſtantiſſimos, ut cultiores legerentur, expoliviſti; Hiſtoricos pari felicitate nunc aggrederis, labore quam utili nobis, tam glorioſo tibi. Macte hoc receſſu tuo amoeno, in quo tot praeclara ingenii felicissimi monumenta paras, vir celeberrime, & otium tuum, quod velut alter Cato graviſſimis occupationibus diluis, eique operam reddis, vegeta ſemperque viridi ſenecta ex voto tranſige: nos admiratores tantarum virtutum, quas agnoſcere ſatis non poſſumus, praedicare nunquam deſinemus. Ad *Daumium* hac ipſa die, qua commodum faſciculus advenerat, qua etiam epiſtolam, quam Cl. *Graevius* afferet, acceperam, utriuſque libri exemplar miſi, pro quo beneficio tibi proximis literis gratias aget: pari inopia, de qua ego queror, reddendi officii laboraturus, ſed qui tamen ab ingenio ſuo aliquid quod reddat, in diem promittere poſſit. Quo cum ego prorſus deſtituar, nec aut mihi ipſe, aut aliis quicquam promittere poſſim ſolidi, quod eruditorum cenſuram ſuſtineat, nuda & ſimplici imbecillitatis confeſſione defungar, a gratia tua ejus veniam expectans. Apud nos Lipſiae quid in literarum bonarum ſtudiis agatur, ferme pudet ſcribere, & narrabit coram *Graevius*, non abſque Academiae noſtrae dedecore. Profeſſorum Philoſophorum modernas operas recitat programma, quod excellenti viro ad te perferendum tradidi, cujus auctor *Thomaſius* eſt, ejus ordinis Decanus. Ab *Obrechto*, doctiſſimo viro, Brunſvicenſis ducis ad Philippoburgum caeſi laudationem funebrem mitto, quod ingenium ejus & eloquentiam vobis non improbari confiderem, cujus ad Hiſtoriae Auguſtae ſcriptores annotatiunculas veſtrum tuliſſe calculum ex Cl. *Graevio* intellexi. *Sturmii* Clariſſimi apud

Noricos Mathematici non inerudita de Carteſianis diſputatio tuis eruditis oculis non indigna videbatur, ſicut nec *Schurtzfleiſchii* Hiſtoria Badenſis: nam in hoc ſtudiorum genere, & Genealogiarum cultu palmam apud nos fert hic ſcriptor, quam convitia in eruditos Germaniae viros, quae [1] Satyrico libello ſuperioribus annis ſparſerat, ambiguam ipſi fecere. *Ziegleri* iconem, nec cultu nec epigrammatis vigore Rutgerſiano parem, in hujus tamen vicem mitto, Diomedea officiorum permutatione. *Elzevirius* iconis iſtius exemplaria Vellejo adjicere ſine dubio neglexit: deſcripſi ergo ex meo pridem miſſo exemplo cultiſſimum epigramma, & *Daumio* pridie tranſmiſi: ut ſi minus oculi, ingenium ejus tamen in participationem hujus oblectationis venirent. De ſtatu rerum noſtrarum Cl. *Graevius* narrabit, cujus itineri has literas ſignans maximoque cum deſiderio ex oculis eum dimittens, quem nunquam animo, proſpera quaeque, cumprimis bonam valetudinem, quam tibi quoque perpetuam eſſe velit Divinum numen, apprecor. Dabam Halis Saxonum in comitatu Clariſſ. viri, cujus quo ſaepius nomen occurrit, tanto deſidebabilior exiſtet memoria, d. XXVII. Aug. Gregor. Anno CIↃIↃCLXXVIII.

1 ediderat enim *Conradus Samuel Schurtzfleiſchius*, ſub ficto *Eubuli Theoſdati Sarckmaſii* nomine, *Judicia de noviſſimis Prudentiae civilis ſcriptoribus* Anno 1669. qui liber plurimos concitavit, qui in eum inſurgerent. Vide *Placcii* Theat. Pſeudonym. n. 2427. pag. 557. ipſa vero *Sarckmaſii* judicia cum pluribus contra eum libellis in unum conjecta edidit *Theodorus Cruſius* Anno 1711. hoc titulo, *Acta Sarckmaſiana ad uſum reipublicae Litterariae in unum corpus collecta.* adjectis ſimul notis, quae obſcuriora illuſtrare poſſint: ſi quid vero juvenilis aetatis fervore in illis peccaverit, id ingentibus in rempb. litterariam meritis abunde poſtea penſavit vir eruditiſſimus, qui meliorem poſt fata praeconem meritus erat, perſonato illo & inerudito *Adolfo Clarmundo*, qui ejus vitam lingua Germanica edidit Anno 1720.

EPISTOLA CCLXIV.

FR. BEN. CARPZOVIUS

Nic. Heinſio.

Viamem.

A negotiis nundinalibus vix tantum mihi eſt otii, comites ut Daumianis literis & Victori Mario ablegem: neque tamen committere potui, ut ſine alloquio, exiguo licet & prolixitati affectus ac cultus nullatenus reſpondente, quicquam ad te hinc diſcedat: ignoſces igitur, ſi tumultuaria ſcriptione officium iſthoc meum, quaſi ſacrum propter viam, faciam. Rerum noſtrarum ſtatum, tum & quid in literis noſtri agant homines, ex Cl. *Graevio* tuo te intellexiſſe exiſtimo: inane ergo foret meum ſtudium, ea ſi repetere vellem: & ſiquidem parum ex dignitate literarum & muneris, quod gerunt, iſti ſtudia colunt, literariumque ocium alienis magis negotiis, quam teverioribus ſtudiis impendunt, ingrata mihi eſt apud eruditos, quorum tu Princeps es, eorum memoria. *Cellarius* in vicina Citicenſi ſchola, & *Schurzfleiſchius* ex Wittebergenſi Academia praeclaram de ſe nobis ſpem faciunt, noſtrique Profeſſoribus, ſi non eruditionis, certe quidem induſtriae atque diligentiae laudem ambiguam red-

reddunt: quaſdam iſtorum ſchedas, ne nihil mitterem, in vicem elegantiſſimi tui, nuper quem accepimus, Velleji, adjeci, non ignorans, me plus quam Diomedea permutatione officium, quod debebam, hac ratione colere. *Buchneri* epiſtolas, quas Dreſdae procerum quorundam inſtinctu bibliopola excudit, ad Cl. *Graevium* miſi, cujus non magis, quam tuum judicium ſuper iſtis exquiro. Utinam vero incomparabilis Parentis tui ſimili forma liceret conſpicere literarii cum doctiſſimis ſui ſeculi viris commercii monumenta: ut quemadmodum cum *Baudio*, *Grotio* & *Barlaeo* Poëmatum uno Volumine junctorum editionem habet communem (quam poſtremam nitidiorem & copioſiorem reliquis tibi debemus,) Epiſtolarum etiam, ſi non omnium, quod fieri vix poſſet, plurimarum tamen, quas in ſcriniis & pluteis paternis deliteſcere quis non credat? poſt fata gloriae ipſe particeps, nec nos tanti beneficii expertes eſſemus. Qua de re inter alia arduа ſtudia & negotia cogitationem ſuſcipere tuarum plane partium eſſe exiſtimo, ad quem quia nominis paterni gloria pervenit, quam illuſtribus ex proprio ingenio ornamentis quotidie auges, hac quoque acceſſione eam extendere pertinet. Epiſcopi Monaſterienſis nunciata nuper mors maximo nos gaudio affecit, non magis ob turbulentum atque inquietum reique publicae Germaniae ſuperioris inferioriſque exitioſum ingenium hominis, qui non alia niſi mortis legibus coerceri poterat; quam tranquillum animum optimi & vere incomparabilis ſucceſſoris, qui pacis ſtudio nihil habiturus eſt antiquius, quippe qua praeclarae artes & literarum ſtudia, quorum is jure optimo principatum hodie tenet, ali ac foveri intelligit. Et jam animo percipio, quem ingenio aſſequi non poſſum, tuum illum divinum ſpiritum, qui ſecum rapiet omnem Poëtarum turbam, cujus tu veluti caput es, in laudes & gratulationes Summi Herois Muſarumque ſtatoris ſe effundentem, & quod antea ſaepius a te factum eſt, hoc potiſſimum temporum officioſam tanti Principis honori & laudibus venam exerentem. Cujus arduі pulcherrimique laboris cognitione ut careamus, qui hujuſmodi foetum praeſtantiſſimorum ingeniorum, religioſe colimus, quaeſo, ne permittas: ſed data occaſione, quae deeſſe non poterit *Elzevirio* noſtro, quicquid honori excelſiſſimi Principis conſeeratur ſcribiturve nobis pro benevolentia tua imperti. Audacem & ferme impudentem in ſolicitando me facit amor, quo divina tua Carmina proſequor, & cultus, quo ſanctiſſimum Praeſulem veneror: quem ſi maxime his oculis nunquam vidi, tot tamen praeſtantiſſimorum virorum elogiis & illuſtriſſimis Poëmatum, Paderbornenſiumque & ſimul Germaniae antiquitatum monumentis (quae tuo munere poſſideo) ac tua in Prudentium, Cl. *Graevii* in Suetonium praefationibus, adeo in ſtuporem principalis hujus eruditionis ac doctrinae datus ſum, ut antea neminem ſive in ſacra, ſive ſeculari dignitate, conſtitutum extitiſſe, nec hodie aliquem extare *Ferdinando* tuo comparandum, omnino mihi perſuaſerim. Servet Deus hoc tam ſacrum terris depoſitum, & ſero inferat coelo cognatam mentem: ſed te quoque, vir ampl. cum excell. *Graevio* diu ſoſpites florenteſque rei literariae cum bono ſervet. Vale. Dabam Lipſiae ruentibus autumnalibus nundinis d. xx. Octobr. CIↃIↃCXXVIII.

EPI-

EPISTOLA CCLXV.

NIC. HEINSIUS

Fr. Ben. Carpzovio.

Lipsiam.

REverso jam pridem a vobis ad nos *Graevio* nostro, homine elegantissimo, & qui frequenter ad hanc solitudinem solet visere, in tanta vicinia, vix enim miliari Germanico remoti alter ab altero, multus inter nos jam non semel de te sermo fuit, quem & valere, & mei meminisse equidem libens, si quid unquam, intellexi. Libellos vero, quos mittebam proxime, recte ad te perlatos esse, illud quoque voluptatem mihi tulit. Nam de Rutgersiana effigie, quam libellis additam oportuit, satis mirari *Elzevirii* nostri, cetera non indiligentis, supinitatem non possum: praesertim cum plura hujus imaginis exemplaria sub unum idemque tempus illi miserim, in Gallias, Sueciam ac Germaniam ad alios omnes destinata, eaque probe curavit, hîc operam ejus culpare cogar. Pertendit tamen ille, ad te quoque pari fide ac cura esse missa, sed inserta libris sibi festinanti aut alibi occupato non apparuisse. Quicquid sit, vile damnum est, & quod minimo negotio, cum fasciculi nonnihil ad te daturus sum denuo, reparari queat. Sunt enim in promtu mihi complura exemplaria. Pro libellis ad me missis gratias ingentes, & quantas referre non possum, ago. Cl. praesertim *Obrechti* orationem funebrem Brunsvicensi Principi dictam, facundam plane, & ceteris illius viri scriptis, quotquot hactenus in manus meas venere, respondentem legi multa cum voluptate. Apud nos litteratura humanior nunc friget, sed pax nuper instaurata eriget fortassis, ac dignitatis pristinae reponet. Habes hic responsi nonnihil ad viros duos praestantissimos. Si ad *Arnoldum* scribendum nil habes, litterae curabuntur per *Daumium*, a quo Arnoldianas accepi. Tu, quaeso, molestiis toties a me exhibitis, totics tibi devorandis, clementer ignoscas. Cum nuntiandum nihil haberem, placuit versus nonnullos addere, quos exsultabundus ad primum pacis nuntium effundebam non ita nuper. Vale, *Carpzovi* Politissime, & me, quod facis, ama. Vianae ad Leccam Eidibus Novembrib. Gregor. CIↃIↃCLXXVIII.

EPISTOLA CCLXVI.

FR. BEN. CARPZOVIUS

Nic. Heinsio.

Vianam.

CUM sub finem autumni literae tuae superiori anno duae afferrentur, Dresdae eram, ad nuptias, quas sororis meae supremo aulae Concionatori & Serenissimi Electoris Confessionario ac Consiliario Ecclesiastico *Martino Gerero* matrimonio junctae filia celebrabat, profectus, sub exitum anni demum

Lip-

Digitized by Google

Lipſiam rediens: ubi cum aliis pluribus epiſtolis tuae mihi redditae ſunt longe gratiſſimae literae: ad quas quod adulta hieme demum reſpondeam, ob hanc ipſam, quam dixi, cauſam, veniam tanto faciliorem mihi promitto, quanto magis literarum hanc tarditatem faſciculi, qui interea ſuccrevit, magnitudine expiare ſtudebam. In quo ſi maxime non reperies, quae ſingula ad guſtum tuum ſint eruditum, *Buchneri* tamen epiſtolas ob earum autoris gravitatem & dictionis elegantiam ac puritatem; *Reineſii* vero commentariolum ob eruditionis variae praeſtantiam, non ingrata tibi futura confido. Spero etiam cultum & pietatem meam, qua divina ingenii tui monumenta proſequor, non improbatum iri, a qua profectum eſt, ut elegantiſſimum epigramma, quod ad primum pacis veſtrae nuncium te effudiſſe ſcribebas, & commune mecum fieri voluiſti, typis noſtris exſculpi curaverim: nam cum pluribus amicis & fautoribus, cum primis iis, quos Dreſdae reliqueram, id communicandum eſſet, & vererer né inter amanuenſium manus venuſtiſſimo operi maculae aſpergerentur, aut ſtructura ejus depravaretur; ſatius exiſtimavi, typographo id committere, cujus beneficio in plures iſtud emendatius diſpergi poſſet, quam permittere, ut a calamorum lapſu ſordes contraheret. Mirifice iſtud placuit noſtris in aula Heroibus, maximaſque autori gratias & laudes dixerunt, Deum precati, ut idem argumentum nobis etiam ſuppeteret aliquando, & funeſtiſſimum bellum ſolida ac ſincera pace componeretur. *Schubartus*, elegantis ingenii Juvenis, Diſſertationem ſuam de Comitibus Palatinis, Reineſianae de Palatio Lateranenſi attextam, Excell. *Graevio* noſtro dedicavit, ejuſque ampliſſimo nomini geminas has exercitationes inſcripſit. Accepi a typographo exemplar, antequam liber eſſet abſolutus, & ad ipſum Celeberrimum virum, cujus gloriae dicatus eſt, mitti poſſet, acceſſuram enim audio Praefationem & indicem: ſed imperfectum iſtum ad te mittere volui, ut jocandi gloriandique apud ipſum argumentum ſuppeteret, honorem te prius attingere, qui ad ipſum pertinebat. Cum ex eodem Cl. viro forte intellexerim, cum praeterita aeſtate hîc eſſet, *Merilli* in Hiſtoriam Paſſionis Dominicae obſervationes tibi nondum eſſe viſas, & in manus hae meas nuper incidiſſent, mittere eas volui. Patrui autem a me nuper curatam iconem eum in finem adjeci, ut avunculum tuum nitidius longe exſculptum, ab *Elzevirio* hactenus negligenter habitum, evocaret, & ejus ad nos iter promoveret. Ad *Daumium* & *Arnoldum* literas nuper recte curavi tuas: ab hoc etiam ſub nundinas, quae modo abierunt, noſtras reſponſum, quod hîc habes, tuli: & quia is ita voluit, Fureriana Monumenta abs ſe & *Wagenſelio* erecta, pridem licet tranſmiſſa, ſed ob religionem, qua amicitias colo & voluntati mihi bene cupientium obſequi ſtudeo, iterum mittenda. Nec alterum ſolicitare, ut officium ſimile faciat, ceſſabo. *Arnoldus* ut apud te Welſerianarum ad *Scaligerum* epiſtolarum copiam ſibi impetrare ſtuderem, maximis me precibus rogavit; iis enim operum Welſerianorum editionem promotum iri: non dubito idem a te in adjectis literis optimum virum contendiſſe, nec pararío me ulterius indigere. Argentorato nuper literas ab *Obrechto*, cujus eruditionem & eloquentiam magni facis, accepi, quibus ſpem fecit, proximis Franco-

furtenſibus nundinis Aeneam Sylvium de rebus Friderici Imp. (quem librum edere B. Socer ipſius *Boeclerus* exorſus fuerat, quam vero curam ſuperveniens mors abrupit) praemiſſis rerum Germanicarum ſcriptoribus, quos *Freherus*, *Reuberus*, *Piſtorius*, *Urſtiſius* aliive omiſerant, ſua opera editum iri: hujuſdem etiam ſtudio Dictyn Cretenſem ad MStum Argentinenſis Bibliothecae & Mercerianam, antiquiſſimaſque duas, Venetam & Mediolanenſem Editiones exactum, novam conſpecturum eſſe lucem. Quorum doctiſſimorum operum deſiderio interea tenebimur: primum tamen, quod ad me perlatum fuerit, eorum exemplar ocyus ut ad te perveniat, ſtudebo. Vale, vir Ampliſſime, & Cl. *Graevio*, ad quem proximis diebus literas & faſciculum adornabo, multam meo nomine ſalutem impertire. Lipſiae d. XVI. Januar. CIↃIↃCLXXIX.

P. S. Epiſtolam faſciculo comitem futuram jam ſignaveram, cum recordor jam olim mentionem a te factam fuiſſe Schefferiani de Militia navali operis, cui ut bibliopolam conciliarem, qui ſumtus editioni impenderet, mihi injungebas. Quod quidem eo mihi tempore praeſtare non licebat, ſed interea nactus ſum optimum virum *Henricum Ellingerum*, cui perſuaſi, ut relictis aliis inutilibus has doctiſſimas & ſuos emtores reperturas commentationes excuderet, hactenus a *Janſonio*, quod doctiſſimus auctor paſſim in notis ad Phaedrum queritur, neglectas. Huic igitur ſi Clariſſimus *Schefferus* ligneas iſtas cupreaſve formas a *Janſonio* obtinere, exemplar ſicut imprimi debet, mittere, nec argentum pro labore honorarii loco poſtulare, ſed impreſſis exemplaribus contentus eſſe velit, editorem doctiſſimo libro repertum eſſe Excell. auctori nunciabis. Vale. Addebam ὡς τάχιστα d. XVI. Januar. CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA CCLXVII.

NIC. HEINSIUS

Fr. Ben. Carpzovio.

Lipſiam.

NOvembri Menſe, quantum datur recordari, litteras ad te dabam, quibus inter alia de amici communis *J. G. Graevii* ad nos reditu, poſt iter Germanicum feliciter peractum, agere memini. Nec multo poſt ſupervenerunt tuae, quae omni elegantiarum nectare affatim delibutae, quaſi in ſemet ipſis non ſatis praeſidii haberent, inſigni comitatu ſcriptorum recens apud vos in lucem editorum adfuerunt. In his praeter munificentiam tuam ingenia auctorum concinna ac polita ſum exoſculatus: recte enim judicas de duobus illis, qui Wittebergenſi Academiae & Scholae Cizenſi operam ſuam addixerunt; nam & ego plurimum de his ipſis mihi promitto. Apud nos nihil jampridem, quo te remunerer, in lucem profertur, adeo poſt libellum nuperum remiſit impetus ac frigus ingeniorum. Cl. *Spanhemius*, inter Theologos Leidenſes, vir eruditione conſpectus, diſſertationes Eccleſiaſticas ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes, ſed quae nondum ad nos ſunt perlatae, in publicum dediſſe dicitur, quas aliae argumenti non diſſimilis ſubſecuturae ſunt.

Anno

Anno praeterito quatuor aut quinque Profeſſores, artium bonarum huic Academiae ſubducti ſunt immatura morte, quorum in locum ut alii ſubſtituantur agitur a Curatoribus Lycei. hos inter ad Profeſſionem eloquentiae Graecarumque litterarum evocatus eſt nuper Daventria *Jacobus Gronovius*, qui Livium paternum ſuis adauctum notationibus propediem emittet. Cl. *Buchneri* epiſtolas apud *Graevium* noſtrum vidi, ſed tantum: nam ut excurrit frequenter vir optimus Vianam e vicinia, ita raro apud me pernoctat, niſi hoc ut fiat feriae permittunt Academicae. De paternis litteris luci dandis cogitavi ſaepenumero jam olim, jamque ſatis multas hinc inde collegeram, quae ſchedae poſtea, me foris degente, ſunt diſperſae. Nec video, unde damnum reparari poſſit, quod earum exemplaria ſenex noſter raro ſuos in uſus aſſervabat. Epiſcopi Monaſterienſis mortem publicum apud nos gaudium excepit; nemo certe hactenus eſt inventus, qui beneficia ab illo in quemquam merentem collata praedicet. Milites inconſolabiliter defunctum plorant tanquam publicum caſtrorum parentem. In aula Romana per occultos cuniculos hoc agitabat acriter jam pridem, ut Principem Paderbornenſem jure ſucceſſionis, in quam eum adſciverat, deturbaret. Sed alterum & mores ſui & gratia, qua pollet plurimum in urbe; adverſus hunc dolum tuebantur non minus, quam olim, cum Elector Agrippinatium eum adminiſtratione Epiſcopatus dejectum cupiebat. Modo vita & pacatum regimen meritis tanti Principis reſpondeant, non dubia ſpes eſt, fore, ut dignitas litterarum adverſus ſeculi contemptum egregie ab illo aſſeratur. Nam ut miti ac comi eſt ingenio, non minore ſtudio litteratos omnes, quam ipſas litteras complectitur, in quibus quantum poſſit non uno jam argumento palam fecit. Niſi morbus ab inſtituto me revocaſſet, hyemem totam anni proxime decurſi, aut certe majorem ejus partem illi dediſſem: ita enim inter nos convenerat. Nunc minime committam, ut aeſtas mihi tranſigatur, illo non ſalutato, ducturus comitem *Graevium* noſtrum, alioſque eruditionis laude praecipuos e popularibus meis viros, quos Muſagetes ille patrocinio ſuo complectitur. Verſus novo ejus honori datos a noſtratibus vidi nullos, praeter eden brevem *Hadriani Wallii*, quam aliquando mittam. Minatur & neſcio quid *Petrus Francius*, ſed cujus nondum mihi facta ſit copia. Pontificios, quorum praecipue hoc regnum eſt, in oblata hac palaeſtra graviter deſudaſſe non eſt quod dubitemus. Vale, Vianae ad Leccam 9. Februarib. CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA CCLXVIII.

NIC. HEINSIUS

Fr. Ben. Carpzovio.

Lipſiam.

VIX meas diebus proximis ad te dederam, cum ab *Elzevirio* ad me mittitur non faſciculus, ſed faſcis libris compluribus notae praeſtantioris refertus, quem una cum ſuaviſſimis litteris ad me juſſeras perferri. De libris quid

dicam? niſi hac tua tam profuſa munificentia pudorem meum graviſſime onerarum, aut potius oppreſſum eſſe, quem ſi ſui aliqua ex parte levatum cupis, enixum te in modum obſecro quaeſoque, ut indicem ad me mittas eorum codicum, quos praecipue in tua bibliotheca deſiderari, quoſque uſui fore praeceteris arbitraris. Poſſideo enim in pluteis armarii mei complurium librorum duplicia exemplaria, quos in officinis librariorum nequicquam quaeras. Quid? quod frequentes admodum hîc ſunt auctiones inſignium bibliothecarum, quas viris litterarum ſtudioſis, vitae ſubductis, haeredes diſtrahunt. Hoc igitur ſi egeris quamprimum, incredibile dictu eſt, quanto opere me tibi habiturus ſis adſtrictum. Acceſſit enim & alterum beneficium litteris tuis, quod quando in virum mihi amiciſſimum a te collatum, non poſſum non mihi praeſtitum interpretari, atque ea prae ceteris cauſa me compulit ad reſponſionem feſtinandam, cum nunties inventum a te typographum, qui Schefferianos de militia veterum navali commentarios typis ſuis deſcriptos velit. Dedi hodie litteras ad virum eruditiſſimum, quae rei totius eum certiorem facerent. Nec dubito conditionem oblatam ab eo amplectendam fore. Ceterum figuras ſive tubulas, qua aeneas, qua ligneas ad opus id ſpectantes, cum *Daniel Elzevirius* ab heredibus *Joannis Janſſonii* redemerit, rogavi illum ut ſignificaret tibi, quo eas pretio typographo ſit traditurus, mihi quidem jam olim data fide, nihil inde lucri ad ſe redundaturum eſſe, ſed lamimas iſtas tabulaſque eodem, quo ſibi conſtitiſſent, pretio velle tranſlatas in illum, qui operi huic edendo ſeſe foret accincturus. Quorum a me eſt admonitus. Porro ſalivam haud leviter moviſti nobis ſpe facta, fore, ut Dictyn Cretenſem, ſcriptorem ſane non inelegantem, Cl. *Obrechtus* e membranis Argentinis caſtigatum proferat in lucem. Qua de re ſi tempeſtiviores nuntii ad me veniſſent, communicaſſem codicem meum, non quidem vetuſtum, quippe deſcriptum in charta, praeſtantis tamen notae e codice perantiquo deſcriptum, cujus opera locos centum & plures *Joſiae Mercero* intactos, hoc in ſcriptore diu eſt quod caſtigavi. Minabatur ante hoc quadriennium ejuſdem editionem poſt Florum & Callimachum *Annae Fabri Tanaquilis* filia, uſumque codicis mei petebat; ſed an liber in lucem ſit prolatus haud dixerim. Non vidit *Mercerus* inſcripſiſſe L. Septimium hoc opus *Q. Aradio Rufino*. *Rufinus* enim vocatur ſub finem epiſtolae, & *Aradii* non *Arcadii* nomen diſertim praefert codex meus. Ut jam ſciri poſſit, qua aetate Dictys Latio ſit donatus. Vixit enim *Q. Aradius Rufinus* aetate Criſpi & Conſtantii Caeſarum, ut patet ex inſcriptionibus *Gruteri* non unis, quae meminerunt ejus perhonorifice. Laudatur & a Symmacho verſibus, quas imagini virorum quorumdam illuſtrium ſubſcripſit. Sed de his alias. Epigramma paci inſtauratae a me datum, tanti ſane non erat, quod typis deſcribendum curares. Nunc aliud ecce monumento ſepulchrali, quod publico nomine hîc excitatur Duci fortiſſimo *Michaeli Rutero*, inſcribendum. Accedet brevis narratio vitam ejus & res geſtas complexa. Sed jam nimius ſum. Vale, vir exime. Viennae ad Leccam id. Februar. CIↃIↃCLXXIX.

EPI-

EPISTOLA CCLXIX.

FR. BEN. CARPZOVIUS

Nic. Heinſio.

Vienam.

TEneo inſtitutum meum, & ab aliquo iterum intervallo appello te literis, vir celeberrime, obſervantiae meae & cultui teſtando: quod ingratum tibi non eſſe puto, qui mihi, ſi omittam, ingratus adverſum tua merita videar futurus. Nunc quidem tanto minus ſilere debui, quo magis tibi geminare officium placuit, & binas ad me literas, quas eodem tempore accepi, dare: e quibus amorem erga me tuum abunde cognoſcere licuit, maximamque oblectationem cum e reliquis earum partibus, tum ea inprimis, quae de Monaſterienſe Epiſcopo, ultra Maecenatis ſortem & merita erecto Principe, narrabat, capere. Nec minores delicias cultiſſimum epigramma & fortiſſimo Heroe *Rutero* dignum monumentum, ſtilo tuo quod dignatus es, praebuit: ad quarum participationem quod nos invitare voluiſti, gratias verbis modicas, affectu tamen ingentes, & rei ipſi prorſus pares ago, ſtudeboque omni officii ac cultus genere hanc benevolentiam demereri. De *Schefferi* opere, quo antiquitates & Hiſtoriam veteris navalis militiae illuſtriores & priori editione auctiores elaboravit, ubi certiora ab ipſo clariſſimo autore reſciveris, nobis indicabis. Quandoquidem is, quem ad ſumtus editioni novae huic impendendos pellexeram, propoſita lucri inde redundaturi ſpe, & aliis idoneis argumentis, nunc graviter decumbit, & vita ejus a maligna febre, quae ipſum ſuperioribus diebus inceſſit, extremo periculo expoſita eſt, veremur, ut cum vita ſpes novi hujus apud nos prodituri eruditiſſimi libri extinguatur; qua ratione Salmaſianorum etiam operum expectatione, ob mortem *Someri*, quae intervenſſe nunciata eſt, nos excidiſſe animadvertimus. Multum ſane valuit oratio apud iſtum hominem; nec alium fortaſſe perſuadere poſſim, ut ſumtus praebeat ad promovendum hunc librum neceſſarios, nec exiguos: quippe quos intendunt formae, ſive eae ab *Elzevirio* redimantur, ſive conficiantur novae: quod genus librorum plerique hîc recuſant, cui vident non magnum conciliari apud nos poſſe pretium, & impenſas abhorrent, quibus dubitant an lucrum ſit certo reſponſurum. Praeterea eo bibliopolae ſunt ingenio, ut, cum animadvertunt primam alicujus, optimi licet, libri editionem cito diſtractam non eſſe, alteram ſuſcipere in ſe formident, nec temere aggrediantur: ac tanto magis hîc trepidant, quod ſoli *Elzevirio* ex Janſſoniana venditione octuaginta exemplaria ſupereſſe intellexere, paſſim etiam adhuc in tabernis alia proſtent. Poſtquam ex Suecia certiora cognoverimus, an nullo oblato pretio Cl. Auctor editionem permittere velit? (de quo tamen dubito,) rectius cum bibliopola, modo is convaleſcat, tranſigere licebit. De Muſicis rebus ex his oris nihil ad te referre jam novi licet. *Bosbornii* epiſtolas & *Gruteri* diſcurſus ad Tacitum denuo recudunt noſtrates typographi, nulla tamen acceſſione locupletiores, proinde

nec gratum fuerit de his cognoſcere. Nec Juridicos aut Theologorum labores, quos hîc moliuntur, referre attinet. Lutetiae Pariſiorum ſuperiori aeſtate repertum atque in lucem editum eſſe opuſculum quoddam Lactantii ἀνέκδοτον, rumoribus neſcio utrum certis an incertis acceperim: de quo ſiquidem certiora vobis conſtare exiſtimo, nemo quam tu melius docere me poterit. Ab *Arnoldo* en literas ex Norico allatas, ad quas ſi quando reſpondere voles, mea opera uteris. Vale. Dabam Lipſiae Idibus Februar. CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA CCLXX.

FR. BEN. CARPZOVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

CRebrae hactenus fuere cogitationes de gratiis reddendis pro gratiſſimo Virgilii & vere auguſto munere, ſive auctorem, ſive editorem & ejus in concinnando textu curam, ſive maximum Regem, cui iſtud conſecratum eſt, ſive denique chartam, cui impreſſum, ſpectem Quae dum ſingula frequenter animo expendi, ancipiti cura iſtum diſtrahi ſenſi, quodnam dignum reperirem ἀντίδωρον. Accedebant & reliqua, quae ad me venere, benevolentiae tuae ſigna, Rutgerſiana icon, *Francii* Bucolica, Ode item neſcio a quo ſcripta in novos Principis Paderbornenſis honores, quae omnia identidem aures & animum mihi de gratiis exſolvendis vellicarunt. Neque tamen rationem hactenus invenire licuit, ſummo licet quaeſitam ſtudio, qua nomen hoc expungerem. Ergo mala mihi imitanda nomina cenſui, quae in diem promittunt, ubi ſolvere nequeunt, & ſpe, qui fidem ipſorum ſequuntur, alunt, exquiſitiſſimis verbis orantes, accipiat interim creditor & conſulat bene, quod eſt in manu, cum totum ac ſolidum numerare praeſentis copiae haud ſit. quo in cenſu pauca hae adjectae ſchedae haberi debent. *Daumio* alterum Virgilianum (tertium *Arnoldo*) exemplar & Marium Victorem cum Rutgerſiana icone miſi: quae antequam ad ipſum pervenirent, literas huc miſerat, ut ad te curarem. Hoc dum epiſtolare officium differo, ſperans e nundinis ſive Francofurtenſibus ſive noſtris ſuppetias interea venturas debito noſtro exſolvendo, in muſeo in hunc uſque diem delituerunt, quarum ut tarditati ignoſcas, aeque ac noſtrae in literis dandis morae, etiam atque etiam rogo. Lactantii de Perſecutione libellus, modo genuinus ſit, de quo dictio haud dubiam faciet fidem, avide a nobis expectatur: ac devinciet ſibi ejus editione doctiſſimus *Baluzius* quoſvis, qui has eruditae elegantis & ſacrae antiquitatis reliquias, ceu χρυσᾶ λείψανα, aeſtimare ſciunt. Forte & reliqua Lactantii opera denuo edet, ut integrum hunc caſtigatiſſimae dictionis Patrem, quo nemo diſertius contra paganos & Tullianam ubertatem propius ſcripſit, ei imputemus, cui jam ob Salvianum, & Vinc. Lirinenſem & Reginonem Abbatem Prumienſem nitidiori forma editos debemus. Utinam & pari felicitate alia ſancti Patris hactenus deperdita, quae habita ſunt opera, Sympoſium, Hodoepericum, Grammaticum, libros

libros epistolarum & alios, quorum notitia ex Hieronymo ad nos pervenit, reperire daretur; ut integro hoc sacrae eloquentiae flumine gauderemus. *Berkelii* cum Lusitano pugnas haud inviti spectabimus, licet, ut verum fatear, magis amemus tranquillum ac sedatum quam litigiosum istud scribendi genus, mulierc ularum quod potius ora, quam doctorum calamos decet. In vicinia acerrimae inter Wittebergenses & Jenenses Theologos exercentur rixae, de quibus etiam editi extant grandiores libri: Sed compescuerunt eas Serenissimi nostri Electoris & reliquorum Saxoniae Ducum mandata, quanto cum scandalo de sacris negotiis & fidei mysteriis inter ejusdem religionis Doctores certamina & contentiones exerceantur, advertentium. De Boxhornianis ad Parentem tuum σὺν τε δόλοις exaratarum in scriniis tuis delitescentium epistolarum mentio a te facta desiderium iterum excitavit nobis, apparatus istius publici juris facti aliquando videndi: precesque extorquet, ne omittere velis curam egregiis his & doctis schedis si non ipse impendere, alteri tamen demandare, ut uno volumine elegantes hae Magni Parentis ad aevi sui Doctos, & horum ad ipsum epistolae collectae prodeant. Extant hunc in modum vulgatae plerorumque Doctrina clarorum literae, quas tamen nitore sermonis & varietate doctrinae, vestrae longe superabunt, & paterni nominis gloriae, editis tot praeclaris ingenii & eloquentiae monumentis illustris, haud contemnendum cumulum adjicient. Quod si ergo Ciceroni, prudentissimo viro, non minor epistolarum suarum, quam divinarum Orationum cura fuit, ac aeque insignis, si non praestantior ex istis, quam ex his utilitas ad posteros dimanavit, tibi etiam, cui tersissimam Paternarum Orationum & Poëmatum collectionem debemus, incumbit par studium Epistolis adhibere, eodemque beneficio & de beatis defunctorum manibus, & superstitum studiis praeclare mereri. Bibliopola, cui *Stheffori* de Militia navali librum obtrusi, & ut recuderet persuasi, dudum convaluit: sed fidem meam apud *Elzevirium* pro obtinendis aeneis ligneisve formis & residuis exemplaribus nolim interponere. nam quandoquidem hoc hominum apud nos genus in argento exsolvendo & liberanda fide aequo tardius est, & ingratas creditoribus moras nectit, ego, ne *Elzevirius* de me querendi causam habeat, intercedere ambigo: sed ut ipse bibliopola super eo negotio cum *Elzevirio* transigat, monui. ante vero quam cum isthoc conventum sit, exemplar, si maxime e Suecia advenerit, huc mittendum non erit: ne si postea & noster eodem, quo *Jansonius*, malo laboret, eadem de ipso & me simul, qui hunc conciliassem, doctissimo viro querendi detur occasio. Vale, vir amplissime, & de studiis elegantioribus bene mereri perge, me quoque, qui ista assidue colo, favore & benevolentia porro complecti ne dedignare. Dabam Lipsiae. Idibus Junii CIↃIↃCLXXXIX.

EPI-

EPISTOLA CCLXXI.

FR. BEN. CARPZOVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

TArdiorem me eſſe officii, quod gratiſſimis tuis Quintili menſe ad me datis literas debeo, cultorem haud diffiteor, nec parum in ruborem datus ſum, poſtquam geminare tibi epiſtolas placuit, iterataque humanitate me mei officii admonere, atque e veterno quaſi excitare. Sed nulla mea ignaviae aut negligentiae culpa accidiſſe credas, quod integrum & amplius menſem abire paſſus fuerim, antequam ad reſpondendum me componerem, verum longiuſculi itineris per Noricum & Bojemiam moras, quas ſuperiori demum ſeptimana reditus noſter in patriam abrupit, feciſſe, ut lentum fortaſſe tibi nomen videar. quod ſi maxime lentum, minime tamen malum experiaris, ſpero me tua benignitate ab omni crimine abſolvi poſſe. Complura autem e doctiſſimis juxta & humaniſſimis literis tuis didici, eaque in aliorum communium amicorum illico notitiam perferre ſtudui *Daumii* & *Arnoldi*; noſtrorum etiam hujus Academiae Profeſſorum, qui omnes litterarum tuarum elegantia admodum capiuntur, nec praeſtantius iſtis ſibi quicquam offerri poſſe fatentur: cumprimis nos exhilaravit ſpes Flori & Catulli Graeviani, quos e tuis litteris mox prodituros intelleximus. *Voſſii* item de Sibyllis & earum vaticiniis Commentarius avidos nos iſtius conſpiciendi reddidit. A Cl. *Graevio* Amaenitates *Menagii* nuper accepi, & cum bibliopola, ut typos elegantes & nitidam chartam illis impenderet, jam egi; ac promiſit is, nihil operae, ſtudii aut impenſarum ſe ſubterfugere velle, quae ad libelli cultum facere poſſint. Nam cum domi nobis non naſcantur hujuſmodi foetus eruditi & elegantes, foris omnino quaerendi ſunt, & inventi lautius deliçatiuſque habendi, ne autores poeniteat, amaenos ſuos libellos in loca inculta incidiſſe. *Baluzii* Miſcellanea e Galliis arceſſivi, literiſque indidem allatis certior jam ſum, in via ad nos ea haerere: ſed doleo primum ſaltem tomum venire, alterum, cujus in fronte Lactantii de Perſecutione libellum ἀνέκδοτον comparere indicaſti, comitem ei datum non eſſe: forte quod nondum abſolutus eſſet, cum is urbe excederet. Studebo tamen, ut eadem via ad me alter perveniat, qua priorem me intra paucos dies nacturum ſpero. *Arnoldum* de Welſerianis ad *Scaligerum* epiſtolis, quarum quadraginta in ſçriniis tuis repertas nunciabas, hac ipſa die datis ad ipſum literis certiorem feci, eique apographum gratiſſimae tuae epiſtolae ad me ſuper iis datae miſi: nec parum hoc laetiſſimo nuncio ipſum gaviſurum confido, cujus gaudii teſtes proxime literas ad te dabit, & ut Welſerianas iſtas epiſtolas huc mittas, unde rectiſſime & omnium tutiſſime Noribergam perferri poterunt, rogabit. Igitur in faſciculum collectas colligataſque *Elzevirio*, vel hujus miniſtro *Jacobo Zettero* tradere poteris, ſi libuerit, is *Adriano Hoekio*, mercatori & civi apud Amſtelodamenſes primario, & quem *Elzevirius Zetteruſque*, ipſe etiam

Cl.

Cl. *Graevius* optime norunt, reddet, a quo nil dubitandum recte ad me omnia curari. Ego vel ipse per amanuensem acceptas describi, vel in Noricum missas, quo singulis hebdomadibus tutissimae se occasiones fasciculos mittendi offerunt, ut *Arnoldus* describat, & manu *Welseri* scriptas iterum huc mittat, ut ad te inde redire possint, providebo. Omnibus enim modis cavebimus, ne εὐθυμίᾳ & benevolentia tua aliquid patiaris detrimenti. Ammianum Marcellinum iterum Parisiis prodire, curis secundis Valesianis auctiorem, summo cum gaudio accepimus, quod si enim ullus alius inter bonos auctores, hic sane eruditum commentarium & luculentum desiderat, obscurus caeteroquin, & tum propria, tum aliena culpa lutulentus. Harpocrationi & Hesychio idem fatum cupimus, ut ille *Valesium*, hic *Heinsium* sospitatorem nanciscatur: nam *Schrevelio* praeter chartae & typi nitorem nihil Hesychius debet. Memini me, nescio tamen quando & ubi locorum, supplementa Harpocrationea vidisse edita, quae nec ipsa tamen omnem lacunam explerent, & damna sarcirent, quae Lexicon hoc expertum est: forte ei felix *Valesii* sagacitas majorem salutem afferet. Vita doctissimi hujus viri ab *Hadriano* fratre edita & scripta an ad vos pervenerit, scire velim, ad nos quidem sola mentio, quam Eruditi in Diario Gallico fecerunt, & titulus ibi consignatus pervenit, libellum ipsum consequi non potuimus, licet omni studio passim amicos sollicitarim, ut ejus me compotem reddant. Ex Anglia Jamblichum *Galei*, quem memoras, accepi, praeterea Mythologos veteres, Palaephatum, Heraclitum, Phurnutum, Sallustium, Ocellum Lucanum, Timaeum Locrensem & similes ab ipso junctim editos; Historiae item Poëticae scriptores, ut sunt Apollodorus, Antoninus Liberalis, Parthenius, uno volumine ejusdem cura & studio comprehensos. Porro Maximum Tyrium minori forma excusum, Dionysii Alex. περήγησιν cum amplissimo *Guil. Hilli* Commentario, Theocritum cum graecis Scholiis, Herodianum & Platonis quosdam Dialogos a *Joh. North* collectos. Sed praeter nitorem chartae & elegantiam typi nihil peculiare quidam ex his libris habent, ut ferme poeniteat quosdam grandi satis, si eorum spectem tenuitatem, pretio ex tam longinquis oris allectos esse. *Vossii* tamen de Sibyllis & earum vaticiniis Commentarium quovis pretio redimere vellem, si ejus potiundi daretur facultas: nam ob ingenii & doctrinae ubertatem, qua Celeberrimi viri scripta pollent, magna mihi de hac Commentatiuncula, licet mole non grandis sit, promitto. E Suecia superioribus diebus *Olai Rudbeki* de Sueciae origine, Antiquitate, latitudine & ubertate opus vastum, sub nomine Atlanticae (quo Sueoniam veteribus dictam fuisse tradit) editum, beneficio Cl. *Pufendorffii* accepi, atque argumenti praestantia & tractandi solida atque erudita ratione captus sum, ut ab ejus lectione nondum divelli queam. Mira quidem & paradoxa in eo traduntur, cumprimis Deastros & Heroas veterum, omnem litteraturam Europae, ipsaque ejus elementa & pleraque nationes septentrioni suo originem debere, quae omnia tamen tam solide, copiose atque erudite, tum ex autoribus antiquis, tum monumentis Sueciae demonstrat & tractat, ut eruditis etiam hac sua opinione (quam falsam, quicquid conetur ostendere,

existimo) imponere possit. Ipse *Pufendorfius* Introductionem in Historiam recentem Holmiae emisit in publicum: & nunc totus est in Historia contexenda, cujus decem libros jam absolutos nunciavit, duodecim adhuc restantibus. *Boecleri* Historiam Belli Danici cum Suecis Anno 43. & 44. gesti ibidem excudi, tribus libris parum prolixis, nitidissimo tamen stilo scriptis, adjecit; *Schefferi* περὶ τῶν ἐν σιγίλλοις de Insignibus Regni Sueciae Commentarium jam prodiisse. Sed huc nondum appulit in nostras oras. *Huetii* demonstratio Euangelica, grandiusculus liber, quo Delphino Veritatem Religionis Christianae Euclideo modo persuadere & ostendere sategit, e Gallia his modo diebus allatus est, sed quem nondum evolvere & perlustrare licuit: utprimum tamen liberiores ab occupationibus variis spiritus ducere potero, & ad eruditas curas me recipere, a negotiis vel forensibus publicis vel domesticis mercurialibus, primum erit perlegendi libri hujus studium nostrum: Neque enim vulgaria mihi inde polliceor, tum ob autoris celebritatem & famam, tum Delphini augustam dignitatem, cui plebeja a tanto viro munera haud offerri existimo. De Angliae Regis morbo, & suspicione causae istius varia multorum sermonibus hîc circumferuntur; certiora e septentrione de pace inter Potentissimos Reges conciliata nuncii afferunt. Utinam veri hi sint, neque pax minus vera, sincera ac solida, ut tandem aliquando coalescant Regum ac Principum animi, nec in orbis perniciem amplius, sed salutem & emolumentum conspirent. Vale, vir amplissime, meque, quem tuorum in numero haberi intelligo, benevolentia & favore porro complectere. Dabam Lipsiae d. x. Septemb. st. Jul. Anno CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA CCLXXII.

NIC. HEINSIUS

Fr. Ben. Carpzovio.

Lipsiam.

ECce tibi, vir excellentissime, *Marci Velseri* litteras ad magnum *Scaligerum* exaratas, quotquot in scriniis nostris comparuerunt. Si quid ejusdem autoris in manus meas postea inciderit, id ad te perventurum esse aeque ac illa, quae nunc mittuntur, ne dubitato. Si aliquis hîc locorum in promptu fuisset mihi, cui cura describendarum epistolarum tuto potuisset concredi, te liberassem hoc incommodo, ac simul evitassem omne discrimen, licet perexiguum, quod autographis hisce in itinere erit subeundum. Habui heſterno die ab *Emerico Bigotio* litteras, quibus narrat Lutetia se Rothomagum cogitare, sed ita, ut Parisios post exactum Paschatis proximis festum sit denuo aditurus, interea temporis fore, ut prodeat in lucem vita Chrysostomi, suo studio ex antiquis eruta membranis, cum variis sanctorum vitis atque scriptis, ut hactenus ineditis, ita ad Ecclesiasticam historiam majori ex parte spectantibus, quorum indicem ad me mittit. Ceterum, quod a te multis precibus rogatus erat, ut inter armaria Mazarinianae Bibliothecae *Velseri* ejusdem commentarios MSStos in-

in vetus Kalendarium indagaret, id se haud indiligenter tentasse, sed frustra, asseverat. Neque enim Catalogum illius bibliothecae ullum exstare, nec libros eum in ordinem esse redactos, ut inquirentibus facile se sistant, multos adhuc ibi desiderari, qui olim comparuerunt, prius quam sub hastam missa fuit bibliotheca, ipso proscripto Cardinale. Has *Bigotii* litteras e Gallia ante paucos dies redux misit ad me *Elzevirius*, additurus complures amicorum litteras, quas Lutetia secum advexerat, nisi coactus esset farcinas Valencenis festinabundus relinquere, mox tamen adfuturas, in quibus & *Henrici Valesii* in Harpocrationem annotationes, & observationes *Petri Petiti*, apud nos typis describendae, cum aliis opusculis ineditis. Aderit & brevi quicquid in Galliis operum eruditorum annis proximis luce donatum est, cum indice accurato mox edendorum, quem subministravit idem *Bigotius*. Auguror in his fore etiam Lactantii libellum de persecutione, quem Miscellaneorum *Baluzii* pars exhibet secunda. Tomum priorem proximis diebus apud *Graevium* nostrum inspexi, qui binas Sulpicii Severi epistolas hactenus in publico non visas, cum aliis exquisitae notae opusculis non paucis complectebatur. Narrat porro *Bigotius Cangium* amicum suum, hominem pereruditum, qui praeter Glossaria *Labbaei*, Lexicon nobis nuper dedit Latino Barbarum multae eruditionis ac diffusae opus, trinis voluminibus comprehensum, pari nunc studio diligentiaque Lexicon Graeco-Barbarum adornare, quo, quicquid *Rigaltius*, *Meursius*, & alii congessere jam pridem, suis observatis immane quantum sit locupletaturus. plura habebam narranda, sed temporis angustiae non permittunt. Vale, vir praestantissime. Viamae ad Leccam XXIII. Octob. CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA CCLXXIII.

FR. BEN. CARPZOVIUS

Nic. Heinsio.

Vienam.

AD suavissimas & auro contra cariores mihi literas tuas Sextili mense datas nullum prorsus hactenus respondendi otium concessum fuit; subinde intervenientibus urgentibus negotiis, quae ne id, quod maxime cupiebam, facere possem, impediebant. Accidit hinc, ut optimi viri *Arnoldi* epistola superioribus autumnalibus nundinis huc allata in hunc usque diem in museo meo delituerit, de die in diem protracto literarum officio, quo comitari eas volebam. Quod quando jam serius facio, ignosces huic tarditati, a nullo animi & obsequii erga te languore, sed pluribus intervenientibus obstaculis profectae. Rogari te autem a me quoque *Arnoldus* voluit, & studium, quo in bonas literas fereris, sollicitari, ut Epistolas, quas a *Scaligero* ad *Welserum* datas habes, huc mittere, & Cl. *Bigotium* de Kalendario Velleriano iterum monere velis, ac operam dare, ne istis elegantibus chartis eruditior orbis porro careat. De quibus cum in adjectis literis prolixius eum sententiam exposuisse intelligam, nihil addere voluissem ego, nisi amicitiae ratio prohibuisset, exiguum isthoc,

officium optimo viro, qui in precibus meis aliquid praesidii sibi futurum credebat, denegare. An *Elzevirius* ex itinere Gallico redux Valesianarum chartarum quicquam attulerit, quas ab haeredibus eum obtenturum esse nuper indicasti, cognoscere velim: ex animo certe cupio id factum, ob reconditam, quam doctissimi viri meletemata, brevissimae etiam notulae & observationes spirant, eruditionem. Ipsius Theodoretum & Euagrium juxta Parisinum exemplar hoc anno a me persuasus recudit *Beckensteinius*, cui meum e Galliis allatum exemplar, aeque ac antea Anno 1677. Socratem, & Sozomenum, & Anno 72. Eusebium, imprimendum tradideram, quod animadverterem nulla optimorum horum librorum in Germania haberi posse exemplaria, nec nisi insano pretio e Galliis accersi. In eodem proposito, quod in hisce libris secutum esse bibliopolam non poenitet, ut pergeret, & Ammianum cum Valesianis Notis recuderet; ac Lindenbrogianas iis jungeret, suaseram: nunc vero posteaquam a te intellexi, secundas Clarissimi editoris curas superventuras esse, autor extiti, ut hanc curam tantisper seponat. Sane rectius consilium sequi librarios existimo, qui typos & chartam bonorum autorum veterum melioribus editionibus applicant, quam qui nostrorum quorundam hominum jejunis commentationibus in publicum proferendis argentum impendunt; & iisdem saepe chartas maculant. Accedit, quod bibliopolarum nostrorum nemo in Gallias vel Britannias aut Belgium excurrit, ut melioris notae libros huc ferat: qui non Francofurtensem in mercatum veniunt, ad nos (nisi ab Amicis id rogatis nobis quandoque coemantur, sed quorum tamen advehendorum rara est occasio) nunquam pertingunt. Multos ergo in Diario Eruditorum Gallica lingua, quod quotannis prodit & Amstelodami plerumque recuditur, deprehendo, qui in urbem nostram, nisi a me evocentur, nunquam pervenirent. Ut ecce Glossarium *Caroli du Fresne* Domini *du Cange*, quod in tuis ad me literis aliquoties laudasti, *Petri Dan. Huetii* demonstratio Euangelica, *Henrici Valesii* vita ab *Hadriano* fratre scripta, *Baluzii* Miscellanea, Systema Bibliothecae S. I. Coll. Paris. Historia summorum Pontificum per numismata a *Claudio du Molinet* deducta, hoc ipso mense ab amico Parisiis nunc degente aere meo comparati sunt, nulli nostrorum tabernariorum nec fando cogniti, nec forte nunquam acquirendi; Igitur penuriae nostrae haud rectius subveniri posse intelligo, quam si meliores (non rariores, nam hi non semper optimi sunt) quique recudantur typis nostris, nec solis Theologicis homileticis, Juridicis, Medicisve practicis & Scholasticis libellis & operibus tabernae distendantur. Eodem consilio jamdiu bibliopolam quaesivi, qui *Petri de Marca*, illustrissimi Archipiscopi Parisiensis, egregium opus de Concordia Sacerdotii & Imperii, cum doctissimis *Baluzii* accessionibus, quo absolutius elegantiusque in hoc genere dari non poterit, typis Germanis exscriberet, ut nostri homines quid in istis literis & Canonicis doctrinis adhuc lateat, & quanta istis inferri possit eruditio cognoscant, ac discant quam severa lege ab istis hominibus studia haec colantur. Nondum tamen invenire licuit promtum ad sumtus necessarios suppeditandos, plerisque inepte causantibus & a male doctis persuasis, Gallicanae saltem ecclesiae istum

librum

librum esse utilem, nostris studiosis parum profuturum. Volui haec apud te queri, vir celeberrime, & causam afferre, ut opinor, satis gravem & idoneam, quae me, ut identidem exterorum libros recudi curem, (quod *Bocharti* Phaleg, *Gramondi* Historiae Gallicae, *Cambdeni* Annalibus, *Marshami* Chronico Canoni, ut minores libellos taceam, seu studio seu consilio meo contigit) impellit. Nunc (ne de externis saltem me solicitum putes) de *Reinesiano* Inscriptionum Syntagmate, quod quantum per Reipublicae, (cujus in partibus gerendae cura mihi imposita est nuper) rationes & domestica negotia rei familiaris licet, quam cultissimum prodire studeo, quaedam referenda sunt tibi: nam ad te, horum studiorum optimum praestantissimumque Magistrum, novi hujus operis, quam JCti vocant, nunciatio pertinet. Disjectum & sparsum per mille chartas in ordinem & munditiem redegi, & typographiae necessariis usibus omnia aptavi, ut, jam nullis inquinatae minutissimaeque scriptionis remoris impediti pergere in eo operae, si velint, possint: sed emendationi singularum plagularum per negotia praeesse & incumbere nequeo, aegre ferentibus typothetis, si quandoque per integrum diem, antequam vacuum mihi sit ad perlegendam & emendandam plagulam tempus, otiosi detinentur. Accidit hinc, ut adeo emendatae non proditurae sint omnes paginae; sed defectum tamen hac in parte explebit Erratorum indiculus, sub finem operis adtexendus, in quo fideliter notabo, quaecunque vitiosa, disjecta minusve sana deprehendero. Binas hîc speciminis loco accipe plagulas, & ex ungue leonem cognosce: mittam integrum, ubi absolutum fuerit, opus: cui si carmen praefigere volueris, ingens & solum hoc (plura non corrogabo, nec literariam stipem ostiatim petam) splendidum accedet, & Antepagmenti illustris loco extabit monumentum. Quod haudquaquam necesse est ut acceleretur, tardus enim procedit typorum labor, nec antequam annus vertat, absolvetur, ut proinde commodo tempore, & animus ubi fuerit serenior, quem ad scribendos versus tuus requirit Naso, istum ad hanc curam applicare possis. Herodotum & Jamblichum de Mysteriis ex Anglia accepi, verum doleo de vita Pythagorae non simul prodiisse Jamblichi libros, quos *Arcerii* cura editos habeo, sed qui passim emendationem postulant: forte & hos dabit nobis alio die doctorum, & inprimis de Graeca literatura praeclare merentium, Anglorum industria. *Vossii* de Vaticiniis & Oraculis Sibyllinis nondum mihi visus est liber; praeclara tamen de eo mihi omnia promitto, & quamprimum videre cum gestio, inque mandatis amico Londinensi dedi, ut primo quovis tempore ad me istum, ubi prodierit, mittat. E Galliis nunciatum est, Diurnum Romanae Ecclesiae, vitam Chrysostomi per Palladium Graece, & Acta SS. Martyrum Tarardri, Probi, Andronici & Bonifacii Romani, Historiam item Constantinopolitanam & veterum Constantinopoleos Imperatorum a *Cangio*, qui Glossarium edidit, cum multa congerie veterum nummorum & iconum adornatam, mox proditura esse. Cl. *Graevii* triumviros amorum optimis Commentariis instructos accepi, Florum vero expectamus avidi, quippe ad cujus cultum plura ab ingenio ejus limatissimo accessisse spes est. Nolui inanibus literis ejus morari tempora, studiorum-

que in publica & literarum commoda proficientium curſum ſiſtere: ſalutabis igitur eum meo nomine, & quaedam hujus epiſtolae, ſi quid gratum inde eum cognoſcere poſſe judicas, argumenta, & praeterea *Frankenſteinii*, familiariter ipſi cogniti, quem heri extulimus, mortem, (cujus teſtes funebria adpoſui carmina) narrabis: novi enim ſaepius ad te ipſum excurrere. *Annae*, *Tanaquilis Fabri* Filiae, Florum nuper accepi, unde potiora (ſi quae talia judicat) in editionem ſuam deducturum Doctiſſimum virum confido, proindeque conſilium iſtius mihi comparandi abjeci. E nundinis nuper miſi faſciculum per mercatorem ad vos forte tendentem, cui inerunt a *Daumio* literae & faſciculus, & librorum ſemeſtris Catalogus: recte ſingula ad te perveniſſe, puto. Vale, vir ſumme, & benevolentia ac amore, quem crebris argumentis expertus omnia mea tibi deberi intelligo, me ulterius complectere, nec e numero tuorum excidere patiaris. Dabam Lipſiae d. XII. Novemb. CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA CCLXXIV.

FR. BEN. CARPZOVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

HIS demum diebus Octobri menſe datas cum epiſtolarum Welſerianarum faſciculo tuas accepi literas: neque enim per tabellarium, ſed cum mercibus in Belgio ab inſtitore noſtro comparatis advehebantur, ut teſtudineum earum oportuerit eſſe gradum. Proxima autem tuta occaſione ad *Arnoldum* faſciculum Welſerianum perferri curabo, & ut, poſtquam deſcriptae fuerint epiſtolae (ſi non idoneum hominem hîc nanciſcor, qui deſcribat, ne periculum itineris Norici ipſis ſubeundum ſit) integer ad te redeat, curabo: ſimul indicabo, quod nuncias, fruſtra expectari e Mazariniana bibliotheca *Welſeri* hujus manuſcriptos in Kalendarium Romanum Conſtantiniani aevi commentarios, ac propterea ſolicitudinem de iiſdem & ſpem animo dimitti debere. *Valeſii* ad Harpocrationem obſervata, & *Petiti* Miſcellanea per *Elzevirium* e Galliis in Belgium allata eſſe, typis ibi vulganda, laetus intellexi; & optandum foret, ut plura, quae relicta a *Petito* audivi, in publicum protraherentur, & e tenebris ac ſitu vindicarentur ingenii ac doctrinae excellentis monumenta, de quorum praeſtantia fidem nobis pauca, quae edita ab ipſo habemus, ſcripta faciunt. *Baluzii* Miſcellaneorum inſtitutum omnino laudandum eſt, quo e pulvere monaſtico & bibliothecae Colbertinae adytis excitat illuſtria veteris aevi monumenta: ac placuerunt mihi quoque prae caeteris in primo tomo dune iſtae Severi Sulpicii nunc primum editae epiſtolae, quas ex Anglia allatas commemorat; nec parum libelli dignitatem Rhabani Tuldenſis de ſupputandi ratione ſeu computo, qui in fronte extat, commendat commentarius. Alterum tomum proximis diebus ſpero ad me perlatum iri, nam in itinere complures per ſeptimanas jam haeſit; cujus moram vel ob unius Lactantiani fragmenti excutiendi deſiderium impatientius fero. Eadem ſarcina *Cangii* etiam gloſſarium, & Thuaneae

nec bibliothecae catalogum ab *Ismaele Bullialdo* adornatum apportabit, quorum utrumque avidus opperior. *Perizonii* dissertationes tres, quas memoras, vidi: & eruditam hominis libertatem in summis viris notandis exosculor; nam modo loligo absit & veteres insectandi protervitas, patrum nostrorum ut minus bene acta rescindere, sic cogitata & dicta emendare haud indecorum vel iniquum existimo. Praeclaram quoque de se doctissimus Juvenis fecit spem, plura ingenii & doctrinae monumenta proferendi, & perpetuas in Valerium Maximum notas, deque nominibus commentarium edendi: quam ne fatum intercipiat, quod saepe hujusmodi praeclaris & capitalibus ingeniis manum injicit, vovemus. *Jacobum Gronovium* in gratiam cum valetudine, quam afflictam mense Octobri fuisse nuncias, interea rediisse spero & opto: nempe ut bonis auctoribus pluribus ornamentum afferre valeat, & lampada a clarissimo patre sibi traditam melioribus literis praefurre. Josephi, qui in Anglia studio *Barnardi* jam excuditur, aliquot accepi plagulas, & ex iis rationem editionis cognovi, quam in lectione genuina potissimum constituenda occupari animadverto: nec imparem huic labori doctissimi viri censeo industriam, quam tamen ad ritus & antiquitates Judaicas quoque extendi optarem, in quibus occupata fuisse *Cunaei* & *Petiti* circa hunc scriptorem studia plane mihi persuadeo, nec quicquam magis cuperem, quam doctissimorum horum virorum in publicum proferri & ab interitu servari posse, si quae ad Judaicam Josephi Historiam adhuc supersunt & ullibi latent, analecta: quorum ipsi in scriptis suis editis subinde fecere mentionem. *Vossii* de Sibyllis libellum aliquid monstri aliturum, ut plerique de hujusmodi argumentis clarissimi hujus ingenii foetus facile conjicio, & confirmor tuis literis, quibus ob hanc causam editionem libri in Anglia differri indicasti, quam potius accelerari cuperem. Cum *Scheffero*, optimo viro, curam iterandae editionis librorum de Militia navali interiisse, nec haeredibus adeo cordi amplius esse, aequo animo fero; quando promissi fidem implere, & idoneum bibliopolam iterum nanciscí, qui sumtus necessarios impendat, postquam his rebus ereptus est is, qui condixerat, haud in proclivi fuerit. Julium Obsequentem cum annotatiunculis ejus tum adhuc superstitis vestri excuderunt typi: nec dubitandum, plura in scriniis beati viri restare, unde bonis literis lux accedere possit, a genero protrahenda. Nam quos filios reliquit praeter nomen nihil paternum habere, indicavit Amplissimus *Pufendorfius*: qui de Insignibus Regni Sueciae ejusdem scriptum proximis ante beatum viri obitum diebus absolutum fuisse adjecit. *Bigotii* doctissimi viri, sed communi magis omnium doctorum fama quam scriptis editis mihi cogniti, studio vitam Chrysostomi publicam lucem aspecturam, non ante cognoveram quam a te edoctus: quod si parem in Chrysostomo operam praestat *Bigotius*, qualem in Origenem *Huetius* bina ante lustra contulit, nae sanctissimorum Patrum manes eruditis his Gallis multum debebunt: certe ad vindicandas a situ & squallore eorum reliquias industriam haud mediocrem sedula haec gens hodie confert; & magnam eo nomine jam consecuti sunt laudem *Baluzius*, *Dacherius* & *Cotelerius*, hoc institutum adhuc acriter & cum laude urgentes. Nostri homines,

ad

ad hujuſmodi operas publicis licet ſtipendiis conducti & otio abundantes, torpent, neque animos aut ingenium iſtis applicant: inde exiguus eruditarum frugum in his terris proventus. *Barthii* in Paullinum, de vita B. Martini Poëmatis conditorem, forte ſuperioribus diebus ad me pervenit commentariolus, ipſius manu ſcriptus (quales in Phoebadium, Gallum, Rutilium & quoſdam alios ipſe emiſit:) quem cum interire nefas exiſtimem, *Daumio* tradam, in his ſtudiis ſedulo, ut edat: nam mea quidem tempora iis vacare non poſſunt, impedita mercaturae ſtudio, quam ſatis amplam facio: & reipublicae negotiis, quae ſaepius extra urbem in vicinos agros me propellunt: ac finitis nundinis Januariis, quae imminent, Dreſdam ad comitia trahent, ubi unus vel alter menſis exigendus erit. Huic commentariolo cum omnino conſentaneum exiſtimem *Jureti* notas addi, nec noverim, unde earum copiam indipiſci queam, tibi autem eas ſuppetere ex accuratiſſimis tuis Prudentianis notis conſtet, haud difficilem te in commodandis iis, ut calamo deſcribantur, futurum ſpero, ſi fidem meam interpoſuero ſalvum & intaminatum ad te rediturum tuum exemplar. Sed ante veris adventum & Paſchatis feſtum ejus uſu non indigebimus: ut adeo nec parvam haec res ferat moram, & opportunam expectare poſſimus occaſionem. Faſciculum ſuperiori menſe ad te miſſum cum literis interea perveniſſe confido: iterum adornarem unum, modo copiae, queis inſtrui poſſet, dignae ſuppeterent, neque eruditos oculos tuos, quicquid ferme hîc excuditur formidaret: cum pulviſculo tamen corradam quicquid ſe mihi obtulerit, ut e nundinis noſtris antequam hinc diſcedam, ſarcinulam ad te dimittere poſſim, ſi non aliis uſibus, amoris tamen & cultus erga te mei teſtandi idoneum. Vale. Dabam Lipſiae d. 27. Decemb. labente A. CIↃIↃCXXIX. quem qui excipient, ut ſalvo a te & incolumi exigantur, Deum precabor.

EPISTOLA CCLXXV.

NIC. HEINSIUS

Fr. Ben. Carpzovio.

Lipſiam.

TU vero profuſae munificentiae modum non ponis, vir Ampl. aliaque ex aliis munera litteraria tantum non aſſiduus ſufficis, unde Bibliothecae meae incrementum uberrimum maximuſque ſplendor accedunt. Quapropter ambitioſe expeto flagitoque, quod jam ante memini rogare, ut indicem ad me pervenire patiaris, horum codicum, quas uſibus tuis profuturos cum maxime reris, quoſque bibliopolarum pergulae per Germaniam ſuperiorem raro ſolent venditare: ut explorem, ſi quam fortaſſis ab armariis meis opem ſperare detur, in quibus duplicata unius ejuſdemque libri exemplaria nonnunquam occurrunt, ſi in librariis auctionibus hîc terrarum nihil praeſidii nobis erit. Id ſi feceris, rem profecto feceris ut longe mihi gratiſſimam, ita curae ac ſollicitudinis plurimum demturam mihi. Quando enim valetudo pertinax praeſcribit quietem a ſtudio, ne deſit quod agam, perferri ad me jubeo catalogos inſignio-

rum

rum bibliothecarum, quae vicinis in civitatibus venales proponuntur apud nos haud rarae. Quo fit, ut amicis juxta ac mihimet ipsi consulatur. Dedi ad te non ita nuper fasciculum, cui insertos invenies Hieronymi Graecum libellum, & Alcimi Aviti ac Victoris Massilienſis Gagneianam editionem, quos utendos a me petiit noster *Daumius*. Praeterea destinatum tibi specimen Meibomianarum in vetus Testamentum annotationum. Additurus his eram novas *Jacobi Perizonii* observationes, sed auctor, cum hoc agenti interveniret, suo nomine ut libelli exemplar ad te mitteretur petiit, nec difficulter impetravit. Adornat nunc luci juvenis pereruditus alias decem observationes rem antiquariam illustraturas, una cum annotatis in Valerium Maximum. Nam commentarius ejus operosus de nominibus Romanis nondum extremam ab auctore accepit manum. Holstenianus in Stephanum Byzantium commentarius toto semestri interquievit, typis Elzevirianis, majore sui parte, jam descriptus, idque ob morbum *Theodori Ryckii* gravissimum, qui editionem curat, & lente convalescit. Livium Gronovianum recens editum nondum vidi. Florus *Graevii* nostri ad te propediem venturus est, vix tandem nunc prolatus in lucem. *Elzevirius* partem primam publico nuper dedit operis postumi, quo *Emundus Richerius*, doctor quidam Sorbonicus, adversus communem Pontificiorum sententiam, quod mirere, contendit auctoritatem Papae conciliis obnoxiam semper fuisse. Idem, puto, Patris *Simonis* librum, cujus exemplaria in Gallia suppressa esse audisti post ipsam editionem, & adversus quem vir Ampl. *Ezech. Spanhemius*, dissimulato tamen nomine, epistolam Gallicano idiomate dedit, praelo suo commissurus est. Mythologos Latinos commentariis suis illustratos jam Typographo tradidit *Thomas Munckerus*, sed ipse valetudinis adeo adfectae, quam contraxit nimiis lucubrationibus, ut vix videatur diu supervicturus. Ceterum, quod tua praecipue interest non ignorare, accepi diebus proximis litteras Rhotomago ab *Em. Bigotio*, quibus nomine *Aegidii Menagii*, cui est conjunctissimus, me rogat, ne typographi vestri editionem Laertii Diogenis maturent adornare, si librum praelo jam commisere. Ipsum enim *Menagium* annotata in hunc scriptorem sua castigatiora multo & adauctiora illis esse mox daturum. Exspectabimus ab eodem *Bigotio* vitam B. Chrysostomi aliaque veterum Graecorum opuscula in unum collecta, jamque typis descripta, sed moram injecit editioni Galliarum Cancellarius, negata venia librum emittendi, nisi demeretur epistola Chrysostomi ejusdem ad Caesarium Monachum hactenus inedita, quae dogmatis Ecclesiae, qualis nunc est, Romanae nonnihil adversatur. Quare vix ante proximam aestatem proditurus est liber in publicum; erunt enim infulcienda libro demtorum loco, quod fieri non poterit, nisi vir optimus Lutetiam revertatur, & nonnihil e priscis investiget bibliothecis, quo lacunam hanc adimpleat; revertetur autem post Paschatis proximi festum exactum. *Scaligeri* ad *Velserum* exaratae litterae penes me nullae servantur, praeter illas, quae typis descriptae publice jam leguntur. Annotata *Henrici Valesii* in Harpocrationem, ab heredibus impetrata *Elzevirius* secum e Galliis tulit, ac *Sandio* in mundum redigenda tradidit, ut praelo mox submit-

tantur. Euſebius ejuſdem curis ſecundis illuſtratus, prodiit non ita nuper Lutetiae, una cum vita *Henrici* ab *Hadriano* fratre liberrimum in modum ſcripta. Aeque enim, quod mireris, vitiis illic fraternis ac virtutibus conſignandis indulget, eandem hanc vitam minori quoque forma excuſam vidi. Laudabile in primis inſtitutum eſſe judico bibliopolarum veſtrorum, per quos fit, idque te conſulente, ne libri tanta referti eruditione raro occurrant venales in tabernis librariis, aut pretio illic inſano ſint redimendi. *Petri a Marca* commentarios editionis tertiae de Concordia ſacerdotii & imperii, ſi quis apud vos recudat, auctor ſum, ut varias ejuſdem viri diſſertationes ſuper antiquitate Eccleſiaſtica pereruditas, quas apud me omnes exiſtimo exſtare, iis adjungat: Nam Bearnenſis hiſtoria, ut Gallico Idiomate conſcripta, ita eſt diverſi argumenti: Ceterum praeterito vere rogatus ab illo, qui Jamblichi partem primam in Britanniis publico nuper dedit, ut Scaligerianas caſtigationes, & Parentis mei adnotata in Arcerianam editionem parum accuratam complura, quae penes me extare cognorat, ſecum communicem, poſtulatis hiſce ſum gratificatus. necdum tamen ſum edoctus librum ſub praelo jam deſudare. *Iſaaci Voſſii* commentarium, quo de Sibyllinis agit oraculis nondum, opinor, luce donatum, etſi *Graevius* noſter id ſibi nuntiari e Britanniis pridem adfirmat: moram libro objecere Theologi aliquanto difficilius ejus editioni annuentes propter paradoxa nonnulla operi interſperſa. Vale, vir Ampliſſime, meque, quod facis, perge amare. XXII. Januar. CIↃIↃCLXXX.

EPISTOLA CCLXXVI.

FR. BEN. CARPZOVIUS

Nic. Heinſio.

Viennam.

CRebra, quae ſuperiore hieme mihi peragenda fuerunt, itinera, & pertinacior a lienis intemperie excitati vis morbi, lentum me fecere in colendo quod tibi debeo, officio, ad quod geminis me literis provocaſti, miſſo etiam cultiſſimo Valerii Flacci libello urges. Quare non minus anxium de venia tarditatis impetranda, quam ſollicitum de gratiis pro munere gratiſſimo agendis me eſſe credas, & quamvis occaſionem arrepturum, qua ſilentium tam longum expiare, & gratiam pro venuſto libello aliquando reddere poſſim. Faſciculus in quo Hieronymi graecus libellus & *Avitus Alcimus* cum *Meibomii*, docti ſane & monſtroſae eruditionis viri, annotationum in vetus inſtrumentum ſpecimine nuper ad me mittebantur, recte huc pervenit, & priores iſtos duos libellos illico ad *Dumonium* ablegavi; heri etiam ad eundem Valerii Flacci alterum exemplar, quod ſic volebas, miſi; & uterque pro inſigni hoc beneficio tibi ſummus devincti. Ad *Perizonium*, doctiſſimum virum, qui eruditarum ſuarum diſſertationum editarum libellum ad me miſit, ea literas, quas ad ipſum curabis. Ingentem ſane de ſe praebet erudito orbi ſpem, & *Gronovii Graeviique* nelligia haud impari paſſu premere videtur, ad quorum celeberrimi nominis fa-

mam

mam quoque, nisi fata invideant, brevi perveniet, spartae non minus (uti conjicio) Daventriensis, quam gloriae successor. *Menagii* Amaenitates Juris jam typis hic descriptae sunt, sed iis optimum virum *Zetterum*, Elzevirianum institorem, onerare non licuit, quod majorem sarcinam ferre secum non posset, & *Welseri* ad *Scaligerum* epistolas e Norico reversas ei utpote tuto homini committere vellem, tibi cum maximis *Arnoldi* gratiis reddendas. Editio autem Laertii, quam juxta Menagianam iterare nostri homines coeperant, & jam binas plagulas impresserant, quia sic jubes, cessat, chartaeque abolitae sunt: & sive ad nos castigatiores auctioresque suas animadversiones mittat, sive in Gallia easdem excudi curet doctissimus auctor, nequaquam ipsius ingratiis ut alibi imprimatur denuo vetus illa editio, autor ero. Pro copiosis tuis & perjucundis narratiunculis, quas ad me superiore mense Januario datis literis, de re litteraria ejusque novis per Galliam & Angliam incrementis facere haud dedignatus es, non assem, quem Plinius Calvisium pa.re jubet, sed me totum ex asse debeo: neque tamen e nostris oris talia auribus tuis eruditis oculisve reddere possum. Nam si quid apud nos prodiit, id ad Gallorum cultum aut vestram ingenii elegantiam neutiquam accedit, a quibus nos procul abesse, vel chartae squallor ac inemendati typi, qui libris nostris adhibentur, produnt. Reinesianarum sane inscriptionum Syntagma, in quo expoliendo, ut a praelo nitidius prodiret, allaborare studebam, leviſſimae chartae imprimitur; & dum bibliopola sumtibus, correctioni mendarum, & formarum imaginumve sculpturae impendendis parcit, nec ad faciendos eos, & doctum aliquem virum correctioni istius praeficiendum a me adduci potest, (ipse enim propter crebra itinera & plures occupationes, quae ab urbe saepe per longum tempus me abesse cogunt, isti vacare non possum) plurimis iisque crassissimis mendis contaminabitur: ut proinde ego quidem, postquam descripsi, & idoneum istud paravi ad praelum, plane ejus ulteriorem curam abjecerim, nec meum studium in eo evolgando (quod parum ex dignitate isthac ratione prodibit) aliquod fuisse profiteri ausim: quare nec carmen, quod in commendationem operis a te nuper rogavi, amplius flagito: quod indignum hominem μικροψύχου censeam, cujus lucrifaciendi studio vellicetur tam venusta suspensa hedera, quae vel sola emtorem libro conciliet. *Sponius* quidem Lugdunensis Medicus, libellis aliquot gallico idiomate editis cognitus, augustiori longe habitu & magnifica forma supplementi Gruterani volumen nunc adornat, cujus specimen e mercatu Francofurtensi allatum est: unde intellexi, bibliopolam istum nullas nec impensas nec operum subterfugiturum, quae ad decus & cultum operi conciliandum facere possint. Et tamen si verum fateri volumus, eruditionis copia & doctrinae varietate, qua omne omnino literarum genus complexus est, longe post se *Sponium* relinquit *Reinesius*: sed quod cultu & externo habitu nostrum hoc destituitur, palmam haud dubiam Sponianum feret opus, & emtores plures sortietur. Qua de re tamen parum sollicitus sum, qui Reinesiani operis curam ut abjicerem, negotiorum multitudine & varietate, itinerum frequentia, & bibliopolae tenacissimi hominis (ad id quod ego praestare porro non poteram,

idoneum hominem juſto conducere pretio nolentis) pravitate permotus ſum. Vale, vir ſumme, & ſi quid a *Bigotio* tuo rurſus acceperis, de literariae rei per Galliam felicioribus fatis, & laetiſſimis incrementis, quaeſo vel amanuenſis opera me in notitiam ejus perducas. Ego ſane quando in ſimili argumento non poſſum, quovis tamen alio officii genere, obſequium, ſtudia, & inſerviendi promtitudinem tibi approbare numquam defugiam. Dabam Lipſiae e nundinis vernalibus, inter complura ſtudiis literarum prorſus aliena negotia. Kal. Maii CIↃIↃCLXXX.

EPISTOLA CCLXXVII.

FR. BEN. CARPZOVIUS

Nic. Heinſio.

Vienam.

OCto abhinc diebus ſarcinulam ad te curandam Elzeviriano miniſtro, *Zettero* commiſeram, cum Welſerianis e Norico reverſis epiſtolis: nunc *Daumius* Cygneâ literas & ab *Camerario* Eobani vitam conſcriptam mittens, ut adjicerem has, impetravit; & nolui ſane occaſionem libellum ad vos perferendi praetermittere; cui quominus prolixiores ipſe iterum litteras adderem, negotia varia & impedita admodum & a literis prorſus aliena, qualia nundinae nobis imponere conſuevere, prohibuerunt. Id tamen nunciandum duxi, *Cangei* Gloſſarium, quod magno pretio e Galliis nuper obtinui, nunc Francofurti imprimi iterum: quod bibliopolae perſuaſi; ut Germani mei leviore pretio utiliſſimum ſibi librum comparare poſſint. *Petavii* etiam Epiphanium, & *Reatini* Hieronymum alii excudent in Germania noſtra bibliopolae: quos ad veteres potius, & exterorum melioris notae libros recudendos, quam recentiora noſtrorum hominum corraſa undique & interdum male digeſta volumina excudenda, adhortari non deſino. Vale. Dabam Lipſiae d. XII. Eid. Mai. CIↃIↃCLXXX.

P. S. Epiphanio ſi quid lucis opiſve e ſcriniis paternis, vel proprio ingenio, adferre velis, ut iſthac ratione auctior, & Pariſienſi, quae Anno 1622. prodiit, melior, noſtra Lipſienſis aliquando extet editio, non magis celeberrimi nominis Heinſiani famae, quam bibliopolae rationibus conſules. nam multo vendibilior hujuſmodi acceſſione liber reddetur, & de felicitate fati Epiphanius cum Alexandrino Clemente contendet, qui poſt *Sylburgium* a beato Parente tuo, immortalis memoriae & infinitae eruditionis viro, annotationibus, licet minus prolixioribus, illuſtratus, tot emtores reperit, ut aliquoties imprimendus fuerit; neque tamen amplius in tabernis ſuperent exemplaria: cum Epiphanius a *Petavio*, aeque doctiſſimo viro, id impetrare non potuerit, ut ſimili aviditate divenderetur, quare nec plus ſimplici vice excuſus fuerit. Quod ſi alios, ſive in Gallia, ſive inter tuos Belgas, viros doctos noveris, qui ſymbolas ad praeſtantiſſimum autorem hunc afferre poſſint, hos quaeſo ſollicita. Quam curam

ut

ut tibi imponam, fiduciam animo meo addit egregium literarium, cui tu natus es, & (utinam diu porro salvus ac viribus integer?) vivis. Addebam praepropere, exeuntibus nundinis vernalibus Lipsiensibus, ineptissimi hominis, *Hekelii* cujusdam, de numo Constantini epistolam, saltem ut intelligas, quam iniquis fatis res literaria, stupore quorundam maleferiatorum hominum, inter nos urgeatur. Nonne foret satius in spongiam vel potius foricas incumbere has chartas, nec Italis ludibrium dare?

EPISTOLA CCLXXVIII.

FR. BEN. CARPZOVIUS

Nic. Heinsio.

Vienam.

IN calamitoso & perturbato rerum nostrarum statu, quem superioribus diebus superveniens mors Sereniſſimi Electoris nostri haud parum afflixit, omnium harum regionum animis civium prostratis, eorum autem, qui publicae rei moderantur, mentibus perculsis & attonitis, amoenitate litterarum tuarum, quas geminas, Cygneae unas, domui redditus alteras accepi, erigi me & difficiles curas discuti sentio. Sive enim amicitiae ea vis est, ut quo magis e longinquo ejus positus est usus, eo exhilaret fortius; sive doctrinae haec virtus, ut abjectos attollere possit animos; utroque nomine plurimum apud me humaniſſimae tuae & eruditae admodum valuerunt litterae, in graviſſima pestis, qua affligimur, calamitate solatium & veluti medicinam mihi afferentes. Tam varia enim refertae sunt praestantissimarum rerum cognitione; ut ea imbutus animus noster, dolorem suum ob recentem patriae cladem, quam optimi piissimique nostri Principis obitus attulit, & crebra quotidie decedentium peste correptorum, familiarium & ignotorum, funera augent; iis leniri, atque se levari intelligat. Nec est, quod levia munuscula litteraria, quae interdum, sicubi occasio libellos hujusmodi ad vos perferendi oblata fuerit, missito, ejus momenti vel esse existimes, vel a me existimari putes, ut de redhostimentis sollicitus, quem te esse fers, esse debeas. Nam cum quaevis a te venientes litterae pluris apud me sint, quam quorundam nostrorum hominum, quorum schediasmata quandoque ablego, justi libri: facile intelligo, chartis a me venientibus nomen meum nequaquam apud te expungi, tantum abest, ut in aes meum te istis redigi, mihi persuadeam. Quod si tamen saepius mihi oblata benevolentia tua frui liceat, & a te quicquam petere fas sit; etiam atque etiam te rogem, ut copiam mihi vel paucarum & abjectarum schedarum manu clarorum litteris virorum, Beati Parentis tui, vel *Scaligeri*, vel *Grotii*, vel *Casauboni*, vel *Scriverii*, vel *Baudii*, vel *Salmasii*, aliorumve scriptarum, quas in scriniis tuis complures sparsas esse puto, mihi facias. Nam inter alias delicias literarias librariasque, juxta cum imaginibus doctorum virorum, διογεγραφίας eorum aestimo, & schedas etiam minimas nulliusque alias momen-

ti, propriis ipsorum manibus exaratas, pluris facio magnis voluminibus, quae aere parare possum. Quod si quis forte puerilem in hac parte ludum ludere me putet, facile feram; interim si res exigeret, me aliorum exemplis tueri potero, qui non minus ἰδιοχειρίαις magnorum virorum se delectarunt, & in eo studio amicorum ope & liberalitate libenter usi fuerunt. Quare cum saepius in litteris, voluntatis tuae nobis exhibendae insigni aliquo testimonio occasionem tibi ut praebeam, efflagitaveris, subrustici pudoris notam me effugere posse ratus sum, si aperte nunc profiterer, qua in re benevolentiam tuam quam maxime cuperem experiri. Quod si ad manus doctorum hujusmodi virorum schedae, ab ipsorum manu conscribillatae, forte non sint, aequiori animo iis carebo, quam cum molestia quadam a te conquisitas eas fuisse intelligam, ac tum munificentiae tuae exercendae materiam praebere poterit e jampridem excusorum librorum (quorum copiam tibi largam esse, & indicis ipse, & accepi ab aliis) numero, isthaec Virgilii editio, quam beatus tuus Parens anno seculi sexto & tricesimo emisit in publicum, & tibi dicavit; cui ad te praefixam epistolam jampridem descripsi, ut soleo omnes venerandi Parentis tui epistolas colligere; sed ipsum impressum exemplar, tua manu signatum, possidere mallem. Quod si etiam a te praefigatur epigraphe, unde posteri mei aliquando intelligant, quam honesto & glorioso titulo is libellus ad me pervenerit, summi beneficii loco isthoc munus sum habiturus: qui ipsorum autorum aliorumve clarorum virorum vel levi manu notatos Codices maximi aestimo. Sed ignosces, & germano candori tribues hanc audaciam, qua voti & desiderii mei rationes tibi expono: in quo si quid pecco, fretus benevolentia tua & jussus a te id committo. *Cuperum* Consulem Daventriensium, virum omnino doctissimum, cujus quatuor Observationum libri mihi summopere placent, cathedras scholasticas doctrina sua animare, admiratus fui, quod nostris moribus Consules functionibus scholasticis se adhiberi vix patiantur; sed commentarios in antiquum lapidem agri Romani proximis effossum annis moliri, in Lucianum etiam novas Animadversiones muginari, libenter intellexi: nam eruditum, quicquid eo a viro prodibit, futurum esse, ea quae jam prodiere fidem faciunt. Byzantini Stephani fata admodum lenta esse, & *Holstenii*, *Berkeliique* notarum editionem variis remoris identidem sufflaminari doleo: spes tamen est, si minus celeritate, eruditione tamen & accuratiori cura has editiones *Pinedonis* Lusitani studio profectam superaturas esse. Ex nostris oris & hac urbe quominus litteraria res incrementa nunc capere possit, quae tibi narrare liceat, communis patriae calamitas impedit. Nam cum antea frigus saltem studia nostra tenuisset, jam ipsa mors eadem occupasse censenda est; gravi pestilentia, quae provincias has depascit, Musis oppressis & cum ipso coeli tractu corruptis. Quae ipsa impetum quoque Epiphanii recudendi (ad quem Appendicem Animadversionum Epiphanianarum *Petavii*, *Maturino Simonio* oppositam & Parisiis 1624. editam, tertium item, quartum, quintum & sextum caput Miscellanearum Exercitationum, Juliano subjectarum; & alias utiles accessiones conduxeram) nostris hominibus & animos fregit; omnibus officinis hoc malo

malo infectis, & plurimis earum operis morte ſublatis; ut tam vaſto operi vix ſuffecturi, qui ſuperſunt, videantur homines. Accedit, quod in Anglia jam ſub praelo iſtud ſudare *Thomes Gale* in nupera Herodoti editione ſua indicaverit, ut ſi maxime apud nos in id ſumtus & operam aliquis collocare velit, omnem tamen proventum ab Anglis interceptum iri, maturiori & nitidiori fortaſſe editione ſua, verendum ſit. Igitur quandoquidem chartam & typos recentes ad volumen aliquod Graeco-Latinum exſcribendum, quidam noſtratium bibliopolarum comparaverat; autor huic extiti, ut potius Clementi Alexandrino, qui integer dimidiam Epiphanii partem vix aequat, ac proin dimidiatos ſaltem ſumtus poſtulat, his difficilibus temporibus eos impendere velit. Cui conſilio exequendo iſtam, quae Pariſiis anno ſeculi quadrageſimo cum *Sylburgii* & beati Parentis tui notis a *Frontone Ducaeo*, uti conjicio, (nam ipſe nomen ſuum non profeſſus eſt editor) curata eſt, editionem conducendam exiſtimo: terſior enim & haud paulo amplior Lugdunenſi veſtra mihi videtur, notis certe quibuſdam locupletior eſt. Dedicatoriam tamen ad *Guſtavum Adolphum*, feliciſſimae memoriae Regem, Heinſianam epiſtolam, qua Pariſina editio caret, addendam duco: nec parvam gratiam, imo ingens pretium accedere huic noſtrae editioni poſſe ſperem, ſi tuis ea prodiret auſpiciis, & vel notis quibuſdam e beati Parentis exemplari, aut ſcriniis tuis aliunde, vel proprio ab ingenio depromtis, vel Praefatione ſaltem aut, ſi malis, dedicatione nova & carmine, in quo ſcribendi genere regnas; & univerſa reſp. litteraria, quam tot praeclaris monumentis ingenii exornaſti, tibi ſubmittit faſces, exornaretur. Et me, qui te rogo; & librarium, cujus gratia & commodis id a te peto; denique urbem hanc, quae ſibi gloriae ducet, in hac ſua calamitate & ferali litterarum otio, a ſummo earum vindice tanti monumenti edendi copia beari, tibi devincies, votis ſi annuere noſtris placuerit, & a divo Parente relictam ſpartam hac ratione ſuſcipere volueris: cujus poſt fata virtus & gloria tecum ſuperſtite futura communis eſt, & in omne aevum tuae innexa durabit. Barthianas Animadverſiones in Paulini Petrocorii de vita B. Martini ſex Carminum libros, forte nuper aere mihi redimendos ipſius auctoris manu cum textu deſcriptos, oblatos comparavi, & *Daumio*, ad ſuperſtitionem uſque Pogoniani nominis admiratori, cum Cygneae ſuperiori menſe agerem, obtuli, utque earum editionem in ſe ſuſciperet, haud invitum adduxi; bibliopola, qui ſumtus efficiat, ipſi conciliato. Nam alias Barthiani libri huic hominum generi ſordent, veſtigiis aliorum tarvito, qui neſcio quam infelici fato majoribus olim operibus *Barthii*, Adverſariis, Commentariis Statii, Claudiani, & aliis, quae emtores raros invenerunt; minus favente Deo Lucrio, ſumtus impenderunt. Ex Barthianis autem ad Paulinum animadverſionibus, *Juretum* quoque, clariſſimi nominis Jure-Conſultum & Symmachianis Miſcellaneis mihi cognitum, hos Paullini libros Commentariolo ſuperiori ſeculo illuſtraſſe, eundemque *Pithoeo* inſcripſiſſe, didici: quem cum adjiciendum omnino exiſtimem, nondum vero hactenus vel mihi vel *Daumio* iſtum videre contigerit, ut in cujuſquam noſtratium ſupellectile reperiri datum fuerit, majorem in modum te rogo, qui beatam hujuſmodi

di librorum habes copiam, & unde peti poſſint intelligis, ejus libelli uſum quamprimum mihi conciliare velis; ſalvum & integrum intaminatumque ad te eum rediturum eſſe, cumprimum vel mea vel Αντίχειρος Cygnei manu deſcriptus fuerit, neutiquam operarum manibus in officina ſordidandus, ea fide tibi ſpondeo, qua amicitiam tuam ſemper colui. *Menagii* Amaenitatum juris complura exemplaria, nitidiori chartae, quam noſtrorum regionum alias ratio fert, impreſſa, jamdudum binis faſcibus, diverſis itineribus & vicibus in Galliam ablegavi; ad celeberrimum tamen ſuum auctorem pertigiſſe nondum certior factus ſum. Tibi vero ingentes debemus gratias, qui ab iſthoc doctiſſimo viro Diogenis Laertii editionem novam, typis Lipſienſibus adornandam, nobis conciliare ſtudes. Ubi iſtius copiam nacti fuerimus, gloriae venuſti operis haud exiguam partem in te redundaturam eſſe, & ſi iſtud egregio carmine (quod peto & ſpero) exornare volueris, a te majorem laudem & honorem in librum derivatum iri, plane velim tibi perſuadeas. *Henrici Valeſii* vitam ab *Hadriano* fratre ſcriptam typis noſtris ſubjeci, Menagianarum amaenitatum veluti futuram acceſſionem. Quam cuperem utriuſque ad vos deferri exemplar! Sed ob metum contagii, ne id ex urbe noſtra latius ſerpat, arctis finibus incluſi a vicinis tenemur, nec vel minoris faſciculi exportandi nobis conceditur facultas, ut proin melioribus temporibus & occaſionibus iſthoc ſervandum ſit officium. Mitto interea plagulae impreſſum Amaenitatibus a me praefixum graecum epigramma, quod doctiſſimi auctoris gratia compoſui; quem Graecarum litterarum deliciis capi conſtat. Hoc brevi Catone contentus eſto, uſque dum latius ſe explicandi officio noſtro conceſſa fuerit facultas. Cl. vir *Chriſtophorus Arnoldus*, ut filio ſuo nunc Leidae agenti benevolentiam tuam conciliarem, me rogavit, nec dubito fores iſtius apertas ipſi futuras, ſi quando Vianam excurrens iſtas pulſaverit. Si quos libellos in Germania ſuperiore noſtra vel olim vel nuper excuſos deſideras, mihi quaeſo potius quam alteri indica; qui ſtudio erga te & obſequio a quoquam me vinci aegre fero. Clariſſimo *Graevio* multam & officioſam ſalutem a me dices, & me, meoſque, fratrem quoque ipſius cum domeſticis ſuis bene valere, & ſalvos nos indulgentia Dei omnes eſſe, nec peſtis calamitate, quae in provincia noſtra & urbe hac ingentem ſtragem edit, affligi, nunciabis. Proxime ad ipſum litteras dabo, quarum nunc nec argumentum nec otium ſuppetit. Sereniſſimi noſtri Electoris Saxonici mortem Sereniſſimi Palatini Electoris excepit obitus, qui modo nunciatus eſt: Ingentes in imperio Rom. & provinciis, quae his Dominis parent, mutationes haec illuſtria fata poſt ſe trahent. Vale. Dabam Lipſiae a. d. ult. Auguſti. CIↃIↃCLXXX.

EPI-

EPISTOLA CCLXXIX.

FR. BEN. CARPZOVIUS

Nic. Heinſio.

Vienam.

ARticulari te morbo decumbere, nec eruditas manus fertili in litterarum commoda ingenio pares poſſe praeſtare operas, non ſine dolore ex doctiſſimi *Graevii* datis ad me litteris intellexi nuper. Et licet domeſtica & communis calamitas urbis, quam peſtilentia diripit, lugendi cauſas quotidie ſuppeditet, neſcio tamen quomodo magis me afficiant, & tantum non mei ſimul corporis artus diſcrucient, animo me certe haud leviter angant tui illi cruciatus, poſtquam communem quaſi tecum ſenſum mihi reddidit ingentis tuae virtutis & elegantis eruditionis admiratio. Cum vero non dubitem, in gratiam te interea cum tortore tuo rediiſſe; ut diuturna ea ſit & fida precor, quo ſtrenuam manum tot deſideratis jamque affectis tuis operibus admovere, & ſupremam feliciter imponere poſſis. Urbis noſtrae, (cujus ſtatum noſſe cupies, & ut ſaepius indicem deſiderat *Graevius*, quem de eo certiorem reddes, multa a me ſalute dicta) triſtis adhuc imago eſt, cadaveroſa facies; ſed quae minus jam nobis videtur horrida, adſpectui ejus aſſuetis. Emendet eam, & priſtinum ei nitorem induat corporum & animorum ſoſpitator Deus, ut reddita provinciae ſanitate, rectius quae invicem debemus, & noſtris hominibus praeſtare poſſimus ſtudia, & vobis, quae cupimus, exhibere officia. Litterarum autem, quod conjicere ipſe poteris, in urbe noſtra jacent, & ipſa peſtilentiae veluti malo laborant ſtudia, Academicis pleriſque fuga dilapſis, officinis typographorum & eorum magiſtris deletis, litterariiſque artibus, & commmerciis mali violentia extinctis & interdictis: ut proinde nihil, quod ad palatum ſit veſtrum, vel hinc nunciare poſſim, vel mittere liceat. Binas tamen lugubres adjicere viſum fuit ſchedas: nam quicquid a publicis difficillimis his temporibus ſupereſt otii, in funeſtis hujuſmodi ſtudiis conſumendum eſt. Plures mittam alias, cum faſciculos mittere liberum fuerit; quod tempus jampridem *Menagii* amaenitatum libellus cura noſtra hîc excuſus, praeſtolatur: cui accedent, qui jam prela fatigant, Paulini de vita Martini ſex libri, notis *Jureti* denuo excudendis, e Bibliotheca Patrum Pariſina Bignei Anno 1589. quae prodiit, depromptis; & *Barthii* animadverſionibus, nunc primum publici juris quae fiunt; adjectis *Gronovii* & *Daumii* emblematis, illuſtrandi. *Valeſii* etiam vita a fratre *Adriano* deſcripta, typis noſtris, qui funeſtas caetera nunc agunt ferias, juxta Gallicas ſchedas excuſa, jungetur; & ſi quae alia, pauca licet nec magni momenti quae futura ſunt, ab aliorum, non noſtro (quod aetatem latura proferre neſcit monumenta) profecta ingenio, interea ex calamitoſo noſtro ſolo naſcentur. Cygneae *Daumius* recte valet, & Hieronymi Graeci εἰς βαπτίσματος plagulam, a *Morello* ſeculi ſuperioris Anno XCIIX. editam, tuo beneficio quam indeptus eſt, ſe typis ſubjeciſſe, litteris nuper allatis (nunc enim harum quoque nobiſ-

cum vicinis urbibus interdictum est commercium, insano Principum metu) affirmavit; nec dubito, quin grata mente, non sine praefatione amplissimi tui nominis, ad te absolutum libellum archetypum tuum, cum novis exemplaribus remissurus sit: id enim se facturum, cum superiori aestate apud ipsum agerem, mihi indicabat. *Arnoldus* Noribergae salvus adhuc & incolumis vivit, deque benevolentia tua, quam filius suus, in Belgio jam agens, expertus sit, admodum gloriatur. In edendis *Welseri* operibus studium posuit suum; quorum cursum satis feliciter procedere nunciavit. Si quid habes, quod ad me destinare volueris, Elzeviriano institori *Zetzero*, viro optimo, mihique amicissimo committes; cui in mandatis dedi, qua ratione mea negotia libraria & litteraria Amsterdami curet. Utinam meliora tempora Deus quamprimum duit, ac urbi & provinciae salubritatem reddat, & liberas vias aperiat, ut officia vobis explicare possimus. Ovidii Metamorphoseon libros membranae inscriptos ab Amico accepi nuper dono, quod in te derivare mallem, cujus usibus eos rectius cedere posse intelligo, quando editionem novam Poetae hujus te moliri constat, si per vicinorum malevolentiam, omnibus viis obseptis, id esset integrum: differenda igitur haec & alia in aliud tempus sunt officia. Vale, & Cl. *Graevium* officiose a me saluta; omnesque, quos hic notos habet, interque eos fratrem clarissimum, compatrem meum optimum, optime valere, nuncia. Dabam Lipsiae a. d. XXVII. Novemb. CIↃIↃCLXXX.

EPISTOLA CCLXXX.

FR. BEN. CARPZOVIUS

Nic. Heinsio.

Viennam.

Literas ad te dandi geminas satis graves habeo causas: officii alteram, quod tibi, alteram quod *Daumio* meo debeo; qui me exquisitissimis rogavit verbis, ut has suas ad te litteras, & editum modo Hieronymulum mitterem: quod jampridem fecissem, si apertum hactenus fuisset iter, neque tantus pestilentiae, quae urbem hanc diripuit, terror exterorum vicinorumque invasisset animos, ut innocentissimis etiam litteris iniquiores fuerint, & omnia tuta etiamnum timeant. Sane postquam divini numinis indulgentia liberati fumus a pestifera lue, quominus salubritatis recuperatae fructus ad nos pertingat, Principum metus ferme ridiculus prohibet, qui non homines saltem & res nostras formidant, sed ad epistolarum etiam nostrarum conspectum perhorrescunt, severisque edictis a commerciis suis nos arcent, subditos autem suos, vel merces vel litteras nobiscum commutare vetant. Ingens hinc fortunae nostrae patiuntur damnum, quas nisi, in ordinem redactis & ad saniora consilia versis Principum Germanorum animis, Deus erigat iterum, certum urbi nostrae, omni commerciorum genere ante hoc florentissimae, imminet exitium. Intelliges autem hinc causam, quare Alcimum Avitum & Graeculum Hieronymum, quos ad te curandos nuper commisit *Daumius*, nondum miserim; fasciculum item plurium exem-

exemplarium Hieronymuli tibi dicati, quorum unicum saltem adjeci, apud me detineam: coactus nempe intermisi officium, dum occasio defuit, neque adhuc ulla comparet, ad te quae cupio perferendi: utprimum autem dabitur, me non neglecturum eam certum te esse jubeo. Igitur cum ipsa te praestare nil liceat per temporum acerbitatem, animum tamen tibi exhibere, & quod alterum litterarum volui esse argumentum, voto defungi fas est. Cumque alias semper tibi, vir illustris, bene ominari, & pro salute tua, cui litterariae res salus innectitur, vota facere conveniat, quibus haec cordi est: hoc sane incuntis novi anni tempore in eam curam incumbere decet. Ergo ut quem agere coepimus, annus ex voto a te peragatur, tibique animi & corporis viribus integro cum multis sequentibus, felix undiquaque & fortunatus exeat, voveo. Audint haec vota Deus, & quae tibi ipse cupis in te conferat propitius, cumuletque, quae virtus tua & rara totique Orbi admiranda eruditio meretur, praemia; nec vel imbecillitate vires corporis atteri, vel languore divinae mentis vim imminui permittat; sed incomparabili ingenio idoneas corporis vires sufficiat, hisque constans animi robur deesse patiatur nunquam, ut de incolumitate tua tibi non magis quam egregio litterario gratulandi causae nobis suppetant perpetuo. Postquam meae pietati in te, vir devenerande, satisfeciisse in praesenti videor, vellem etiam voluntati tuae obsequi; cui nulla re magis quam narratiunculis de rei litterariae incremento responderi posse, sentio: sed de eo apud nos promovendo ne suspicari quidem jam licet, litterarum studiis pestilentiae vi oppressis, & intempestivo exterorum metu una nobiscum ita coarctatis, ut in angustiis his, dum fortunis quemque suis invigilare oportet, & ne plane intervertantur temporum diritate providere, de bonis litteris cogitandi vix relictus sit locus. Paulinum tamen, qui de vita Martini sex libros carmine scripsit, & ineditas hactenus ad istos *Barthii* Animadversiones, *Juretii* etiam notas, & *Gronovii* ex observationibus ad Script. Ecclesiasticos cap. x. quod emendationes quasdam scriptoris hujus exhibet, typographo commisi, qui libellum etiam profligavit & ad exitum perduxit. Annotata quaedam adjiciet adhuc *Daumius*; quae ubi absoluta erunt, & liberi fasciculos ad vos perferendi data fuerit facultas, libellum ad te pertingere omnibus studebo modis. *Anna*, eruditissima *Tan. Fabri* filia, Dictyn Cretensem in Gallliis evulgasse dicta hîc est, ipse tamen liber visui nondum oblatus, neque spes est praeclaros exterorum libros conspiciendi intra breve adhuc tempus, siquidem oppidorum vicinorum excludimur commercio, tantum abest, ut e longinquis oris id nobis polliceri possimus. Reddat Deus meliora tempora, & urbem fortunasque nostras in pristinum statum reponat; nec vel intestinis dissidiis provincias has collidi, vel lue amplius affligi patiatur; ut studiis litterarum suus honos redeat, & cum anno se ista in novum florem induant. B. V. Dabam Lipsiae Nonis Januariis CIↃIↃCLXXXI.

EPISTOLA CCLXXXI.

FR. BEN. CARPZOVIUS

Nic. Heinſio.

Vlenae.

PUblica horum temporum calamitas, ex qua jam ſumus eluctati, vicinorum noſtrorum conſortio & conſuetudine nobis interdixit, exterorum tamen amicitias delere prorſus non valuit, quin eorum ſubinde litteris admoneremur, noſtram ipſorum animis nequaquam excidiſſe memoriam. Haec vero aerumnis noſtris haud levis extitit acceſſio, quod litteris ab amicis e longinquo profectis nec recto itinere huc tendere, neque juſto ad nos tempore pervenire licuerit; ſed praepoſtero contagii metu innoxiarum etiam Lipſienſium, epiſtolarum uſum prohibuerint Germani Principes, & peſſimo exemplo tabellarios vel ad nos ituros, vel ex his regionibus venientes ſeveris legibus arcuerint, & tantum non omni litterario commercio nos privarint. Factum hinc ut ſerius, adulto jam anno hoc, tuae & *Graevii* tui ad me perferrentur litterae, exeunte ſuperiori ſcriptae: quas mox inſecutae ſunt aliae nuper modo datae. Dignum proinde me veſtra exiſtimabitis venia tardius exſolventem officium, quod maturius facturus eram, ſi juſto ad me tempore perlatae eſſent gratiſſimae veſtrae litterae. Has autem inter maxima cladis, quam perpeſſi ſumus, & exantlatarum moleſtiarum ſolatia numero; iis ſane me haud leviter erigi ſentio: ſiquidem tenaciſſime in veſtris me haerere animis inde intelligere, & praeſtantiſſimarum ad rem litterariam pertinentium rerum cognitionem haurire licet: quod utrumque maximi inſtar muneris mihi eſt, cui reddendo vires meas haud pares ſentio. Sed cum vos beneficia veſtra non foenerari conſtet, aequo laturos animo confido, ſi maxime fructum ſtudii veſtri non feratis alium, quam ejus confeſſorem animum noſtrum, ex quo incredibilem veſtram humanitatem nulla unquam delebit oblivio. De ſtatu autem rerum noſtrarum bona omnia praedicare licet: vivimus enim dei munere & vigemus, brevique ſoteria celebrabimus. Fama ſaltem adhuc laboramus, qua infeſti vicinis & exteris reddimur ſimul & inviſi. Rumores ſane late ſparſi ſunt, minimam ſupereſſe civitatis partem, tantamque apud nos eſſe graſſatam nec haud defaeviiſſe peſtilentiam, ut prae ea nulla videatur famoſa illa olim apud Cecropes, Lucretii celebrata verſibus. Tibi vero & cuivis de nobis vel ſollicito vel curioſo affirmare poſſumus, prorſus deſiiſſe contagium, nec meorum aliquem id malum tentaviſſe, licet aedibus admodum vicinum, quibus ſecedere & ſtationem deſerere, quam tenere eos quam maxime fas erat, quibus cura publicae rei commiſſa eſt, haud ſine turpiſſimae praevaricationis, ne quid gravius dicam, licuiſſet crimine. Fuga quidem ſalutem ſibi qaeſivernnt nonnulli ex Senatorio noſtro & Academici regiminis ordine, & vel in vicinas ſalubres regiones ſeceſſerunt, vel longiori ſuſcepto itinere abſentiae cauſas commenti ſunt: illud unum neglectis humanitatis officiis ob oculos habentes, ut mature diſcedentes, longe abſint

sint tardeque redeant: digni tamen hi mihi sunt visi, qui extra omnem hominum coetum extrudantur, cujus dissolvunt vincula: ac propterea ipse quidem nec mei neque familiae tantam habendam duxi rationem, ut quid patriae debeam in tanta necessitate, qua cumprimis opem cives flagitant, oblitus, praepostero mortis metu ab humanitatis officio & ratione muneris me dimoveri passus fuerim. Interim hac fatali calamitate oppressis dum succurrendum, & ne contagium serpat latius providendum fuit, bonarum litterarum vix ullam rationem habere valuimus, inque Academia aeque nostra ac reliqua urbe & provincia nullam ferme eruditionis curam gesserunt, quibus ea incumbit, vel fuga dilapsi vel metu confusi. Exiguus hinc litterariae frugis proventus; quam nec juvare studuerunt librarii, timida hominum natio, & grandiusculis libris operam & argentum impendere vix audens: hoc cumprimis tempore, quo libros & alias merces ex urbe nostra Francofurtum ad mercatum ferre severis interdictum est istorum legibus. In *Reinesiano* tamen syntagmate & *Epiphanio* ut pergerent, nec desponderent animum, precibus & pretio ipsos permovi: Paulinum etiam cum *Jureti*, *Barthii* & *Daumii* notis ut absolverent; *Thomasii* quoque Oratiunculas, quas sub auspicium suarum dissertationum Academicarum habuit & mihi dono obtulit, ut excuderent autor extiti, argentoque, quo carebant, typographos juvi. Exemplaria autem Paulini, quae in Vaticana & Lutetiana bibliotheca extare indicas, conferri non potuisse, nec variantes lectiones excerpi, ut lacunae ac depravata Juretianae editionis, quam nec ego alibi quam in Patrum sub Bibliothecae nomine facta collectione extare arbitror, loca restituerentur, dolet admodum *Daumius* vir optimus, & jam septuagenario major, nam heri annum aetatis implevit septuagesimum. Forte curata nostra opera editio, cujus exemplaria prima, quae dabitur, occasione mittemus, vel *Bigotio* Cl. V. vel eruditis aliis textum meliorem aliquando exhibendi animos addet. Epiphanii editionem, quae jam adornatur, cujus specimen nuper Francofurtum, ut cum Daumianis libellis inde in Belgium perferatur, misi, si ulla in parte tu vel *Graevius* tuus juvare poteritis, quaeso ne istius curam animo abjiciatis vestro. Petavianum exemplar τῷ πόδα sequuntur nostri typi, ita ut & paginarum numeri ac modi serventur iidem prorsus: quod si Petavianas accessiones e Gallia vel *Bigotii*, vel *Menagii* vel *Valesii*, vel alterius amici, quorum pluribus vos uti arbitror, opera impetrare possitis, vestrove ab ingenio aliquid cupiatis adjicere, studii hujus vestri magna vos manebit apud Eruditos gloria. *Menagii* Amaenitatum exempla nondum plura ad celeberrimum autorem perveniisse doleo, & indignor minus officiosis hominibus, quibus grandiusculos eorum commiseram fasces, ut diversis itineribus per Noricum & viam Lugdunensem alterum, alterum per Belgium Lutetiam curarent. Ac hunc quidem *Elzevirio* τὸν ἐκ ἀγίων misi, & exquisitissimis modis ut quamprimum in Gallias cum promoveret rogavi: quid interea factum sit, nescio; tibi quidem & *Graevio* destinata ligata jacent in museo ultra septem octove menses exemplaria, quae Francofurtum mittere, quia nemini nostrorum hominum eo tendere licet, quum maxime cuperem, non poteram. Reddat Deus liberta-

tem itinerum, ut beneficio peregrinantium officia noſtra mutuo explicare valeamus. Vale. Dabam Lipſiae d. XII. Kal. April. CIↃIↃCLXXXI.

EPISTOLA CCLXXXII.

FR. BEN. CARPZOVIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

JAmpridem occaſionem ad vos aliquid perferendi ſpeculor, quae nulla mihi hactenus, incluſis praepoſtero contagii metu omnibus viis, necdum apertis, data fuit: nactus vero in Belgium abiturientem, & ſuſpenſo gradu negotiorum cauſa recipere ad vos ſe cupientem hominem, faſciculum ad Ampl. *Graevium* ei committere, iſtique hunc ad te includere non negligendum ratus ſum, cui innexa aequo animo & ſerena fronte ut accipias etiam atque etiam rogo. Catalogum librorum, quos Francofurtenſes & noſtrae jam tulerunt nundinae, ad *Graevium* miſi; a quo iſtum petere licebit, & cognoſcere, quid novae opis Germani attulerint rei literariae. Gloſſarii Cangeani quidem iteratam Francofurti impreſſionem, bonum factum! intelligo, quod nec ſucceſſus deſtituit, ſatis feliciter nitorem Gallicum aemulantibus typis noſtris. Nec minorem cultum Aethiopicae Ampliſſimi *Ludolfi* Hiſtoriae attulerunt; quem librum exteris haud improbatum iri mihi perſuadeo. *Wagenſeilii* vero doctiſſimi mihique amiciſſimi eruditum & recondita Hebraeorum, Rabbinorum, & alia doctrina refertum opus, Judaeorum calumnias doctiſſime ſolidiſſimeque retundens, in admirationem eos, qui iſto litterarum genere delectantur, rapiet: ſed quia autoris ſumtibus excuſum fuit, & paucos emtores reperit, (quod fatum meliores ferme omnes libros exercet) magno rei familiaris detrimento, quam inde nanciſcetur, optimo viro conſtabit gloria. Paulinum de vita Martini *Daumius* noſter ut ad te curarem me rogavit: quod officium cum alias tibi debeam, tanto majori ſtudio jam faciendum putavi. Vale, & animum, quem optime mihi cupere intelligo, ſerva. Dabam Lipſiae exeuntibus nundinis vernalibus d. VII. Maii. CIↃIↃCLXXXI.

EPISTOLA CCXXXIII.

CHRISTOPH. ARNOLDUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

COngruum mihi viſum fuit, veteris amicitiae novam quaſi teſſeram tranſmittere; ut poſt annorum tot inter nos velut divortium, tibi reddar & uniar: Imprimis quia *Daumius* & *Carpzovius* noſter hanc in ſe curam recipiunt, quaſi Tuum mihi favorem gratiamque denuo conciliaturi. Id ipſum vero eſt, quod mihi aliiſque volo: Illuſtris *Welſerorum*, Auguſtae pariter ac Noribergae adhuc ſuperſtitum, familia *Marci* ſui opuſcula omnia in unum volumen cogere,

&

& epiſtolas, quarum quaedam adhuc ineditae, illis adjungere decrevit: Quare ſi nos in hoc ipſo juvare negotio poteris, juva, quaeſo: & magnam apud *Welſeros* inibis gratiam. *Camerarius* in noviſſimis ſuis *Peireſcium* aſſervaſſe ait literas *Welſeri* magna cura, qui illum cultorem ſui in Gallia habuit: Quo autem Peireſciana pervenerit bibliotheca, tu ſolus docere nos poteris; vel certe alius nemo. Emendationes ac lectiones varias in Catonis mei Diras, te quidem offerre gaudeo: ſed nulla prorſus ſpes in Belgio affulget, ut juvenile ſchediaſma illud a bibliopolis veſtris recudi queat: etſi vel maxime velim. De ipſius Ovidii, qui plane tuus eſt, exilio, & reditu, & ſepulchro, & calamo, in Hungaria (ſi Diis placet) reperto, dubitant quidem eruditi, & pro figmento Pontem habent: verum quos de hac ipſa controverſia conſulere queam, fateor, non liquet: Quapropter tu mihi Pythias eſto. Mihi viciſſim hîc impera, quod poſſim; agam id omni fide ac dexteritate, ne quid porro in me deſideres. Miſiſſem nunc memoriam meam Familiae Furerianae, apud nos nobiliſſimae; ſed metus erat, ne iſtaec oculis ac manibus tuis indigna prorſus videretur. Si quid vero aliud in urbe mea impreſſum expetas, vel a me curatum velis, haud decro ſane deſideriis tuis. Ad ultimum latere te nolim, quod magni Hetruriae ducis auditor (ut vulgo vocant) *Ferrante Caponi*, ob nequiſſimas Sodomiae artes, ipſumque atheiſmi crimen, jubente domino ſuo, in furcam agendus, in triremes tandem pertractus fuerit; qui in Sp. S. templum Florentiae primo confugerat: Sic ruit dierectus iſte, qui *Gronovio*, aliiſque doctiſſimis viris, ruinam ſaepe paraverat. Plura die alio. Vir Celeberrime, & mei porro haud immemor vive. Norimb. d. 2. Auguſt. CIↃIↃCLXXVIII.

P. S. Eſt mihi filius unicus, qui per annos quatuor mathematicis & hiſtoricis ſtudiis in Academia noſtra operam navavit, & adhuc navat; quem aliquando Lugdunum vel Hagam libenter emitterem, ſi alicujus magnatis, vel mercatoris ſaltem, favore uti poſſet.

EPISTOLA CCLXXXIV.

NIC. HEINSIUS

Chriſtoph. Arnoldo.

Norbergam.

AMoris tui conſtantiam equidem ſum exoſculatus, inſignem plane & perraram hoc ſeculo, acceptis nuper literis, quas per *Daumium* noſtrum ad me curatas voluiſti. Annus, puto, tertius eſt, quod *Roberto Goeſio*, ſororis meae filio, iter in Italiam molienti, in mandatis datum, ſi forte per urbem veſtram tranſiturus (de eo enim ſi certius conſtitiſſet, literas addidiſſem) te meis verbis ſalutaret, deque ſtatu tuae valetudinis, quo is loco eſſet, ad me perſcriberet. Fecit ille quod petebam, uti poſtea ex ipſo cognovi ad nos pridem reverſo. Atque adeo augurari datur, inſtaurata nunc pace, poſt atrociſſimam tempeſtatem bellicam, ut literaria commercia, quae cum ipſo literarum nomine jacebant interrupta, redintegrentur propediem, & ad priſtinum cultum poſt li-

liminio revocentur. De *Marci Velſeri*, viri ut dignitate, ſic doctrina illuſtris, colligendis ac luci permittendis operibus, non poſſum non probare vehementer conſilium. Extare memini in ſcriniis meis complures ejus ad *Joſephum Scaligerum* exaratas literas, quae ex haereditate paterna ad me venerunt, conquiſiturus has, ut primum animus ex anguſtiis temporum funeſtorum nonnihil reſpirare coeperit. Peireſciana Bibliotheca publice diſtracta eſt, ex qua ipſe *Papirii Maſſoni* de fluminibus Galliae commentarium poſſideo, numiſmata ejus aere ſuo *Harlaeus Thuani* cognatus. In omni antiquitate nihil fere exſtat magis depravatum librariorum culpa Catonis tui Diris, nec codices manu exarati, quos complures vidi pervetuſtos, multum juvant. Loca tamen nonnulla ductus conjectura videor perſanaſſe. De Naſonis calamo in Hungaria reperto, deque ejus ſepulchro illic exſtante mera impoſtura eſt, cum Tomi a Pannonia longo terrarum intervallo diſtent. E *Gronovio* patre olim edoctus ſum in Rittershuſiana Bibliotheca codicem Metamorphoſeon Ovidianarum exſtitiſſe non contemnendae notae. . . . . Vale Vianae. 8. Novemb. CIↃIↃCLXXVIII.

EPISTOLA CCXXXV.

CHRISTOPH. ARNOLDUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

DIci non poteſt, quo triumpharim gaudio, cum epiſtolam tuam ſolvi, & memorem mei, & lectu gratiſſimam. Gaviſi etiam ſunt *Welſeri* noſtri, qui familiaribus Auguſtae in mandatis dedere, ut ſingulari ſtudio in tabulas Eugubinas *Balei* pro te inquirerent, & quovis pretio compararent: Id cum circumſpecta cura agunt, ut mutuam ſervitutem inſerviant, certa ſpe freti, fore, ut ipſis Welſerianas ad *Scaligerum* epiſtolas aliquando mittas; pro quibus exemplar integrum verbis meis pollicentur. Memoriam Furerianam quia haud negligo, iſtam una cum altera D. *Wagenſeilii* a *Carpzovio* noſtro, data occaſione, accipies. *Welſeri* Commentarium in Calendarium Rom. plerique omnes mecum neſciunt. Quae ad Val. Catonem obſervaſti, cadent mihi gratiſſima, juveniles quippe errores meis facile agnoſcenti: utinam vero Batavi opellas meas aliquando recuderent; quod vix ſperandum. Ovidii Metamorphoſin MS. *Georgius* accepit *Rittershuſius* ex hereditate paterna; quod *Nicolaus* frater dudum mihi indicaverat: Hic enim ſorte contentus juridica fuit, Philologis illi relictis. Verum *Georgius* ille, Marchionis Baruthenſis quondam conſiliarius, una cum immorigero filio (quem noxam adagio vocant) & omni familia ante annos plus quam viginti e vita hac diſceſſit. Non ita pridem in Ciceronis ac Senecae epiſtolas MSS. haud contemnendae aetatis incidi; ſed annum invenire non licet. Poſtremo filium meum abs te amari laetor; nam ſemper illud poëtae in mentem eſt mihi: *Melius eras forſan habebis.* Bene vale, vir Celeberrime, & ama conſtanter. Norimb. d. 23. Novembr. CIↃIↃCLXXVIII.

EPI-

EPISTOLA CCLXXXVI.

NIC. HEINSIUS

Christoph. Arnoldo.

Noribergam.

NUdius tertius copia mihi facta est, idque beneficio *Carpzovii* nostri, tum epistolae tuae, tum memoriae Furerianae, quam tibi & Cl. *Wagenseelio* conservatam debitura est olim posteritas. Sepositi librum intentius a me perlegendum simul illos, qui nunc prae manu sunt, absolvero, quod fiet brevi. De Tabulis Eugubinis *Baldi* non est, quod tu & nobilissimi *Welseri* multum laboratis: est enim quo carere possim, nisi forte pretio salubri ultro vobis offerantur. Idem dictum esto de Geographis Graecis, quos *David Hoeschelius* olim in publicum dedit: nam exemplar ejus libelli, quod me in Sueciam comitatum est aspersum fluctibus marinis, labem inde contraxit; sed haec obiter. Cum V. C. *Emericus Bigotius* ad me scripserit rure se excursurum propediem Lutetiam, ut magnam ea in urbe quadragesimae partem exigat, rogabitur a me per literas, si Calendarium illud, quod a *Naudaeo* mihi exhibitum recordor, adhuc supersit in Mazariniana bibliotheca; quam postea auctione publica distractam, sed sic, ut libri majorem partem ad veterem dominum sint reversi, fando fortasse audieris. Ubi primum per otium & valetudinem licuerit, scrinia excutiam mea omnia, etiam illa, quae jure haereditatis ad me a patre pervenerunt, ut *Marci Welseri* ad *Scaligerum* epistolas, & si quae praeter has offerentur, eruam ac tibi, vel potius posteritati, vindicem. Hoc tantum in transcursu. Vale, vir optime, & Cl. *Wagenseilio* aliisque apud vos viris literatis salutem dicere velis. Vianae 13. Februar. CIↃIↃCXXIX.

EPISTOLA CCLXXXVII.

CHRISTOPH. ARNOLDUS

Nic. Heinsio.

Vianam.

NObilissime Heinsi, ingens seculi nostri decus: non credis, quibus gaudiis exsultarim, postquam *Carpzovius* noster nunc Senator amplissimus, e tuis summam indicavit benevolentiam, te nempe submissurum nobis *Velseri* ad *Scaligerum* epistolas, bona fide a me describendas, & eidem restituendas; dummodo de secura mittendi constet occasione. Gratias ago & Velserorum & meo nomine singulares, ac ulterius rogo, ut ad Maecenatem nostrum Lipsiensem digneris emittere; qui recte, ceu pollicitus est, curabit omnia: & eadem redire ad te jubebit via, qua ad nos pervenere. Ab Augustanae bibliothecae Curatoribus figuras, Venetiis aeri incisas, quae ad Historiam Vindelicorum inprimis attinet, *Velseri* imperialibus quinquaginta redimere coguntur; neque hi recusabunt, quod illis, ni fallor, dedecori est. Ad *Bigotium* celeberrimum, cujus

nomen majus eſt, quam ut manu mea attentari debeat, quia ipſemet literas exarare non ſuſtineo; rurſus iterumque oro, ut eundem Venuo, per ſalutem ac gloriam rei literariae, horteris, quo Calendarium Rom. *Welſeri* comment. illuſtratum, Lutetiae expiſcetur; aut ſaltim tale illius indicium faciat, quod vitae Velſerianae inſeri aliquando a me poſſit. Redhoſtimentum adhuc me tibi debere doleo, pro aurea Virgilii editione, qua obſcuram illuſtrare bibliotheculam meam voluiſti: deſiderio tuo nondum inſervire potui, ceu pollicitus eram; melius eras forſan jubebo. *Pharmacum* ea collegiſſe audio, quae beatiſſimus Parens tuus haud pauca in Heſychii Lexico obſervavit illuſtranda: ſtatim recordatio ſubiit, *Joh. Vitum Pergerum*, hominem doctiſſimum, ſed in obſcuro Thuringiae angulo Ilmenavii degentem, anno ſuperiore *Pricaei* indicem ſcriptorum, qui in Heſychii vocabulario laudantur, oſtendiſſe mihi, diligenter a ſe recognitum: Praeterea annotationes ſuas ad Schrevelianam illius editionem, in quibus *aſteriſco* notavit, quid rejiciat; *cruce*, quid ipſe nondum allatum aſſerat. Verbo: Graecus & inopa is eſt, cujus admiranda eruditio promotoribus caret. Denique, ni grave ſit, auctoris nomen indica, qui origines, ni fallor, Delphenſes Belgice nuper deſcripſit; his enim Illuſtris *Rutgerſii* tui imago, quam tibi quoque debeo, tunc inſerebatur. Vale pancratice, Amicorum optime, ac porro vive, ut vivam. Norimb. d. 26. Septemb. CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA CCLXXXVIII.

CHRISTOPH. ARNOLDUS

Nic. Heinſio.

Vienam.

NObiliſſime Heinſi, ingens ſeculi noſtri Decus. Magna ſenſus laetitia tuae me affecerunt; perge ita res Velſerianas promovere, ceu coepiſti! Ad Hoeſchelii Geographos Graecos quod attinet, in officinis quidem noſtris, jamdudum evacuefactis, haud amplius occurrunt; memini autem, non ita pridem apud antiquarium quendam eos me vidiſſe: Revertar itaque ad eundem, operam daturus, ut quovis nanciſcar pretio; dummodo rem gratam tibi fore intelligam. Dein ad Auguſtanos, *Spizelium* meum imprimis, aliquas exarabo, ut mecum inquirat. In Gloſſario, ni fallor, Pithoeano ad Leges Caroli M. Ludovici & Caroli Calvi, in voce *Euua*, lego, *Velſerum* noſtrum haec ipſa ediſſe Capitula, nunquam a me viſa: De his, inquam, ulterius me doce; quia Oedipus es. In bibliotheca Bobiana exſtant *Geneſi*, Byzantini ſcriptoris, libri VI. *Hacenus Leodienſes*, qui Pariſiis iſtam hiſtoriam ediderunt, nihil de *Geneſi* habent; forte quod mecum ignorarunt? Praeterea *Carpzovius* ex tuis olim me docuit, in Galliis duo evulgari Gloſſaria mediae, ut opinor, & ultimae aetatis *Cangii*. Haec ipſa autem quoniam uſurpare oculis meis haud licet, indica nobis quaeſo, unde numeris *Biſantinis*, & *Marmotinis*, quos pro denario Petri Eccleſiae olim Papae exſolverunt, nomen illud ſit? *Marmata* Ferrariis in Onomaſtic. magis videntur ad rem facere, quam *Marmotte*, i. e. majus mona-

monaſterium S. Martini, in Orig. Gall. Menagii: verbo: haeret aqua. Ad ultimum me latet, quid ſit *Academia Recuperatorum*, cujus inter alios quoque ſocium ὁ πάνυ *Ferrarium* eſſe perhibent: ut huic eruditorum militiae nomen darem, una cum *Wagenſeilio*, *Patinus* ferme perſuaſit: ſed quia exiguam nominis menſuram impleo, haud conſultum ſatis videtur, ut annuam. Vale, vir Celeberrime. Salutat te filius meus quam demiſſiſſime. Norimb. d. 8. Mart. CIↃIↃCLXXIX.

P. S. Bene ſit, precor, Bigotio cum ſtudiis ſuis ruſticanti!

EPISTOLA CCLXXXIX.

CHRISTOPH. ARNOLDUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

MAgnas tibi gratias perſolvo pro Velſerianis ad Scaligerum epiſtolis; maximas vero pro his ipſi debent, ne verbis meis nuntiant Velſeri. Opera Marci *Endteri* noſter, per hanc aeſtatem, certo imprimet, dum Velſeriana familia, in figuris cum cura aeri incidendis, ſumtibus haud parcit; additis Itinerarii illius ſchedis, quod Hornius in orbe vetere jam exhibuerat. Nihil interea vovemus magis, quam ut *Velſeri* noſtri commeet. in Calendarium vetus Rom. (cujus in illis epiſtolis haud leve indicium extat) ὁ πάνυ *Bigotius* e Gallicanis communicet bibliothecis, τάχ' ἄνευ. Cimelia vero illa MSS. ipſi potius *Carpzovio* noſtro, quam meo, qui has affert, filio tradenda ac reſtituenda eſſe duxi; ne ſcilicet in itinere periclitarentur, quod ille meus modo ingreſſus eſt: mercatores enim magis, quam viatores, talia ſervant atque cuſtodiunt. Oro autem reverenter, ut quod ultro pro inſignita tua humanitate facturus eſſes, mei quoque gratia, Heinſiani nominis obſervantiſſimum hominem ad alloquium admittas; cureſque ſentiat, paternam allegationem ſibi non omnino nihil profuiſſe. Praeſtabit is operam ſuam in Mathematicis, aliiſque Politicorum ſtudiis; ſi qui fortaſſe ſint Hagae, Leidae, vel Ultrajecti, aut alibi, qui illa uti haud recuſent. Quid multis? θεὸν ἐς γνώμην κάτει. Conſilio ipſum juva, habebis obſequentem & gratum. Poſtremo ſcire ſacpius deſideravi, quando, & quomodo *Baſſanes* iſte, qui omnes eruditos in epiſtolis ſuis ſatyrico ſale perfricuit, ludibrium mortis factus ſit? & quia tu ſolus potes, doce me, quaeſo, ubi locorum extet ſive MS. ſive, quod vix audeo fari, editus Scholiaſtes Graecus in N. T. cujus praeter Celeberrimum Parentem, meminere Salmaſius, Montacutius, P. Simon, Spanhemius, Colomeſius, alii. Annonymum eſſe conſtat; ſed fortaſſis conjectura ſaltim aliqua aſſequuntur viri doctiſſimi auctorem; ſi de filo ſtaminis judicium ferant. Sed contineo me. Da veniam & fave. Norimb. d. ult. Marti. CIↃIↃCLXXX.

EPISTOLA CCLXXXX.

NIC. HEINSIUS

Thom. Munckero.

Delfis.

ULtimo congreſſu noſtro, vir doctiſſime, ne ardor ille de ſtudiis communibus confabulandi tecum, quo ferebar, me nonnihil tranſverſum egerit ſubverendum videtur utcumque, dum & in multam veſperam protracti ſunt ſermones, & de iis agebatur nonnunquam, quae feſti illius ſanctimoniae ac religioni minus reſpondebant. Poſtea nil equidem prius habui, quam ut ſuper rebus tuis convenirem Ampliſſimum Senatorem *Rulandum Kinſchotium*, qui te fratri ſuo commendavit hîc nota de meliore. Addidiſſem & meam, niſi ſat ſuperque praeſidii fore in hac una commendatione credidiſſem. Praeterea differebat rumor, Syndicum veſtrum abeſſe a civitate. Is ubi rure redierit, aut ſcribam, ſi voles, in rem tuam, aut coram negotium illi omne commendabo. Tu, utrum malis, eligito. Vale, & me tuis accenſere perge. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXV. Kal. Juniis

EPISTOLA CCLXXXXI.

THOM. MUNCKERUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

INnoxias confabulationes illas iis de literis, quas in glorioſis ſuis titulis legi gaudent priſci illi Chriſtianiſmi antiſtites, donabit, ſpero, facile nobis, tametſi ſacra luce habitae ſint, divinum numen. Atque utinam ne unquam majus ejus majeſtati inferamus probrum! Sed ut eatenus nulla captus ſum religione, ita non parum metuo, ne nimium tibi nimiumque ſim viſus ſimplex. Vix videre cupere hunc hominem ſignificaras, cum, ecce, advolo ſtatim, & tam familiariter tecum ſermones caedo, ut ſi eſſes unus de meis tribulibus. Quaeſo pro caetera facilitate tua abire & hoc mihi ſinas. Tam promptus erat ad ſervitium tibi deferendum animus, ut omnis ipſi mora longa videretur. Fulſere forte olim candidi mihi aliquot ſoles; ſed illo candidior, quo ad te iter tetendi, ſurrexit nullus. Cujus viri nomen omnis adorat orbis Europaeus, eum σῶμα πρὸς σῶμα appellavi, & quam bene his literis humanitatis indidiſſet nomen antiquitas indidem didici. Ante, Hercules, mei mihi nominis, quam illius diei excidet memoria. Haec ego, vir illuſtris, ut a te diſceſſi, identidem meo cum corde tacitus volvo, ut ne ignorare me felicitatem meam forte putes. Quod autem laudare inſuper me & tradere *Kinſchotiis* voluiſti, eo nexu me & mancupio adeo tuum feciſti, ut libenter vale libertati dicam. Tuum erit mancipium hoc, ſi domino ſedulo inſervierit, tueri. Sed haec hactenus. Quae ad Petronium a te ſcripta oſtendere mihi dignatus es, injurius videri poſſis in poſteritatem

tem nisi proferas. Edideris licet opera multa immortalia, uti Libitinae voracitatem nihil necesse sit amplius a te timeri; nullum illo tamen magis ad quorumlibet, crede, hominum facturum stomachum. Invento tandem Cereali munere, stupebunt mecum tam diu glande se fuisse pastos. Accedat hoc ad caeteras laudes tuas, ut unicus Petronii audias sospitator. De *Odopeta* vel *Oclopeta* nihil verisimile conjectare possum. *Dasypodem* scriberem, si quicquam adjuvarent MSS. *Dasypus* est lepus. Vox, ut videtur, non intellecta Plinio, alium a lepore *Dasypodem* facienti. *Sclopeta* Reinesii ferme risum mihi movet. Quis enim unquam *Stlopetas* voravit? Propemodum certum mihi aliquod ferae nomen heic desiderari. Nam sagittarius ille, notante Germanici Scholiaste, in venatu vitam exegit. Initio Petronii non satis arridenti illa: *quod quisquis perperam discit*. Mallem, *quod quis juvenis*, ut sit *διτθάκις*. vel certe alterum *quis* delerem. In coena Trimalcionis legitur vulgo, *bubale frustum*. In Fragm. *bubulae*. Invenio tamen in Glossis, *bubal*, *βόειον*. Post paulo visitur: *Qui tanquam togae virilis stolam sumsit*. Videbatur mihi rectius legi: *tanquam virilem togam*. vel extruso *τῦ tanquam*, *die virilis togae*. In medio ferme: *Tanto magis impedit inguina* &c. Legendum puto: *expedit*. Magnam illius pulchre peculiati prae sua non mali poëtae praedicat fortunam. *Injuriamque Eumolpo advocationemque commodabam*. h. e. favebam vapulanti, aderam ipsi, ut magis vapularet. Sed convenientius huic sententiae mihi videtur posse scribi: *Injuriaeque Eumolpo advocationem commodabam*. Quint. Declam. in pag. 45. edit. noviss. *ut illam in advocationem sacrae mortis adducam*. Nisi si figuram illam, quam *ἐν ἀφῃ δυοῖν* appellitant Graeci, comminisci heic quis malit. Sub finem legas: *Idaeo frutices in gurgite fistam*. Rescribo: *Idaeos frutices*. Haec paucula ideo ad te mitto, vir illustris, ut videas, in quam minutis etiam nos semitarii literatores haerere soleamus, & quam nihil tibi, quo illud scriptum magis reddi possit perspicuum, sit relinquendum. Vale multum, & diu vive. Delfis Batavis Prid. Nonas Junias Anno CIↃIↃCLXXV. De Syndico nostro id facias rogo, quod tibi maxime sic futurum commodum.

EPISTOLA CCLXXXXIII.

NIC. HEINSIUS

Thom. Munckero.

Delfis.

QUod exploratum satis non haberem, essetne in civitate vestra Syndicus *Kinschotius*, an, quod frater videbatur velle, rus se contulisset cum nova nupta, neque litteris compellandum mihi illum duxi hactenus, neque ad vos excurrendum, ne frustra plane irritoque coepto volverem hoc saxum. Tu vero de qualicunque hac opera mea statues pro arbitrio, quod e re tua fore potissimum videbitur. Nam & ipse credo nondum rediisse ad vos potuit, & frater in Zelandiam profectus eis paucos dies ad nos recurret, qui pollicitus jam est, se commendationi meae sua auctoritate apud civitatis vestrae Magistratus

esse suffragaturum. E Petroniano loco de *Odopeta* vel *Oclopeta* non possum me expedire. Cogitabam aliquando minima mutatione, *super sagittarium Ocypoda. ὠκύπους λαγώς* poëtis Graecis, Hesiodo in primis scuto Herculis. quomodo *lepus* tanquam *levipes* Varroni, qui & Lacedaemoniis ταχίνης eadem de causa dictus, eodem teste. Sed & hoc longe quaesitum. Deinde non est credibile bis leporem in caena tam lauta opiparaque convivis appositum. Fuit cum putarem *Scolopacem* vel *Scolopaca*, quorum rostra sagittae respondent. Sed locus iste altioris est indaginis. Porro in codice meo annotatum video, legi debere, *quod quis perperam discit*. In illis, *quid ille alter, ô dii, qui tanquam togae virilis stolas sumpsit*; V. C. Scaligeri, *quid ille alter die*, vel, *qui tamquam die*. Videntur transponendae voces; *quid ille alter? quid inquam? qui die togae virilis stolam sumpsit*. nec multum abludit *Gonzalii* conjectura, *quid ille alter, qui die inquam. ô dii!* a *Lipsio* est. Tale illud Ciceronis in Philippicis: *sumpsisti virilem togam, quam statim muliebrem togam reddidisti: dies virilis togae* apud Suetonium non semel occurrit. *tanto magis expedit* a *Schoppio* est occupatum. *Injuriae advocationem* probo. Ultimo loco scribendum videtur, *Edono frutices in gurgite sistam*. nam mare Thracicum procellis frequenter agitatum. Apud Nasonem alicubi in Tristibus etiam ex veteri codice *Edonas* pro *Ideas* memini restituere.

— — — ut Thracia Bacche,
Cum stupet Edonis exululata jugis

Sed haec alterius erant loci fortasse. Hactenus ad tuas literas. Nunc corollarum loco habe alterum Petronii locum, si quid video, longe mendosissimum.

Talis Herculeâ Stymphalidas arte coactas
Ad caelum fugisse reor, poenaeque fluentes
Harpyias, cum Phineo maduere veneno
Fallaces epulae.

ita vetustus Cujacii codex, e quo Petronium *Scaliger* descripsit. Altera ejusdem membrana, *peneque ferventes*. scribendum videlicet, *pennaeque furentis Harpyias*. Nam quod alii ad aves Stymphali referebant, id nonnulli ad *Harpyias* ut pennas suas pro sagittis ejaculatae dicantur, inter quos & Hyginum, puto, & in hac ipsa Argonautarum cum Harpyis pugna Apollonius Rhodius. Sed de *Phineo veneno* quid demum sibi velit narratio, Mythologis omnibus intacta, me praeterit: Suspicor *veleno* exaratum fuisse pro *Celaeno*, unde *veneno* factum, ac reliqua interpolata. Scribendum forte.

Cum Phineam pavere Celaeno
Fallaces epulae.

Sic & Seneca in Tragoediis *Phineas aves* Harpyias vocat. Vale. Hagae Comit. CIↃIↃCLXXV. 10. Junii.

EPI-

EPISTOLA CCLXXXXIII.

THOM. MUNCKERUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

DE *Odopeta* vel *Oclopeta* ſane crepera res eſt. Interim ſatis certum de piſce, quicum venatori nihil negotii, nihil eſſe cogitandum. Inter varias conjecturas tuas palmaria eſt illa, & veriſimillima *Scolopacem* vel *Scolopaca*. Nemeſianus, vel quicunque alius eſt auctor fragmenti de Aucupio,

Praeda eſt facilis & amoena Scolopax.

Niſi poëta in ſyllabae modulo peccavit, ſcribendum in Ariſtotele & Heſychio σκολόπακες pro σκολόπαξ. Apud illum Hiſt. Anim. lib. IX. cap. 26. invenio etiam δικολόπακες. Corrigit Caſaubonus, δ σκολόπακες, vel δ σκολόπαξ. Sed lexicographi eandem avem σκολόπακα & δικολόπακα vocari credere nos volunt, unde acceperint, ipſi viderint. *Ocypoda* ſubſtantive, ut loquuntur Technici, nuſquam vidi uſurpari. In Plinio invenio lib. X. cap. 63. *Superfoetant daſypus & lepus.* Daſypus ibi ſine dubio illi eſt cuniculus. Sed male Daſypodem a lepore, qui & ipſe daſypus eſt, diſtinguit. Bene enim, ᾗ γ' ἐμὲν κρίσις *Bodinus* ad Opp. Cyneg. pag. 100. Daſypoda genus, ſpecies λαγωὸν & κόνικλον facit. Sit igitur Petronio *Daſypus* cuniculus, ne in tam opiparo convivio nimis ruſtice bis lepus apponatur. De *quiſquis* idem mihi, quod tibi, veniſſe in mentem vehementer gaudeo. *Quid ille alter?* &c. Non dubito, quin omnes docti ambabus heic ulnis amplexuri ſint emendationem tuam. *Edono gurgite* nil fieri pote elegantius. Pulcherrima eſt antitheſis inter profundiſſimum mare & ſummum verticem. In Corollario ignis videtur ſuppoſitus cineri doloſo. Quamvis licet eaſdem eſſe Stymphalidas & Harpyas, neſcio quo auctore, ſcribat Natalis, nec dum tamen pennas ejaculaſſe Harpyas apud antiquos invenire quitus ſum. Sin id conſtaret, ſtatim pedibus irem in ſententiam tuam. Cum ego iſtos olim verſiculos, ut vulgo eduntur, legerem, Virgilii illam *foedam ventris proluvienem* innui per *famem* putabam, & pro *Phineo* reponebam *Phineae*, ut uni ſubſtantivo more Graecorum duo adjungerentur epitheta. Sed haec nauci non ſunt. Tuam correctionem, *Phinaam pavere Colaeno* vel a Petronii ipſius manu eſſe, vel eſſe Petronio digniſſimam, negare ſuſtinebit nemo. Atque utinam Petronium aliquando Heinſianum videamus! aut omina me fallunt, aut nemo, niſi tu unus, reſtituet nobis illum ſcriptorem. ἡ ταῦτα μὲν ταῦτη. Quam tibi me hac tam benigna ac quaeſita noſtra reſponſione obſtrinxeris, quam gratas meminerim gratias, & ſimilia, quae ab iis dictitari ſolent, qui ſolvendo non ſunt, cum totum tibi addixerim, prudens omitto. Syndicus noſter jam biduum eſt, cum in urbem rediit, & fratris procul dubio, quas ad aedes ejus deferri curaveram, accepit literas. Multum ampliſſimum Senatorem apud fratrem poſſe neceſſe eſt. Sed Heinſianum nomen quin plus valiturum ſit quis dubitet? Ut coram cum illo de negotio noſtro agas, tametſi efficacius futurum videatur,

cum

cum per epiſtolium confici poſſit, rogare non audeo. Summa petitionis meae huc redit, ut convictores meo relinquantur arbitrio, nec ex illis apud Delphenſes pendeat exiſtimatio mea. Si quis interim ex civibus mihi committere voluerit puerum, recipere illum in convictum & diſciplinam non gravabor. Id modo, ne exterorum quemquam, niſi ſi vel docti viri filius, vel aliqui generoſae indolis ſit adoleſcens, admittere cogar, obtineam. Specioſus erit color, ſi apud noſtrum jacias, profuturum me aliquando plus publico ſcriptis meis, quam convictoribus alendis. Revocandum eſſe antiquum morem, quo ante illum lucripetam, cujus in locum ſurrogatus ſim, ab iſto onere ſemper Collegii Moderator (eſt & hic, ne neſcias, inter meos titulos) fuerit immunis. Prorectori, ne Rectori geminaretur labor, datas fuiſſe illas partes. Denique uxorem mihi eſſe valetudinariam, nec ad ipſas moleſtias ſufficientem. Atque haec ſunt, vir illuſtris, quae pro cauſa noſtra dici poſſunt; ex quibus tu ex ſeligas velim, quae maxime videbuntur praegnantia. Ita vale, & diu vive bono publico. Delphis Bat. a. III. Idus Junias Anno CIↃIↃCLXXV.

EPISTOLA CCLXXXXIV.

NIC. HEINSIUS

Thom. Munckero.

Delfos.

REcte omnino es arbitratus, vir litteratiſſime, proceſſurum negotium feliciorem utique in modum, ſi coram viva voce commendetur ampliſſimo *Kinſchotio*, quam ſi per epiſtolam id fiat. Jamque ad vos procraſtinationis omni repagulo amoto me conferrem, hoc acturus omni ſtudio, niſi eſſent oblata praeter exſpectationem, quae me ad Leidenſes evocarent ſub hanc veſperam: unde cis biduum triduumve reverſurus rebus tuis curandis nihil habebo antiquius. Aderit interim redux e Zelandia *Kinſchotius* Senator, quem ſuccenturiaturum non ocitanter hîc nobis audeo polliceri. De *Scolopace* conjecturam meam haud improbatam abs te eſſe, viro in hiſce litteris perſpectae mihi ſagacitatis ac induſtriae, eſt ſane cur impenſe laeter. *Oclopacem* vel *Oclopecam* turbato nonnihil litterarum ordine videtur dediſſe primo feſtinans librarius, omiſſa, ut fit, prima littera ad vitandam ſoni durioris aſperitatem, unde poſtea *Oclopeta* & *Odopeta* ſunt enatae. Sic *Mylax* pro *Smylax*, *Myrrha* pro *Smyrna*. & mille talia; *Molus* pro *Tmolus*, *Marus* pro *Tmarus*; quomodo vetuſtiſſima exemplaria apud Maronem: quem bis eo in vocabulo caſtigavi. De Harpyjis pennas ſuas ejaculatis agit puto Apollonius Rhodius libro II. in Phinei hac ipſa fabula, & Hyginus fab XX. ita video in ſchedis meis annotatum: certe ad conjecturam illam *pennaeque furentis Harpyias*. Tu utrumque ſodes conſule, quando neuter horum mihi nunc eſt ad manum. *penna furens*, quomodo *enſis furens* & *bellum furens*; Poëtis uſitato loquendi modo, de quo nos plura ad Silium Italicum annotabimus. De Hyſtrice Claudianus, *Tantus in anguſtum ſtrepitus furit*. videlicet dum pennas ejaculatur. *τὸ ſanie*, commentum eſt criticorum, nec comparet in ſcriptis auo vetu-

vetuſtae editionis libris, qui *paene* aut *pene* ad unum omnes. Volebam olim *pennaeque fluentis Harpyias*. Sed praeſtat alterum. Vale. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXV. XII. Junii.

EPISTOLA CCLXXXXV.

THOM. MUNCKERUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

NUllibi repertas a me penuas ejaculantes Harpyias nuperius cum ſcriberem, vir illuſtris, jam conſulti a me erant Apollodorus & Hyginus. Πτεροβόλους, ut ita loquar, Stymphalidas uterque, non Harpyias facit, neuter, ut Natalis, cum Stymphali avibus confundit. Inſpice Hygini cap. 19. & 20. Apollon. pag. 171. 184. 249. Edit. Elzevirianae. Hyginus in hac narratione de Stymphalidibus mirificus eſt. Cap. 20. *Ex inſula Dia haſtarum & clypeorum ſonitu ab Argonautis fugatas* ſcribit. Atqui inſula illa non Dia, ſed Aretias erat, ſi credimus erudito Apollonii Scholiaſtae ad verſ. 384. & 1092. lib. 11. Capite autem 30. *ab Hercule ſagittis in inſula Martis interfectas memorat*. Apollonius, quem alias ſequi ſolet, longe aliter; non interfectas eſſe, ſed crotalis ex Stymphalio lacu fugatas. Deinde *inſula martis* eſt *Aretias*, Ἄρεος νῆσος etiam Apollonii Scholiaſtae: verum ibi non Hercules, ſed Argonautae his cum monſtris ſunt congreſſi. Ut in multis aliis, & heic Hygini requirimus diligentiam. Certe complures iſtiuſmodi Hyginianas mittere tibi poſſem ἀνεσφηλίας, ſi vel is ſcriptor tua eſſet dignus cenſura, vel res mei pudoris iterato fatigare humanitatem tuam. Reſervabimus haec alteri, quam horis ſubſecivis paro, fabularis iſtius hiſtoriae editioni. Ut dies docere diem ſolet, non pauca jam mihi in mundo ſunt, quibus priores commentatiunculae noſtrae multo & meliores poſſint fieri & auctiores. Unum hoc te rogem ſinas de ſtylo & aetate Hygini quid cenſeas. Non optimi eſſe aevi ſcriptorem, nec epitomiſtam ejus propemodum mihi certum. Cl. *Schefferus*, ut noſti, in Hygino quis ſtylus vere ſit humilis & plebejus, apparere nobis contendit. Qui quaeſo magis, quam in Servio, Lutatio, Scholiaſte Germanici? humilem novi ſtylum Terentii, Nepotis, & Phaedri: ſed quam longe Hyginus ab optimo aevo, tam longe illi ab Hygino abſunt. Tamen ita loquebatur plebs Antoninorum tempore. At plebs rudis & literarum expers, quae ita ſoloeciſſabat, non iis de rebus, quae ad humanitatis pertinent ſtudia, ſcribebat libros. Plebeitatem vocat, quam ego ſtribliginem. Cur illam ergo exemplis illorum, qui circa Antoninorum tempora vixere, non adſerit. Potuiſſe hoc fieri dicet forſan, ſi aliorum plebejorum, qui iſto aevo ſcribillabant, opuſcula ad nos perveniſſent. Hoc quidem divinare, non probare eſt. Cur verbum non facit de verſiculis Prudentii, ita ut in *Miſylli* editione comparent, a me adductis? An hoc jam occuparat *Morellius*? Non licuit mihi hactenus videre ejus editionem. Sanctandreanam, quam nunc demum nactus ſum, illos omittere deprehendo. Non poenitet me tamen ju-

dicii, quod de iis, etsi omnibus antiquis editionibus destitutus, & sola ductus divinatione, in publicum dedit. Censurae doctorum aliae, quas de Hygini fabulis profert Cl. *Schefferus*, contra ipsum stant. Ut alios omittam, *Stolger* ex Graeco conversas esse, *Barthius* ex variis Mythologorum libris consarcinatas autumat. Graecos fuisse Mythologos, unde maximam partem conservata sit haec congeries, suadere videtur stylus, & passim occurrentia Graecanica vocabula. Utrum vero Hyginus ipse, cum non paucae periocpae ex hoc scripto in aliorum visantur commentariis Latinis, versionem instituerit, an vero alii, unde sua excerpsit, est cur dubitare possis. Quoniam adhuc chartam supersesse video, lubet adjicere aliquid de illis *gastrarum fragmentis*, quae ut olim sociorum Eumolpi pedes, ita nunc criticorum vexant cerebrum. *Giaretarum* alii, alii *Grumorum* reponunt. Ego nihil puto mutandum in illa voce. γαῦλοι & γάστρη vasa ventricosa sunt, a γαστὴρ sic dicta. *Gastrum* vas aeneum angusto fundo in glossis Arabicolatinis exponi invenit *Vossius*. Verum non ad aenea tantum, sed & fictilia extendendum hoc esse vocabulum, vel ipse Petronius docere nos potest in Fragm. Trag. cap. LXX. *Notavimus ostrea pectinesque e castris labentia*. Rescribo indubitanter, *e gastris*. Amphoras modo appellaverat. Sed pro *eminentium* existimo scribendum *eminentia*, & locum totum ita constituo: *per omnes scrupos gastrarumque eminentia fragmenta*. Quando tanta est benignitas tua, ut mea causa huc venire constituas, faciendum videtur, ut de hora adventus, ne in quaestione sit, ante fiat certior Syndicus noster. Amplissimo Senatori jam nunc testor aeternum me devinctum. Gratias ipsi postmodum agam per epistolium. Vale multum, vir illustris, & tueri perge hoc mancipium tuum. Delphis Batav. a. d. XVII. Kal. Quint. Anno CIↃIↃCLXXV.

EPISTOLA CCLXXXXVII.

NIC. HEINSIUS

Thom. Munckero.

Delfos.

NOndum e Zelandis redux comparet inter nos *Kinschotius* Senator, vir praestantissime, qui tamen abesse diutius hoc triduo vix potest, si quas mihi discedens ipse exposuit, profectionis hujusce causas satis habeo perspectas. Mihi quoque eras ad Leidenses meos necessaria de causa erit redeundum. Veneris igitur die proximo aut Saturni ad vos me conferam, ut res tuas pro virili Syndico vestro commendem, modo nequid is pedem Delphis interea moveat. Poteram & alios compellare, in primis *Bleiswicium*, sed & ille abest a vobis frequentissimus, & unus instar omnium mihi *Kinschotius* est tentandus, si tantum velit pro me, quantum se velle non semel est professus. Cum Hygini & Apollonii loca investiganda de Harpyiis Petroniano margini adlinebam, hoc volui haud dubie, fabulas Harpyiarum & Stymphalidum confundi, ut & hae Argonautis ac Phineo negotium exhibuisse sint creditae. Tibi interim, cui copia librorum nunc est in promptu, pro fide atque erudita admonitione est quod gra-

gratias debeam peringentes. Apud Hyginum multa occurrere parum Latina, & faecem ſequioris aevi redolentia, diu eſt quod deprehendi, tum in ipſa fabularum narratione a ſemet illum diſſentire haud raro. Unde liqueat interpolatum eſſe non una ab manu, poëtarum Scholiaſtas praecipue ac Mythologos Graecos compilante: ſic Arati Scholiaſten Graecum memini videre donatum Latinitate in membranis Germanici Caeſaris Arateorum Puteanae bibliothecae perantiquis. Certe ſi ſcripſit, uti nunc circumfertur, Hyginus ille, quicumque is tandem eſt, vix ad Theodoſii Junioris aſſurgit tempora; ſed cum & Servius, & reliqui Poëtarum commentatores adeo mutilati interpolatique ad nos pervenerint, ut vix umbram ſuimet ipſorum circumferant, potuit & Hyginus id ipſum fati ſubiiſſe. De *Gaſtris* in fragmento Traguriano reponendis pro *caſtris*, diu eſt quod in codice meo annotavi, & *Gaſtrarum* (nam ita quoque codex Scaligerianus) *fragmenta*, adverſus Gronovium *teſtas* reponentem, defendi, qui & male alterum tentabat locum a Trimalchionis coena, ubi legendum eſt e veſtigiis libri Tragurienſis, *poſtquam omnia textorum dicta conſumpſit*. Loquitur de ipſo Trimalchione, qui dicteria omnia, quibus textores, faex plebis, uti aſſolent, inter ludendum conſumſerit. Vale. Hagae Comitum XVIII. Jun. CIↃIↃCLXXV.

EPISTOLA CCLXXXXVII.

THOM. MUNCKERUS

Nic. Heinſio.

Nazam.

SPem de ſtudiis noſtris aliquam concepiſſe te, vir Illuſtris, cum antehac non ſemel ex *Ryckio* noſtro, tum nuperius etiam *Mareſio* intellexi. Contra quam alias fieri aſſolet, pudor me ſimul & gaudium, ut audivi, cepere. Ut humanitate tua in ruborem datus ſum, ita εὐφημίᾳ iſta animus demiſſus non parum mihi erectus. Sed utinam in Hyginiana opella melius dediſſem praeludium! deproperata pleraque in ea & minus exacta. Quaeſo dones hoc frigori, quo me ferit fama, ſcriptorem illum narrans jam a Cl. *Schefferо* occupatum. Quod ſi mihi ὁ κρόνος tam diu ſupereſſe voluerit, donec διντῆραι dem φροντίδας, ſpero fore, ut melius liceat. Nam ut nemo melius novit, quam tu, ipſum adhuc illud ſcriptum Augiae eſt ſtabulum. Nunc me habet totum Antoninus Liberalis, quem noſtro commentario inſtructum ſuis typis excudere coepit Amſtelaedami *Waesbergius*. Unum in eo locum cap. 31. offendi, in cujus explicatione non admodum mihi ſatisfacio. τὸ δὲ περὶ τὴν ἐντὸς ἢ τὰ ἐγγύτερα πυκτίων. Quo de loco ſi mihi tuas cogitationes miſeris, rem hominibus elegantibus perfeceris gratam. Deinde illud ἔρεσσεν Cap. 41. ut pote plane Jonicum, non ſatis concoquo, & mutatum vellem in ἤρεσσεν. Quid tibi videatur, noli invidere tyroni, qui te in paucis colit & admiratur. Interim, ſi quid hac ſcribendi licentia peccaverim, tuam facilitatem in cauſa fuiſſe ut credas, & tibimet ipſe ignoſcas, oro quaeſoque. Quamvis licet ſaepius me, ut tandem aliquando te

compellarem, hortatus ſit Cl. *Ryckius*, & ipſemet non parvas ob cauſas impenſe id cupiam, impetrare tamen a pudore meo hactenus non potui. Reſponſum unum ad has quaeſtiunculas, ut propius tuam adorare purpuram audeam, mihi pararii vice erit. Vale multum, ſeculi noſtri Decus, & diu vive. Delfis Batavis a. d. XIV. Kal. Quintiles Anno CIↃIↃCLXXV.

EPISTOLA CCLXXXXVIII.

NIC. HEINSIUS

Thom. Munckero.

Delfis.

MInimum medius fidius abfuit, quin re longe gratiſſima exoptatiſſimaque fraudatus forem, hoc eſt compellatione tua, dum in illa oppidi parte iiſque in aedibus me quaerit tabellarius, quas inhabitatas olim ante hoc triennium deſerui, vir praeſtantiſſime. Revocavit tamen aberrantem neſcio quis bonus Genius, & ex amicis nonnemo commodum ſuperveniens, qui quomodo curari literas oporteret, demonſtravit ignaro. Ceterum ex iis, quae ad Hygini fabulas annotata publico proxime dediſti, quantus eſſes in re litteraria, perſpectum habui abunde: ut jam ignorare non poſſim, quid de tuis ad Antonini Liberalis Metamorphoſes animadverſionibus ſperari a nobis par ſit. Nec defuere, qui ſpem mihi fecerunt, de non paucis perpulchrum in modum abs te obſervatis ad Epigrammata veterum Poëtarum Latina: qua in palaeſtra cum & ego nonnihil deſudarim aliquando, propius me tibi ipſa hac ſtudiorum ſocietate conciliari agnoſco. Nec patiar elabi occaſionem oblatam, familiarius uberiuſque tecum hiſce de rebus diſſertandi, ſi non gravaberis ad nos quandoque excurrere, dum ſedem hoc in oppido, tam propinquo vobis, figendam mihi propono. Quae quidem opportunitas in longum proroganda vix videtur: cum thermas Germanicas ſub exortum menſis proximi adeundas valetudinis cauſa voto ac deſtinatione praeſumam, poſt expeditas, quae me hactenus hîc morantur, ſupra re privata occupationes. Antonini Liberalis Metamorphoſes ſi in promptu nunc eſſent, poſſem fortaſſis nonnihil lucis adferre locis hiſce, in quibus te caligare ac haerere aſſeveras. Quamquam quid ego poſt te Roſcium huic ſcenae me committam! ſed relictis ruri libris omnibus, etiam Antonino hoc Liberali, quà nuperae, qua Xylandrinianae editionis, ſymbolam conferre vix auſim, niſi temerarius plane & inconſultus, ὕρνεον pro ὄρτυγα ſcribendum tamen in altero loco eſt cur tibi accedam. De altero deliberandum amplius. Vale, vir clariſſime & mihi velle, ut coepiſti, perge. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXV. a. d. XI. Kal. Quinctil.

EPI-

EPISTOLA CCLXXXXIX.

THOM. MUNCKERUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

TAndem aliquando ſegni typographo paene conviciis extorſi noſtrum Antoninum. An aliquod operae fecerim pretium cum denuo publicando, ubi hanc editionem cum illis, quae antehac prodierunt, contuleris, tu judicabis, vir nobiliſſime. Niſi proprii me foetus amor occoecat, videor illum non paucis in locis ab iniquis aliorum cenſuris vindicaſſe. Libuit interdum etiam paulum exſpatiari, ut, ſi opera noſtra in Antonino leviuſcula forte videretur, eam in aliis lectori approbaremus. Ad ſummam; ne plane paedagogicum olerem paedorem, virum me feci magnificum, & ſtudui quaſi criticus loqui. Nec id, credo, reprehendes, cum ſtultiſſimum eſſe ſcias, non optimos imitari. Populum & ſuffenos, qui hoc tantum, quod ipſi faciunt, rectum putant, cum ſapientiſſimo viro Diogene κρόμμυα ἐσθίειν libenter jubeo. *Heinſio* modo placeam, ſat habeo. Si vera eſt fama, ſtylum in me ſtringere minatur ὁ δᾶνα. Sed modeſtiam noſtram ubi viderit, facile a ſe impetrabit, ut eum condat. Certe ſi ſapiet, malo cavebit. Jam viſa eſt ratio, qua pulcre me poſſim ulciſci. Ut interdum ab aliis diſſentiam, unius veritatis amor me cogit. Nec, quod erraverit, cum id ſummis quoque viris nonnunquam accidat, ideo aliquis mihi vilior. Τὸ γὰρ μηδὲν συνάλλως ἁμαρτάνειν ἴδιον Θεοῦ. Monſtret mihi alter eadem, qua ego heic uſus fui, modeſtia errores meos, gratias meminero gratiſſimas monitori. Nunc accingo me abſolvendo commentario, quem ante annos aliquot in Catalecta, quae *Pithoeus* orbi literato dedit, auſpicatus ſum. Etſi non tam ſum ſtultus, ut omnes, quae adeo denſae congeriem illam occupaverunt, ſublaturum me inde mendas confidam; ſpero tamen fore, ut operam non inutilem juventuti navaſſe, certe lectionem ejus reddidiſſe faciliorem, videar. Subſidiis nonnullis iſtum conatum noſtrum adjuvare ſi dignatus fueris, caeteris beneficiis tuis, quibus aeternum me devinctum tenes, non parvum addideris cumulum. Vale multum, vir nobiliſſime, & favere perge clienti tuo. Delphis a. d. VII. Kalend. Novembrib. Anno C. CIↃIↃCLXXV. Alterum ex libellis his nobili Senatori *Kinſchotio* rogo tradendum cures. Vehemens febris, quae heri ſub veſperam me corripuit, quo minus ſcribere nunc ad ipſum poſſim, in cauſa eſt.

EPISTOLA CCC.

NIC. HEINSIUS

Thom. Munckero.

Delfos.

AMstelaedamo redux, quo ante paucos conceſſeram dies, Antoninum Liberalem hic inveni, tuis animadverſionibus pulchérrime illuſtratum, vir clariſſime, quem munus ad me pervenire voluiſti. Agnoſco facile ex hoc foetu, uti & jam ante tuo ex Hygino, ut linguae utriuſque, ſic antiquitatis univerſae, Mythologicae in primis cognitione prorſus intima, egregie te inſtructum eſſe. Quapropter injurius omnino futurus in tam praeclaras dotes, quibus te publico bono unice cumulatum Deus voluit, ſi a coeptis auſpicato lucubrationibus interquieſcas poſthac, nec pertexas ea, quae hujus generis complura a te nobis exſpectanda ſcimus. Quo magis indignor, nondum impetrari poſſe ab avocamentis hiſce diuturnis, quae me ab omni ſeria cogitatione indignis modis jamdudum divellunt, ne ea animi contentione, quam ſcripto tam pererudito deberi intelligo, lectioni ejus totus incumbam. De paranda veterum Epigrammatum nova poſt *Pithoeum* editione quod cogitas, laudo equidem approboque vehementer inſtitutum, quod in nonnullis forſan foveri atque exornari a me poſſit. Ceterum cum multae diſſertationis id omne ſit negotium, deque compluribus monendum te habeam, quae parum commode hac epiſtola complectar, in congreſſum noſtrum hunc ſermonem differamus praeſtat. Exemplar libelli tui jam oblatum eſt a me Ampl. *Kinſchotio*, qui te multa gratiarum actione impertit benignum oppido in modum. Vale, virorum praeſtantiſſime, & bonum commune litterariae rei porro, in coepiſti, cura. Exarabam Hagae Comitum Nonis Novembrib. CIↃIↃCLXXV.

Antonino tuo ſic delinitus ſum ac adfectus, ut exemplar ejus cum aliis libellis, quos in hanc rem habeo paratos, in Gallias ad *Emericum Bigotium* praeſtantiſſimum virum mittendum mihi proponam, aliud itidem mittendum ad *Carolum Datum* veterem in Etruria amicum.

EPISTOLA CCCI.

THOM. MUNCKERUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

QUod here in literis ſcribendis valde te animadvertebam occupatum, interpellationis meae ut ipſemet damnavi tacite impudentiam, ita tu eam ut ignoſcas oro quaeſoque. Attuleram [1] *Betuleii*, & ὁ δένδρα, nominis Heinſiani in primis ſtudioſi, libelli cujuſdam mythici editiones, ut, quam iniquum in tam aequum agere inſtitueret ille cenſorem, tibi oſtenderem. Cum praeter duas

1. *Ab. Berckelii*: Betula enim noſtratibus *Berkboom* dicitur.

duas aut tres ad ſummum nullam, niſi vel falſam, vel errati ſolummodo typographici dediſſet emendationem *Batuleias*, non improbe facturum ſe exiſtimabat ἐ δᾶνα, ſi opuſculum illud ut utiliſſimum, ita peſſime habitum denuo publicaret. Quae haec invidia, vir maxime, immo quae tyrannis eſt? ergo non licet ulli, etiamſi modeſtiſſime id fiat, ullum attingere ſcriptorem, ad quem alter aliquid ſit commentatus, niſi ut conviciorum eum maneant plauſtra? Hoc eſt revera, ut recte cenſes, *literis* plus ſatis hodie ſpretis majorem adhuc conciliare vilitatem. Qui ad Rhenum haec ſtudia profitentur, quam de iſtius hominis conquerantur maledicentia, non puto, ignoras. Cur ergo non dedit jam pridem illis poenas? Hoc ipſo primum, quo laedit, tutus eſt, maledico, inquam, iſto ore, deinde contemptu. Ne tamen diutius juventuti, apud quam magnificum ſe facit virum, imponeret, perſonam ei ſuam aliquatenus detrahendam putaſſe ἐ δᾶνα, non fore quenquam, quin probaturus ſit, facile mihi perſuadeo. Quos his literis adjunxi libellos, eos rogo illis muneri mittas, quos vel in Italia vel alibi literarum noveris amantes: & ante omnia, ut *Bleiſvicio* de meliore nota hunc hominem commendes, ubi te convenerit. De epigrammatum veterum editione quae monuiſti, faxo in memoria habeam. Sed haec de re alias plura, ſimul rediiſſe ad Bibliothecam intellexero. Amici noſtri epiſtolium, ut, quo praemio remuneretur modeſtia, videres, una cum hoc faſciculo ire ad te juſſi. Vale multum, unicum litterarum decus. Delphis ipſis nonis Decembrib. Anno CIↃIↃCLXXV.

EPISTOLA CCCH.

NIC. HEINSIUS

Thom. Munckero.

Delfis.

IN litteris exarandis nonnihil occupatum, quod me nuperius deprehendebas, eſt ſane cur id ego deprecandum anxie ducam. Tu cur excuſes, nihil equidem rationis video. Quod niſi in Italiam deſtinatae fuiſſent illae litterae, ut poſtero mane Amſtelaedamum perferri eas oporteret, non dimiſiſſem profecto e manibus tam bellam occaſionem tecum pluribus colloquendi, vir Clariſſime, quod feci mehercules perquam invitus. Quando non grave erit tibi ad me inviſere in poſterum, excludam & procul arcebo avocamenta quaevis, ut te fruar longius. E binis Antonini exemplaribus ad me miſſis alterum, ſi per te licet, in Etruriam deferri curabo ad *Carolum Datum*, alterum ad *Emericum Bigotium* in Gallias, utrumque artium bonarum peramantes, atque hoc ipſo tuae eruditionis, ne dubita, multum ſtudioſos. Non deeſſe apud Leidenſes meos, qui viſus ſit ſuccenſuiſſe tibi quodammodo ob repetitam Antonini editionem, noli quaeſo altius ad animum tuum revocare. Jam enim inter res quotidianas, atque utinam minus frequentes, id genus jurgii inter homines litteratos, quod ignorare non potes, numeratur. Ego, ſi poſſum, hunc impetum animi concitati in tuo adverſario ſufflaminare nitar. Etſi non is eſt ille, qui me in conſilium

ſo-

ſoleat adhibere. Sin perſiſtet in propoſito, tuae ſapientiae ac moderationis erit, cogitare victorem haberi apud homines probos in hoc certamine, qui maledictis vincatur. Nequid ad haec arma tibi ſit confugiendum, abunde praeſidii habes in nuda eruditione tua, qua retundes inſultum omnem. Ampliſſimus *Bleyſvicius* cum a me convenietur, tui ne obliviſcatur curae habebo. Vale, vir doctiſſime, & mihi, quod facis hactenus, in poſterum velle perge. Hagae Comitum VIII. Decemb. CIↃIↃCLXXV.

EPISTOLA CCCIII.

THOM. MUNCKERUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

QUod minus proſpera per hoſce dies uſus es valetudine, vir nobiliſſime, ita valeam, ut ex animo doleo. Recreavit tamen anxium animum non parum *Boſchius* noſter, qui here jam meliuſcule habere te coepiſſe mihi narravit. Quod ut magis atque magis, & diu poſſis, illum veneror, qui ſalutis noſtrae fons eſt unicus. Tametſi plane nec ego nunc temporis ex voto valeo, facere tamen non poſſum, quin de illis, quae ſane quam docta & ingenioſa in Fragmento illo Traguriano me docuiſti, eas tibi gratias agam, quas debeo, id eſt, immortales. Vere Petroniana omnino παρ' ἱμοίγε κείτῃ ſunt, Cap. 45. *hyacinthus*, *burdibatta*, *de ſilicernio equites*, *ad aſſem ſecuerunt*, Cap. 46. *in nave morboſus eſt*. *Morboſus* enim παθικός, ut recte exponunt vett. Gloſſae. Suſpicatus & ego ſum leviter, *in nates morboſus eſt*. In qua tamen conjectura expolienda quo minus perſeverarem, faciebant, quae ſequuntur, *carduelis*. Jam illa Cap. 43. *malam parram pilavit*. proverbii habere ſpeciem, vides & mihi veniſſe in mentem. Quid ſi ſcribas? *mala eum parra pilavit*. hoc eſt, initia parum auſpicata illum deſpoliarunt. Sed iſta, Cap. 42. *mulier quaeque mulier*, *milvinum genus*. Duplex praeferre adagium mihi videbantur. Nec forte inſulſe dixeris, *mulier quaeque mulier*, *milvinum genus*. Sententia eſſet, πᾶσα γυνὴ κακὴ, & milvinum genus. Tale illud eſt, Cap. 63. *ſimia eſt ſimia*. *ſtrigae ſtridere coeperunt* non diſplicet. nec diſpliceret tibi, *ſtrigae ingruerunt*, niſi longius a vulgata ſcriptura recederet. Ibidem ex *Vavatone* feci *homuncionem*, ex *manuciolo homunculum*, an, te probante, ſcire deſidero. Barbare loquentes induci de induſtria Trimalchionem & ejus collibertos, omnino tecum ſtatuendum, ne quis cum Patavino editore miretur, Cap. 44. *Futiles aediles male eveniat*. Quanquam non improbet quis forſan, *ut iſti aediles male eveniat*. Elegans enim particulae *ut* in deteſtando uſus. Quod lecturum me cum cura fragmentum illud ſcripſeram proxime, id ut inſtituiſſe jam videas, examinanda tibi mitto paucula, quae hac hebdomada in eo notabam. Cap. 37. *lupatria providet omnia*. legerem libenter, *lupula ei providet*. Cap. 38. *Tanta eſt animi beatitudo*. melius, *homini*. Aſpirationes noſti frequenter omitti in MSS. *Lacte gallinaceum*. lego, ſi mutandum quid putes, *lactem gallinaceum*, invenitur Cap.

71.

71. *Unum lactem* pariter barbare. *Unum lacte* dicendum erat. cap. 39. *ſicut ille fericuluſta.* lego, *ſicut ille ferculus ſtatim mihi dabit praxim.* Illud *ſicut* accipio, ut *tanquam* in editis cap. 118. *Tanquam, ſi placet hic impetus.* Cap. 41. *Pataracinam.* lego, *pateram vini*, & Ibidem *cum ſummam coenam vindicaſſet.* malim, *ſummam coenae.* hoc eſt, *caput coenae fuiſſet* quamquam & illud tolerabile. Cap. 44. *neſcio quid aſia dis.* an ſcripſit, *ſiccitatis*, vel *aciditatis.* Cap. 45. *Centonarius.* Ita puto dictum, qui centones vendit, ut *ſcrutarius*, qui ſcruta. Ibidem *Dominam ſuam delectaretur.* ita infra Cap. 64. *nihil nos delectaris?* male haec mutarunt. Cap. 47. *ſua re cauſa facere.* Eandem locutionem infra quoque uſurpari deprehendi. Malim, *ſuae rei cauſa*, ſic ſane melius expreſſero, *facere quod te juvet.* Ibidem, *ſpero jam ventrem pudorem ſibi imponit.* lego, *ſpero, jam venter pudorem ſibi imponit. ſpero*, eſt, *ut ſpero.* Ibidem *ne jovis poteſt.* malim, *nec jovis.* Cap. 49. *Rogamus, mittes.* lego, *rogamus mittas.* Cap. 50. *Argentea corona.* lego, *argenteam coronam.* & mox *niſi quis Corinthum habeat.* Concinnius foret, *niſi quod Corinthus habeat.* Cap. 51. *Ignoſcetis mihi quid dixero*, lego, *quod dixero.* hoc eſt, *donabitis mihi*, vel *dabitis.* mox *certe nolunt. Caeteri nolunt* praeferam. quanquam videtur deeſſe, *etſi* vel ſimile quid. Cap. 52. *Patronorum meus* Puto fuiſſe, *Patronus mihi meus.* Cap. 53. *Reliqua animalia cromaticas* &c. An legendum, *Reliqua omnia talia acroamata nugas meras eſſe?* Cap. 54. *Periculo aliquid cataſtrophae quaereretur.* Corrigo *ferculo.* Non uno loco *periculum* pro ferculo dedit librarius. Cap. 57. *peduclum.* lego, *pedunclum*, ut *offla* pro *offula* in ſequentibus. Paulo poſt. *Hac illac tamen.* malim, *huc illinc tamen.* Mox *Hircus inervilia.* Non abſurdum videtur, *hircus Mercurialis.* Niſi enim memoria mihi imponit, cum hirco aliquando pingebatur Mercurius. Longius recedit, *in ſterquilinio.* Cap. 58. *Si quid vis tu* &c. Hic locus ſic, puto, reſtituendus eſt: *Si quid ſcis tu, & ego. Sponſiunculam, ecce, defero. Jam jam ſcis* &c. Paullo ante, *Bene nos habemus aut iſti.* lego, *bene nos non habemus.* Deinde, *Ita bene moriar, aut populus.* lego, *ut populus.* Cap. 59. *modo verſa, modo ſupina.* lego, *modo verſo, modo ſupino.* & refero ad mucronem. Cap. 60. *Reſpiciens ad menſam.* lego, *reſpicimus. Sacrum eſſe periculum.* lego, *ferculum.* ſimile, imo idem vitium notavi Cap. 54. *Conſurreximus altius.* malim, *ocyus.* Deinde *& ipſius mappas implevimus.* lego, *& ipſi mappas* Cap. 61. *pulcherrimum baccibalium.* an, *pulcherrimam culcitellam?* dein, *corporaliter autem* &c. Puto legendum: *Sed ego non mehercules corporaliter illam aut propter res venerias curavi, ſed magis, quod, ita bene moriar, ſi quid ab illa* &c. Cap. 62. *Scruta ſcita.* Poſterius vocabulum videtur a gloſſa eſſe. *Scite*, quod volebat Schefferus, non placet. *Mihi in animo, in naſo eſſe.* Procul dubio legendum, *mihi anima in naſo eſſe. Et mata vita tau umbras.* lego, *& tanquam vivus umbras cecidi. Per bifurcum volabat.* Malim, *per frontem defluebat*, niſi per *bifurcum* intelligit crura. *in larvam intravi.* lego, *ut januam intravi.* Cap. 63. *Introverſus.* malim, *intro reverſus.* Cap. 67. *indecens imam rubore.* Malim, *incidens.* Cap. 68. *Sicut Venus.* malim, *ſic ut Venus.* Cap. 71. *Faciatur, ſi tibi videtur, & triclinia.* lego, *faciantur.* Cap. 72. *vero, vero.* lego, *ego vero.* Cap. 74. *dum benatus ago.* an *bonus eſſe ſatago?* Cap. 75.

ut effrangeret. lego, *ut se frangeret*. *Fulcipedia*. Non male heic quadraret, *valpis uda*, nisi jam in praecedentibus illud convicium habuissemus. *Ego tamen & ipsimae dominae satisfaciebam*. lego, *ego tamen & ipsimo & domino*. *ipsimus* nomen esse κύριον videtur. vid. Pag. 50. Cap. 76. *Quod dii volunt*. malim, *quomodo dii volunt*. Sed haec hactenus, quae, sat scio, ignoscenda tibi potius quam cognoscenda videbuntur. Sunt enim deproperata pleraque omnia & intra biduum quasi sub manu nata. Vale multum, illustris Heinsi, & vive nostri memor; sed tunc praesertim, cum aliquando ad bibliothecam tuam redieris. Vacillantes literulas rogo infirmitati nostrae imputes. Erimus alias diligentiores. Scripsi Delphis Batav. a. d. XII. Kal. Januarias Anni CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA CCCIV.

THOM. MUNCKERUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

JOannes *Boscbius*, juvenis non Heinsiani nominis minus, quam literarum in primis studiosus, fecit ut denuo appellare te sustineam, vir illustris. Is nuperius ad me cum inviseret, Lactantii, an Lutatii Ovidianarum Metamorphoseon argumenta cum veteribus libris collata, si una cum Hygini fabulis publicare vellem, non difficulter a benignitate tua impetraturum credere me volebat. Ego vero ut nihil malo, quam emendatiora proferendo veterum ingeniorum monumenta aliqua prodesse publico, ita faveo vehementer huic spei, quae tam mihi ex improviso adfulsit. Quamobrem noli facere, ut ea nos fallat, mi patrone. Vix, puto, commodiorem nanciscì possis occasionem, praeter alios immortales labores tuos, etiam ista opella elegantiores literas demerendi. In Hyginiano commentario tantum jam profligavi, ut brevi typographium quaerere proponam. Locus est vexatissimus Hygini cap. 125. *Qui loton*, inquit, *ex foliis flore procreatum edebant*. varie corrigunt: *ex foliis florem procreatum: e foliis rore procreatum: ex foliis & flore procreatum*. Ego aliquando cogitavi: *ex trifolii flore procreatum*. Gloss. Vett. *Trifolium*, λωτὸι, τριφυλλον. Scio alios arborem fuisse velle. Sed Apostolius Cent. XII. 40. herbam facit. ad proverbium κατὰ ἰφαγις. Ἐστι δὲ πόα, inquit, τὸ λωτὸν, λέγει ἐμποιῶν τῷ φαγόντι. Scrupulosus & ille locus cap. 145. *Inde in Scythiam transnavit, unde Bosphorus fines sunt dictae*. Cl. *Schefferus* suspicatur, *Bosphori fines* &c. An rem acu tetigerit dubito. Nec placet nunc amplius, quod mihi antehac in mentem venit, *Bosphorus finis fuit dictus*. Doceas nos, si vacat, vir nobilissime. Hyginum ubi protuli, aliquid lucubrationis impendere Fulgentio fert animus, sed editionem ejus novam quo reddam commendabiliorem, videndum mihi prius erit, an dare ei comitem possim Anonymum illum mythologum, quem a *Vossio* possideri in notis ad Palaephatum docuit me *Tollius*. Quaeso consilio

me

me tuo hac in re adjuves. Nam impetrabili aliquo proxeneta niſi uſus heic fuero, ab heroe illo impetrare iſtum theſaurum videtur mihi fore ἐν τῷ ἀδυνάτῳ. Vale multum, & diu vive, unicum literarum decus. Delphis Batav. poſtridie Kalendas Majas Anno CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA CCCV.

NIC. HEINSIUS

Thom. Munckero.

Delfis.

DEbebas jam pridem rem omnem ex me didiciſſe, Munkere praeſtantiſſime, de Antonino tuo in Gallias ad *Bigotium* perlato, niſi frequentes ex urbe excurſus & valetudo, quibus obnoxium plus quam vellem me ſentio jam pridem, procraſtinari officium voluiſſent. Multa equidem proſecutus laude lucubrationem hanc tuam vir eruditiſſimus, gratiaſque tibi peringentes pro tam eximio munere, ut ſuo nomine agerem vehementer me rogavit. Exemplar *Carolo Dato* quod deſtinaveras, quoniam ille jam exceſſit e vita, in Germaniam a me mittetur. Hygino ſi & alios Mythologos Latinos a te recognitos ſubjunges, facies profecto rem utiliſſimam. De Lactantio ſive Luctatio, qui Naſonianas Metamorphoſes argumentis ſuis illuſtravit, edendo, cum & ipſe cogitarim aliquando, habeo nonnulla, quibus hoc acturus adjuvari poſſis. Admovit huic operi jam manus *Victor Giſelinus*, in editione Plantiniana Naſonis, uſus ea in re codicibus vetuſtis, uti prae ſe fert. Sed an bonis caſtigatiſque haud dixerim, certe multum diſcrepantibus a Lactantio. Sed de his melius inter nos agetur coram. Auguror interim fore, ut ante decurſum hujus aeſtatis, compoſita re familiari, quae me hactenus invitum avocat a ſtudiis, bibliothecam omnem excutiam, ac ſeponam tibi ea omnia, quae tuo inſtituto conductura judicavero. Fulgentii exemplar ſcriptum, ni fallor, ſervat bibliotheca Leidenſis publica. Multa ejuſdem reſtituit *Franciſcus Modius* in novantiquis lectionibus. Albericum auctiorem poſſidebat olim *Voſſius*, alium mihi Mythologum in bibliothecam ejus viſum haud recordor. *Trifolium* in Hygino recte omnino & erudite videtur a te reſtitutum. In altero loco quid ſi ſcribimus, *Unde Boſporus fines ejus ſunt dictae.* Ut velit Scythiam Boſporo terminari. Meliora fortaſſis darem, ſi liber eſſet ad manum. Vale, vir doctiſſime, & mihi velle perge. 15. Maii CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA CCCVI.

THOM. MUNCKERUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

NON alius aeque mihi laetus accidit nuncius, ac ille, quem nudius tertius Delphos apportavit *Boſchius* noſter de Hygini Aſtronomico cum

tribus MSS. collato. Agnoſco illam plane ſingularem, & jam toties ſpectatam liberalitatem tuam, vir nobiliſſime: agnoſco, inquam, ſed ita, ut interim, dum quam indignus ea ſim recogito, rubore ſuffundar non tralatitio. Hoc uno tamen conſcientiam meam conſolor, quod eum me eſſe ſciam, qui amore & obſervantia tui cum quîvis contendere auſim. Atque utinam huic pectori oculos inſerere poſſes, ut, quam omnium illud doctorum hominum, ceu totidem numinum, ſed Heinſii ante omnes, ſit reverens, videres. Diceres, quae tua eſt benignitas, ſi non alio, hoc certe nomine meritum, ut favore eruditorum non omnino indignus videri poſſim. Quo magis indignor, quod in hominem immerentem & omnium, qui literis cupiunt, in primis amantem, conviciis tot & calumniis invehi non dubitaverit Leidenſis ille Zoilus. Scilicet alia graſſari via non potuiſſe eum, qui etſi bonitate cauſae deſtitutus, qualitercunque tamen ab illo, a quo nullus erat laeſus, vindicare ſe praeſumſiſſet. In bibliopoliis noſtratibus non venit horribilis libellus iſte. Miſſus ad exteros dicitur, ut meliores induſtriae Berkelianae in iſta gladiatoria ſpectatores. Haec facto huic umbra praetexitur, quae quam ſpecioſa ſit, ipſe viderit. Ego certus ſum timere hominem vindicias; quibus tamen an uti conſultum ſit nondum ſtatui. In Hygini fabulis multus fui, & ut non ſpero tantum, ſed confido, non fruſtra. Praeterquam quod fabularum quaſi florum quoddam feci corpuſculum, & Hygino manus medicas pro mea ſapientia adhibui, etiam aliorum ſcriptorum ὡς ἐν παρόδῳ loca examinavi non pauca. Tanquam adhuc heri, cum Iſidori gloſſaria relegerem, adverterunt me illa: *Anilia, fatuitas, amentia. Anilita* reſcribit Swarthius Anal. lib. 11. cap. 12. & Gothice locutum Iſidorum cenſet. Ego verius putavi, *anilitas*. quod Catullianum noſti eſſe vocabulum. *Anconiſcus, incaſtrare.* Swarthius: *Ancon, ſcius incaſtrare. Caſtratores*, inquit, *olim celebres ab regionibus, ut Deliacus apud Varronem & Petronium.* Miror me Hercules. Scribendum procul dubio, *anconiſcus, incaſtratura.* Habet id vocis Iſidorus ex vulgata verſione Bibliorum. Quos εὐνουχίσεις Deuteron. cap. XXVI. 17. dixerunt εἰ ό, *incaſtraturas* tranſtulit vulgatus interpres. *Balaſtrum, balneum*, Swarthius: *Badaſtrum*, vel *Badſtratum*, veteri lingua Germanica. Non accedo. Si ex τῷ *balaſtum* tollas *ba*, quas literas ad ſequentem vocem pertinentes male illuc tranſtuliſſe videtur librarius, remanebit, *laſtrum*, unde facio. *labrum*, & lego: *Labrum, balneum.* Quo minus curas Hyginianas typis hactenus mandare coeperimus, in cauſa eſt typograhus, qui Schefferianae editionis ſupereſſe adhuc quaedam ſibi exemplaria cauſatur, & id genus alia, quae praetexere lucri cupiditate ſolent illi, qui niſi illud nihil inhiant. Interim, dum moratur trico ille, admoliar, te auſpice, manus Aſtronomico. Fave, quaeſo, mi Patrone, hoc eſt, fac brevi habeamus, ſi fieri id ſine incommodo poſſit tuo, illum cum MSS. collatum codicem; & jam olim promiſſum Luctatium ſive Lactantium, quem Fulgentio dabimus comitem, cujus librum MS. ex bibliotheca Leidenſi in dies exſpecto. Niſi memoria mihi imponit, poſſidet bibliotheca tua etiam primam Hyginiani Aſtronomici editionem, quam Itali nobis dederunt. His talibus inſtructus adjumentis quanto animoſior

ad opus me accincturus ſim, tute cogita. Ipſe equidem dicere ſatis nequeo. Vale multum & diu vive, Illuſtris Heinſi, literarum litteratorumque praeſidium unicum. Scripſi Delphis Batav. a. d. v. Idus Octob. Anni CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA CCCVII.

NIC. HEINSIUS

Thom. Munckero.

Delfis.

ITA de me ſtatuas in poſterum rogo, nihil eſſe, quod tua cauſſa non velim, & quidem libentiſſimus, quo magis indignor frequentem mihi objici moram a valetudine, ne res eas, quas in hac aula peragendas habeo, ad optatum finem perducam. Iis enim turbatis atque incompoſitis vix eſt ut aut ſtudiis, aut bibliothecae excutiendae vacare detur. Hygini Aſtronomica cum ſcriptis exemplaribus collata, primamque horum editionem Venetam, Aldina certe vetuſtiorem, ut & Lactantium, ſeu quicumque tandem eſt ſcriptor, qui argumenta Metamorphoſeon Naſonianarum confecit, cum pervetuſto Codice a me commiſſum, & ſi quid praeter hos in armariis meis deliteſcit, tuis, hoc eſt publicis uſibus, profuturum a me feres, ſimul offerent ſe mihi, quod ante decurſum hyemis fore ſpes eſt. Antagoniſtae tui libellum hactenus non vidi, nec in ipſum Antagoniſtam tuum a tribus jam menſibus incidi. Niſi graviſſimum in modum ab illo laeſus es, recte feceris, ſi fines contemtu ſolo omnem injuriam obſoleſcere. Illud tamen *anconiſmus*, *incaſtratura*, ab alio neſcio quo occupatum videor meminiſſe. Multus in hiſce gloſſis caſtigandis eſt in adverſariis *Ludovicus Cerda* prae caeteris, & in variis lectionibus *Rutgerſius*. Rectum & illud *Anilitas*, *fatuitas*. Sic *fatui ſenes* apud Martialem v. 10.

Si veterem ingrati Pompejam quaerimus umbram,
Et laudant fatui Julia templa ſenes.

Ita enim iſtos verſus caſtigandos aliquando ſum opinatus: inſtauraverat porticum Pompejam Domitianus, & pro uno nemore ſilvis duabus exornaverat, quod aliunde ex noſtro liquet, *Pompeji dona nemuſque duplex*. Inſtauraverat & templa pleraque urbis ab Auguſto olim exſtructa, non ſolum capitolium, & quidem ſic, ut meliora reddiderit, ſi noſtro credimus, in quo adulationis tota vis conſiſtit. Auguſtus e lateritia Romam marmoream reliquerat, plus urbi contuliſſe vult Domitianum, & ſane multum contulit. *Julia templa*, ut *leges Juliae* ab Auguſto latae, qui adoptione in gentem Juliam tranſierat. *Julianas naves* vocat Paterculus Actiacam Auguſti claſſem. & *Julia roſtra* Propertius, ſi memini. Pro *Balaſtrum*, *Balneum*, aliquando tentabam *Alabaſtrum balani*, vel *balaneum*, id eſt unguenti. Sed tuae conjecturae abſit ut refrager. Vale, vir doctiſſime, & mihi velle perge XI. Octob. CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA CCCVIII.

THOM. MUNCKERUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

QUod tam benigne promittis, quae conatus mei deſiderant, tam comiter doces, quae ignoro, quemadmodum & quas dicere tibi grates debeam, non ignoro quidem, vir illuſtris; ſed non ea homini huic valde infanti ἰνγλωττίᾳ, ut ad ea, quae mente concepit, proferenda ſufficiat. Rogo ſinas ea gratiarum cum actione apud te defungi, qua apud deum uti ſolet, hoc eſt, animo potius devoto, quam compoſita & nocte meditata oratione. *Fatuos ſenes* tuos apud Martial. lib. v. Epigr. x. quiſquis non fatuus fuerit, lubens mecum amplectetur. Familiare eſſe ſenum auribus fatuitatis convicium, vel ex iſto Graeculi illius diſcas, ἢ σὺ γέρων εἶ ἢ μωρός. De *Biſſula* Auſonii quod mones, comperi etiam in mentem veniſſe *Domſtero*. Rationes, quae a te adducuntur, genuinam eam eſſe lectionem, evidenter omnino evincunt. Ex illis, qui de profeſſo emaculare Iſidori Gloſſarium intenderunt, praeter ampliſſimum *Rutgerſium* videre mihi licuit neminem. *Ludovici de la Cerda* Adverſaria non poſſidet paupertina bibliotheca mea. Niſi potiora otium tuum flagitant, vide, ſodes, & iſta, quae occupata forte jam aliis ſine operoſa commentatione inter legendum in libri mei marginem conjeci.

Apicioſus, calvus, calvaſter. lego, *alopecioſus*. Sunt enim alopeciae capillorum defluvia. Ad eundem modum barbaris *cancroſus*, dicitur, qui cancro morbo laborat, & Elephantioſus, qui elephantiaſi.

Arcites, ſagittarii. lego, *arcitenentes*. Sic *anguipedes* ſuperius paulo dixit Gigantes.

Attibernalis. lego, *attubernalis*.

Auteritas, antiquitas. lego, *anteritas*, ab *ante*, unde *anterior* apud Priſcianum.

Belluus, moribus beſtiarium. Apparet legendum, *belluinus. moribus beſtiarum*. Gloſſ. Steph. *Belluinus*, θηρίων ἤθους. lego. θηρίου.

Blenones, puditi, hircarius, lego, *Blennones, patidi, hircoſi*.

Bobinatores, inconſtantes. lego, *bovinatores*, a *bovinari*, quod tergiverſari interpretantur. Notum eſt quemadmodum *b* & *u* inter ſe commutentur. Gloſſ. Steph. *Bibilles*, δίμελλοι. lego, *bivellas*, quod vocabulum licet barbarum etiam iſte locus flagitat, *bivertas*, δίμελλοι, δίφυσοι. Sic aries ille Phrixi, qui Graecus χρυσόμαλλος eſt, *Chryſovellus* audit apud Germanici Scholiaſtem.

Butis, Stella cometes. lego, *bolis*, λαμπάς. alias dicum. *U* pro *O* poſitum paene innumeris locis nemo neſcit, niſi qui veteres Gloſſas non legit.

Buvinare; ſanguine inquinare mulieris menſtruae. lego, *bubinare* & *menſtruatae*. ex Lucilio.

Capar-

Caparcus, *piſtor*. lego, *Caprarius*, *paſtor*. Gloſſ. Steph. *Caprarius*, αἰπόλος.

Caſona, *acus*, *qua mulier caput ſcalpat*. lego, *Cnaſon*, *acus*. ex Feſto.

Caſtorinum, *vebrinum*. *Fibrinum* lego, a *Fiber*, ut ab *aper aprinus*.

Catadocta, *multorum cantica*. Legerim diviſim, *cata dicta*.

Clivior, *nobilior*. lego, *Cluior*. *Cluis* eſt nobilis Capellae.

Cloaca, *burca*. lego, *burga*. dixerat ſupernius, *Burga*, *Cloaca*. Ex Teutoniſmo ortam eam vocem non difficulter perſuadet mihi Voſſius.

Culpa ptabunt, *peccatum ſolvent*. lego, *culpam*.

Depelata, *manifeſtata*. lego, *depulsa*. Vox eſt Fulgentiana.

Diſſultores ſingulares. an *deſultores*?

Fabarii, *cantores*. *Fabarius*, *cantor*. legerim, *Fabularii* & *Fabularius*.

Lubrica, *vallum*, *imo foſſae*. Amplissimus Rutgersius: *Ludorum*, *vallum ſine foſſa*. malim, *Lubrita vallum*, *cavitas*, *foſſae*. Verba ſunt Apuleji I. Miles.

Barbuſtinus homo, *qui ſuo barbam plenam pexiſtis*. an ſcripſit, *pexi ſetis*?

Broia, *alvus marina*. legeram, *bryon*, vel *brya* numero multitudinis ex Gr. βρύον, *alga*. Steph. Gloſſ. *Bria*, βλῆτα αἰτία. lego, φυκία. φύκη enim & φυκίον *alga*.

Curio, *ſanguis*. lego, *cruor*. Bene Gloſſ. Steph. *Cruor*, αἷμα πεπηγός.

Dalum, *velum minimum*. lego, *dolon*. docuit ipſe Iſidorus lib. XIX. Orig. cap. 3.

Danius, *foenerator*. lego, *Dardanarius*. Gloſſ. Steph. *Dardanarius*, πανοπώλης, Σιτοκάπηλος.

Duellio, *rebellis*. lego, *rebellio*. Gloſſ. Steph. *divelliones*, πόλεμοι, ἁρπαγαί. lego, *duelliones*.

Plura nunc non addam, ne forte magno molimine actum me agere dicas. Vides interim ex parvo hoc ſpecimine, opinor, ſi quid in me ſit ingenii, illud non omnino eſſe ineptum ad aliquid boni faciendum antiquis gloſſariis. *Vulcanius* quid præſtiterit, ſi ſcirem, haud paulo eſſem ſecurior: Sed non licuit mihi hactenus tam eſſe felici, ut ejus viri curas alicubi nanciſcerer. non morabor diutius tempora tua, vir nobiliſſime, ultimum illud eſt, ut noſtri ſis memor, ubi redieris ad Bibliothecam tuam. Quod ut brevi confiat optamus ſperamuſque. Vale. Scripſi Delph. Batavis a. d. IV. Kalendas Novembres Anni CIↃIↃCLXXVI.

P. S. Scripſeram haec, cum incidit mihi *bryan ſylveſtrem* dici Plinio lib. XII. cap. 21. quae *erica* eſt aliis, repoſuerim ergo in Gloſſ. Steph. ἄδε φυτῦ. Iſidorus *bryan* cum *bryo* confundere videtur.

EPI-

EPISTOLA CCCIX.

NIC. HEINSIUS

Thom. Munckero.

Delfos.

Atuos fenes, quos reddebam Martiali, non improbari abs te hanc conjecturam laetor. Certe verisimilius est, opera publica a Domitiano exstructa, iis, quibus Augustus Caesar urbem exornaverat, praelata ab homine artis adulatoriae perquam perito, quam composita cum monumentis in capitolio a Catulo dedicatis. *Ludovicus de la Cerda* Glossarium Isidori in adversariis totum percurrit, sic ut vocabulum vix ullum ejus libelli relinquat intactum, qua castigationibus, qua interpretamentis. Hoc, unum est, quod asseverare nunc possum. Cum dabitur aditus ad bibliothecam meam, scrutabor majore cura, quid *Vulcanius*, quid alii annotarint ad loca abs te tentata. ista tamen, *Barbuscinus homo*, sic videntur scribenda, *Barbiricinius homo. qui fert barbam plenam porriginis.* Vale, IV. Novemb. CIↃIↃCLXXVII.

EPISTOLA CCCX.

THOM. MUNCKERUS

Nic. Heinsio.

Negam.

MEmini equidem me aliquando inter caeteras fabulas de *Mutio* quodam *Placentino* jecisse aliquid apud te, vir nobilissime: sed an tute quoque ejus memineris valde dubitem. Is *Mutius* ergo cum aliquoties me per literas appellavit, tum etiam, cum praelum Antoninus meus exercet, amice monuit, ut sui in eo libello facerem mentionem. Neglexi id tamen, quod & homo mihi esset ignotus plane, & amicus meus Cl. *Ryckius* dissuaderet. Respondi nihilominus viro, ut debui, perquam humaniter, &, quo minus ejus petitioni satisfeciscem, tabellarii fecisse tarditatem. Caeterum, si vellet, oblaturum me illi Hyginum curis meis secundis illustratum. Mitteret interim titulos, quibus nomen suum insignirem. Misit, ecce, cum epistola satis barbara libellum hunc sibi dicatum. Quod si hominem domi esse nobilem, & in aliqua apud municipes suos dignatione, constaret, nihil esset cunctandum & nihil mallem, quam eum promereri. Sed epistolae non videntur spirare magnum virum. Quid tu, mi Patrone, cui notissimi Itali, auctor esses? In *Sulpicillae* locum *Bissulam* apud Fulgentium esse substituendam tecum docet in Paralipomenis ad Rosinum *Demsterus*. *Vulcanii* notarum in Vett. Glossaria ante dies aliquot usuram impetravi a D. *Hanselaer*, Ecclesiae nostrae pastore, homine & in paucis docto, & Εἰνειοφίλῳ: comperio illum sentire partim mecum, in aliis ire in alia omnia, nonnulla autem relinquere intacta, ut *Apicioſus*, *Fabarius*, *Caparcus*, *Dalum*, *Butis*, *Caſona*, *Culpa piabunt*, *Duellio*, *Rebellis*, *Arcites*. &c.

ex quibus perperam ego nuper facere volui *arcitenentes*. Legendum enim *arquites* ex Feſto. quod vocabulum & Gloſſario Philoxeni reſtituendum, ubi itidem vitioſe legitur, *Arcutes*, τοξόται. Caeterum τὸ *Bibilles* recte mutat in *bivilles*, non *bivelles*, ut ego volebam. Nec dubito, quin & *Chryſovillus* legendum ſit apud Germanici Scholiaſtem. Quod autem *bicerres* eſſe ait, qui ſectos habent pilos, id haud recte capio. exiſtimo legendum, *bicirres*. *Cirrus* enim eſt χαιτώσης. *Bicirres* ergo δίκαιτοι. Quod ad caetera attinet, tuum *porriginis* etiam illi placuit, ut & meum *Bryon* pro *Broia*. Sed in Gloſſario Latino-Graeco legit, *Bria*, εἶδος ἀγγείου. melius ſane, quam quod ego volebam, εἶδος φυτοῦ. Eſt enim *Bria* vaſis nomen apud Arnobium. τὸ *Fabarius* recte habere docuit me nunc Iſidorus ipſe in de Offic. Eccl. lib. II. cap. 12. *Antiqui pridie quam cantandum erat, cibis abſtinebant: pſallentes tamen legumine in cauſa vocis aſſidue utebantur. Unde & cantores apud gentiles fabarii dicti ſunt.* τὸ *incaſtratura*, quo fruſtra mihi placebam nuper, etiam illi venit in mentem; quanquam emendationis illius, ut a me factum, nullam addit rationem. Quid de illo loco tibi videtur, vir magne? *Flegua, Martis filia*. Legerim libenter, *Flegyas, Martis filius*. Reſpicere videtur verſum Virgil. Aen. VI. *Phlegyaſque miſerrimus omnes Admonet*. Lactantius ad I. Theb. Stat. *Phlegyas Martis filius, qui apud Delphos templum Apollinis incendit: cujus Virgil. meminit, Phlegyaſque miſerrimus* &c. Non pauca ſane in illis Gloſſis Virgiliana animadvertere eſt vocabula. Exemplo uno vel altero contentus ero. *Artificem, Duplicem, doloſum*. Corrigit Vulcanius, *Alterplicem*. nollem factum. Virgil. Aen. II. 124.

— — — *Multi crudele canebant*
Artificis ſcelus. — — —

h. e. duplicis & doloſi Ulyſſis. *Durica caſtra, Stationes navium*. lego, *Dorica* ex eodem Virgilii libro. Vale, vir Illuſtris, diu multumque. Garrulitatem noſtram pro caetera facilitate tua, quaeſo, aequo animo feras. Scripſi Delph. Bat. a. d. II. Id. Novembr. Anni CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA CCCXI.

NIC. HEINSIUS

Thom. Munckero.

Delfis.

DE *Mutio Berretto* nihil equidem habeo quod dicam. Nobili patricioque loco, quae minus diſtinguuntur ab Italis, natum facile perſuadeor ut credam. Hos Illuſtriſſimos nunc vocant, plebei homines praeſertim, quorum e numero ſcriptor ille dramatis adulatorii in laudes Venetorum conſcripti, mihi plane ignotus. Illud miror, hominem natales & majorum geſta jactantem tanto ambitu laudationem ſuam, cujus nulla aut in te, aut in rem litterariam exſtant merita, a ſcriptis tuis flagitare. Pervenit jam pridem ad aures meas rumor, quem diſſeminavit ipſe, Hygini fabulas e codice vetuſto, locis plurimis ab illo eſſe caſtigatas. Urge hominem, quaeſo, ut harum lucubrationum ſpe-

cimen nonnullum ad te mittat. Tum videbimus, quid ab illo nobis ſit ſperandum. Sunt complures & in Italia, & alibi terrarum homines levi litteratura imbuti, qui cum per ſe nec auſint, nec poſſint ad famam promerendam eniti, aliorum adminiculo eam ſeſe conſecuturos ſperant. Mihi olim contigit incidere in aeque importunos praeconii ſui captatores, ſplendido haud dubie ac illuſtri loco, cum Venetae, cum Florentinae civitatis, prognatos, nec inerudito, ſed hoc ipſo contemtos a me, ac neglectos, quod laudes ſuas imperioſis ac intempeſtivis precibus aſſidui praeſcriberent, & tantum non extorquerent. Iſidori, quae ſub nomine circumferuntur Gloſſae, manu *Scaligeri* deſcriptae, exſtant in Leidenſi bibliotheca, ſi memini, nonnihil a vulgatis diſcrepantes. Vale. 25. Novemb. CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA CCCXII.

THOM. MUNCKERUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

DE *Mutio* noſtro quod ſuades, vir nobiliſſime, id exequi ſtudebo quam primum. *Muſrius* ille, *non magiſter*, non me minus, quam alios habuit exercitum. Quae in margine libri mei notavi, tametſi exigui ſint momenti, nec iſtiuſmodi, ut placere exactiſſimo judicio tuo poſſint, non illibenter tamen, quoniam ita jubes, tecum communicabo. Erant ergo iſta: An *milvius?* ſelem eſſe pullariam verius, quam magiſtrum, ſic innuerit. Sed fortean melius, *Mulleus.* aeque hoc dignum babecalo & ebrio convicium, ac illa, *vaſus fictilis*, *lorus in aqua.* Simul alludere videri poſſit ad τὸ μύλλειν, unde dictus mulleus. Ex *vavatone* quid ſi faciamus *bacarionem? Bacar*, *bacarium*, *bacario* vaſis aquarii eſt genus: quicum non male conferas vacuum inteſtinis cadaver: iſto non deterius, quam cum *maniciolo. Maniciolum* enim, non *manuciolum* legendum putem in verbis proxime praecedentibus. A *manica* eſt *manicum*, inde *maniciolum.* Gloſſ. Cyrilli: χειρὶς, *manicium*, *manuela.* legendum, *manulea* cum Voſſio. χειρίδιον, *manicillium.* quod etſi rètinet Voſſius, rectius tamen forte mutaveris in *maniciolum.* Sic a *delicium* declinatur *deliciolum.* Non minus vexatus eſt ille locus: *Quibus prae mala ſua cornua naſcuntur.* divinavi aliquando: *Quibus per malas cornua naſcuntur.* Ut per cornua intelligi velit genas extantes, quales videmus eſſe macilentis illis & monogrammis. Lupercus Catal. lib. 1.

Extantes mala deficiente gena.

Facit huc ridicula illa cujuſdam Rabbini opinio, qui ob quadraginta dierum jejunium oſſa faciei Moſis, velut acuta cornua, prominuiſſe exiſtimat. Legitur praeterea pag. 36. Edit. Blav. *Noveram hominem olim oliorum, & adhuc ſalax erat.* Non placet heic Schefferi correctio, *mulierarium.* repugnant enim ſequentia. Legerim: *hominem L. annorum.* etiam, quae praeceſſerunt: *& quod putas illum annos ſecum tuliſſe ſeptuaginta & ſupra.* corrigo: *Et quot putas illum an-*

annos secum tulisse? septuaginta & supra. pro *puellarius* legendum esse *pullarius* tibi debemus. A Petronio transibo ad Hyginum, apud quem Cap. 14. Harpyiae dicuntur *Thaumantis & Ozomenes filiae.* Quae illa sit *Ozomene*, nusquam hactenus invenire potui. Cap. 79. narrat a Paride duas cum Helena ancillas, Aethram Thesei matrem & Phisadien Pirithoi sororem, abductas. De *Phisadie* illa sive *Thisadie*, ut scribitur cap. 92. altum apud alios silentium. *Clymene* est dicta lib. 1. & Anonymo Troicis. Adjutes, quaeso, si potes. Scio longe esse tibi bibliothecam. Sed capacior multorum bibliothecis una memoria tua. Vale multum, vir illustris, & fave, ut coepisti, clienti tuo. Delphis Bat. Prid. Kalendas Decembr. Anno C. CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA CCCXIII.

NIC. HEINSIUS

Thom. Munckero.

Delfis.

ERudita sunt omnino, quae ad illa Petroniana *Mufrius non magister* annotasti, nisi quod longius aliquantum abeunt a vulgata scriptura. putabam aliquando *Murcius* ex Festo, vel *Murcidus:* sunt & in promptu aliae conjecturae, sed quarum nulla satis approbatur: nam & ante τὸ *didicimus* nonnihil desideratur. *Milvius* nescio an satis sit Latinum. *Milvus* dicebant antiqui, quod trisyllabum faciunt Poëtae *Milius.* Sub *cavatone* videtur latere vocabulum rusticum aut plebejum, inter ea, quae non intelligo, ejusdem significationis quod *Manuciolus*, vel *Mancipius*, quod & ipsum plebejum vocabulum puto. Certe Romae in antiquis Marmoribus frequenter notavi, qualia & ipse descripsi, & apud Gruterum inveni complura. Miles *Manialaris* pro *Maniplaris.* Quidquid sit praeter loca ante annotata e Labbaei Glossariis haec excerpsi in margine fragmenti Traguriani, *Manicillum.* χειρόκιον. *Manicium* χειρὶς. *Manicula* χειρόκιον. denuo χειρίδιον *Manicillum.* χειρὶς *Maniculum. Manilea*, *Manica.* vides & in Glossis Philoxeni & in Cyrillo bis *Manicillium* occurrere. In altero loco legebam, *quibus prae malo suo cornua nascuntur.* Ut denuo hic lateat adagium plebejum, prae *malo suo* videtur requiri, ut ad *aerumnosos* referatur. Ridicule autem & pro caetera sua inscitia sub Capricorno monet nasci *aerumnosos*, cum nascerentur felicissimi. Illo loco, *noveram hominem olim aliorum*, legendum utique *olim mulierosum.* exciderunt aliquot litterae ut passim in Petronio, vel *illico.* Cicero de Fato. *hunc scribunt ejus familiares & ebriosum & mulierosum fuisse.* Mox tolle τὸ *dixit. Haec Phileros, ad illa Ganymedes. Narrat is quod nec ad caelum, nec ad terram pertinet, cum interim nemo, inquit, curat annonam ordei.* Festivissime. Hoc ipso enim Ganymedes ostendit hordeo vilissimo cibi genere se pasci: Cujus praeter rem in tantis lautitiis recordatur. Inter loca, quae non intelligo, est & ille pag. 56. Ed. Blauvianae. *& Gingilipho ingenti clamore exsuabant.* legebam aliquando, *& singuli sophos ingenti clamore.* Sed hoc praecesserat pag. 36. & ubique Trimalchioni in hac coena applauditur. De Hy-

gini locis quid dicam nihil prorſus habeo. Clymenes & Aethrae Helenen comitatarum ad Trojam, & Homerus & Naſo meminerunt. Sed cum Theſeus vixerit ante bellum Trojanum, cui filii ejus Demophoon & Acamas interfuerunt, quomodo mater ejus inter comites Helenae numeratur? confuderunt nimirum duas cognomines foeminas. Idem & de Clymene Pirithoi ſorore dictum eſto. Vale, vir doctiſſime, Kal. Decemb. CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA CCCXIV.

NIC. HEINSIUS

Thom. Munckero.

Delfis.

VIX ultimis meis tabellario traditis, dum recogito, quae ad te ſcripſiſſem, ſerius agnovi errorem meum: nam in Petroniano loco, *quibus prae mala ſua cornua naſcuntur* nihil eſt mutandum. Frequenter enim ſoloeciſſat noſter, quoties Trimalchionem aut collibertos ejus homines inſcitos introducit loquentes. *prae mala ſua* pro *prae malis ſuis*, prae adverſis, prae aerumnis. Sic pag. 40. Ed. Blauw. *ſcimus te prae litteras fatuum eſſet*, & paulo poſt, *aliqua die te perſuadeam, ut ad villam venias*, & mille talia. Nondum poenitet illius conjecturae, *noveram hominem olim mulieroſum.* Nempe cum erat in flore aetatis. *Et adhuc ſalax erat*, nempe ſub ipſam mortem, cum annum aetatis exceſſerat ſeptuageſimum. *Illud mufrius* non eſt nauci. quid ſi *Muſcio verus*, vel *Muricidus:* alterum in gloſſis interpretantur μυάγρος, alterum μυοκτόνος & hoc & illud in obſcaenam quoque ſignificationem poteſt detorqueri. Sed hoc in medio relinquamus praeſtat. Sed & illa mihi plurimum negotii faceſſunt. pag. 39. *non eſt mixcix.* Sequentia ſcribenda ſunt, *ferrum optimum daturus eſt*, (nempe, *gladiatoribus*) *ſine fuga*, (ſine miſſione) *harenarium in medio, ut amphitheatrum videatur.* Ut & illa aeque corrupta pag. 40. *alter burdibaſta, alter loripes.* & paullo ante, *de lucerna equites.* Sed modus non eſſet. Si quid ad illa obſervaſti, communica ſodes. Vale. Hagae Comitum Nonis Decembrib. CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA CCCXV.

THOM. MUNCKERUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

EGO vero libenter *Mufrium* illum aliis curandum delegabo: niſi *Muricidus* tuus facit, ut minus aliorum curam deſiderem, praeſertim cum recolo, quae de murium ſalacitate Plinius lib. x. cap. 65. & Aelianus XII. 10. memoriae prodiderunt; unde venuſte *murem* poſſe dici puerum delicatum plane perſuademur. Nec forte diſplicebit admodum tibi, quod, dum haec ſcribo, mihi in mentem venit, *merum rus, non magiſter. Maniciolum* eſſe legendum pag. 50.

res

res ipsa clamat. De *Vavatone* nihil adhuc verisimile, quo manipulum exprimam, excogito. Hoc certum mihi, mendosum esse in eadem fabula, *strigae ceperunt*. lego, *irruperunt*. Nec extra mendum, *caecitus*. Fecerim inde, *acriculus*. Pag. 39. lego: *Et Titus noster magnum animum habet, & est caldicerebrius. aut hoc, aut aliud. erit quid utique. Nam illi domesticus sum. non est nugax*. hoc est, homo certus est. *c* pro *g* quoties a librariis ponatur, Heinsio nemo novit melius. Illa porro pag. 40. *Jam meliores bestiarios vidi. Occidit de lucerna equites. putares eos gallos gallinaceos. alter burdubasta, alter loripes* &c. Non meum, vir magne, sed tuum flagitant ingenium. Sed tu potes dicere, quid videatur. Primum *bestiarios* non temere mutem cum Reinesio in *bustuarios*. Gloss. Isidori. *Bestiarius, venator bestiarum. Bestiores, tiraces*. apparet legendum *Thraces*. An ita vocavit, qui in arena cum bestiis congrediuntur? Gloss. Steph. *Edones*. Θεᾶκες. vel *Bestiones* etiam ibi, vel utrobique *Edoni* rescripserim. Nec *occidit de lucerna equites. Putares eos Gallos Gallinaceos*, cum Scheffero parenthesi includam. Quae enim sequuntur, *alter burdubasta* &c. ad equites illos pertinere mihi videntur. quos *equites de taberna* opinatus sum aliquando dixisse Petronium, quasi tabernarios σιρωνικῶς. voluit πόπλιτας ille equites videri, qui ex plebe tabernaria operam suam arenae locaverant. Allusum simul ad equites Neronianos, de quibus Tranquillus. *Satagis*, inquis, *tanquam mus in matella*. Non nego, mi patrone. Nunquam cum cura legi hoc fragmentum; quod tamen jam nunc facere instituo, a te inductus, qui omnium primus, ut placere illud non parum mihi incipiat, effecisti. Eadem pagina conjectavi: *& bono filo etiam. Sed in aves morbosus est. In aves morbosus* dictum videtur, ut *insanire in libertinas*. Horatio lib. 1. Sat. 2. Mirificus est lusus, quem describit pag. 51. *non moratus ille* &c. lego, *non moratur ille. Ususque equo manus palma scapulas ejus subinde verberavit. interque risum proclamavit, butabuta, quot sunt hic*. Certe pro *buttabata* MS. Festi, ut notavit Vossius, exhibet, *butabuta*. Nec male retineas *moratus*, ut subaudiatur verbum substantivum, ut pag. 35. *sed liberti scelerati, qui omnia ad se fecerunt*. Intelligo, *sunt. Manu plana*, quod minus discedit a vulgatis, parum Latine dici puto. pag 37. *sed mulier que mulier milvinum genus*. an legendum? *Sed mulier est mulier; milvinum genus*. pag. 38. *malam parram pilavit*. lego, *malam parram habuit*. hoc est, initia male auspicata habuit. Parrae malum est omen. Vide Horat. lib. III. *Fuit. Aediles male eveniat*. Putes scribendum, *Ut aediles malum inveniant*. vel, *ut aedilibus male eveniat*. De caeteris emendationibus tuis tam doctis & ingeniosis, quas communicare mecum dignatus es, gratias ago humanitati tuae inmortales. Atque utinam virorum doctorum preces eo te perducere aliquando possent, ut publico dares emendatiora Petroniana ista λείψανα, quae praeter te a nemine credo intellecta hactenus. Vale multum, vir illustris, & diu vive bono litterarum. Delphis Postridie Nonas Decembres Anno CIↃIↃCXXVI.

Digitized by Google

EPISTOLA CCCXVI.

NIC. HEINSIUS

Thom. Munckero.

Delfis.

AD fragmentum Tragurianum, quae annotabam proxime, non improbari tibi, Munckere praeſtantiſſime, eſt ſane cur operae pretium haud exiguum retuliſſe poſſim videri. *Mures* pro pueris delicatis dici ex Plauto aliiſque liquet. in hoc ipſo Fragmento idem vitiligator, ubi Gitonem puerum cogitabat, *mus*, *imo tuber terrae*. Sed cum muris nomen ſoleret in blanditiis potius eſſe, non ſatis iracundiam hominis graviter commoti videtur decere, ut forte ſcripſerit illo loco Arbiter, *pus*, *imo tuber terrae*. ad quem locum plura congeſſi de *pure*, *verruca*, *carcinomate* conviciis. *rus merum* prae omnibus aliorum conjecturis mihi placet. de veritate tamen lectionis adhuc dubito utriuſque. Illo loco *ſtrigae coeperunt*. reponis *irruperunt*. Sed ex ſequentibus nondum videntur irrupiſſe. Opinabar aliquando τὸ *ſtrigas* abſorpſiſſe vocabulum *ſtridere*, ob cognationes litterarum, *ſtrigae ſtridere coeperunt*. Naſo in faſtis.

Eſt illis ſtrigibus nomen, ſed nominis hujus
Cauſſa, quod horrendum ſtridere nocte ſolent.

Pro *caecitus* lege, *Margaretum*, *Hyacinthis*, *& omnium numerorum*. Margaretam & gemmam vocat puerum illum. *Hyacinthi* nomen ſaepe depravatum occurrit in antiquis membranis, qua de re ad illum locum. pag. 31. *Caldicerebrius* omnino legendum eſt, quod dudum animadverti: Pro *Mixcix* videtur reponendum verbum aliquod Graecum aut Campanum, quo μικροψυχίαν non laboraſſe editorem hujus muneris deſignetur. forte a μικκὸς derivatum. pag. 40. *Beſtiarii*, non ſunt loco movendi, ut recte mones, & miror Reineſium non vidiſſe *Beſtiarios* etiam dici Gladiatores eos, qui cum beſtiis committebantur. *De Lucerna equites*, legebam aliquando *de laterna*, hoc eſt ficciores cornu: nam *Laternae* corneae. Sic Priapum in obſcaeno carmine de puella uvis paſſis aridiore.

Laternae videor fricare cornu.

Nunc tamen potius eſt, ut arbitrer excidiſſe ſyllabam unam alteramque, ut frequenter in hoc fragmento. Ac legendum eſſe, *de ſilicernio equites*. De *Silicernio* vide Voſſii Etymolog. per *equites* autem intellige Gladiatores, qui ex equis pugnabunt. Sic & *mulierem eſſedariam* habemus. Quapropter mox lego, *adeo de magno numero andabatae pauci erant*. Caeterum cum totus hic muneris apparatus ſit ſplendidus, tamen extenuatur narrando, quo Petronius malignitatem hominum tenuiorum voluit taxare. *Alter burdibaſta*, *alter loripes*. quid ſi *burdobatta*, vel *Burdibatta*. burdionum cibus *batta*. Gloſſae veteres a Labbaeo auctae, *Batta*, βάτ⊙, βάτ⊙ *ruſcus*, *rubum*, *ſintex*, *batta*: *Mannos* vulgo & *Burdos*

dos dictos Porphyrio interpres Horatianus monet alicubi. Sed ille mannos cum hinnis & Burdonibus videtur confudiſſe. Per *Burdibattam* igitur hominem aridum & exſuccum deſignari, quomodo *Corvorum cibaria* Gitonem poſt alter per convicium vocat. Eutropium Eunuchum jam veterem non diſſimili convicio Claudianus *Stipitem exhauſtum* vocat alicubi. *Codex non mulier* infra noſtro. in Gloſſis Iſidori ſcriberem *Biſtones*, *Thraces*, & in aliis Stephani Gloſſis, *Edonis* Θρᾳξὶ. Mox pro, *Sed in navis morboſus eſt*, ſic enim V. C. lege, *in nave morboſus*. ludit in idiotiſmo plebejo nequiter, ut ſolet ancipiti joco. Morboſus pro morbis obnoxio, aut valetudinario plebi in uſu fuit. Sed apud Latinos ſcriptores *morboſus* pro Pathico ponitur. *Morboſior omnibus Cynaedis* in obſcaeno Carmine Catullus *Mamurrae pathicoque Caeſarique*, *morboſi pariter*. *in nave* rurſus eſt obſcaenae ambiguitatis. Nam ut partes mulierum obſcaenae *naves* dictae, ita & puerorum pars poſtica. Hinc jocus Juliae Aug. Filiae, quae vectorem ſe negabat tollere niſi plena navi. Apud Caelium Apicium certe *navem* avium obſervo non ſemel pro ano poni. Huc & referendus Ciceronis jocus, nec magno Turnebo, nec aliis puto, ſatis intellectus. Cum adverſarius multis diſputaret de *Nave dividenda*, reſpondit ille, ut eluderet inſtantem, *navem ſi dividis*, *pedes*, non *perdes*, quod nihil habet acuminis aut joci, ut vulgo apud Quinctilianum alioſque circumfertur. Vides *dividere navem* ad obſcaena detorſiſſe Ciceronem praeter exſpectationem adverſarii. *Diſſiſſa nate podere* Horatius dixit. *dividere* obſcaenum eſſe vel ex illis Petronianis liquet, *ſic dividere cum fratre nolito*. pag. 51. *bucca*, *bucca*, *quot ſunt hic*? Micabat digitis puer, & divinandum hero injungebat de numero digitorum protenſorum. Satis hoc quidem familiariter. Caeterum luſus iſte adhuc apud nos obtinet & videntur in eo Romanae antiquitatis ſupereſſe veſtigia: *Bock*, *Bock* (*bucca*, *bucca*) *hoe veel hoornen fleckender op. manus plena* ibidem non eſt immutanda, nam oſtendit irreverentiam pueri erga dominum, qui plena manu humeros ejus non leviter verberabat. pag. 35. loco mendoſo legebam. *Sed liberti ſcelerati*, *qui omnia ad aſſem fecerunt* Patronum narrat a libertis compilatum. pag. 37. lege, *ſed mulierculae mulvinum genus*. τὸ *mulier* poſterius redundat. Sic pag. 41. *gratias agimus libera liberalitati* & multis aliis locis. pag. 38. *malam parram pilavit*, non eſt ſollicitandum: nam & aves *depilari* dicuntur, quibus detrahuntur plumae. Hinc apud Senecam Rhetorem *ſtruthiocamelus depilatus*. *Fuit aediles male eveniat*. affectavit hîc denuo, ut ſolet, ſolaeciſmum. Caeterum pro *fuit*, lege *futi*. Deinde ſyllabam fugitivam repete ex ultima *Aediles*, *Futiles aediles male eveniat*. Vale, vir praeſtantiſſime. Hagae Comitum 8. Decembrib. CIↃIↃCLXXVI.

EPI-

EPISTOLA CCCXVII.

NIC. HEINSIUS

Thom. Munckero.

Delfis.

REversus ex seceſſu Vianensi, nihil habeo prius, quam accingi ad officium litterarum, qui pulchre meminerim ultimis tuis, perquam exquisitis responsum a me deberi, Munkere eruditissime. Inter caeteras conjecturas, quas fragmento Traguriano dabam proxime, haud improbari tibi τὸ *burdibatta* laetor equidem. Nec video quid commodius dari posset, nisi longe deflectimus a vestigiis scriptae lectionis. *Horridior rusco* Galatea Polyphemo dicitur apud Nasonem, quamquam hoc ad Galateae mores referendum: nam Theocritus, unde Naso ista deprompsit, non est ad manum. Illo loco, *malam parram pilavit*, tutius erit nihil tentari. *Mulier quaeque mulier, milvinum genus*, conjectura haud displicet. *strigae stridere coeperunt* praeter rationes jam allatas, cur amplexus sim, faciunt quae subsequuntur, de cane leporem persequente, is enim crepat & stridet dentibus, dum, ut Nasonianis utar verbis, *vacuos exercet in aëre morsus*. Pag. 51. Sub *vavatone*, vel *babatone*, quod tantumdem est, videtur latere plebi Campanae bilingui usitatum de infantibus a Graeco βαιβάζων derivatum, de quo amplius cogitandum. pag. 34. *Lupatria providet omnia*, recte jam alii, *Eupatria*, pro ἐυπάτειρα. falsе hoc & satyrice, ut omnia. Paulo post ridicule legitur, *nummorum nummos* pro *cumulos: lacte Gallinaceum* haud necesse tentari, ne cum *lactibus* confundatur. *Lac Gallinaceum* abiisse in proverbium Plinius nos docet, praefatione magni operis. Talia infinita sunt in hoc fragmento, pleno occultae eruditionis, quae fingi aetate nostra ab impostoribus haud potuerunt. Ibidem cogitabam aliquando. *Tanta isti animali beatitudo.* Sed vulgata potest tolerari. *Sicut ille Fericulusta a me habuit praxim. praxim* nihili est hoc loco vocabulum. videtur autem excidisse, ut saepe alias, unum vocabulum ob cognationem litterarum. *Sicut ille fericulus lucem a me habuit proxime.* Hoc *fericulum* & contracte *ferculum* dicebant veteres, & saepe in hoc fragmento occurrit, quod Trimalchio more suo masculinum maluit enuntiare. refer autem ad Ferculum modo sublatum signorum caelestium, cui interpretamentum de suo noster addiderat, ut paulo ante est videre. pag. 37. *pataracinâ*, videntur excidisse syllabae complures: recte sensum loci habes perspectum. Sed gravius latet ulcus in *clamat*. cujus loco reponi par est nomen liberti nescio cujus, a quo verba fiunt. Scripsi jam olim. *Damas itaque primus cum patera capaci vina* (vel una) *popoſciſſet. Damas* & *Dama* dicebatur. *Marcus Dama* libertate donatus apud Persium. *Cum ſummam coenam vindicaſſet.* Scribebam, *cum ſe ſumma coena vindicaſſet a convivis.* Sub ultimam coenam erat appositus jam saturis convivis, atque vindicatus in posterum: pag. 38. *Neſcio quid aſiadis.* Nil mutandum vidit jam *Reineſius.* Homines Asiatici sicco corporis habitu, testes Herodotus, Varro apud Nonium, alii: *Centonariorum* frequens mentio apud *Gruterum*

terum in inſcriptionibus. *Dominam ſuam delectaretur* non eſſe ſollicitandum recte vidiſti. *ſuae rei cauſſa facere* pluribus exemplis in animadverſionibus adſtruxi ex Cicerone & aliis. Mox minimum diſcrepat mea conjectura a tua, *ſpero, jam venter ſibi pudorem imponet*, & *nec jovis*, & *rogamus mittas*, & *argenteam coronam.* pag. 42. legebam *quid aes autem Corinthium, niſi qui Corinthum habeat*, prae ſolita Trimalchionis jactantia, quaſi totam in hoc aerario Corinthum poſſideret. pag. 43. putabam, *ignoſcetis mihi ſi quid dixero*, & *caeteri nolint.* Ibidem corrigebam, *habeo capidem, quam reliquit Patrono meo Mys. Mys* in his talibus ſummus artifex cum Myrone & Mentore. Hujus frequens mentio apud Graecos, & Martialem. Pro cetera autem impudentia nebulo mentitur ab ipſo Mye patrono ſuo relictam capidem, cum Mys aliquot ſaeculis vixerit ante Patronum Trimalchionis. pag. 44. corrigebam, *reliqua anilia acromata, ac tricas meras eſſe*, ut alludat ſimul ad naenias aniles. *Anilia* pro *Animalia* ſuperfluente una ſyllaba, quam librarius ſupinus temere repetiverat ex proxime ſequenti vocabulo. Sic & pag. 47. ſcribendum, *non didici geometricas tricas, & alogicas naenias.* De alogis in Geometria nos ſuo loco. Ibidem ſcribe, *perridiculae aliquid cataſtrophae quaereretur.* Quales nimirum jam & ante occurrebant. pag. 46. puto, *in alio pediculum vides, in te ricinum non vides.* dixi alias. Et paulo poſt, *tu lendiculoſus*, ut *pediculoſus. hac illac tamen enatavi* nil mutem. Ut hic illic eluctatus ſum per incommoda. *Hircus in ervilia* eleganter, ut ad epulas haſce tam lautas referatur. *ervilia* nos adhuc *Bockeboonen* appellamus, quod hirci hiſce gaudent. *ervilia* & *ervum* eadem apud Maronem in Bucolicis, *Eheu quam pingui macer eſt mihi taurus in ervo*, quam veram lectionem ſcripti codices & veteres Grammatici aſſerunt. Pag. 47. pridem volebam. *ad ſummam, ſi quid vis, ego & tu ſponſiunculam, exi, defero lamnam. exi* formula provocantium. alioqui & *ecce* ego olim conjeceram. Caeterum provocantes offerebant provocatis tabellas (libellos vocat Ovidius) in quibus ſponſiones, formulae & nomen ſponſorum perſcribebatur. Servi autem & plebs infima pro tabellis lamna plumbea utebantur, quales & hîc deſignantur. Paulo poſt emendandum videtur. *Bene nos habemus, haud iſti agagae, qui tibi non imperant. Agagula* leno eſt in Gloſſis Iſidori, ſi recorder probe, & alias in hoc ipſo convictu id vocabulum occurrit. Mox ſequitur locus, qui *Reineſium* mirifice torquet cum ſua *Sagana. Sathana tibi irata ſit curabo, & qui te primus decuro defecit.* Prima littera in *Sathana* perperam repetita eſt ex ultima proxime praecedentis verbi *Habeas.* Githoni autem, utpote diſcipulo iratam imprecatur Palladem. Sic paulo, ante, *curabo jam tibi Jovis iratus ſit*; ita enim legendum. Ridiculi cauſa autem *Athana* dixit ſive Ἀθάνα, pro Ἀθήνη, Ionica uſus enuntiatione, quae per magnam olim Graeciam obtinebat, cujus & pars Capua, ubi haec caena exhibetur. Deinde ſcribo, *qui te primus de corruda fecit.* E corruda fiebat aſparagus, diuturno cultu herba utilis ex inutili: haec autem reſpiciunt Gitonis magiſtrum, cui is adſtabat. Quomodo e corruda fieret aſparagus Columella nos docet inter alios. Adagium denuo a ruſticis & plebe infima hoc eſt mutuatus. pro *volpis uda*, ibidem literis tranſpoſitis ſcribendum eſt *volſa picla.* Cynaedum deſignat. Superiori pagina de eodem,

etiam tu rides pica cirrata? itidem transpositis litteris, quod vidit *Reinesius*, puto, *picam pulvinarem* Fortunatam vocat alibi. *Ut populus per exitum manum juret*, annotavi & ego in ora coditis mei. *modo versa, modo supina* Schefferus, ni fallor, ut ad frusta referatur, quae mucrone in ordinem redigebat chironomus. Post lego, *respicientibus ad mensam*, & *sacrum esse fericulum religioso apparatu perfusi*, &, *ipsi iis mappas implevimus*. pag. 49. *pulcherrimum Bacchiabari*. locus inquinatissimus. Excidit autem syllaba una, ut alias saepe. *Bacciscimbalium* fuerat olim, hoc est *Bacchi Cymbalum*. *Cymbalium* κυμβαλιστρία, pro Cymbalistria. Sic *Crotalia* in hoc fragmento & apud Plinium Nat. Hist. *Margaretis tympaniis* in jure: erat autem haec copa, & ut puto Bacchi in Cymbalistrias relata. Talis & illa *Copa Syrisca* in Catalectis. *Crispum sub crotalo docta movere latus*. in inscriptionibus Gruteri occurrit alicubi faeminae nescio cujus epitaphium, cui additur in fine *Bacchi Cymbalis*. id est cymbalistria, ut ego interpreter. Apionem Grammaticum Tiberius Caesar, etsi paulo aliter, *Cymbalum mundi* appellabat. pag. 49. lege, *sed ego non mehercules corporaliter eum aut propter res venerias curavi, sed magis quod bene morigera fuit*. Ibidem, *saruta scite expedienda* Schefferianum puto probum esse. Paulo ante lego, *itaque per scrutum, per scoream aegre aginavi*. *Aginare* in glossis Labbaei varias significationes habet. pag. 49. *animus in naso esse*, hoc quidem iracundiae est indicium, sed hic de timore agitur. Legebam itaque, *mihi animus in ano esse*. Quod pluribus interpretantur notae meae. Deinde & *matutinas umbras cecidi*. Nam sub gallicinium haec fiebant. Mox, in *aream intravi*, villae scilicet. pag. 57. scribe, *indecentissimam rubore faciem*. De *bifurco* alias. Plura enim volebam, sed charta deficit, & jam nimius sum. Vale. Hagae Comitum XII. Januar. CIↃIↃCLXXVII.

EPISTOLA CCCXVIII.

THOM. MUNCKERUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

Literas tuas quo saepius lego (lego autem saepissime) eo plus disco, vir illustris; adeo undique in illis stricturae relucent coelestis ingenii tui. Quamobrem habeo, cur summopere laeter, quod salvus nobis e secessu Vianensi, cui jam coeperamus invidere, redieris. Licebit nunc denuo, quando hoc juris dedisti nobis, oraculum Heinsianum consulere. Legitur in Frag. Trag. pag. 34. *modo modo quid fuit?* Recte, opinor, si sequentia, in quibus ista geminatio non semel comparet, consideres. Perperam ergo editi illud alterum *modo* omittunt. pag. 35. *Lana, cedrae, piper*. Vide, an locum habere heic possit, *cedria*. Capella lib. II. *Alia ex papiro, quae cedro perlita fuerant, videbantur*. Membranae Leidensis Bibliothecae, quibus utor. *Alia ex papyro, quae cedria perlita fuerat, videbantur*. Glossator interpretatur *vestimam cedri. Cum hoc titulo proscripsit*. Illud *cum* videtur mihi ex compendio scripturae natum, & mutandum

dum in *cotnaculum*. Pag. 36. *& arieti illi. laudamus*. Emendabam, *& arietes. collaudamus*. *Heu eſt Heu*. lego, *heu heheu*. pag. 37. *Minoris quam muſcae. ſuus tamen*. Videtur non incommode poſſe legi: *Minores quam muſcae. muſcae tamen*. *Pilare parram* recte dici firmat Apicius lib. VI. *Perdicem ibi cum pluma ſua elixabis, & madefactam deplumabis depilabiſve*. Satis placet illud tuum *pullarius*. Alioqui poſſet ſcribi, *puerarius*. Gloſſ. Steph. *Puerarius*, παιδαγωγός. Vexatiſſimus eſt locus: *Similia Sicilia interiores*. An legendum? *Similes Sicilia habuit heroes*. pag. 39. *Laborat hoc tempore. nec haec ſua*. Legerem, *nec hoc ſuo*. Suum cuique dicitur, quod ei favet. Sall. Iug. cap. 61. *Suo loco pugnam facere*. Sed repugnat Cicero, qui *tempus ſuum*, *tempora amicorum* pro periculis ponit. Scribendum ergo potius eſſet, *& hoc ſuo*. quanquam nec hoc placet. pag. 41. *taeda ex aceto*. Ad ventrem ſolvendum magis faceret *beta*. *Cum mundatis ad Symphoniam menſis*. Puto explicandum eſſe, *Simul ac mundatae eſſent menſae*. niſi legi mavis, *commundatis*. *Penthiacum*, volueram, *pullum Parthicum* ex Apicio, cum vidi a Reineſio minori mutatione reſcribi, *Phaſiacum*. pro quo tamen malim, *Phaſianum* ex eodem Apicio. pag. 45. *Ceciderunt memoriae meae*. caſtigaveram, *exciderunt*. *Et canem contubernalem*. Si quid mutandum cenſeas, libenter legam, *etiam contubernalem*. tametſi contubernalem canem recte vocare poſſit, quod ſecum januam cuſtodierit. *Ad ſummam quiſquam me bis popoſcit*. lego, *non quiſquam* vel *quiſpiam*. pag. 47. *Sum natura caldus citer ejus cum coepi*. Sententia aperta eſſet, ſi legeres: *Sum natura caldicerebrius. Cum coepi*. vel, *ſum natura caldus. fervere cum coepi*. Sed nimium abire a vulgata ſcriptura videbuntur. *Conſtitutum habui nunquam*. In memoriam mihi haec redigunt, quod eſt in vulgatis: *veniremus ad interdictum*. An hoc eſt venire *ad diem dictum*? Pag. 54. *Ova pilleata*. an legendum, *pilulata*, vel *paſtillata*? ut vocet ſic ova in paſtillorum vel pilularum morem praeparata. Sed rectum eſſe *ova bapala*, jam pridem, ni fallor, me docuiſti, cum Hagae ad te inviſerem. Invenio illa *bapala* apud Apicium lib. VII. cap. 17. de ovis in paſtilli morem paratis Platina lib. IX. agit. *Catillum congagatum*. Ex *congagatum* videtur faciendum *oenogaratum*. Apicius lib. VII. *Ova frixa, oenogarata*. *Excatarariſaſti me*. Aptius putem, *Excoraciſaſti* ex Gr. ἐκκοπιζεις. pag. 53. *Indecentiſſimam rubore faciem* etiam mihi venerat in mentem, dum curis mecum ſecundis, quid ad te ſcripſiſſem, recogito. pag. 59. *Glorioſus volo efferri*. lego, *glorioſius*. *Viperae hujus feſſorium*. *Preſſorium* mallem. Gloſſ. Steph. *Preſſorium*, πιεστήριον. Ex *catillo* vide an formari poſſit, *conchicla*, cujus ſaepe facit mentionem Apicius. Commentariis noſtris Hyginianis, quibus laborem ſane aerumnabilem impendi, jam dudum quaero typographum. *Waesbergius*, qui Schefferianae editionis adhuc ſibi exemplaria non pauca dictitat,

Cauſando noſtros in longum ducet amores.

Apud *Haekios* fruſtra laboravit *Ryckius* noſter. In cauſſa mos eſt & quaſi pactum conventum inter typographos, quo prohibentur ſinguli alterius, ut loquuntur, copias deſcribere. Non deſiſtam tamen πάντα λίθον κινεῖν, ne pereant mihi ſudores iſti. Quid das conſilii, amice magne? ſeponere me illud

opus ſi jusſeris, tanquam jam publicatum, feceris ut protinus his ſtudiis calcem impingam. Vale. Delph. a. d. XVI. Kalend. Febr. Anni CIↃIↃCLXXVII. quem tibi feliciſſime decurrere opto. Obſignaturus eram epiſtolam, cum ſuccurrit pag. 52. emendandum, *Catillum conchularum*. quod quin probaturus ſis vix dubito. Celſus lib. 1. cap. 29. *Omnes fere conchulas*. Ubi & *betam* inter alvum moventia, non taedam, recenſet. Porro pro *maleicorum* ſcribendum *malicorium* ex Plin. lib. XXIII. 6. non *mallicorium*, ut volebat Cl. Schefferus. qui & pro *gizeria* ex Nonio & Feſto reſcribendum cenſet, *gigeria*. invenio tamen apud Apicium pag. 50. *Zizeria*, quod mutaverim in *gizeria*. pag. 31. ſcribendum exiſtimo: *Iliada & Ulyxeam, inquit, ac Laenatis gladiatorum munus. non licebat multum eas conſiderare. Jam perveneramus.* Illud *nos* videtur mihi ortum ex *non*, quod praeceſſit. vel certe mutandum in *quod*. quod tamen, arridet.

EPISTOLA CCCXIX.

NIC. HEINSIUS

Thom. Munckero.

Delfis.

DUM non habeo, quod agam, & per valetudinem a curis avocor identidem & fallendo tempori diverticula circumſpicio oportuna, interpello te epiſtolis meis frequentius, Munckere clariſſime, e vicinia, quam occupationes fortaſſis tuae ferunt. Nam quod tu ingenii mei ſollertiam, perſpicaciamque laudas ob locos nonnullos Traguriani fragmenti in integrum reſtitutos, amice magis id a te fit, quam vere. In penultimis tuis litteris reſtabant nonnulla, ad quae ſuperius reſcribi oportuit, niſi agnoviſſem tunc ultro in molem nimis magnam excreviſſe meam epiſtolam. Pag. 66. *faciantur triclinia*. Sic & ego, & auctoritate veterum Tragicorum illuſtraram: Pleraque autem horum libertorum obſolete potius dicta ſunt, quam barbare. Nam quae in ſcena ac theatris audiebant quotidie ex Accio, Pacuvio ac Comicis jam antiquata recitari, ea perperam in uſum loquendi convertebant. Pag. 56. *vero vero*, frequentes ſunt iſtae repetitiones apud noſtrum. pag. 57. *dum bonatus ago*, putabam, *dum bonis natus ago*. vel *bonis prognatus*. Etiam hoc pro cetera Trimalchionis jactantia, quaſi optimo loco natus eſſet, qui alibi in fragmento e piſtrino ſeſe fateatur ipſe emerſiſſe. adeo verum eſt, quod ait Petronius, nihil hoc Trimalchione fuiſſe ſibi diſſimilius. pag. 58. *effrangere. te frangere*. Sic in epiſtola Penelopes Naſoniana,

Ille tamen pietate mea precibuſque pudicis
Frangitur:

Plura de hoc loquendi modo ego ad Naſonis amores. Ibid. *Fulcipedia*. legendum *falcipedia*, hoc eſt *Vatia*. a *falcatis pedibus*. opinor hoc aut *Reineſium* aut *Schefferum* jam monuiſſe, qui nunc non ſunt ad manum. Ibid. recte vetus liber, *ego tamen & ipſi meae dominae ſatisfaciebam*, hoc vult ſe & catamitum heri

heri fuiſſe, & revera rem quoque cum hera habuiſſe: nam ſuperiora ſic legenda, *ad delicias foemineas ipſiſſimi domini annos quatuordecim fui.* Ibid. lege, *cito fit quod dii volunt.* Nunc ad ultimas tuas veniamus. pag. 35. *lana, cedrae, piper*, redundat una litera, legendum enim *cerae.* hoc eſt favi. in Faſtis Naſonianis *in ceris aurea mella ſuis.* paullo poſt narrat Trimalchionem *arietes Tarenti, apes Athenis emiſſe.* Ubi vides lanas & ceras quoque conjungi. Vide Eraſm. in Adag. *neque mel, neque apes. Cum hoc titulo proſcripſit.* Optime vidiſti pro *cum* legi debere, *coenaculum.* Sic & ego in annotatis, addito loco altero, qui ſequitur in eodem fragmento, *auctionem proſcribere.* Mille locis apud noſtrum exciderunt ſyllabae, de quo alibi. Sed qui ſunt *apri gauſapati* eadem pagina? pag. 36. *& arieti illi.* lege, *arietilli*, puto & hoc alios obſervaſſe. Sic apud Columellam in veterrimo codice, quo Lutetiae olim ſum uſus, cicer *arietillum*, non *arietinum. heu eſt heu.* putabam *heu iiſti? heu! ire* & *abire* pro mori. Horat. *ibimus, ibimus.* Ceterum amat repetitiones has, ſic pag. 43. puto ſcribi debere *μαθία, perite, μαθία*: nam ubique acclamatur & applauditur Trimalchioni. pag. 37. τὸ *muſcae* repetendum eſt, quod & tu recte vidiſti. *Minores quam muſcae ſumus, muſcae tamen.* vel *minoris.* de *depilandis avibus* alibi plura annotavi, quibus & *ſua vellera*, ſic *vellera cygni* Gratio. *Pullarius* cur malim quam *puerarius*, rationes ſunt in promptu; quod & eruditius hoc & ad veterem ſcripturam propius accedat. reſtitui id ſemel iterumque Apulejo: hinc *pullipremo* Lucilio, & Auſonio. *feles pullaria* pro paedicone. Vide Feſtum in *puer. Similia Sicilia interiore* non eſt mutandum. Ubi intelligendum, *fiebant.* ſic auctor orationis ſub nomine Ciceronis contra Salluſtium, *Africam interiorem obtinere.* pag. 36. lego, *laborat hoc tempore, nec eſt ſua. non ſum meus.* Naſoni ſaepius loquendi hunc modum reſtitui, ut lib. XI. Met. fabula Ceycis. *Quod quo magis illa tuetur, hoc minus & minus eſt amens ſua.* pag. 41. ego quoque in ſchedis, *betam ex aceto* legebam. Quod & pag. 52. videtur reſtituendum, & *ex aceto betam*, pro *& certe betam.* Ibidem paulo poſt lege. *oxycominia* hoc eſt olivae ex aceto. *Cominia* inter olivas recenſentur a Plinio. pag. ibid. *Commundatis ad Symphoniam menſis* vera ſcriptura. de quo verbo plura ego in notis. *Emundare* etiam dicebant, quod ſaepe degeneravit apud ſcriptores veteres in *emendare. Gallum Gallinaceum Penthiacum* non debere ſollicitari puto. eſt enim quem Galli apellant *un poulet fricaſſé.* in modum Penthei diſcerptus. in Catalectis auctor judicii inter cocum & piſtorem huc alludit. *Eſt & mihi de bove Pentheus.* pag. 46. *exciderunt memoriae* recte tu mecum. *Canis contubernalis* ancillae nomen eſt. Deinde lego, *ad ſummam quis quicquam me bis popoſcit?* pag. 47. *ſum natura caldus, cicerejus.* nil muto ſum natura calidus in modum Ciceris: eſt enim caldum cicer, ſic ut adurat terram, qua feritur, teſte Plinio. ſupr. pag. 38. *Piper non homo. is quacumque ibat, terram adurebat.* infinita habet id genus adagia rure petita. De *Corruda* jam vidimus. pag. 39. *Hermogenis filicem* habes, hoc eſt filiam pravam. quod mendoſum erat in editione Patavina. nos Belgae adhuc hominem nequam *Onkruyd* vocamus. *Conſtitutum habui numquam.* Cicero Epiſt. ad Marium. *Si quod conſtitutum habes cum podagra, fac in alium diem differas.*

adeo huic ſtercori plebejarum locutionum gemmae nonnumquam interlucent. pag. 52. *Ova hapala* bis noſtro reſtituenda ſunt. Ceterum tota haec narratio caenae novendialis, quam per ironiam vocat *lautam novendialem*, ſic enim ſcribendum, characteriſmum exhibet ſervilis & illiberalis ingenii in Habinna, qui maligne deſcribit caenam ex qua ebrius redierat: ſimilia ſupra habuimus de Norbani munere gladiatorio. Enumerat autem Habinnas viliſſimos cibos, & qui infimae plebi in quotidiano eſſent victu. Nam *Calvae arbitratu*, nuces calvas deſignat, quarum unuſquiſque, quantum vellet, poſſet ſumere. de *Calvis* plura notae meae. Mox lego, *fordae fruſta*, hoc eſt bovis gravidae, cujus caro maxime inſipida habetur. a *forda fordicidia* in Faſtis. Paulo ante & *urſinae fruſta* pari modo. Deinde lege, *& catillum conchiclae*, *tum* (*pax*) *pelamides*. *Conchis* ſeu conchicla cibus viliſſimus, e fabis concinnatus, de qua Martialis, Juvenalis, alii. *pax* interjectio admirantis, ſic ſupra *babae!* de *Pelamidibus*, puto, vidit Reineſius. *Eccatharisaſti* videtur formatum verbum ab ἐκκαθαίρω expurgo, detergo. non diſſimilia apud Plautum occurrunt, ridiculi cauſſa. pag. 56. putabam, *viperae hujus ſubſeſſorium* pro latebra. *Malitorium* apud Columellam quoque ter quaterque occurrit. *Gigeria* opinor probum eſſe. ſed pronuntiationem ſecutus eſt, qui haec Petroniana excipit ex ore dictantis. Sic pag. 37. *Bacalusias* habes pro *Bacelogias*, vel *bacalogias* Dorice, & ſimilia. pag. 31. puto, *non licebat munera ad aciam conſiderare: nam jam ad triclinium pervenerumus*. nam Tragurianus codex *multaciam*. ſic pag. 59. *Ab acia & acu omnia expoſuit*. ita correxerum ex fragmento veteris Comici apud Nonium, ſed video id Schefferum jam occupaſſe. & haec quidem haetenus. Hyginum quidem vellem unice in publicum prodire quamprimum, ſed quando haec ſunt tempora bonis artibus parum opportuna, non dubium eſt mihi, quin inter haſce Typographorum procraſtinationes multa tibi ſint exortura, quibus editionem hanc reddas ornatiorem. Vale. Hagae Comitum XXII. Januar. CIↃIↃCLXXVII.

EPISTOLA CCCXX.

THOM. MUNCKERUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

QUod ſerius, ac debui, ad tuas reſpondeam, vir magne, imputes rogo occupationibus meis, quibus ſemper ἐνθεν ἢ ἐνθεν noſti me incingi in pulvere hoc Scholaſtico, adeo ut ne domi quidem per non paucos convictores vix unquam ſim meus. pag. 56. *Ego vero* cur mallem, fecit uſus meliorum ſcriptorum, quibus pro *immo* illud video uſurpatum. Ter. Eun. III. 5. *Ego hominem hoc non facerem? ego illud vero ita feci, ac lubens*. pag. 35. *Lana*, *terra* probo omnino. Quamquam *cedria* mentio occurrit quoque apud Celſum lib. v. 18. De *apris gausapatis* quid faciam ignoro. Eſt quidem pag. 48. *vitutus galeatus*, ſed tantum ut ſcenae ſerviatur. Mox. eod. pag. legerim, *Quid teres, piſtores?* ut intelligatur *loquar*. pag. 36. *facto* non puto mutandum in *ſatio*. Ad eandem

novi-

novimus formam *lecto* & *scripto* dicta ab Horatio. pag. 48. ex lance *clunaria* finxit *centenariam* Reinesius, quod non improbem, cum apud Plinium inveniam *pondera centenaria*, & apud noſtrum alibi, *Cochlearia non minus ſelibras pendentia*. Cogitaveram aliquando *Cumana*, qua non uno loco inferri fercula ſua jubet Apicius. pag. 32. *Quidquid ergo eſt dono vobis eum*. In vulgatis legitur: *Quicquid ergo eſt, dono vobis*. dignum exiſtimo expendi utra melior ſit lectio. Non incommode videtur dici, *donare aliquem altari*, ἀντὶ ἀλτερίους cauſa ei ignoſcere. Deinde illud, *quid ergo eſt?* uſurpat etiam infr. pag. 35. Caeterum ex eadem pagina colligo in editis legendum eſſe una vocula auctius, *ne diutius abſentivus morae vobis eſſem*. pag. 31. amplector lubens emendationem illam, *nam jam ad triclinium*, ut & alteram, *multa ad laciam*. quanquam, dum ad picturas reſpicio, putabam non male legi, *multum eas jam*. Illas picturas dicit *in medio* haberi. Minima mutatione corrigam, & forſan vere, *in cavaedio*. nam cavaedia juxta triclinia aedificabantur. Plin. lib. II. epiſt. 17. *Eſt contra medias cavaedium hilare. Mox triclinium*. vel certe deleverim *ad porticu*. nam *medias* vides abſolute *porticus medias* dici a Plinio, id quod jam obſervatum ejus interpretibus. pag. 38. haud intelligo illa, *cui datum eſt, non cui deſtinatum*. Intelligerem, ſi legeretur, *Cui datum eſt, datum eſt, non cui deſtinatum*. h. e. haeredi. pag. 39. character hominum ἀνεβᾶν poſtularet, *nec omnes ridebantur dii, tanquam mures*. ridiculum enim animal mus. Flaccus: *Naſcetur ridiculus mus*. Ead. pag. ex μικὸς nihil, quod formem apte, ſuccurrit, niſi μικκὸν, ut illud μεταφορικῶς a corpore transferatur ad animum. pag. 40. *deſtinavi eum artificium docere*. legunt, *artificii*. Latinius foret, *artificii quid*. pag. 41. *in toto corpore ſluctum facit?* an *ſtructum?* Ead. pag. *cocum potentiae admonitum in culinam abſonium duxit*. Legerem *cocus* & *admonitus*, niſi argutiolam aliquam in eo affectavit, quod non cocus abſonium, ſed abſonium duxit cocum. pag. 42. *Porricino pollicem extorſit*. forte ſcripſit, *porrecto vino*. pag. 45. *pro ſub hoc epigrammate cepit*, mallem, *ab hoc epigrammate*. pag. 37. *ab hoc ferculo*. vel, *ſub hoc epigramma cepit*. pag. 34. *Qua milui volant* puto ſanum eſſe. *qua* eſt quo uſque. Salluſt. Iug. 101. *Poſtremo omnia, qua viſus erat, conſtrata telis*. Haec hactenus. De typographo Hyginianis noſtris commentariis circumſpiciendo quaeſo memor ſis. Nam ſi quis in Hygini fabulis edendis me occupaverit, parum aberit, quin criticae meae calcem impingam. Vale multum, vir illuſtris, & diu vive feliciter. Delph. Batav. a. d. IV. Kalend. Februarias Anno CIↃIↃCLXXVII.

Pag. 45. *jubent ſaepe anatinam parari*. ita vocat medicamentum ad ani vitium? an ſcripſit *vomitivam?* Gloſſ. Steph. *vomitiva*, ἐμετικὸν. ita *ſoper* dicitur medicamentum ſoporiferum apud Severum Sulpicium.

EPI-

EPISTOLA CCCXXI.

NIC. HEINSIUS

Thom. Munckero.

Delfos.

HYgino tuo si apud Trajectinos Typographus forte detur percunctatus sum proxime *Graevium* nostrum, quando in Lugdunensibus ac Amstelaedamiis parum nobis praesidii videtur esse, vir doctissime, a quo responsum propediem exspecto. Caeterum quod ille narrabat in proximis ferri rumorem de *Berckelii* Hygino in publicum prolato, vix fidem meretur, cum illi abunde sit, quod in Stephano agat. Ad Petronium ut revertamur, non magis in illo *agros gausapatos* ferendos esse, quam *praetextatos* opinor. Quid igitur? Timide dico fors esse, ut Arbiter dederit, *apras gauna pastos* literis transpositis, vel *gaunea saginatos*, quod longius abit, *gauna* vel *gaunea* pro *cauna* vel *caunea:* nam utrumque dicebant veteres pro caricis vel ficubus. Sic aprum, quem convivis infra Trimalchio apponit, Thebaicis & cariotis pastum fingit. & sane luxus Romanorum incredibiliter in hisce talibus sibi indulsit. *Vitulum galeatum* in fragmento non memini occurrere, sed *Ajacem galeatum*, qui vitulum convivis partiretur. *Opera pistoria* saepe occurrunt apud antiquos, etiam in Suetonio & Glossis Graecolatinis. Caeterum plura excidisse hîc opinor, & species enarratas esse plusculas lautitiarum, quae praesertim in piscibus immani pretio redemtis constabant. Neque enim credibile est, homines tam lautos solis apris & operibus pistoriis victitasse. Iis enumeratis egit de familia ejus, in qua recensetur, *aucupes*, *cocos*, *pistores*. Sic enim lego. & infra *aucupes* habes Trimalchionis. pag. 48. pro *lance clunaria* lego, *lance clibanaria: clivanaria* antiquitus erat scriptum, hinc natus error. *Lancem clibanariam*, argenteam procul dubio, cum & in argento servi Trimalchionis pisum purgarent, cui clibanus suppositus. Sic in clibano panem fuisse allatum in triclinio noster hoc ipso fragmento narrat. Alias, puto, monui libertos Claudianos potissimum taxari in hoc libello. De lancibus argenteis Drusillani, qui in Claudii libertis, vide Plin. XXXIII. 11. & Tertullianum de pallio. De luxu libertorum Petronianorum idem Plinius: pag. 32. legebam, *quidquid ergo est? dono vobis reum.* quasi diceret, *sed quidquid sit, dono vobis reum.* Sed & paulo ante scribendum, *vestimenta accubitoria*, quibus in convivio utebantur, *caenatoria* vocat pag. 45. lin. ult. *ne diutius absentivus morae vobis essem*, jam occupavit Gronovius monente *Boschio.* pag. 31. *quas in medio picturas haberent*, Codex optimus Scaligeri, & alii complures, *in mediea*, non *in medio*, quare legebam, *in aedicla* pro *aedicula.* ut passim noster, & superiora confirmant. Nam si picturae fuissent in media porticu, poterant apparere deambulantibus, nec opus foret ex Atriensi quaeri, quales essent. Sed quid sibi vult *grex cursorum* paulo ante, qui se cum magistro exercent, an & magister currebat? nugae: scribebam, *gregem cirratorum*, sic discipulos appellabant, de quo alibi. pag 38. *cui datum*

datum eſt, non cui deſtinatum ſic capiebam, fruitus & ille opibus ſuis dum vixit, cui datum eſt, ut frueretur, non cui deſtinatum, hoc eſt heres, ut tu recte. Poſſes & τὸ *is* inſerere poſt *vixit*. pag. 39. *& omnes ridebant ut dii tanquam mures.* τὸ *ut dii* repetitum male ex ſequentibus, quare putabam, *& omnes rodebant tanquam mures.* panem ſcilicet, niſi id excidit. Certe totus locus agit de annona. pag. 40. legebam, *deſtinavi illum nonnihilum artificii docere*, ut cognatio litterarum conturbarit in utroque vocabulo. pag. 41. *in toto corpore fluctum facit*, ſic capio, ut fluctus facere in ſimpulo. Ibid. lego, *Cocum potentiae admonitum in culinam obſonium abduxit*. Revertebatur nimirum cocus in culinam, ad reliqua obſonia apparanda. pag. 42. ſcribebam, *foricino pollicem extorſit. Soricinus* a ſorice convicii loco eſt, ut *noctuinus*, a noctua in catalectis Maronianis. *Naenia foricina* apud Plautum. pag. 45. *ab hoc Epigrammate*, video etiam annotatum in meo codice. pag. 34. *qua milvi volant* video quid velit, ſed locus eſt luxatus, alius diceret, quantum uno die milvus circumvolat. pag. 45. poſt varias conjecturas, nihil probabilius videtur, quam, *jubent ſaepe enema matutinum parari*, pro clyſtere. Sic ſupr. pag. 49. locus ſimiliter luxatus *matutinas umbras cecidi*, quomodo apud Maronem, *haſta volans noctis diverberat umbras.* & haec quidem hactenus. Hagae 3. Februar. CIↃIↃCXXVII.

EPISTOLA CCCXXII.

THOM. MUNCKERUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

QUod noſtra cauſa Cl. *Graevium* de typographo commentariis Hyginianis circumſpiciendo appellare dignatus es, ita valeam, ut rem ſupra quam dici poteſt feciſti mihi gratam, vir illuſtris. Haud recuſo, quin cum opella illa, quam adeo publicare, ne occupemur, feſtino, aut ſtet aut cadat qualiſcunque exiſtimatio noſtra. Quod ideo ſcribo, ne vos poeniteat de meliore eam nota commendaſſe librariis. Si non gravaberis inſpicere, afferam proxima hebdomada partem ejus, ut per otium perlegas. Petronianae illae emendationes, quas denuo nobiſcum communicaſti, vere Heinſianae ſunt, hoc eſt, perquam eruditae & elegantes. Pag. 34. In illis verbis, *qua milvi volant*, illud *qua* accipiebam pro *quo uſque*, ut apud Salluſt. Jug. 101. *Qua viſus erat.* Proverbialem eſſe locutionem innuit Scholiaſtes Perſii ad Sat. v. verſ. 26. *Arat Curibus, quantum non milvus oberret.* Scholion habet: *Secundum proverbium, quantum milvi volant.* Juvenal. Sat. IX. 55. *Tot milvos intra tua paſcua laſſos.* Schol. *Ut nec milvi tranſvolare ea poſſint.* Niſi cedimus Perſiano interpreti, poſſemus interſerere τὸ *non*. pag. 35. *Piſtoria opera* recte tueris. Fit illorum mentio quoque apud Celſum. lib. II. 28. Eſſe praeterea locum mancum omnino credo tuae fidei. *Aucupes* tecum in divitis familia ponit & Varro pag. 310. Catal. Steph. *Cohortes cocorum, hamiotarum, aucupumque.* pag. 50. *plus ſciae* non ſatis concoquo. Mallem *plures ſciae*, vel *quam plures ſciae*. Feſtus in *Querquetulanae*,

lanae. ſed faeminas antiqui, quas ſcias dicimus, vivas appellabant. Pro *ſcias* margo habet *ſagas*. Ego *ſcias* praeferam ex hoc Petronii loco. Ead. pag. necdum dimittere poſſum *vavatonem*. Sagaciter notatum a te, vir magne, alludi non raro ad loca celebriora ex antiquiorum ſcriptis. Forte eſt ergo, ut reſpexerit titulum unius de Varronianis Satyris, *Stramentitius Ajax*, & ſcripſerit, *ſtramentitium Ajacionem*. *Ajacio* ὑποκορισμὸς eſt ab *Ajax*, ut *ſenecio* a *ſenex*. pag. 58. *Sterteia* non temere mutem. Ut ab *impeto impetejus* formatur, ita a *Sterto ſtertejus* videtur non male derivari. Gloſſ. Steph. *Impetejus*, βίαιος. Vale multum, & ut feciſti hactenus, tueri perge clientem tuum, humaniſſime Heinſi. Delphis Batav. a. d. x. Kalend. Martias Anno CIↃIↃCLXXVII. In notis, quae Tyroni & Senecae adſcribuntur, inveni *volpicida*. quod an pag. 47. melius quadret, quam *volpis uda*, tuo ingenio penſitandum relinquo.

EPISTOLA CCCXXIII.

NIC. HEINSIUS

Thom. Munckero.

Delfis.

A *Graevio*, quod miror, nihildum reſponſi tulimus, vir praeſtantiſſime, In Traguriano Fragmento ut mea caedam vineta pag. 39. non eſt neceſſe tolli τὸ *ut dii*. Scriptum erat antiquitus *vidi*, omiſſa una littera. *& omnes rodebant avidi, tanquam mures. rodere* proprium murium eſſe haud ignoras. Cicero lib. 11. de divinat. *quaſi vero quicquam interſit mures diem & noctem aliquid rodentes ſcuta an cribra corroſerint*. apud Juvenal. *& divina opici rodebant carmina mures*. ſed hoc promtum. pag. 34. opportune admoniſti de loco *qua milvi volant*, ſed nihilominus ſententiae nonnihil deeſſe videtur, forte, *qua milvi vix volant*. Deceperat me locus Naſonis Met. xv. de Cippo. pag. 35. poſt *opera piſtoria*, quod locum eſſe mutilum adſentiris mihi, gaudeo. Opinor ſimiles hiatus & alibi occurrere, ut pag. 56. ſub finem, ubi cum Triclinium Fortunatae deſcribat, vix fit veriſimile nihil aliud ibi commemorandum occurrere praeter *Aeneolos piſcatores* ſupra lucernas, ubi tamen pro *piſcatoribus* forte ſcribendum, *aeneolos diſci jactores*. *Diſcobolos* Plinius dixit. In iis exprimendis multus artificum antiquorum labor. De piſcatoribus nil tale memini. pag. 50. *Mulieres plus ſcias*. opinor eſſe mutandum in *luſcitias*. *Luſciosus* dicitur & *Luſcitius* & *Luſcitiosus*. *Luſcitius* a *Luſcitione*, quod in veteri jure verbum eſt. De Mulieribus ſagis, duplicem oculorum pupulam habentibus, multa annotavi curis ſecundis ad Naſonis lib. 1. Amor. 8. ubi habes, *& geminum lumen ab orbe venit*. ſed plebs, ut alia, inſcite credebat has faeminas eſſe luſcitias. Quare & paulo poſt forte ſcribendum, quod *ſurſum eſt, deorſum aſpiciunt*, non, *faciunt*. in Feſto forte legendum, *quas praeſcias dicimus*. Gloſſae Labbaei, *luſciosus* πανοπλῳ. *Luſcitius* μύωψ, lege, *Luſcitiosus*; rurſus μύωψ *Luſcitius Mopticus*. lege, *Luſcitius, Myopticus*. De *Stramentitio vavatone* haereo adhuc. forte Canipanum vulgus ἀπὸ βαυβάζειν formaverunt *Babazonem*, vel mutato z in *t*, *babatonem*.

Recte

Recte tu mones alluſum hic ſaepe ad ſcripta veterum. Sic pag. 38. *longe fugit, quiſquis ſuos fugit.* Ita enim ſcribendum: titulum Varroniae Satyrae hoc proverbio eſt complexus. De *Stramentitio* tamen *Ajacione* dubitari adhuc poſſit, etſi ingenioſiſſime excogitatum. pag. 58. *Stertejam* non eſſe tentandam recte admones. Sic *mulier ſecutuleja*; nam pro *partumejo ventre* Horatiano ex ſcriptis *Pactumejum* eſſe reponendum monui. Tua ad Hygini fabellas adnotata cum exhibebis, erit mihi pergratum. Modo ne abſim, cum huc venies. Vale, vir eruditiſſime. xx. Febr. CIↃIↃCLXXVII.

EPISTOLA CCCXXIV.

THOM. MUNCKERUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

VEnit ad te pars comentarii mei Hyginiani, vir nobiliſſime, ut per otium perlegas, & an publicari dignus ſit, inde dijudices. Hyginum ipſum ei dedi comitem, quo examinares facilius ἐπανορθώσεις noſtras, & ſicubi a vero aberraverimus, caſtigares. Id quod ſummopere a te peto. Laudes eſſe cenſebo, non culpas, miniatulas ceras tuas. Ubi evolutum a te libellum intellexero, veniam, ut de locis nonnullis, quae adhuc me torquent, te conſulam. In Fragm. Trag. videtur legendum *cacabundus* pro *cantabundus*. Non enim cantabat, qui ſtellas numerabat. Pertinet huc illud pag. 55. *Ne in monumentum meum populus cacatum currat.* Vale, mi patrone. Delphis Bat. Kalend. Mart. Anni Gregor. CIↃIↃCLXXVII.

EPISTOLA CCCXXV.

THOM. MUNCKERUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

QUod ſemper voluſi apud te videri, virorum puta doctrina inſignium in primis, vel potius, ut nemo magis, & amans & reverens, de eo ne ſeeus judicare poſſis, putavi hac mihi epiſtola ſatisfaciendum. Quae tua eſt humanitas, nobiliſſime Heinſi, jam ter ad me inviſere dignatus es; primum ante meridiem, quo forte die medicamentum catharticum ſumſeram; dein adveſperaſcente jam coelo; tertium heri, idque denuo horis matutinis. De prima vice ut expurgem me, quod non id egerim, quod humanitatem decet, nihil opus eſſe arbitror. Quod ſecunda non obtulerim coenulam & domum meam ad pernoctandum, imputes rogo pudori meo, qui tametſi non utilis ἀνδρὶ πτωχῷ, mihi tamen admodum familiaris eſt. *Boſchio* noſtro cum poſtridie, quid mihi accidiſſet, non parum ſollicitus narrarem, non aegre laturum te fuiſſe cenſebat, ſi familiariter ad coenam invitaſſem. Cum regererem, quis ego ſum? tamen, ajebat, debuiſti facere. Non noſti ſatis, quam indul-

genter ferat vir ille ſimplicitatem noſtram. Quid quaeris? damnavi vehementer ruſticitatem meam, & exinde nihil magis meditari coepi, quam quomodo eam emendarem. Quod heri quo minus fecerim, cum belliſſimam nactus eſſem occaſionem, in cauſa fuit, quod ipſe vocatus ab illo eram, cui fidem datam fallere neutiquam audebam, hoc eſt, *Trompio*, viro conſulari, & apud Delphios noſtros praecipuae auctoritatis. Quod ſi ergo in poſterum contigerit, quod futurum tua humanitate fretus non deſpero, ut iterum caſulas noſtras ſubieris, tametſi non es noſtrae faſciae, audebo tamen offerre prandiolum vel coenulam. Aude hoſpes contemnere opes. Inveniemus unde ſaturi fiamus, pullum, ova, & belle erit, ait Arbiter noſter. Multus heri ſub veſperam fuit mihi cum *Bleiſwyckio* noſtro, qui te in oculis fert, ſermo, quam pauci in his oris eſſent literatas literas docti, & quemadmodum tu unus hodie tuereris famam Belgarum. Quibus accedebant vota, ut diu viveres, ut & in convivio apud *Trompium*, dictumque illud, volui dicere bibitum, more Hollandico, *Heinſio* feliciter. Petronii illum locum, quem heri tentabam, puto emendandum, *ſedeo cogitabundus*. Scriptum forte fuerat, *Cocitabundus*, unde factum deinde *cantabundus*. Raptim, dum nauta exſpectat, Delph. Batav. poſtridie Kalend. Mart. X. CIↃIↃCLXXVII.

EPISTOLA CCCXXVI.

NIC. HEINSIUS

Thom. Munckero.

Delfis.

DE prandio non oblato, cum proxime te domi compellabam, cur operoſum excuſares in modum, nihil profecto rationis erat, Munckere praeſtantiſſime. Nam quod domum revocarer Ampliſſimo quoque *Bleiſvicio*, comiter jam ante invitanti, me convivam negaram. Auguror fore aliquando, ut in ſeceſſu Vianenſi ad me inviſas, quando dies pluſculos una jucunde comburemus. Ad Hygini fabulas, quae annotata abs te ſunt, mirificum in modum mihi placuerunt omnia, de quibus ſingulatim coram. Die enim Saturni proximo, ſi licebit per tempeſtates, ad vos excurram poſtmeridianis horis. Quando te vacare a negotiis Scholaſticis opinor, niſi tu eo die huc tibi excurrendum propoſuiſti. Locus Petronianus mutilatus videtur, quem ſic conſtituebam. *Homo meus coepit ad ſtellas verba facere; ſed & ego eo cantabundus.* cantabant enim ut plurimi viatores. apud Maronem

Cantantes ut eamus, ego hoc te faſce levabo.

ad *ſtellas verba facere* habes & apud Naſonem in Faſtis

ad ſtellas aliquis talia verba facit.

Vale & me ama, IV. Mart. CIↃIↃCLXXVII.

EPI-

EPISTOLA CCCXXVII.

NIC. HEINSIUS

Thom. Munckero.

Delfis.

LOcum Petronii de *aedicula* sic capiebam, tanquam in transitu eam obiter inspexissent, ut pote valvis apertis: Ceterum quod ab atrienſi perducerentur in triclinium, non licuisse illis omnia *ad aciam* considerare, quod sequitur. Atque inde factum, ut quidem viderint lares in ea expositos, & Veneris signum marmoreum, & pyxidem auream, sed non licuisse picturas ibidem in pariete expressas usurpare oculis; quapropter ex atrienſi quaesiverunt, quaenam illae essent. Diem Saturni vobis feriatum esse autumabam, qua in re quia falsus sum, constitui Dominico die a prandio tibi adesse. Tum enim Roterodamo quo nunc vocor, transibo vestram per civitatem. 5. Mart. CIↃIↃCLXXVII.

EPISTOLA CCCXXVIII.

THOM. MUNCKERUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

CRedo equidem nihil excusationis super ea re fuisse apud te necessarium, vir illustris: attamen quia conscientiam tuam non minus quam meam, timeo, supervacuo hoc timori dedisse me puta. Feriae nostrae hebdomadales tametsi in Lunae & Veneris dies incidunt, vacare tamen die Saturni potero amicis ab hora quinta pomeridiana. Impetrem sive a facilitate tua, ut unam apud nos, quo defaecato animo possimus συμφιλολογεῖν, maneas noctem. Noctem non amplius unam oro. Praebebimus cubiculum remotum ab omni strepitu. Quae in Hyginum nostrum, a doctissimo Juvene *Jacobo Perizonio* annotata heri peropportune ad me perlata sunt, facere non potui, quin tecum communicarem. Nec dubito, quin tibi, ut valde erudita, non parum placitura sint, sicut tua mihi insigniter arrisit Petroniana emendatio. Offendit me semper illud *ad stellas facere*, quanquam quid inde exsculperem, frustra invenire laboraverim. Caeterum de illo, *quas in aedicla picturas haberet*, incidit mihi dubium, quod quomodo solvas exspecto. Dixerat modo quid in aedicula vidisset, Lares argenteos, Veneris signum, pyxidem auream. Quomodo ergo non vidit picturas, & quae essent, inquirit? Vale multum, vir illustris. Delphis Batav. a. d. III. Nonas Martias Anni CIↃIↃCLXXVII.

EPISTOLA CCCXXIX.

THOM. MUNCKERUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

Theodoram Oſterviciam, illam jucundiſſimam mihi per annos ſeptem vitae ſociam, ex vitae hujus ſtatione evocare viſum heri ſummo imperatori. Ut in flore ipſo eſſet aetatis, ut ſumma concordia cum marito ageret, ut nemini unquam faceret volens injuriam, tamen abiit. Abiit innocentiſſima anima, & me miſerum, cujus vita ex illa ſemper pependit, reliquit heic incredibiliter moerentem. Si de pago eſſem, aſtra clamarem crudelia, orcum immiſerabilem, Parcam ferream, quaeque praeterea dolor aegris mentibus verba ſuppeditat, ea cuncta non immerito effundere videri poſſem. Nunc homini melioribus ſacris initiato non idem jus. Parere noſtrum eſt, nec exigere velle ab eo facti rationem, a quo, ut bonitatis fonte, niſi bonum, derivari nihil poteſt. Quod poſſum unum praeſtare defunctae, eo defungar proximo die Martis, quo juſta ei exequiarum molior. τὸ γὰρ γήρας ἴσι θανάτων. ei officio noſtro, quod pietati debemus, ſi intereſſe & tu, vir illuſtris, dignatus fueris, rem feceris, ut mihi longe gratiſſimam, ita a caetera comitate tua forte non admodum alienam. Cum longe ab omnibus ferme cognatis remotus ſum, quod amicos & bene notos in eorum adſciſcam locum, qui mihi vitio vortat, non arbitror fore quenquam. Nec tu, mi patrone, id te rogari aegre feres, quod ut ego ſimpliciter a te peto, ita tu jure mihi neges. Vale multum, mi Patrone, & vive memor noſtri. *Sic fati nunquam te dolor exanimet.* Scripſi Delphis Batav. a. d. IV. Kal. Jun. Anno C. CIↃCCLXXVII.

EPISTOLA CCCXXX.

NIC. HEINSIUS

Thom. Munckero.

Delfis.

Laudo conſilium tuum, qui differri mavis in ver proximum editionem Mythologorum a noſtris Typographis ſub id tempus inchoandam, quam exteris, & illotis manibus opus eximium permittere. Penſabit hanc moram, uti auguror, editionis nitor concinnitaſque. Albericum utinam a *Voſſio* conſequaris. Is litem, qua multum diſtrahebatur in Britannia, jam majori ex parte profligavit. De Lactantio pudet equidem me tam diu exſpectationem tuam fruſtrari. Sed Vianam excurſurus propediem, videbo, ſi libellus in armariis mei indagari poſſit. Vale. Hagae Comitum XXII. Junii CIↃCCLXXVII.

EPI-

EPISTOLA CCCXXXI.

THOM. MUNCKERUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

NON vanae redeat ſanguis imagini, ut multum torqueam miſerum ſpiritum, mi Patrone. Ἄνοσ & illa via, quae ſerius ocyus omnibus calcanda. Nec ipſa, ſi quid noſtri manes ſentiunt, ut erat mei amantiſſima, lacrymis me & luctu confici libenter videt. Quo magis id, ad quod tam amice me hortaris, agere ſtudeo, hoc eſt, doloris mei a literulis noſtris ſolatii nonnihil interdum peto. Etiam amicorum alloquia, praeſertim tua, qui comitati benignitatique factus es totus, paulatim, quae adhuc reſiduae, animi nebulas diſpellunt. Quod tam lenta ſit typographi illius opera, etſi perquam aegre fero, exſpectare tamen proximum ver, quam committere *Hogenhuſio* ſcripta mea, ſatius puto. Videbo interim, ſi nanciſci poſſim Albericum illum, quem edito longe auctiorem adſervari in *Voſſii* bibliotheca audio. Si vera eſt fama, quae invilere proximis feriis ad eum ait Cl. *Lamoinium*, forſan impetrabilis ille mihi foret orator. Scripſi ea de re heri ad Cl. *Spanhemium* virum humaniſſimum, & mei etiam amantem. De Lactantio quod pridem promiſiſti, ejus rogo ne obliviſcaris, ubi ad libros aliquando redieris. Sed Fulgentii non alibi noſti alios exſtare codices, qui cum editis conferri mereantur? optarem equidem; & eſſet operae pretium. Quod tam aegre ſe tecum conciliare ſalutem ſcribis, ex animo doleo, qui probe ſciam, quantum facturae eſſent damni politiores literae, ſi quid tibi accideret. Meliora auguror, & immortale numen, ut longam tibi & laetam largiatur ſenectutem, ſupplex adoro. Vale multum. Dabam Delphis Batav. poſtridie Kalendas Quinctiles Anno C. CIↃIↃCLXXVII.

EPISTOLA CCCXXXII.

THOM. MUNCKERUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

IN Hyginianis commentariis ut non ſegnem eſſe videas operam meam, ſpecimen ecce tibi alterum, mi Patrone, quod rogo ex conſuetudine tua & legas & emendes, quo melius ad me redeat. Mereri nugas noſtras, ut publicentur, ſi judicaveris, valde velim, ut typographum, ne fidem forte mihi fallat, hortere ad audendum. Fatebor tibi puſillanimitatem meam. refrigeror non parum, & pigrior reddor ad abſolvendum, quae affecta habeo, dum vereor identidem, ut dictis maneat homo meus. Quo enim aerumnoſa iſta lucubratio, ſi ea ſcribam, quae nemo ſit lecturus? Quae reſtant in paucis diebus mittam, ubi typographi intellexero operam nobis non defuturam. Incendimur ad ſtudia gloria. eam ſi ſperare non licet, nec laborare tanta contentione

tione libet. Neque non, quod agam, ſatis habeo, etiamſi non conſcribillem chartas nihil profuturas. Quos utendos nobis dederas libellos, ut ad te redirent, faſciculo addidi. Gratias eo nomine benignitati tuae memini gratiſſimas. Spero me brevi eaſdem habiturum. Hyginiani illius Aſtronomici, quod ab amico oblatum tibi ajebas, videndi valde ſum cupidus. Quod ſi ad manum tibi eſt, committas quaeſo nautae huic ad me deferendum. Vale multum, vir magne, & tueri nos perge. Delphis Batav. Prid. Nonas Octobres Anno C. CIↃIↃCLXXVII.

EPISTOLA CCCXXXIII.

THOM. MUNCKERUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

QUem videre me voluiſti codicem, vir illuſtris, eum ut conferre cum aliis coepi, comperi per omnia facere cum editione Sanctandreana. Sed nimium profecto credulus fuit Soteri, quicunque tandem ille fuit, qui veterum aſtronomica ex illa officina in publicum emiſit. Quamvis enim quibuſdam in locis ſcopum ferierit ille Soter, plura tamen ſunt, quae vel licenter & abſque neceſſitate immutavit, vel plane corrupit. Ad hoc nonnulla hic illic ita video ab eo repraeſentari, ut ea in nov-antiquis ſuis reſtituit *Modius*. Quid dicemus? ignoravit hoc *Modius*, an diſſimulavit? Interim gaudeo me deprehendiſſe, unde orta ſit, quam in Sanctandreana mirabar ante hac, illa tam audax, ne temeraria dicam, tot locorum caſtigatio. Caeterum pro eo, quod lib. II. cap. 20. exhibent plerique libri, *ideo quod ortum ſeverit ante*. Soter & Sanctandreana habent, *ideo quod hortum ſeverit ante*. Veneta Annis 485. *& ō ortum ſeverit ante*. Puto legendum, *ideo quod toſtum ſeverint ante*. vel, *quod id Ino toſtum ſeverit*. Fabulam habes cap. 2. Mythol. Quod ſi acerrimo judicio tuo emendationem iſtam probavero, feciſſe mihi vel hoc uno nomine operae pretium videbor evolvendo iſtam tam miſere a Sotere interpolatam editionem. Vale multum, vir magne, & diu vive. Delphis Batav. a. d. XVI. Kalend. Novembr. Anni CIↃIↃCLXXVII.

EPISTOLA CCCXXXIV.

NIC. HEINSIUS

Thom. Munckero.

Delfos.

IN Hygini Aſtronomicis, *quod id Ino toſtum ſeverit*, abs te reſtitutum impenſe placet. Soteris editio quando non reſpondet exſpectationi tuae, velim alia conferre uſui majori futura. Morellianam certe editionem Vianae habeo in promtu, donec alia illa offeratur, quam cum codicibus Gallicanis *Janus Vlitius* commiſit. Tuas in Hygini Mythologica obſervationes, omni fruge

fruge eruditionis cumulatas jam majori ex parte perlegi ad te redituras propediem. ad Fab. 126. in Sulpiciae verſu a te producto ſcribendum eſt,

Fabellam permitte mihi detexere pacis.

non *paucis*, quod ex contextu ſatyrae in ſubſequentibus verum eſſe plenius, puto, apparebit. Iis, inquit, numeris, quibus heroas & arma celebras, permitte mihi pacis fabellam detexere, in quam porro tota ſatyra invehitur. fab. CXXX. pro *genus ſuavitatis*, videtur caſtigandum *genus ſuave vitis*. fab. CXII. *in hoſpitio cognito diſceſſerunt*. ſcribebam, *hi hoſpitio*, alterum manifeſte falſum eſt, nec ſatis Latinum. fab. CIV. legendum omnino, *Simulacrum cereum*, quod Naſo adſtruit non uno loco Epiſtola Laodamiae. fab. 139. pro *adamantera* uti-corrigendum. *Amalthea*. Fabulam omnem Naſo Faſt. IV. ſi bene memini, copioſe proſequitur. De ceteris coram. Vale. CIↃIↃCLXXVII. 17. Octobr.

EPISTOLA CCCXXXV.

THOM. MUNCKERUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

PLuſculum auribus noſtris dederunt nuperrimae literae tuae, vir illuſtris. Niſi aliter amicos ſcirem, aliter Ariſtarchos cenſere, nae tu feciſſes, ut ego & me eſſe aliquem putarem. Sed haec eſt unica illa comitas tua, qua exacuere amas tyronum diligentiam. Habes jam heic, quod perficiendis commentariis noſtris reſtabat. Quod, ſi caetera non invitus perlegiſti, nullus dubito, quin adhuc & hoc λείψανον facile idem ſit a te impetraturum. nunc accingor animadverſionibus in Fulgentii Mythologias deſcribendis. Prodiiſſe eum libellum anno 1521. cum *Jacobi Locheri* commentariis narrat in Bibliotheca ſua *Geſnerus*. Sed nuſquam reperti hactenus a me illi commentarii, ut nec Baptiſtae Pii in eundem Fulgentium annotationes. Adjunxi faſciculo, quem commodaveras nobis, Hygini codicem. Majus fecit operae pretium cum editis contendendo editionem Venetam anni 1485. ut ex ungue, quod ajunt, videas leonem. Lib. II. cap. 3. legendum ex illa, *Nonnulli etiam dixerunt*. ubi perperam *enim* pro *etiam* ſubſtituerunt, & quaſi quaedam deſiderarentur, locum ſignarunt aſteriſco. Etſi non multa mihi de illis, quos dixi, Fulgentii editoribus, promitto, vidiſſe tamen valde vellem. Quo circa, ſi forte quadam in eos incideris, noſtri rogo memor ſis. Aratum & Hiſtoriae poëticae ſcriptores, ut & Apollodorum jam nactus ſum, & nactum me gaudeo. Vale multum, & tueri nos perge, ſi merebimur. Delphis Batav. a. d. VII. Idus Novembres Anni CIↃIↃCLXXVII.

EPISTOLA CCCXXXVI.

THOM. MUNCKERUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

GRatias ago quidem, ut debeo, quas poſſum maximas, ſed majores multo adhuc habeo, quod tam benigne dediſti nobis operam in exigendis Hyginianis noſtris, Heinſi nobiliſſime. Jam deſcribere coepi, ut ſignificabam in ultimis meis, quae ad Fulgentium illum Planciadem obſervavi. Interim avide exſpectabo, ſi quid e Saxonibus forte veniat vel Britannis, quo ornatiora noſtra fieri poſſint & orbi literato acceptiora. De emendationibus tuis judicare ipſe noſti non eſſe meum, cum quicquid a te, hoc eſt, viro undequaque doctiſſimo & acerrimi judicii excogitetur, non poſſit non placere mihi ſummopere. Eſt ergo ita, ut ſcribis, tota iſta ſatyra invehi in pacem Domitianam Sulpiciam. Quamobrem τὸ *pacis* ei reſtitui aptiſſimo negaturum opinor neminem. Illud porro *genus ſuavitatis* cap. 130. ideo mutare non ſuſtinui, quod & cap. 174. rurſus exhibeatur, *ſignificantes ſuavitatem inveniſſe*, ἀντὶ τοῦ, ſuavem vini potum. Sed & iſthic *ſuavem vitem* levi mutatione corrigere licet, ut in altero illo loco *genus ſuave vitis*, quemadmodum acute a te emendatum eſt. Jam illa *cereum*, *Amalthea*, *hi hoſpitio cognito*, ἀναφιλόνικα ſunt & aperta. Sed doce me, ubi vacas, quid tibi velint illa cap. 134. *Quiſquis ſe praecipitaverat in Delphini effigiem transfiguratus eſt, unde Delphini Tyrrheni ſunt appellati* &c. Non memini uſquam legiſſe Tyrrhenos eſſe dictos Delphinos. An ſcribendum? *unde vicini Tyrrheni ſunt appellati, & mare Tyrrhenum eſt dictum.* Sed ita ſi ſcriptum fuit, ſtulta gloſſemata videri illa poſſint. Neque enim a nautis illis Tyrrheni vel mare Tyrrhenum dictum eſt. In Fulgentio non ſegniorem fuiſſe, quam in Hygino operam noſtram, judicaturum te ſpero, ubi inſpexeris. Quod ut brevi fiat, quantum poteſt, allaborabo ſedulo. Aut ego multum fallor, aut mihimet ipſe blandior, aut tu inter Fulgentii vindices non infimum mereri me locum cenſebis. Inter alios ſcriptores, quos in tranſcurſu emendamus, eſt etiam Macrobius lib. III. Sat. cap. 17. ubi de Saliis agit. *Optime*, inquit, *mehercule, feciſti Herculis mentionem, in cujus ſacra hic veſter gemino errore commiſit.* Ita omnes editiones, etiam ultima illa Cl. *Gronovii*. Quid illud *in* hoc agat? Faceſſat protinus, & ſenſus erit venuſtiſſimus Latiniſſimuſque. *Committere ſacra* dixit, ut *committere ludos* Virgilius, *committere judicium* Cicero, *committere agonem* Cyprianus II. ep. 6. Facere autem poëta ipſe dicitur eleganter, quod alios facientes inducit. Opto te ſemper bene valere, nobiliſſime humaniſſimeque virorum. Dabam raptim Delphis Bat. a. d. XIV. Kalend. Decemb. Anno CIↃIↃCLXXVII.

EPI-

EPISTOLA CCCXXXVII.

NIC. HEINSIUS

Thom. Munckero.

Delfis.

QUid responsi dederit *Vossius* de Alberico, manus haec ejus te docebit, vir praestantissime. Reliquum nunc est, si tanti rem putas, apud *Tollium* indagare, quid scriniis fratris sui *Cornelii* sit factum. Cum *Daumio* de Fulgentii editionibus agam eis paucos dies: hoc die enim litteras ab illo accepi, ad quas propediem erit rescribendum. De meis ad Sulpiciae satyram & Hygini Mythologica conjecturis benigne nimis judicas, quo es erga me adfectu. Erant complura, de quibus agerem, si commodius valerem. Nunc jaceo totus corpore animoque. fab. CLXXIV. *significantes suavitatem inveniſſe.* festinans librarius videtur conturbasse ac lucrifeciſſe ut saepe alias, syllabas cognatas, ut ab Hygino relictum videri possit *suavitatem vini inveniſſe.* Sed liber nunc non est ad manum. *vini* & *inveni*, in *inveniſſe*, non multum inter se differunt: sic in fragmento Traguriano, *Rogamus anus nocturnas, ut ſuis ſe ſedibus teneant*, ubi vulgo *anus* & *ſedibus* sunt omissa. fab. CXXXIV. *unde Delphini Tyrrheni*, sic capiebam, ex illa transfiguratione nautarum Delphinos, qui in mari Tyrrheno sunt frequentes, origines ducere. Locum Macrobii pulchre & feliciter sanasti. Vale, mi Munckere. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXVII. 20. Novemb.

EPISTOLA CCCXXXVIII.

THOM. MUNCKERUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

QUod argumentum non leve suppeditare mihi visus sit, quo Fragmenti Traguriani antiquitas ostendatur, operae pretium duxi locum illum Isidori, cujus mentionem nunc nuper apud te faciebam, subjicere oculis tuis. Invenitur Orig. lib. XVI. cap. 19. *Corinthium eſt omnium commixtio metallorum: quod caſus primum miſcuit, Corintho, cum caperetur, incenſa. Nam dum hanc civitatem Hannibal cepiſſet, omnes ſtatuas aeneas & aureas & argenteas in unum rogum congeſſit, & eas incendit. Ita ex hac commixtione fabri ſuſtulerunt, & fecerunt parapſides. Sic Corinthia nata ſunt ex omnibus in unum, nec hoc nec illud.* Proverbii illius, *fundos habet quae milvi volant*, originem narrat Juvenal. Schol. ad Sat. 1. vers. 109. ubi de Licinio agit: *deceſſit ſub Tiberio, proinde dives, quod Caſſii opes etiam exhauſiſſet: & dictus eſt habuiſſe nummos quantum milvi volant.* Haec ille. Dignus & hic locus erat, ut tibi mitteretur, si forte in eum nondum incidisses. Castigandus interim est, & pro *nummos* & *Caſſii* cum Pithoeo emendandum *fundos* & *Craſſi*: Apud eundem interpretem ad Sat. VI. vers. 478. repperi τὸ *lorus*, itidem, ut apud Petronium, ἀρχαϊκῶς usurpatum. *Sen-*

tica) *lorus latus, corium non confectum.* Noſti τὸ *facere* uſurpare Petronium pro coquere & parare in coenam. Video & ποιεῖν eo ſignificatu uſos fuiſſe τὸς ὁ. Geneſ. XVIII. 7. καὶ ἔλαβεν ἁπαλὸν μοσχάριον καλὸν, καὶ ἔδωκε τῷ παιδὶ, καὶ ἔσπευσε ποιῆσαι αὐτό. De Trimalchionis apophoretis cum omnia, quae obſervaſti, valde me delectarunt, tum mirifice illud de *beta*. Quo pertinent iſta Iſidori lib. XVII. cap. 10. *Beta apud nos oleris, apud Graecos litera eſt.* Corrige *olus*, vel *oleris ſpecies*, ſive *genus*. Etſi barbarus eſt ſcriptor ille Iſidorus, docuit me tamen non nulla, quae neſcire nollem: tanquam illud, quod legitur lib. XVII. cap. 4. *Ervum a Graeco trahitur vocabulum. Hoc enim illi* ῥόβον (leg. ἔρεβον) *appellant. quod cum ſit quibuſdam pecoribus infeſtum, tauros tamen pingues efficit.* Quibus verbis non parum id confirmatur, quod apud Virgil. *taurus in ervo* legendum eſſe pridem me docuiſti. Sed quid ago? Λύκῳ γλαῦκα, quod ajunt. Si tamen non omnino ingratum fuit tibi hoc ſchedium, rogo & tu mihi tuum illud mittas. in quo nonnulla ad Hygini noſtri emendationem facientia annotaſti. Volebam tollere manum de tabula, cum de *apris gauſapatis* venit mihi in mentem aliquid, quod etſi ridiculum tibi videbitur, ſcribam tamen. Venit ergo in mentem, forte *gauſapatos* dictos, quod cruſta referente *gauſapam* circumdati a piſtore fuerint. & illa *opera piſtoria* auferendi caſu eſſe accipienda, quam *artem piſtoriam* vocat vulgatus interpres Geneſ. x. verſ. 17. Vale multum, vir illuſtris, & nobis bene, quod facis, velle perge. Delph. Bat. VI. Id. Decembr. Anni CIↃIↃCLXXVII.

EPISTOLA CCCXXXIX.

NIC. HEINSIUS

Thom. Munckero.

Delfis.

PRO loco Iſidori egregio plane gratias, uti par eſt, peringentes tibi ago, Munckere praeſtantiſſime. Mirus profecto ſtupor viri illius, cetera non indocti, fuit, mira rei hiſtoricae imperitia, quod pro Mummio Achaico Hannibalem nobis ſuppoſuit, antiquarium Trimalchionem ſecutus. *Qua milvi volant* bene in fragmento Traguriano ſe habere nunc opinor, habita ratione eorum, quae tu partim ſuggeſſiſti, partim & meo marte in adverſariis annotaram, in quibus & locum Scholiaſtae Juvenalis, quem tu proxime ſubindicabas, invenio. *Craſſus* tamen pro *Caſſio* an ſupponi illic debeat, dubitari poteſt. Videri poteſt Licinius iſte Caſſii bona poſt proſcriptionem involaſſe. τὸ *lorus* etiam apud Apulejum occurrit, ni fallor, & Labbaei Gloſſas non ſemel. De ſorte illa convivali apophoretorum ſaepe ambigua & jocoſa habes in Suetonii Auguſto: ſed Trimalchio nimis quam ineptus eſt in iis, ut in omnibus. De *ervo* tauris utili, rem Iſidorus hauſit ex rei ruſticae ſcriptoribus. *Opera piſtoria* apud Suetonium quoque occurrunt & in Gloſſis antiquis. Feſtus. *lucunior, genus operis piſtorii.* Sic *dulciarium opus* & *opus lactarium* in Spartiani Heliogabalo. Ad Hyginum quae annotabam, etſi tanti non erant, quia flagi-

tas

das tamen, ecce tibi. Piget in his tantillis morari. *Franciscum Junium* ad plures abiisse e Britannis nunciant. Ego, post biduum triduumve, bruma jam remittente, Vianum cogito. Vale, vir amicissime. Hagae Com. CIↃIↃCLXXVII. XII. Decemb.

EPISTOLA CCCXL.

THOM. MUNCKERUS

Nic. Heinsio.

Vianam.

PRO notulis tuis in Hyginum nostrum gratias tibi ut debeo, vir magne, ita memini immortales. Sed persuasissimum, opinor, pridem hoc habes, qui alioqui toties tam munis (agnoscis Lipsii veneres) in me prorsus immunem neutiquam fuisses. Habet nunc te tandem aliquando tamdiu ille desideratus secessus, sed utinam laetum & validum! opto id equidem ex animo, & spero etiam, tametsi timide, cum turbidum hoc coelum invalidis corpusculis, quale tuum est, non valde videatur amicum. Nisi nauta mihi imposuit, instat jam tempus illud, quo revisere Hagam constitueras, sanequam avide exspectat adventum tuum Fulgentius meus, in quo perpurgando immane quantum laboris exhausi, nunc Lactantio manum admovere coepi, & contendere inter se *Reinesii* & *Giselini* editiones. De *Giselino*, multo plus mihi promiseram, quam praestitum ab eo comperi. Quippe in ipso propemodum limine, hoc est, ad libri quarti initium substitit, diffisus, ut ipse fatetur, probitati librorum suorum. Quo magis tua ex antiquo codice excerpta videre desidero. Mereretur profecto ille scriptor, ut purior, quam hactenus, in manus hominum veniat. Sed sperare id vix licet, nisi tua ope fuerit adjutus. *Boschius* noster sperare me jussit ex Bibliotheca *Menzonidae* Hygini Astronomicon cum antiquis MSS. collatum. Otium modo & vitam non nimium brevem obtineam a Deo meo, edam & illud aliquando cum Scholiaste Germanici. Placuisse tibi locum ex Isidoro de aeris Corinthii origine, est quod impense gaudeam. Insignis profecto heic ejus, non indocti alioquin hominis nec inepti, fuit incogitantia, quod in re tam aperta sequi maluit unum delirantem Trimalchionem, quam tot certos historicos. Mirum, ni hoc quoque, quod lib. xx. cap. 3. scribit, *Nam mus terra est, unde & humus*, hausit ex male intellecto loco Petronii, *mus, imo terrae tuber*. Praeterea, ut *corneolum* Petronius hominem solido & bene compacto corpore dixit, ita ille lib. xvi. cap. 3. *cornea corpora nauticorum*. In eodem Fragmento (pag. 36. Ed. Blaw.) *nihil sine ratione facto* legitur. An *rò facto* in *facio* recte mutarint, nonnihil addubito. *Scripto* sane & *lecto* dixit Horatius, Festus in *nare*. *Natare igitur est saepius nare, ut dubitare, factitare*. Leidensis Bibliothecae membranae, quibus ad tempus usus sum, *dictare, factare*. Quam puto genuinam esse lectionem. Admonet me Festus alterius loci Petroniani, qui pag. 33. legitur. *Timeo, ne jam concepta sint*, hoc est, pullum conceperint, in pullum coierint. Putes ad eundem modum *conceptam alvum* dixisse Festum

in *Egeriae*. *Quod eam*, inquit, *putabant facile conceptam alvum egerere*. Sed Leid. eod. habet *alvo*. Unde ſuſpicor ſcripſiſſe, *conceptum alvo egerere*. Sic *alvo ejicere* dixit in *Exterraneus*; *Scraptas* idem vocatas ait mulieres nugatorias & deſpiciendas. Videtur mihi idem vocabulum reſtituendum Petronio, & legendum, *non pluris eam facies, quam ſcruptam, aut ſportam*, quod editiones praeferunt. Sed de eo tu, mi Patrone, videris, qui unus intelligis Petronium. Vale multum. Scribebam Delphis Batav. a. d. XII. Kalend. Februarias. Anni CIↃIↃCLXXVIII. qui ut tibi feliciter decurrat, deum immortalem veneror.

EPISTOLA CCCXLI.

NIC. HEINSIUS

Thom. Munckero.

Delfis.

VIX tandem, poſt continua valetudinis infirmae avocamenta bibliothecam excutere datum eſt, non quidem omnem, majori tamen ex parte. Quapropter promiſſi reus nunc mitto Aſtronomica Hygini cum quatuor ſcriptis codicibus Lutetiae a *Jano Vlitio* olim collata, quorum tres Petaviani, quartus Regiae bibliothecae. Aldinam editionem ſi non vidiſti, & hanc libens ſuppeditabo: Addidi & fabulas Hygini, quae ſtudiis meis olim inſervierunt, quamvis non magnae rei, ſi quid fortaſſis inde ornamenti editio tua mutuari poſſit, quod perexiguum aut nullum potius fore praevideo. Habes & Lactantium, ſeu quicunque eſt, qui argumenta fabulis Metamorphoſeon Naſonianarum addidit, collatum cum pervetuſto codice Florentino. De vetuſtis ejuſdem editionibus quod ſperare te juſſeram, nunc falſum me fuiſſe video. Sola enim haec, quam mitto, argumenta fabularum exhibet, cum tres quatorve hac vetuſtiores operum Naſonis editiones ea non agnoſcant, aliter ac eram opinatus. Ante Majas Kalendas Thermas Germanicas ſum aditurus, ut valetudini conſulam, tu interea utere, ut lubet, his libris. A Cl. *Daumio* parum opis exſpectandum Fulgentio e Barthianis Schedis invitus audio. E quibus haec mittit excerpta ad paginas editionis Comelianae. Ob ea, quae ad Petronium proxime annotabas, plurimum te amo, quae meis animadverſis ingens ornamentum accedent. Paterculum typis ſuis nuper deſcripſit *Elzevirius*, cui notas breves addidi, quae tamen quando lucem ſint aſpecturae haud ſatis ſcio, quod ſubitanea *Elzevirii* in Britannias profectio opellam hanc abruperit. Vale, vir praeſtantiſſime. Vianae ad Leccam CIↃIↃCLXXVIII. prid. Kal. April. Gregor.

EPI-

EPISTOLA CCCXLII.

THOM. MUNCKERUS

Nic. Heinſio.

Vienam.

ERgo evenit hoc, quod de valetudine tua metuebam ego, vir illuſtris? Nimium inique, ſi dicere fas eſt, comparatum eſt cum rebus humanis. Valido & vegeto ſunt corpore inutilia terrae pondera, quae nata, ut eſſent, crederes: viri ſapientes & ornamenta aevi ſui cum morbis & doloribus tantum non perpetuo conflictantur. Vix adeptus plenum robur ſuum animus eſt, cum langueſcit illico corpus. Abſtinendum tamen ab iſtis querelis, ne quis coelum, ut ſapere videamur, vituperare nos forte dicat. Quos ſtudiis noſtris ſuppeditaſti libros, praeſtantiſſimi ſunt profecto, & auro contra non cari. Lactantium longe alia exhibet facie Florentinus ille codex cum vulgatis a te commiſſus, ut & vetus Naſonis editio, comes ei data. Imo, niſi multum fallor, expreſſa iſta ex codice illo eximio; adeo in omnibus conſpirant. Niſi tu nevis, mi patrone, τὸ κείμενον, quod textum vulgo vocamus, ex illa editione deſcribi faciam, & ſicubi in minutiis quibuſdam variet, ex tuis excerptis emendabo. Quaeſo te, de propoſito hoc noſtro quid ſentias, & ubi excuſus ſit liber iſte (eſt enim, ut noſti, ἀκέφαλος) reddas nos certiores. Quod de notulis noſtris mentionem facis, etiam id animum tuum indicat, homini huic praeter omne ejus meritum inſigniter faventem. Memini ſcripſiſſe me aliquid de *ovis conceptis* apud Petronium, & quaeſiſſe ea occaſione τὸ *conceptum* an alibi active reperiatur. Inveni poſtilla in Maronis culice, *Foemineum concepta decus*. Sed locus is an menda omni vacet, non meum eſt judicare, ſed tuum. Dubito nonnihil, an miſerim tunc temporis locum inſignem & plane mirificum, qui eſt apud Tertull. libr. ad Scapulam cap. 4. *Satanam in omni averſatione & aſpernatione & deteſtatione pronuncias*. Idem alterum hunc, etſi non tanti momenti, non ſpernendum tamen, ejuſdem libri cap. 6. *Cujus es totus, qui tibi omnia eſt*. Pro Barthianis conjecturis gratias cum Cl. *Daumio*, tum etiam tibi memini longe gratiſſimas. Meliores ſunt, quam pleraeque illarum, quae in ejus libris publicatae ſunt. Sed in prooemio *Meles quoddam carminis expectorabat*, non valde arridet; cum *expectorare* veteres pro pellere & abigere ex pectore uſurparint. Certe *expectabat* praeferam. Sed verbum id non puto ferendum in Petron. cap. XVII. *Attoniti exſpectavimus lacrymas ad oſtentationem doloris paratas*. lego, *adſpectavimus*, fleverat enim jamdiu iſta nequiſſima. lib. 1. cap. 18. *Mercicurium* elegans eſt. cap. 25. *amabiliſſimus auctor* probarem protinus, ſi certum eſſet, de Teio loqui illum Anacreonte. Sed non unus eo nomine celebratur a veteribus. lib. 11. cap. 6. *Improviſibilis latro* probo. Etſi non ignoro *impoſſibilem* pro impotente, & *impoſſibilitatem* poni pro impotentia apud hoc genus ſcriptores. lib. 11. cap. 15. *In femore inſuit*, cum pridem & mihi in mentem veniſſet, inveni poſtea idem quoque in margine libri Tolliani.

lib.

lib. III. cap. 9. *Aliena fulcando sua utilius pascunt.* Vehementer placet. Visum ab Isidoro Fragmentum Tragurianum, nullus, opinor, dubitas amplius. Facit ad hoc probandum forte etiam illud lib. VI. Orig. cap. 5. *Romae primus librorum copiam advexit Aemilius Paulus.* Tametsi ita etiam Obsequens cap. 43. *Ne unquam Romae reverteretur*; & quod ex veteribus hausisse videtur Charisius Gram. lib. II. *domi venit.* Gregorius Dialog. lib. III. cap. 4. *Corinthi devenit.* cap. 6. *Appiae carpebat iter.* Sed ibi viam potius intelligit. Soloecissat ergo non solus Trimalchio, cum dixit, *Capuae exierat.* Sed quando in publico videbimus Trimalchionis coenam, tuis commentariis tam luculenter illustratam? dici vix potest, quam avide ab omnibus, quibus hae deliciae cordi, exspectetur. Vale multum & diu vive feliciter, decus unicum literarum. Scribebam Delphis Batav. postrid. Nonas Apriles Anni CIↃIↃCLXXVIII.

EPISTOLA CCCXLIII.

NIC. HEINSIUS

Thom. Munckero.

Delfis.

Litteras tuas quo frequentiores hoc acceptiores ad me perferri, non est quod abs te dubitetur, cum semper emolumenti ac profectus nonnihil studiis meis inde accedat. Nam quod iis rescribo quandoque tardius, tota valetudinis culpa est, quae nolenti ut plurimum imperat, ac officiis praestandis ut desim, facit. Lactantium, sive quicunque is est, qui argumentis jam olim fabulas Metamorphoseon Nasonianas illustravit, non ingratum tibi venisse est sane, cur impense gaudeam. Quamquam metuo, ut manum meam in iis, quae mihi soli scripseras, satis assequaris. De editione ejus libelli statues pro arbitrio. Ipsarum Metamorphoseon cum inter numero propemodum infinitos, quos oculis meis usurpare contigit, in pulvere veterum bibliothecarum, codices nullum viderim hoc S. Marti Florentino exemplari praestantiorem, de argumentis, quae in membranis recentioris notae foedum in modum sunt interpolata, quamquam in plerisque codicibus scriptis Nasoniani operis desiderentur, facile per te judicabis. Vidi in Bibliotheca Magni Ducis Laurentiniana haec argumenta in codice chartaceo seorsim descripta sine Nasoniano poëmate, cum hoc titulo, *Donati breviatio fabularum Ovidii.* Typis descriptam editionem Venetiis opinor esse procuratam Anno MCCCCLXXXVI. quod alicubi in ipso codice a typographo designatum invenies. *Ova concepta* apud Petronium interpretabar pro pullis in ovo conceptis, ut foetum in utero materno conceptum apud alios scriptores. Codex Maronianus foediſſime depravatus est etiam in antiquissimis membranis, quominus editis in publicum ejus exemplaribus credendum. Vale Vianae XVI. April. CIↃIↃCLXXVIII.

EPI-

EPISTOLA CCCXLIV.

THOM. MUNCKERUS

Nic. Heinſio.

Vianen.

DE Lactantiano exemplari quae docuiſti me proxime, ingratiſſimus merito dicar, ſi non protinus, quam mihi grata acciderint, ad te reſcribam, vir illuſtris: tametſi vereri interdum ſubit, ne crebra iſta interpellatione impudentiae incurram crimen, vel ex ruſticis illis eſſe videar, qui verba honoris non intelligunt. Sed tu pro reliqua indulgentia tua ſumma illi, quo te proſequimur, amori, quicquid heic deliquimus, non aegre, ſpero, donabis. Amo te quidem, ut familiarem, ſed eo non minus, ut virum maximum, & ſaeculi hujus aeternum decus, ſuſpicio & veneror. Utinam modo diu te nobis, ſed vegetum magis, quam ab aliquo jam tempore, & valentem fata ſervent, quo praeclara illa ingenii tui monumenta, quae in ſcriniis adhuc habes, communicare cum orbe literato tibi liceat. Illorum, quae ad Hyginum congeſſi, brevi ſpecimen me primum ſperare juſſit ex typographia ſua *Lerſius*. Quod ideo ſignificandum tibi putavi, quia id juxta mecum gaviſurum nullus dubito. *Boſchius* noſter edere parat Phaedri fabellas; in quas ſi nonnulla, quae nunquam antehac ſint vulgata, poſſideas, ea ut ſuppeditare illi velles, rogare me comiter ſuo nomine juſſit. Per valetudinem tuam fieri, quo minus deſcribere hactenus potueris, quae ad coenam Trimalchionis tam docte & eleganter commentatus es, dici haud poteſt, quantopere doleam. Cum hiſce diebus ridiculo illo carmine, quod judicium coci & piſtoris inſcribitur, me oblectarem, advertit me iſte verſiculus,

Me ſterilem Niobe, linguam Philomela rogat me.

Sed *ſtericula* aliorum non diſplicet in Petronii illo loco, ubi Tragur. Codex exhibet, *ſteriliculam*, quaſi τὸ *vulva* eſſet intelligendum. In eodem poëmate inveni etiam *coptoplacentas:* Ita enim in illo verſu legendum,

Nos facimus populo ſtudioſi coptoplacentas.

Comptolacentas perperam ediderunt. In Petronianis pridem editis vereor ut ſana ſatis ſint illa cap. 131. *Totoque corpore in amplexum ejus immiſſus non precantis uſque ad ſatietatem oſculis fruor.* Mallem, *non deprecantis*, vel *non recuſantis.* cap. 86. *Ad hoc votum ephebus ultro ſe admovit, & puto vereri coepit, ne ego obdormiſſem.* Praeferam, *obdormiſcerem.* cum ὑπερσυντελικῷ uti pro imperfecto Afrorum ſit. Tu haec me doces? inquies. Sus Minervam? nihil minus, mi patrone. Sed amorem tibi meum, quo ſcriptorem illum proſequor, oſtendo, ſi tute inter alia & eo paulo magis ſtimulere ad tuas in eum animadverſiones publicandas. In Phaedrum conjecturas meas, quas pluſculas *Boſchio* ſuppeditamus, brevi admodum videbis publicatas. Sed poſt tot tantorumque virorum in iſta arena exantlatos labores, nimis improbum fuerit, adhuc inde velle ſperare laureolam aliquam; quam tamen noſtrorum in Hyginum & reliquos My-

thologos commentorum editionem non omnino desperamus. Vale multum, & diu vive feliciter, nobilissime & humanissime Heinsi. Delph. Bat. a. d. v. Idus Majas Anni CIↃIↃCLXXVII. *Verwejus* ille, qui tertianos hoc docebat, vocatus est hinc ad Gaudani Gymnasii regimen.

EPISTOLA CCCXLV.

NIC. HEINSIUS

Thom. Munckero.

Delfos.

SErio tandem cogitare typographum de Hygino tuo in publicum dando, quod narras, vix credas, quanta voluptate me perfuderit hic nuntius. Scriptor quod non longe ab initio operis [1] *Axenum* recenseat inter fluvios, alias, puto, subindicavi locum vacare mendo. Designari enim hoc nomine Euxinum pontum, qui Ἄξεινος, & licentia Poëtica Ἄξενος olim sit nominatus, ut testantur cum alii ex antiquis, tum Naso in Ponticis, *Dictus ab antiquis Axenus ille fuit.* Uti inde liqueat quodammodo haec, ut multa alia, e Graecorum commentariis ab Hygino, vel quicunque Mythologiae hujus auctor est habendus, esse deprompta. At quis locus Euxino, inquis, inter fluvios? Certe fluvii nomen latius se extendit apud Graecos Poëtas, quam Latinos. Praesertim cum Euxini aquam marina dulciorem esse, ac proinde gelu facilem in modum concrescere veteres observent, compluribus septentrionis fluviis in eam sese exonerantibus. Magis mirum utique, quod Hesiodus in Θεογονίᾳ, εἰκοσὶν ποταμὸν dixerit, & Apollonius Rhodius lib. IV. Aegeum mare simili modo Αἰγαῖον ἰδάμαντα ἰκοσταόμοιο ποταμοῖο. *Baschium* nostrum de Phaedro edendo cogitare si resciviſſem maturius, poterant nonnulla a me congeri, ornamentum qualecunque operi latura. Hunc scriptorem cum suis illustraret lucubrationibus Cl. *Schefferus*, complura suggessi, quae ille annotatis suis majorem partem inseruit, nec tamen omnia. De nonnullis certe post profligatam editionem a me monitus, quae cum perscripsissem, negavit eas litteras sibi fuisse traditas. Ut lib. V. Fab. LXXXVI. ubi bis *verum* pro *verrem* legitur. *Verrem subesse pallio contenderent*, &, *pervellit aurem verri, quem celaverat.* Ibidem codex scriptus Pithoei, *multis onerant lancibus*, non *laudibus.* Quomodo editum oportuit. Mittebant enim munera esculenta spectatores in lancibus actori ludorum aut gladiatori, si cui favebant. Vetus Epigramma in Catalectis Martiali adjudicatur a *Scaligero*, cujus initia, *Cum traheret Priscus, traheret certamina Verus.* Habes ejusmodi munera multa a Domitiano, *quod licuit lances donaque saepe dedit.* Sic & in sacris apud Maronem, *lanceque & liba feremus.* Ibidem legendum, *Facturus ludos quidam nobilis*, aut si vulgatum retinemus, ita capiendum τὸ *nobilis.* Ibid. l. c. Pithoei, *Et derisuros non spectaturos sitis.* lege, *jam favor mentes tenet, Ut derisuros non spectaturos scias.* Vale 12. Maji CIↃIↃCLXXVIII.

[1] Vide Munckeri notas ad Hygin. pag. 5.

EPI-

EPISTOLA CCCXLVI.

THOM. MUNCKERUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

VIvere tam memorem noſtri ut gaudeo vehementer, ita dolet mihi ex animo adhuc dum cum iniqua valetudine te conflictari, mi Patrone. Sed dabit, ſpero, benignum numen huic quoque malo brevi finem. De *Axeno* quae obſervaſti, erudita omnino ſunt, ut omnia tua. Gratias pro illis tibi habeo, quas debeo, immortales; nec minores pro donato mihi Velleji tui exemplari: quod perquam avide una cum tribus illis, quae *Wallio* & *Bleiſwiciis* deſtinaſti, indies exſpecto. Quae in Phaedro feliciſſime reſtituiſti, ea cum *Boſchio* protinus communicavi. Hagenſem illum bibliopolam hominem ſcito eſſe inſignis levitatis, ne quid in eum dicam gravius. Quid enim? novem jam vel decem ſunt menſes, cum mea opera commentario perpetuo illuſtratos ſuſceperat excudendos Mythologos, quos inter Principes eſſe noſti Hyginum & Fulgentium. Illud opus cum per amanuenſes deſcribendum illi curaſſem, & jam jam primum ejus praeli habiturum me ſperarem ſpecimen, ecce ibi derepente ille nebulo minutulo typo Graeco deſtitutam caulatur ejus officinam, cujus opera uſurus eſſet; nec adduci poſſe, ut tantum impenſarum faciat. Etſi credo hominem mentiri improbe, vide tamen mihi puerilem temeritatem condicentis, quod an praeſtare poſſit, ipſe ignorat. Haec ideo apud te queror, Heinſi nobiliſſime, cum quia ego favere te, etſi praeter omne meritum meum, ſtudiolis noſtris, habeo perſuaſiſſimum, tum etiam quod unus literarum tantum in hac noſtra Belgica pater es & Princeps, ſed & literatorum patronus unicus. Inter illos tametſi nomen meum cenſeri haud poſtulo, bonae tamen mentis profiteri cultum non nimis arroganter poſſe videor. Nec alia mihi mens fuit, cum primum publicare illa, quae ad fabularem hiſtoriam illuſtrandam congeſſeram, te audendi auctore, conſilium cepi. Quid nunc das conſilii, pater? Typographi illi majorum gentium *Elzevirii* vel *Hackii* ab infimi ſubſellii magiſtello vix credent quicquam poſſe proficiſci, quod aetatem ſit laturum, niſi tu iſtam opinionem ex animis illorum evelleris. Quod occaſione data, ubi volente bono deo cum ſalute redieris in gratiam, facturum te aliquando non deſpero. Alioqui, ſi hoc nihil ſit, ad aliquem ex Germanis, quibus vilior eſt opera typographica, decurrendum erit. Nam tot vigilatas noctes Vulcano ſi temere dedero, aequo fortius videri poſſim ulciſci dolorem meum. Hyginus cap. 134. ubi fabulam de nautis Tyrrhenis narravit, addit tandem: *unde Delphini Tyrrheni ſunt appellati, & mare Tyrrhenum eſt dictum.* *Rykio* noſtro videbatur legendum, *unde Delphini nutriones ſunt appellati.* Sed tu illis verbis, *ex illa Tyrrhenorum transformatione originem ducere Delphinos, qui in mari Tyrrheno adhuc ſunt frequentes*, velle illum antehac me docuiſti. At poſtea apud Senecam Agamem. verſ. 451. cum legerem: *Tyrrhenus omni piſcis exſultat ſalo.* h. e. Delphin, ſuſpicari

coepi *Tyrrhenum piſcem* κατ' ἐξοχὴν dictum Delphina. Eſt mihi lis cum *Perizonio* de loco Servii ad Aen. III. 466. *Jupiter quondam Hebae filiae tribuit duas columbas humanam vocem edentes* &c. Cenſet ille errare Servium, & perperam Hebae filiam facere ex Thebe Jovis nutrice, de qua Hyginus cap. 275. Etiam a Silio hanc deſignari libro III. extremo, cum canit: *In gremio Thebes geminas ſediſſe columbas*. quod non nego. Sed in Servio nihil eſſe mutandum arbitror niſi τὸ *Hebae* in *Thebae*. Thebae enim Aegyptiae ſecundum quoſdam a *Thebe* Jovis filia dictae, ut multis docet Tzetzes ad Lycophron. pag. 180. Ed. Steph. Idem Servius ad ejuſdem libri verſ. III. Corybantes *Jaſonis* facit filios. quam legiſſe alibi genealogiam haud memini. Forte corrigendum, *Apollinis* ex Tzetz. in Lycophron. pag. 19. Sed de hoc tu, rogo, per otium attentius cogites, ut & de verſiculo, quem ex Seneca modo produxi. Deus te mihi & omnibus bonis per multos adhuc annos conſervet. Delphis Batav. a. d. v. Idus Junias Anni CIↃIↃCLXXVIII.

EPISTOLA CCCXLVII.

THOM. MUNCKERUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

UTrum tibi pro aureolo Vellejo illo prius, an pro data tam benigne opera, in promovenda editione Mythologorum noſtrorum, gratias, vir illuſtris, agam, ut anxius haereo, ita immortales utroque nomine debere me cum facile video, tum lubens agnoſco. Quae ingenua & ſimplex confeſſio, ſi recte novi incomparabilem humanitatem tuam, pluris tibi erit, quam quaelibet, ut ut compta & nocte meditata oratio. Tametſi a nequiſſimi illius typographi refrigeratus aliquantulum ſum perfidia, non deſiſto tamen, quae affecta utcunque habeo, praeſertim autem commentarium Fulgentianum, in quo deſcribendo nunc multus ſum, exaſciare pro mea virili. Etiam Lactantianis argumentis jam manum admovere coepi, videorque in illis integritati priſtinae reſtituendis vel praecipuum operae facturus pretium, adeo quo magis Venetam tuam evolvo editionem, eo evidentius ſe prodit praeſtantia MS. illius codicis, cujus a te nobis ſuppeditata excerpta. Phaedrum ſuum non ante dies caniculares, quod ſcholis habendis, ex aliquo jam tempore valde diſtrictus fuerit abſoluturum ſe autumat *Boſchius* noſter. Typographum interim, qui curas ejus excudat, in hoc oppido inveni. Caſtigationes tuas Vellejanas judicio prorſus admirabili conſcriptas ſumma cum voluptate nec minore fructu paene jam omnes evolvi. Dignus ſane erat tanto vindice politiſſimus ſcriptor, ad quem etiam a me triviali Critico inter legendum annotata obiter olim nonnulla, quorum heic mitto guſtum, ſed ad palatum tuum parum, opinor, facientem. Petro-

1. Non operae pretium viſum ſchedam, in qua quaſdam ad Vellejum conjecturas ſcripſerat, hic adjicere, cum omnes paene ad verbum curis ſuis ſecundis, grata cum *Munckeri* mentione, inſeruerit *Heinſius* & mox Epiſtolis ſeqq. reſponderit.

troniana tua, opus tam delicatum, ut prodiiſſe vix quicquam crediderim elegantius, utinam tandem aliquando committeres publico! Ex quo a te primum conciliatae mihi fuere epulae illae Trimalchionis, ſaepius exinde cum heroe iſto, & quidem ſuaviter coenavi. Nondum triduum eſt, cum haec inde mecum tuli analecta. Cap. 33. *Timeo mehercules ne jam concepta ſint. tentemus tamen. Si adhuc ſorbilia ſunt, ſorberi poſſunt.* Poſtrema duo vocabula etſi in vulgatis non comparent, addita tamen a Petronio ſuſpiceris, ut ſtulta oratio ſtultitiam proderet Trimalchionis. *Ova concepta* pro illis poni, quae in pullum coierint, mirari non immerito antehac videbar. Repperi tamen poſtilla non diſſimilem in modum *ovum abortivum* dici a Martial. lib. VI. 93. Cap. 41. *Staminatas duxi, & plane matus ſuum.* Pro *ſtaminatas* eſſe legendum *heminarias* a te, ni fallor, didici. τὸ *matus* vel *mattus* vindicat etiam Ciceroni *Salmaſius* inter variorum notas ad Martial. lib. VII. 72. Cap. 36. *Carpe, carpe.* Juvenal. Sat. IX. 109. *Archimagiri, Carptores.* Schol. *Infertores, qui illata carpunt.* malim, *infertores, & qui* &c. Neque enim *infertores* iidem & *Carptores.* Cap. 36. *Magiſter ejus ſibi placens ſit.* Convenit huc quod in Gloſſ. Philox. legitur, *ſibi placens,* αὐθάδης. Cap. 50. *Statuncula.* Vet. Gloſſ. Fragmentum a Barthio publicatum Adverſ. lib. XXVIII. 19. *Icomiſna, vel Icoſma, ſtaticulum, ſtignia.* lego, *Iconiſma* & *Statunculum.* illa *vel Icoſma* a librario videntur profecta. Etiam *ſignum* pro *ſtignia* malim. Quanquam nec hoc abſurdum. Cap. 78. *Certe in loco adhuc amphoras habebant.* lego, *in loro,* vel *ambo.* Sed prius verius puto. Cap. 72. *vero, vero, inquit Habinnas de una die duas facere nihil malo.* Volui antehac, *ego vero.* ſed *vero* pro *etiam* vel *ita* ad eundem modum ab initio periodi ter poſitum oſtendit a Cicerone ipſo *Giphanius* Append. Obſervat. pag. 283. Simile ergo illud in editis: *Ita, ita, inquit, Quartilla.* Quae deinde ſequuntur, niſi orationem infinitivam pro ablativo, ut loquuntur, accipi placet, vel de induſtria ſoloecam orationem tribuit Habinnae, ita ordinem: *nihil malo, quam de una die duas facere.* Plura erant, & longe his, credo, ineptiora; ſed abuti otio tuo diutius non audeo. Vale. Delphis Batav. poſtrid. Nonas Quinctiles Anni CIↃIↃCLXXVIII. *Bleiſvicii* pro Vellejo gratiſſimas tibi meminerunt gratias. *Wallio,* cum forte is Amſtelaedami id temporis eſſet, *Elzevirius* ipſe dederat eum libellum.

EPISTOLA CCCXLVIII.

THOM. MUNCKERUS

Nic. Heinſio.

Viennam.

QUid reſponſurus ad illa ſit, quae commendare nunc nuper ei de meliore nota es dignatus, *Elzevirius* tuus, vir magne, avide valde exſpecto; nec minus nobiſcum ampliſſimus *Kinſchotius*, qui & ipſe pro caetera humanitate ſua cauſam noſtram apud hominem illum egit perquam diligenter. Sed hoc tute ſatis noſti, ut ſcribi a me nihil ſit neceſſe. At reperiſſe me heri puto,

quod mitti ad te, nisi multum fallor, & placeo mihi nimium, ipse non indignum judicabis. Nosti quaesisse te antehac, quid in Petronii fragmento esset, Cap. 45. *non est mixcix*. Torsi me diu, nec tamen quo mitterem suspiciones invenire poteram. Nunc dejerare ausim, scriptum fuisse, *non est cimbix*. κίμβιξ est μικρολόγος περὶ τὰ χρήματα, homo parvi animi & contracti, sordidus, illiberalis. At hoc ipsum est, quod heic flagitat sententia. Ejusdem Fragm. Cap. 53. *Ortum ex aedibus naste villici. Nocte* ediderunt Patavini perperam. Scribendum, *Nastae*. Servile id nomen etiam apud Martialem occurrit lib. IX. ep. 88. *Modo liberum esse jussi Nastam*. Cap. 71. *Quemadmodum te jussi*. Exturbant e Latio phrasin istam *Scioppius* Differt. de Stylo Histor. *Vossius* Construct. Cap. 36. *Gronovius* ad Martial. lib. IX. ep. 66. Latine ergo non scivit Hyginus meus Cap. 196. *Nam jussit eos, ut in feras bestias se commutarent*. Nec Appulejus in Floridis. *Aegrum jubet ut bono animo sit*. nec Cyprianus Singular. Cleric. *Qui ergo nos jussit, ut in sacris suis cum foeminis triumphemus*; Nec Quintil. Declamat. tertia: *Ferres dicentem, jussit me tribunus?* Hinc *juberi quid aliquis* dicitur, cui aliquid imperatur. Quinctil. Declam. v. *Quid imprecer homini, qui primus fecit, ut pietate juvaremur?* Corrigit Gronovius, *ut pietatem juberemus*. Omnino legendum, *ut pietatem juberemur*. Sequitur paulo inferius: *quamquam & huic jubetur necessitati pietas vestra succurrere*. Eodem Cap. *ne effluant vinum. Effluat* correxerunt Patavini. Frustra. *effluere* active usurpatum est, ut *emanare*. Incertus auctor de Ortographia. *Emanat fons sive terra aquam, id est, gignit & producit*. Catal. lib. I. *Effluas dulcem liquorem comparandum nectari*. Pithoeus emendat, *ut pluas*. nihil erat necesse. Cyprianus pag. 108. Edit. Gryph. *Quod in mentes nostras dominus influxit*. Minucius Felix Octavio: *Licet terram fundaverint pondera, licet mare influxerit liquor*. Cap. 63. *Et qui volebat poterat Jovem iratum tollere*. Omiserunt ut supervacuum το *poterat* Patavini. Ego legerim, *Et qui, si valebat, poterat*. Cap. 53. *Puerum jussit per gradus in summa parte odaria saltare*. An scripsit? *jussit ire per gradus & in* &c. Cap. 67. *Stateram afferri & circulatum* &c. lego, [1] *& singulorum pondus approbari*. Cap. 68. *Abjectum aut diminutum clamorem*. Videtur oppositio flagitare, *adjectum*. Cap. 57. *Lamellulas paravi*. lego, *lamnellulas*. Cap. 61. *propter res venerarias*. Corrigunt *venerias*, nihil puto necesse. *Venerari* est ἀφροδισιάζειν apud Hyg. cap. 73. Occurrit eadem vox apud Cyprian. Tract. de Aleat. *Scimus quoniam foris maleficus & venerarius*. Quo loco Venerarium esse putat Pamelius, qui veneratur idola. At mihi certum legendum ibi esse, *venenarius*, h. e. φαρμακὸς. Respexit locum Apocalyps. XXII. vers. 5. Inter caetera opuscula, quae eidem Cypriano adscribuntur, est *dispositio coenae* valde illa ridicula, & tanto viro indigna. Initio ejus legitur: *Igitur, qui temperius loti in Jordane, adfuerint in convivio. Tunc commundavit Naaman, aquam sparsit Amos*. Pro *temperius* procul dubio legendum, *temparius*. sed *commundavit* perperam in *tomvendavit* mutat Rigaltius. *Commundare mensas* memini me nuper restituisse etiam Petronio. Inser cibos, qui in coena illa positi sunt, *Polypum decoctum Pollucis, turpitudinem*

1 Ita *Tilebomius* jam conjecerat.

Lea. An *turpitudo* heic est ἀσελγοφαγία Petronii? non dixerim. Lego, *torpedinem*. Vale multum, mi patrone, & vive diu feliciter. Delphis Bat. Postrid. Kalend. Sextiles Anni CIↃIↃCLXXVIII.

EPISTOLA CCCXLIX.

NIC. HEINSIUS

Thom. Munckero.

Delfis.

RUbore tacito equidem mihi suffunduntur ora, quoties cogito, quod sit frequentissime, responsum a me deberi ad tuas epistolas, easque ut fruge plurima rerum referas, sic mihi perquam acceptas. Sed virium mearum non est legem valetudini & diuturnae & perquam incommodae dicere, quae me hactenus ab officio, quod tibi praestitum unice voluissem, invitum avocavit. Augurabar adhoc fore, ut *Elzevirius*, quocum egeram per litteras de Mythologis tuis suo praelo committendis, responsi nonnihil ad me daret, qui quia spem meam frustrari pergit pertinaci ac insueto silentio, recurrendum duxi ad opem *Graevii* nostri, si is forte apud suos typographum operi tuo indagaret. Sed & ille negat quemquam eo impelli posse, post tentamenta sedula, quod per hanc temporum calamitatem a manifesto lucro plerique deterreantur: causatos praeterea, Hygini Schefferiani plurima in bibliopoliis passim inveniri exemplaria, nec merceem hanc satis esse vendibilem. Certe a *Plumero* bibliopola impetrare non potui, ut Valerium Flaccum a me recognitum, & jam ante annos complures, typis suis det publico, missa ante sex menses jam in eum praefatione, quam paene cum convicio urgebat ipse & flagitabat assiduus. Sed & *Elzevirius* apud me aliosque questus est per chartae inopiam fieri, ne Holstenianis in Stephanum Byzantium annotatis edendis manum admoveat, quod facturum se spoponderat anno proxime decurso, eamque causam esse, ut nec *Gronovii* Livium absolvat, nec in Cicerone *Graevii* nostri pergat, ut pridem coepit. Incipiunt nunc adfulgere pacatiora tempora, quae spondent fore, ut minus difficultatis posthac sit devorandum iis, qui rei litterariae scriptis suis, ut tu, egregie laudabiliterque consultum eunt. Scripsi hesterno die denuo ea de re ad *Ryckium* nostrum, multisque obtestatus sum, omnem uti moveret Lugduni lapidem, si quis illic inveniri posset librum editurus: nam in illo uno reliquum omne spei nunc vertitur. Si hic quoque frustra erimus, non dissuaserim, ut Fulgentio Lactantioque typographum circumspicias, Hyginum servaturus, dum ex hisce temporum angustiis nonnihil emergamus. Ad Vellejum quae annotasti, lubenti equidem animo, ut tua soleo, perlegi. Nam quod multa laude cumulas opellam hanc nostram, subitaneae nec satis meditatae scriptionis calore primo in publicum prolatam a destituto libris paene omnibus, benignitatis tuae id omne est, & eximii adfectus, quem mihi soles praestare, non mei meriti. Multa exinde ad limam revocavi exasciata, addidique prioribus, postquam copia mihi facta est bibliothecae meae, ut opusculum ter-

tertia parte nunc auctius castigatiusque possit publico permitti: libro 11. cap. 17. apud Paterculum *τὸ factum* tuebatur eodem modo, quo tu, Cl. *Graevius*, nec repugno. Cap. 33. *& qui* pro *ut qui* dederunt perperam operae typographicae: quae non hoc uno loco peccarunt in mea editione, nam *qui* Rhenani codex quoque praefert. Mox *Neuterque ab eo qui arguebatur*, valde mihi arridet. Cap. 68. *umbram facit* de eo diligentius cogitabo. Cap. 76. *eo fraudabo* placet. nam *τὸ in* plurimis locis ab inscita manu est inculcatum. Cap. 85. *ne dubites*, sic & ego legebam, sed aberravit, ut saepe alias, typographi manus, qui *non* pro *ne* dedit. *Ut ne* (vel *ne*) *dubites*. Cap. 87. placet conjectura tua, sed *τὸ immorsum* nolim mutari, quod curis secundis uberius adstruxi. Sic apud Symmachum lib. 1. Ep. 24. *admorsus. ne libellus tuus admorsu duri dentis uratur*. Nec habeo quod caeteris a te observatis opponam: facitque gustus horum omnium tam delicatum, tamque exquisitum, ut reliqua, quae ad hunc scriptorem annotasti, flagitare ausim. Complura ex meis retractavi. CIↃCIↃLXXVIII. 3. Novemb.

EPISTOLA CCCL.

THOM. MUNCKERUS

Nic. Heinsio.

Vianam.

UT laetius accidere mihi nihil potuit, quam quod ex literis tuis suavissimis perspexi, quam constanter & longe ultra meritum meum in studiolis nostris fovendis perseveres; ita acerbissimum contra fuit, quod adhuc conflictari iniqua te valetudine eaedem nuntiabant. Sed dabit, spero, tandem, dabit finem huic quoque malo aliquando dei benignitas: quam eo nomine, id quod unum possumus, votis & suppliciis sollicite fatigamus. Quod irritus omnis fuerit labor, qui hactenus in quaerendo typographo, qui Mythologica nostra excudat, a nobis est adhibitus, in eo agnoscere me oportet insignem fortunae, vel potius fati mei iniquitatem. Quid enim reputem aliud? Ecce etiam *Johannes Somerus*, Amstelodamium illum dico Bibliopolam, etiam ille *Somerus* spem nostram fefellit, tametsi non sua culpa. Febri enim exstinctum virum optimum magno cum dolore accepi. Spero tamen fore, ut haeredes impleant, quod ille morte praeventus praestare minus potuit. Staturus enim bona fide promissis videbatur, cum ultro operam suam obtulerit. Sed missis ingratis istis & funestis, redeo ad literas tuas, quae in manus profecto nunquam sumo, quin deosculer. Tam mellea earum suada, tam erudita oratio, ut dictatas ab ipsis Musis censeas. Quod conjecturam nostram *non est cimbix* non omnino absurda tibi visa fuit, instar hoc quamlibet magni mihi operae est pretii, tametsi libens fateor tuum *myxus* loco illi fore non paullo accomodatius. Sed libet scire de [1] *vavatone*, qui tamdiu nos exercuit, quid tandem feceris. Venit nuper admodum in mentem *Bobatorem* scripsisse forte Petronium. Gloss. Philox. *Bobantes*, Βοῶντες. *Boba-*

1 Vide notas nostras ad Petron. pag. LXIII.

Digitized by Google

Bobari sive *Baubari* est βαύζειν, ὑλακτῶν. Proprium hoc canum quidem, sed ita tamen, ut perquam crebro ad homines transferatur. Etiam Batavi nostri *een Keffer* garrulum appellitant. Sin minus hoc arrideret, non ineptum videbatur *blatone*, ut prima syllaba perperam fuerit geminata a librario, quemadmodum in *babecelis* pro *bacelis*. Gloss. Philox. *Barbo*, βάκηλος. leg. *baro*. Glossae eaedem: *Blato*, ματαιολόγος. *Vaniloquus*, *blato*, ματαιολόγος. Cap. 64. *Inter quam risum*. lego, *interque ea cum risu*. Cap. 66. *Saucunculum*. lego, *lucunculum*. De quo Scaliger ad Festum. Cap. 69. *nisi omnia ista defacta sunt*. Scheff. *de Karta*. Puto post τὸ *de* excidisse vocem. Cap. 71. *Valde enim falsum est* conjiciebam, sic pag. v. *insulsum est*. τὸ *in* absorbsit praecedentem vocula terminans. Cap. 62. *mihi in animo in naso esse*. Acutissime tu quidem, vir ingeniosissime, *mihi anima in ano esse*. Sed vide, si defendi, quod ego antehac volebam, *mihi anima in naso esse*, illo Anacreontis possit od. VII. Κεφδὶς δὶ μόνη ἄχεσι ἀνίβαινε. h. e. *tantum non animam agebam*. κεφδὶς enim ibi, quod heic anima. Cap. 61. *Et ipsius mappas implevimus*. leg. *& ipsi nostras mappas*. natum vitium ex compendio scripturae. Cap. 67. *au*, *au*. Male ista mutat Schefferus. Agnoscitur illa interjectio a Charisio sub finem lib. III. & saepe apud Terentium occurrit. Cap. 76. *Haec jactura mihi gusti fuit*. an *gutta?* Caeterum, quoniam tam benignus nugarum nostrarum es interpres, non dubito, quin aequi boni sis facturus, quae praeter ea, quae proxime mittebam, [1] ad Vellejum annotavi. Velleji tui exempla non ante venditurus dicitur *Elzevirius*, quam ea, quae ex Vossiana editione adhuc restant, distracta fuerint. Quod si ita &, te sciente fit, addere interim non incommode castigationibus tuis alterum libellum possis, qui curas secundas exhibeat. Ex Vlitianis illis excerptis, quibus beneficio tuo utor, vix credas, quam multa aliis hactenus invisa eruerim. Pro gustu sit hoc unicum exemplum. legitur lib. II. Astron. cap. 2. *Postea autem de septem stellis, ut Parmeniscus ait, quinque sunt a quibusdam astrologis constitutae, ut ursae species non septem stellis perficeretur. Micyllus* cum Sanctandreana, *quinque & viginti sunt*. quod firmant mss. 2. quanquam lib. III. cap. 24. XXI. numerat. Schol. autem Germanici XXIV. Sed nec dum restitutus integritati est locus, nisi mox legas cum 3. MSS. *Non septem stellarum*. h. e. septemtrionum. Qua lectione quid apertius? Qui signo illi figuram septentrionum dabant, VII. id stellis, qui autem ursae, XXV. deformarunt. Misere heic haeret Cl. *Schefferus*. Vale multum, unicum musarum decus. Delph. Batav. Postridie Idus Novembr. Anni CIↃIↃCLXXVIII.

Fragm. Petron. cap. 62. Quid est *Sudor mihi per bifurcum volabat?* an per nates & crura? Nam inferiora hominis in duas partes, velut furca bidens, divisa sunt. Horat. I. Sat. 9. *mihi sudor ad imos manabat talos*.

1 Et hic sequebantur quaedam in Vellejum conjecturae, quarum nulla erat, quae non legitur in Heinsii curis secundis a me in lucem prolatis.

EPISTOLA CCCLI.

NIC. HEINSIUS

Thom. Munckero.

Delfos.

DOmo aliquamdiu abfui; hinc altum inter nos tanto jam tempore ſilentium, cujus cauſam in me redundare non ſine multo rubore equidem agnoſco, Munckere clariſſime. Interim curas frequenter meas occuparunt Mythologi tui, quos ut vehementer cupio in lucem prolatos quamprimum videre, quod jubebant proximae tuae ſperare, ita metuo ne *Someri* typographi nuper e vivis ſubducti res, quas ſatis conturbatas reliquiſſe dicitur, ſpem noſtram aut differant ad tempus, aut omnino fruſtrentur. Ad Petronii Trimalchionem rarus deverto, cujus tamen tuae litterae, omni ſemper eruditione cumulatae, deſiderium acuunt atque accendunt nonnumquam. De *vavatone* ſeu *vavatore* congeſſi olim varia, ſed in quibus parum mihi ſatisfecerim. Fit quippe veriſimile omnino, non tantum Graeca complura huic libello inſerta fuiſſe, ſed Oſca etiam nonnulla, mendoſe poſt deſcripta a librariis. Campanos enim ac vicinos Campanis populos linguae utriuſque praeter Romanam gnaros fuiſſe, unde & *trucor* Ennius ſit dictus, quem Oſca quandoque vocabula annalibus ſuis adhibuiſſe conſtat, haud te praeterit. Nunc propemodum perſuadeor ut credam, formatum a Campanis *vavatoris* vocabulum, ex ſono, quem infantes recens nati primum edunt, *va va*, unde & *vagire* & *Vaticanum* agrum ac Deum Varro derivare contendit apud A. Gellium. Noct. Attic. lib. XVI. cap. 1. ut *Vavator* ſit infans, quomodo *baubator* a ſono canis. Porro *babaecali* cum bis apud Arbitrum in fabula Trimalchionis occurrant, vix mutandi videntur in *bacelos*. Conſervavit id nobis vocabulum Arnobii codex vetuſtiſſimus, & unicus Regiae in Galliis bibliothecae, etſi ante Salmaſianam editionem locus mendoſe ſit circumlatus, qui exſtat libro IV. de Jove. Nec injuria forſan dubitetur, an non apud A. Gellium quoque hi ipſi *babaecali* ſunt reſtituendi, ubi nunc *barboſculi* neſcio qui circumferuntur. Vale. 22. Januar. CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA CCCLII.

THOM. MUNCKERUS.

Nic. Heinſio.

Vienam.

DE Mythologorum noſtrorum editione, quam curae non parvae tibi eſſe tam amanter ſignificas, ex literis iſtis viduae Somerianae velim ipſe arbitrere quid ſperandum habeamus, mi Patrone. Aut ego profecto nimium ſimplex ſum & injuriae oportunus, aut nunc ludos aliquando facere nos immerentes deſinet fortunae inſolentia. Ut eſt imperitum illud hominum genus, non tam de commentario noſtro, quam de ſiderum Iconibus, quibus exornare, ut vendibilio-

biliorem reddat librum aſtronomicon intendit, videtur ſollicita. Juſſi ut pro archetypis haberet, quas in Arateis Grotius exhibuit: qua de re quid tu ſentias, rogo certiorem me reddas, cum primum poteris. Quod Trimalchionis te coenae creberrime admoneo, id ea fieri tantum gratia velim credas, ut promiſſum tuum de illa publicanda tanto maturius exſolvas. Tu enim non unus tantum ſcriptum illud ingenioſiſſimum intelligis, ſed & infinita in commentario congeſſiſti, quibus promereri poſſis orbem eruditum. Nunc doce me, ſodes, quid illa ſibi velint Cap. 57. *Homini mali iſto.* Schefferus, *maliſto.* Quid ſi reſcribamus *majeſto?* majus eſt magnus, unde Majeſta uxor Vulcani apud Macrobium. Cap. 74. *mihi aſciam in crus impegi.* Miror interpretum nemini in mentem veniſſe eodem proverbio & Apulejum uſum III. Miles. *An, inquit, vulpinaris amaſio, meque ſponte aſciam cruribus meis illidere compellis?* Cap. 52. *demiſſo labare,* Recte Schefferus *demiſſo labro orare.* Idem Apulej. eodem libro: *Quod ſolum poteram, poſtrema dejecta labia, humidis tamen oculis obliquam reſpiciens ad illam, tacitus expoſtulabam,* Cap. 42. *medicus nihil aliud eſt quam animi conſolatio.* locum hunc perperam tentat Reineſius. Quintil. Declamat. VIII. *Fato vicimus, languemus, convaleſcimus, morimur: medicina quid praeſtat, niſi ut juxta te nemo deſperet?* Cap. 39. *Expudoratam frontem.* Cyprian. de ſingularitate Clericorum: *veneranda, pudica, pudorata cum foeminis negotia peregerunt.* Ibid. *Prae mala ſua cornua naſcuntur.* De induſtria ſoloecam orationem tribuit Trimalchioni, uti tu rectiſſime obſervaſti. Sed imperitia fecit, ut ad eundem modum *prae omnem mundum* ſcribat vetus interpres Coſmographiae a Godofredo editae pag. 19. & *vinum habundantem* pag. 17. Cap. 40. *Quas porcus ille ſylvaticus totus glandem comederit.* Malim *lotam glandem* h. e. lautam, delicatam, ut *capo* pro *caupo* aliaque, niſi tamen totam glandem oppoſuit comminutae. Cap. 44. *Populus eſt domi leones.* Sidonius: *cum ſint in praetoriis leones, in caſtris lepores.* Cap. 77. *Satis vivus pervenero.* Malim *provenero.* h. e. crevero. Sed haec hactenus. MSS. illos codices, quos cum Hygini aſtronomico contulit *Vlitius,* video in pleriſque locis aſſerere editionem Morellianam, quam & ille ſequutus eſt, qui Sanctandreanae praefuit. Hinc in magna ſum ἀπορίᾳ, utrum textum illud vetus, quod *Schefferus* exhibuit, an vero Morellianum dem exſcribendum. Adjuva me, oro, conſilio tuo. Scribit Fulgentius lib. 1. cap. 23. ubi anquiritur, cur fur & celer dicatur Mercurius: *tantum celerius omnibus planetis currit, ut ſeptima die permeet ſuos circulos.* Stant heic contra Fulgentium & ratio & auctoritas veterum. Nam, ut eſt in fragmento aſtronomico, quod Fulgentio adſcribit in Catalectis Pithoeus, *Semenis dii completur circulus anno.* Spiſſiores iſtae tenebrae, quam ut diſpelli a me poſſint. Ut uno faſciculo comprehendatur, quicquid Fulgentii hujus exſtat, Mythologicis & Continentiae Virgilianae fert animus comitem dare etiam libellum de priſco ſermone, quem cum membranis bibliothecae Leidenſis non ſine fructu contendi. Quod inſtitutum meum quin probaturus ſis, nullus dubito. Vale multum, & favere nobis perge, nobiliſſime humaniſſimeque Heinſi. Scribebam Delphis Batav. die IX. Februar. Anni CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA CCCLIII.

NIC. HEINSIUS.

Thom. Munckero.

Delfis.

VIX eſt ut multa quantumvis oratione teſter maximam voluptatem, quam mihi tulit nuntius, de invento Mythologis tuis typographo. Modo ne quid vacillent poſtea: novi enim hominum genus, quod ne fiat, aſſidue premendi ſunt, & inſtandum acriter conditionibus ultro oblatis. Sub idem fere tempus e Saxonia amicus ſcribebat, *Johannis Schefferi* V. C. Commentarios de Milltia veterum navali poſt priores curas altera ſui parte adauctos, qui ſuſciperet in publicum emittendos reperiſſe ſe inter ſuos bibliopolam, quem eo acceptiorem habui nuntium, quod ante hoc octennium inveneram apud nos, qui libri editorem cum ſe fore eſſet pollicitus, promiſſis non magis ſtetit, quam veſter ille, a quo tam nequiter deluſus es. De Iconibus non habeo quod dicam, niſi meminiſſe me ab *Hadriano Wallio* noſtro, rerum, ut ſcis, caeleſtium ſatis perito, laudatas illas prae vulgatis, quas apud Coloniam Agrippinam typis deſcriptas aliquando utendas tibi dedi laminas aereas, quibus ſuas illas ex optimis membranis *Grotius* curarat exprimi, apud Amſtelodamios puto alicubi adhuc deliteſcunt, nam poſtea rurſus in publicum fuerunt emiſſae. Sed vix eſt ut reſpondeant formae editionis, quam Someriani parant haeredes. Sed hac de re agendi tecum ſupereſt puto tempus: quando inchoabunt operae, ut auctor tibi ſum, a Mythologis. Nam Aſtrologica Hygini peculiarem tomum conficient, ſi Scholiaſten Germanici his addendum cures. Fulgentii reliqua opuſcula quae chartas non multas occupabunt, nihil puto impedit, quominus caſtigatiora per te prodeant. In libello de priſco ſermone fucum facere nonnunquam is videtur, prolato plurium auctorum teſtimonio, qui direptis jam tum per Gothos ac Chriſtianos bibliothecis, nunquam exſtiterunt. Nunc ad Petronium cap. 52. *demiſſis labris orare* vel *rogare*. *Demiſſis labris* etiam apud Terentium habes. & apud Senecam controv. III. *demiſſis labris modeſta*. Iſtis cap. 77. *Satis vivus pervenero* Chironium & prorſus inveteratum ulcus inhaeret. aut fallor tamen, aut non infeliciter jam olim me expedivi ex hoc loco, cujus mendum omne reſidet in *ſatis*. Sub quo latet certa pecuniae ſumma, quam ab illo haeredibus relinquendam fore praedixerat Mathematicus. Excutiamus igitur litterarum ductus omnes hujus vocabuli. Si pro *at* reponimus *ad*, nam haec duo non in membranis tantum, ſed marmoribus antiquis paſſim confunduntur. Poſt primam autem literam *ſ* inferendum *i*. habes *ſi ad*. pro *is* repone *HS*. & habes *mille ſeſtertia*. per *HS*. enim ſeſtertia deſignabant veteres, cui linea ſuperducta mille denotat. Sic paſſim veteres membranae. Ut totus locus ſit ſcribendus hoc modo, *Quid ſi contigerit fundas Apuliae jungere? ſi ad HS trecenties vivus pervenero*. Nam ſic & in fragmentis jam olim editis locutus eſt noſter, *ſi ad HS trecenties ſalvus pervenero*. quid arbitrere

de

de hac conjectura exſpecto ſententiam tuam. Proxime agebamus de *vavatore* aut *babatore*. Opinabar vocabulum eſſe in magna Graecia a plebe corruptum, ἀπὸ τῦ βαβάζειν, & ſane ſic Itali hodieque ἀπὸ τῦ βαμβαίνειν ejuſdem ſignificationis, in uſu habent *bambino* infantem: Nam ab inarticulato infantium ſono multa ejuſmodi formabantur. Sic μάμμα, πάππα, ἄττατα aliaque. Καππᾶν apud Ariſtophanem. Unde Latinum *cacare*. Sed de his hactenus. Vale, vir praeſtantiſſime, & me, quod facis, perge amare. Vianae ad Leccam CIↃIↃCLXXVII. 16. Februar.

EPISTOLA CCCLIV.

THOM. MUNCKERUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

FAciam, ut jubes, mi Patrone; calcaribus aſſiduc, ut quam primum manum operi admoveat, urgere non deſinam hominem. Quod non diſplicuiſſe ais, quae ad Petronium obſervabam proxime, eo animum mihi addidiſti, ut denuo periclitari auſus ſim ingeniolum meum. Male habet procul dubio, quod legitur Cap. 39. *Orbis vertitur tanquam mola, & ſemper aliquid mali facit.* Quid ſi reſcribamus? *ſemper aliquid miracli facit.* infr. cap. 47. *portenta aliqua facturos.* Sequitur ibidem: *nihil ſine ratione facto.* Mutarunt poſtremam vocem in *facio*. Nollem factum. Feſtus in *nare*. *Natare igitur eſt ſaepius nare, ut dictare factare.* Sic habent membranae codicis Leidenſis. Ejuſdem notae eſt *ventare* apud eundem Grammaticum. *Scriptare* & *lectare* apud Horatium. Sed hoc leviculum eſt, ut & illud cap. 35. τὸ *rienes* non fuiſſe mutandum in *renes*. ἀρχαϊκὸν enim *rien*, ut jam olim Feſtus, & non uno loco Chariſius annotarunt. Nec placet, quod cap. 58. *nec tibi parſero* legit *Reineſius*; nota interrogantis perficit ſententiam: *Nec tibi par ero?* Cap. 35. *ejuſmodi methodio laetus.* Annotat *Douza*, *methodium* pro methodo, id eſt, fictione ſive ludificatione poni. Non improbo quidem. Sed miror nec ullum alium ex tot interpretibus monuiſſe *methodia* recenſeri inter ludorum vocabula in notis Tyronis pag. 173. Cap. 44. *Larvas ſic iſtos percolopabant.* lego, *percolaphabant.* Amat illam compoſitionem noſter, ut ex verbis *percoqui*, *perbaſiare* aliiſque apparet. *Colaphare*, colaphis caedere, ut *alapare* dare alapas, unde *alapator*. Gloſſ. Philox. καυχητὴς *Alapator*, minus novum hoc verbum, quam, *naufragare*, quo cum noſtro etiam Cyprianum ſermone de orat. Domini uſum comperi. *Naufragaverunt*, inquit, *a fide.* Cap. 27. *Ruſſea tunica.* Chariſius lib. 1. *Ruſſeum Grammatici non magis dicendum putant, quam albeum aut praſineum, ſed ruſſum & album & praſinum.* Nihilo magis ergo, quam Petronius, Grammaticos audivit Palladius lib. IV. tit. 13. *Colores hi praecipui, badius, aureus, albineus, ruſſeus* &c. Ruſſeum ergo aeque bene dicitur ac ruſſum, ut *Iantinum* & *Iantineum* in notis Tyronis pag. 59. *Coccinum* & *Coccineum* in Scholiis ad Juv. Sat. III. verſ. 283. *Carbaſinum* & *Carbaſineum* apud Nonium cap. XIV. *Aprinum* & *Aprineum* apud Hyg. cap. 69.

quomodo *apruna aprugineum* (leg. *aprugneum*) viſitur ſcriptum in notis Tyronis Cap. 28. non ſatis ſanum videtur *ſudore calefacti*. fort. *vapore*. Palladius de balneis lib. 1. tit. 40. *Fortius vapor inter anguſta luctatur*. Sed quid eſt apud illum ſcriptorem ejuſdem libri tit. 18. *Baſellis altioribus impoſitas*. an ſcripſit *Beſalis? βίσαλον* enim eſt later coctus, unde *Beſalia* apud Chariſium lib. 1. Non minus torquet me iſte locus, quam *camula betalis* apud Petronium. Cap. 58. *Staminatas duxi*. Quomodo tu iſtum locum emendes, quamquam nihil tuis in eum obſervatis ſit eruditius, non ignoro, vir nobiliſſime; non poſſum tamen facere, quin narrem tibi, quid nuper admodum mihi in mentem venerit, *ſtaminarias* nempe, voce a τῷ *ſtamen* deducta, videri poſſe appellare potiones meracas, ut continuet figuratam orationem, qua caldam potionem dixerat veſtiarium. Laberium in *Staminariis* noſti laudari a Gellio lib. XVI. 7. Cap. 64. *Plena manu*. Lucianus in Aſino: *παίειν ἀβρὸν χεῖρα*. *Naſtae* vocabulum, Cap. 53. quod villico Trimalchionis ibam aſſertum, ſumptum videri poſſit ex Homeri Iliad. B. ubi Amphimachi frater ita appellatur, cujus & Auſonius meminit Epitaph. Heroum XVII. ſed haec hactenus. Quae boni ut conſuleres multis rogarem, niſi jam dudum tua mihi comitas quidvis garriendi, dummodo de literis ſit ſermo, indulſiſſet licentiam. Tua illa emendatio *ſi ad* ℔S ∞ *vivus pervenero* quantivis omnino pretii eſt, & vere palmaria. Si nihil aliud in Petronio reſtituiſſes, operae tamen mihi pretium feciſſe videreris vel unius iſtius loci tam felici correctione. Nec aliter, ſat ſcio, videbitur rei literariae proceribus, qui jam diu eſt cum exſpectant, ut ad Trimalchionis illas epulas a te invitentur. Ego nunc multus ſum in Hygini Aſtronomico, nec, ut ſpero, fruſtra. Quanquam hîc illic occurrant nonnulla interdum, in quibus ante egregie ſudandum ſit, quam me expediam. Inter illa eſt etiam iſte locus lib. II. cap. 6. ubi *περὶ ἡ ἐγγόνασιν* agit. *Exiſtimatur Aegeus ſub eo ſaxo Pelopium enſem poſuiſſe*. Ita edidit Micyllus, quique ſecuti ſunt, ſed Morell. Soter & Sanctandreana *Ellopium enſem*. Veneta omnium antiquiſſima *Elopium*. MSS. Codices diverſimode *Elopis*, *Allopium*, *Hellopium*. An Pelops eum enſem antea poſſederit? [1] Plane aqua haec mihi haeret. Vale multum & diu vive feliciter. Scribebam Delphis Prid. Nonas Martias Anni CIↃIↃCLXXIX.

1 Heinſii epiſtolae nos defecerunt abhinc, ſed quid reſponderit ipſe *Munckerus* ad illum Hygini locum narrat.

EPISTOLA CCCLV.

THOM. MUNCKERUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

PRO Marone tuo, quem inter amicos reliquos etiam ad me pervenire munus voluiſti, debeo omnia benignitati tuae, mi Patrone. Carmen ei praefixum plenum revera deo, nec ſine horrore a me legitur. *Sic ubi fata vocant*. Noſti caetera. Sed abſit omen. Veniebat hoc ex eo in mentem, quod lecto fuiſſe

fuiſſe te affixum, tam diu audiebam ſinequam invitus. Spero nunc laetiora, & morbum illum, qui remittere nuper coeperat, jam plane eſſe profligatum. De Mythographorum meorum editione quid ſperandum habeamus, ex *Bernardi Someri* Eccleſiaſtae Amſtelodamenſis, viri perhumani & mihi amici, ut arbitreris ipſe literis, mitto eorum exemplum. Primum folium, ceu ſpecimen quoddam, ante duos jam menſes excuſum eſt. Cum ſperarem deinde fore, ut redux a Mercatu Francofurdenſi ſerio tandem aliquando manus operi admoliretur bovinator ille, denuo cauſſari ſolemnia coepit. Sed inter taedia illa tam moleſta hoc unum me recreat, quod eum nactus ſum nunc ἐργοδιώκτην, quem ſummopere revereatur, quique omnia apud eum poſſit, adeo ut metuendum nihil habeam, ne forte rurſus ad ingenium redeat, ubi dicta venerit dies. ἢ ταῦτα μὲν ταῦτα. Quae in fragmento Traguriano me docuiſti, talia ſunt, qualia omnia tua, id eſt, ex latentibus literis, quae omnino requiruntur ad illud ſcriptum emaculandum. Sed cum Cap. 69. pro *ſtigmam habeat* repoſuerunt *ſtigma* Patavini, locum non emendarunt, ſed corruperunt. ἀρχαϊσμὸς enim eſt, ut Cap. 44. *nec ſchemas loquebatur.* cum Cap. 39. reſcribere tentarem, attendebam quod Trimalchio ait, *coelum fieri taurulum* & ſimilia. id quod revera miraculoſum eſt. Quod Aſtron. 11. 6. a te excogitatum eſt *Cecropium* veriſimillimum videtur: ego certe nihil invenio convenientius. Caeterum in Aſtronomico illo dici haud poteſt, quam multa detexerim ulcera, quae Aeſculapiorum noſtrorum oculos hactenus fugerunt. Dabo in hac charta ſpecimina quaedam ex tribus primis capitibus lib. 11. cap. 1. *A quibuſdam Aetolorum.* Emendo *aepolorum*, hoc eſt, capratiorum, ex Eratoſth. cap. 1. & Theon. in Aratum pag. 7. qui Eratoſthenem ad verbum deſcripſit. Schol. Germ. *Quaedum in montibus vagaretur, a quibuſdam paſtoribus apprehenſa, cum puero adducta eſt ad Lycaonem. Cetei filiam:* Ita & Veneta. Micyllus & alii dederunt *Caetei.* MSS. 2. *& Caetei.* Putes ſcripſiſſe *Heraeei*, & mox *Heraea.* Ἡραεῖς enim dictus fuit unus ex Lycaonis filiis. Vide Apollod. Lib. 1. pag. 163. ed. Commel. Forſan & in Prologo ſcribendum, *& Heraeeum* pro *Caeteum.* Cap. 2. *Heſtiea. Heſtiaea* Soter. *Iſtoe* Veneta. *Hiſtoe* MSS. 2. ex Vlitianis, ut & uterque Morellianus. Atque ita omnino ſcribendum. Ἴστοι enim Graecis eſt. Eratoſthenes cap. 2. Ἀγλαοσθένης δὲ ἐν ταῖς Ναξικαῖς Φύσει τροφὸν γενέσθαι Διὸς Κυνόσουραν, ἄλλαι δὲ μίαν τῶν Ἰδαίων Νυμφῶν, ἀφ' ἧς ἐν μὲν τῇ πόλει τῇ καλυμένῃ Ἰστοῖς τοῦτο ἦν τέμενος. &c. *Hiſtoe* ergo Ἰστοί, ut *paralleles* παράλληλοι cap. 4. lib. 1. *Entygrammoe* ἐντύγραμμοι, *antoecoe* ἀντοικοι cap. 2 & 4. Fragmenti veteris, quod Cenſorino tribuitur: ſervavit rectam ſcripturam Germanici Scholiaſtes. *Agathoſtenes in Aſiaticis carminibus Cynoſuram dicit Jovis fuiſſe nutricem, unam de Idaeis nymphis, a qua in Cretae oppido Hiſtoe Nicoſtratus conſtituit portus, & circa eum locum fuiſſe cynoſuram.* Pro *portus* lege *portum* ex Eratoſthene, unde haec deſumpta. Videtur Hyginus in vitioſum codicem incidiſſe, & legiſſe apud Eratoſthenem, vel alium ex Graeculis, ἀφ' ἧς μὲν τῇ πόλει τῇ καλυμένῃ &c. Sed quomodo a nomine Cynoſurae dici poteſt urbs Hiſtoe conſtituta? quae in illis nominibus appellationis ſimilitudo? Scripſit ergo, aut certe ſcribere debuit, *Ab ejus quo-*

que

que nomine in urbe, quae Hiſtoe vocatur a Nicoſtroto & Sodalibus ejus conſtituta, & portum, qui ibi eſt, & agri partem majorem Cynoſuram appellatam. Ibidem *Conſtituerunt, & non arctum, ſed plauſtrum* &c. Locus ſine dubio mendoſus, cum nulla inde elici ſententia tolerabilis poſſit. Soter dedit, *conſtituerunt, non arctum* &c. Micyllus & alii, *conſtituerunt, quod non arctum* &c. Agnoſcet manum ſuam Hyginus, ſi τὸ *quod* ex alieno in ſuum locum revoces & ſcribas, *conſtituerunt, non arctum, ſed plauſtrum nominaverunt, quod ex ſeptem ſtellis* &c. Deinde *Quinque & viginti.* Ita recte Soter & MSS. 2. quamquam Hyginus infr. lib. III. cap. 1. XXI. tantum, Scholiaſtes autem Germanici & Theo in Aratum pag. 7. XXIV. numerant. Quod non videre ſe ait vir doctus, unde ſtellae iſtae viginti quinque veniant, id ei ignoſcendum eſt, cum vitium, quo ſequentia infecta ſunt, turbet ſenſum. Reſcribe ergo, ut videas, quid velit auctor, *ſeptem ſtellarum* ex MSS. 3. pro *ſeptem ſtellis.* Sententia eſt eos, qui ſigno illi figuram ſeptentrionum dederint, VII. id tantum, qui autem urſae, XXV. deformaſſe ſtellis. Cap. 3. *Terram inveniſſe ferentem.* Emenda *veniſſe ferentem.* Eratoſthenes: ἢ ΓΗΝ ἰλὰς φέρεσαι τὰ χρύσεα μῆλα. Schol. Germ. *Terra quoque obtulerit aurea mala cum ramis.* Stabiliunt eam emendationem MSS. 2. Haec in guſtum ſufficiant, cui caetera ut reſpondeant, praeſtabo. Vale, vir Illuſtris, & favere ſtudiolis noſtris perge. *Wallius* tuus ſalvere te peramanter jubet, & pro Marone gratias tibi meminit gratiſſimas. Delph. Batav. Prid. Kalend. Quint. Anni CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA CCCLVI.

THOM. MUNCKERUS

Nic. Heinſio.

Vienam.

QUod ſerius, ac debui, ad ultimas, omni profecto humanitate affuſim cumulatas, reſpondeam, ne mireris forte, mi Patrone, ſcito & me ex aliquo jam tempore minus crebro adverſa conflictatum valetudine: quae etſi necdum plane reſtituta eſt, remittere tamen jam coepit, & ſperare me jubet meliora. Etiam de te meliora exſpecto, quam augurari videris; opto quidem certe ex animo, & Deum immortalem veneror, ut per multos adhinc annos incolumem te praeſtet bono publico literarum, quarum pater tu & Princeps. Sed de his ſatis. Quod ſpecimen eorum, quae in Hygini Aſtronomico obſervavi, non diſplicuiſſe tibi ſignificas, eo non parum acuiſti diligentiam noſtram, quam ne quis deſiderare merito poſſit, ſedulo annixus ſum. Ex editionibus Aldina antiquioribus illam tantum poſſideo, quae prodiit anno M CCCCLXXXV. quam deinde Pariſiis denuo exſcribendam dedit Anno M CCCCCXXXVI. Ludovicus Vives: ſed nec alteram triennio antiquiorem, nec Aldinam vidi unquam. Feceris ergo rem animo tuo ad quovis modo de publico bene merendum promptiſſimo non indignam, ſi cum veteres editiones iſtas, tum excerpta antiquorum codicum, quae inventa in armariis tuus ſcribis,

bis, uſui noſtro ad tempus indulſeris. Fulgentii mythologi inſpexi quicquid eſt fere antiquitus editorum. Unum illum Baptiſtae Pii inſtructum notis fruſtra hactenus quaeſivi. Ac Germanici Scholiaſtae nonnullae mihi editiones ſunt, Hervagiana Anni MCCCCCXXXV. Morelliana Anni CCCCCLIX. Leopardi manu hîc illic; caſtigata. & Pariſina Anni M CCCCCLXXVIII. Edam eum libenter, ſi praeclara praeſidia illa, quae dives bibliotheca tua poſſidet, impetrare potuero, ſed una cum Germanico ipſo, & ſeparatum a reliquis Mythographis. Emendatio in Dicty Cretenſi palmaria omnino eſt. Nec laude minori digna altera illa in Petronii Traguriano fragmento. Ignorantiam iſtiuſmodi archaicae ſcripturae non unum corrupiſſe veterum ſcriptorum locum perſuaſiſſimum habeo. Inter illos numerare liceat etiam Fulgentium noſtrum, ad cujus cap. 7. lib. III. ita commentatus ſum. *Iſchiadicos.* Ἰσχιαδικὸς Graeci appellant. Aliter *Iſchiaci* dicuntur, quomodo *Iſchiacos* heic repraeſentant 4. antiquae edd. Vide Gell. lib. IV. cap. 17. Sunt autem Ἰσχία τὰ ὑπὸ τὴ ὀσφὺν ἐξ ἑκατέρων τῶ μηρῶν ὀστᾶ, ἐν οἷς ἴσχνεται τὸ ἰσχιὸν ὀστῦν, ut ait Schol. Theocriti ad Eid. VI. Sed MS. Leid. habet *Sciaticos.* Gloſſ. *Scia enim femur dicitur, unde Sciatici, qui ibi infirmantur.* Atque ita omnino credo ſcripſiſſe Fulgentium. Nam & Theodorus Medicus *Sciaticum morbum* dixit pro *Iſchiadicum.* *Sciaticam* vocat interpres Bingizlae. Sic *ſcias* pro *Iſchias* eſt apud Capellam, & σχίον pro Ἰσχίον in vett. Gloſſis, obſervante Voſſio in commentariis de vitiis ſermonum, & Salmaſio ad Pall. Tertull. pag. 133. Ad eundem modum *ſtara* pro ἰσχάδες dicitur a Junioribus medicis. *ſtrio* pro *hiſtrio* in Gloſſis Iſidori. *Spania* pro *Hiſpania* in Chron. Gothorum ejuſdem, Anonymi Coſmograph. pag. 37. Ed. Godofr. & in epiſtola Pauli ad Rom. cap. 15. Talę etiam eſt *ſtera* pro *hyſtera*, de quo Reinef. ad Fragm. Petron. Tragur. *Sciaſin* vocat morbum Iſchiacorum Macer ille neſcio quis lib. 1. cap. 2. *Sic ſciaſin curat, ſic ſumptum menſtrua purgat.* Cap. 8. *Sciaſin quam Graeco nomine dicunt.* Eodem capite & *ſteram* pro *hyſteram* habes: *dicitur atque ſterae cauſas ſiccando juvare.* ut & cap. 3. *Conjuncto ſibi ſterae ſi ſubditur herba.* Unde *ſtericus* pro *hyſtericus* cap. 1. *duritias levat ſtericas, pellitque tumores.* Quae loca peſſime corrupit Cornarius. Cl. *Scheffernm* diem ſuum obiiſſe non libenter intellexi. Nam in tanta paucitate doctorum hominum omnis jactura damnoſa eſt. Ejus conjectura in Petron. Fragm. pag. 59. *aves, aveberis*, pro *habes, habeberis*, nuncquam valde arriſit. Puto enim hoc voluiſſe Petronium, ſi habes opes, coleris, frequentaberis, & in aliquo eris numero. Nam χρήματα ἀνὴρ, ὁ δὲ πενιχρὸς οὐδὲν πέλεται, ut ille ait: nec recte pag. 38. oppugnat Reineſii emendationem *oricularios ſervos.* Gloſſ. Ibid. *Auricularius, auſcultator.* Sed quid ſibi volunt illa in iiſdem Gloſſis? *Muſiae, nidi ſoricum. Muſiarius, qui per muſia quaerit.* Nec ſana iſta: *Necolatum, ſtultum & elanguentem. Nicolaum, ſtultum.* An ſcribendum *Necoleum?* hoc eſſet, ἀνορχιν, coleos non habentem. Ita *Neſapium* vocat Trimalchio, qui non ſapit: Petronius, *ſi nos coleos haberemus.* Vale multum, vir illuſtris, & favere ſtudiis noſtris perge. Dabam Delph. Batav. a. d. XVIII. Kalend. Septembr. Anni CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA CCCLVII.

THOM. MUNCKERUS

Nic. Heinsio.

Vienam.

QUominus, ut aequum fuerat, perveniſſe in manus meas, quae Hygini ſuppeditare ſtudiis noſtris exemplaria pro caetera benignitate tua dignatus es, dudum reddiderim te certiorem, in cauſſa fuit morbus pertinaciſſimus, quo per undecim jam menſes graviter affectus fui, ſed tempore hoc autumnali ita debilitatus, ut tametſi mori non potuerim, vivere me tamen vix ſenſerim. Melancholiam eſſe hypochondriacam ajunt ἐκ τῶν παιδίων, unde terribilis orta cordis palpitatio ultimam non raro denunciare mihi diem videtur. Hygini noſtri, cui tandem aliquando ſerio ſe accinxit typographus, excuſſa jam aliquot folia, quorum unum, ut chartam & typos videres, mittendum ad te duxi; quod ubi perluſtratum a te fuerit, velim ad me redeat. *Boſchium* noſtrum Lutetiae, id quod magno mihi dolori fuit, a. d. IX. Kalend Novemb. Dyſenteria extinxit, ita ut una cum eo ſpes obtinendi codicum Fulgentii, quae in urbis Bibliothecis latent, excerpta nobis perierint, niſi tu aliam viam, qua ea nanciſcamur, indicaveris. Qua aetate ſcriptor is floruerit, juxta tecum ambigo. *Modius* nov-antiq. Lectionum epiſtola LXI. aequalem fuiſſe, vel certe ſupparem Ruſpenſi epiſcopo, & vixiſſe in Africa arbitratur. Afrum fuiſſe manifeſte arguit ſtylus; idque multis demonſtrare poſſem, ſi opus foret. Sed facimus alibi. Accedit huc, quod Presbyter ille, cui Mythologias ſuas inſcribit, Carthaginienſis fuerit, ut volunt vett. editiones. Id quod & a membranis Leidenſibus confirmatur. Nec diſpliceat forte admodum, quod aequalem fulgentiſſimo illi Fulgentio faciat, qui in Numidia Epiſcopum geſſit, cum ex praefatione lib. I. apparet gravem ejus tempore orthodoxorum fuiſſe perſecutionem, quae alterum illum vel inprimis nobilitavit. Adverterunt me ſtatim, ut primum in manus Planciadem hunc cepi, verba illa pag. 2. *Quis nunquam eſt malum immortale mortalibus, tandem domini regis felicitas adventantis velut ſolis crepuſculum mundo, tenebris debiſcentibus, pavores abſterſit.* Quis ille *Dominus* ſive *Dominus*, ut membranae vett. habent, Rex? Gloſſa interlinearis codicis Leidenſis *Zenonem* intelligendum monet. In quo etſi errat, apparet tamen inde, circa quae cum tempora vixiſſe aeſtimatum olim ſit. *Locherus* rectius, meo quidem judicio, Hildericum inpii cenſet, qui in Africa Eccleſias Orthodoxas reſtituit, epiſcopos ab ejus patre Traſimundo relegatos revocavit. Sed turbat paullulum, quod paullo ante dixit: *Soſpitis in favilla ſilentii rauciſonis jurgiorum claſſicis, quibus me Galagetici quaſſaverant impetus.* *Salmaſius* in ora codicis ſui emendaverat, *Gallogetici* Gallogetae eſſent turba miſcellanea ex Gallis & Getis orti. Sed an ita vocari poſſent Vandali? deinde, an ita loquerentur ſub rege Vandalo? Illud, inquam, turbat me, & item alterum iſtud, quod libellum de Virgiliana continentia & de priſco ſermone ad Chalcidium ſcripſit. Quod

ſi

si Chalcidius ille is est, qui Timaeum Platonis interpretatus est, ut videtur, existimasse *Gesneras* in Bibliotheca, & affirmare non dubitat *Godofredus*; cum titulum libelli de Prisco sermone ita conceptum ediderit; *Fulgentii libellus de Prisco Sermone ad Chalcidium Grammaticum, Platonis Ecphrastem?* vixerit tempore Constantini Magni, ut ex illis non vane colligas, quae Adversar. lib. XLVIII. cap. 8. congessit *Barthius*. Sed ego inclinaverim magis in priorem sententiam, in qua *Modius* & *Locherus* conspirant, nisi quod hic episcopum illum fuisse senserit. Nec longe ab eo, quod ad aetatem attinet, discedit glossator ille modo laudatus, cum Zeno annis non admodum multis praecesserit Justinianum, sub quo Hildericus regnum obtinere coepit in Africa. Caeterum ut aetas hujus scriptoris, ita & ipsum nomen controversum est. *Lundorpius* in Homologumenis de Petronio auctorem Mythologiarum appellat *Furium Publicum Fulgentium*; Continentiae Virgilianae, *Flavium Calpurnium Fluentium*; Libelli de prisco sermone, *Fabium Fulgentium Planciadem*. Sed fallitur multum vir doctus. Nec diversorum scriptorum sunt foetus ista opuscula, nec auctor eorum Furii vel Flavii habuit nomen. Disertim etenim vett. membranae *Fabium Planciadem Fulgentium* vocant cum Mythologiarum, tum continentiae Virgilianae scriptorem. *Fabium* fuisse dictum liquet ex ipsius verbis, quibus de Musis unam se compellantem introducit in Praefatione lib. I. *Eia, inquit, Fabi, Anacreonticis* &c. Nec recte *Placiadem* pro *Planciade* videntur facere vett. editiones, cum *Planciades* in libris habeatur manu exaratis: quod *Vossio* in de vitiis sermon. cap. 8. lib. I. videtur factum a *Plancius*. Atque haec sunt, quae de Fulgentio isto dicere mecum habui: quibus si quis certiora me docuerit, gratias ei meminero gratissimas. De illis, quae de Germanico & ejus Scholiaste promittis, multum amem te necesse est, mi Patrone. Quod si magnus ille in coelo medicus sanitati me pristinae restituerit, aggrediar eorum recensionem perlibenter. Nunc doceas me quaeso, an Tenedos una Cycladum fuerit, ut apud Hyginum nostrum habetur cap. 276. Isidor. lib. XIV. 6. Ampelium cap. 6. Orosium lib. I. *Tenos* rescripsi in Hygino, eamque emendationem multis veterum testimoniis confirmavi, & inter alios etiam isto Vellej. lib. I. cap. 4. *multasque in Aegaeo Icarioque occupavere insulas, Samum, Chium, Andrum, Tenum, Pharum, Delum, aliasque ignobiles.* An *Parum* scribendum pro *Pharum*? sed Ampelius cap. 6. qui duodecim cycladas cum Eustath. in Dionysium pag. 75. numerat, utramque *Paron* & *Pharon* inter eas recenset. In Hygino advertit me, quod lib. III. in *Delphine* habent cum Morell. 2. codices Vlitiani: *Habet supra caput ad verticem versus.* quia video non placuisse tibi in Vellejo lib. II. cap. 101. *Omnibus ad orientem versus provinciis.* Usitatius sane omittitur ista praepositio, ut & *in*, quod tamen addit lib. I. cap. 15. *In palatium versus.* Ad eundem quoque modum dixit Curtius lib. IV. cap. 7. *In meridiem versus Arabes spectant.* & Sallust. Catil. cap. 56. *In Galliam versus castra movere.* Vale multum, Heinsi nobilissime, vive feliciter. Delphis Nonis Novembr. Anni CIↃIↃCLXXIX.

P. S. Folium Hygini, de quo feci mentionem, *Perizonius* noster tibi afferet;

quod ſi placuerit, ſpes eſt fore, ut nec caetera diſpliceant, utpote magis elaborata, quam illa prima, quae per annum integrum & amplius apud typographum delituerunt.

EPISTOLA CCCLVIII.

THOM. MUNCKERUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

QUod ſperare vix poteram hieme proxime praeterita, qua cum terribilis cordis palpitatio & ſyncope, tum haemoptyſis & aſthma miſerum in modum me afflixere, adhuc vivo, mi Patrone; vivo, inquam, & libros tractare jam rurſus incipio, quanquam valde etiamnum imbecillus. Quid de me porro futurum ſit, novit ille ſolus, qui novit omnia. Interim ſic vivo, ut milites illi, qui ſignum proficiſcendi quotidie exſpectant. Vaſa pridem collegi & ex ſcriptis meis, ſi qua praelo viſa ſunt matura, typographo commiſi, qui abſolutis tandem aliquando Hyginianis, nunc Planciadae noſtro admovere manum coepit. ſpecimen curarum noſtrarum per Cl. *Rykium* mittendum ad te curavi, unde de reliquo opere facias conjecturam: nam reſponſura ad tuum guſtum caetera promittere poſſe haud vane videor, conſcius mihi laborum, quos iis impendi. Te ſic ſatis belle jam habere, nuper admodum perlibenter ex *Evaldo Rulaeo*, juvene politiſſimo, accepi. Faxit Deus ut diu te ſalus oculis tam placidis aſpiciat. Sed quid agit commentarius tuus in Fragmentum Tragurianum; ſi verum dicendum eſt, injurius videri poſſis in Remp. Literariam, quod tamdiu theſaurum cum premas. Pro eo quod cap. 34. habetur, *tangomenas faciamus*, viſum mihi nuper rectius fore, τίγλι πνίυμονας *faciamus*, hoc eſt, canamus cantilenam illam Alcaei, τίγλι πνίυμονας ἴυγξ, & *volup nobis faciamus*. *facere* heic pro *dicere* poſitum exiſtimo, ut cap. 62. *Homo meus coepit ad ſtellas facere*. Vetus interpres Lucae cap. XVII. verſ. 18. *Fratribus vale faciens*. verſ. 21. *Vale faciens & dicens*. cap. XXI. *Cum vale feciſſemus invicem*. At ille interpres barbarus eſt. Sed non tam barbarus, quam multis viſus eſt. Culinarium verbum eſt *facere* cap. 47. *Gallum gallinaceum, pentbiacum, & iſtiuſmodi naenias ruſtici faciunt*. Eodem ſenſu uſurpavit Ambroſius libr. de Cain & Abel cap. 8. *Accepit vitulum tenerum & bonum, & dedit puero & feſtinavit facere eum*. Tranſlata illa ad verbum ex verſione Graece τὸ. Geneſ. cap. XVIII. verſ. 7. καὶ ἔλαβεν ἁπαλὸν μοσχάριον καὶ καλὸν, καὶ ἔδωκε τῷ παιδὶ, καὶ ἐτάχυνε τοῦ ποιῆσαι αὐτό. Phraſin ſacrae ſcripturae non uno loco deprehendi. Legitur Cap. 43. *Niger tanquam corvus*. Pariter in Salomonis Cantico Cap. v. verſ. 11. *Nigrae quaſi corvus*. Cap. 30. *Quid ergo eſt? dono vobis eum*. Ita melius eum locum concipi puto, quam quomodo in pridem editis habetur. *Quicquid ergo eſt dono vobis*. At *donare aliquem alteri* etiam in ſacris frequens eſt locutio. Vet. Interpr. Act. XXII. *donavit tibi deus omnes, qui navigant tecum*. Epiſtol ad Philem. verſ. 22. *Spero per orationes veſtras donari me vobis*. Sic & Juſtinus lib. XXXVIII. 6. *Ut ne victum quidem*

dem memoriae patris donarent. Valer. Max. VIII. 1. ex. 9. *Quorum salus propriis obruta criminibus proximorum calamitati donata est.* Flor. III. 5. *Ingratissimos hominum sacris suis famaeque donavit.* Libros illos, quas utendos a te accepi, ubi voles remittam. Vale, vir illustris, & vive diu feliciter. Delph. Batav. a. d. X. Kalendas Sextiles Anni CIↃIↃCLXXX. Bellissimum est illud Trimalchionis pag. 58. *Corcillum est quod homines facit.* Non dissimiliter S. Jobus cap. XII. vers. 1. *Ergo vos estis soli homines, & vobiscum morietur sapientia? Et mihi est cor sicut & vobis.*

EPISTOLA CCCLIX.

THOM. MUNCKERUS

Nic. Heinsio.

Vianam.

DE *Philippo Labbaeo* quod scribis, eum in nova bibliotheca sua MStorum, tanquam hactenus ἀνέκδοτον, proferre praefationem libelli Fulgentiani de Prisco sermone, miror equidem vehementer, vir nobilissime, cum omnes ejus editiones, quas ego quidem consuluerim (consului autem amplius decem, & inter illas etiam omnium, ni fallor, antiquissimam a Baptista Pio anno 1487. procuratam) eam repraesentent. Verum una cum Isidoro & Capella edidisse etiam *Bonaventuram Vulcanium*, eundem libellum, nondum venerat in mentem; itaque eo indicio rem longe feecisti mihi gratissimam; dabiturque a me opera, ut ejus vel a *Wallio* tuo vel aliunde ad dies aliquot usuram impetrem. Addidi literis hisce cum iconum, quibus Hygini Astronomicon exornatum ivimus, tum & curarum, quas impendimus Planciadae, specimen aliquod; utrumque, spero, aequi boni pro caetera aequanimitate tua facies. Feci istud, quod potui pro mea sapientia, ita ut is, cui minus forte placuerim, non diligentiam, mihi, sed vel ingenium, vel fortunam defuisse, censere debeat. Καὶ ὁ κύριος θελήσῃ, καὶ ἡμεῖς ζήσωμεν, prodibimus in lucem proximo vere cum mercimoniis nostris. Ex Planciade tametsi qua ope MS. Leidensis, qua diligenti meditatione mendorum vim non parvam sustuliisse videor; fatendum tamen mihi, restare in eo nonnulla, quae a nemine quamvis perspicace, nedum a nostra mediocritate, emendari absque melioris codicis subsidio queant. Quod si tuo rogatu ex doctis quis hominibus non nostra, sed literarum causa, quarum interest, ut emendatior & Planciades in hominum manibus versetur, videre vellet Lutetiae Parisiorum, quomodo loca nonnulla, unde me non extrico, in MSS. codd. bibliothecarum illius urbis legantur, mitterem ad te illa in scedula aliqua enotata. Verum haec ita rogo, si commodo valetudinis tuae fieri possint, nam oneris imponere tibi quicquam nec volo nec debeo. Quos utendos a te accepi libros, eos faciam ut brevi ad te referat nauta ille, qui quotquot hebdomadis per oppidum hoc Vianam contendit. Interim multum diuque vale, optime & nobilissime virorum. Dabam Delphis Batav. a. d. III. Non. Octob. Anni CIↃIↃCLXXX.

EPISTOLA CCCLX.

THOM. MUNCKERUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

SI vales, bene eſt, mi patrone, & habeo quod juxta tecum gaudeam. Ego miſer mortalis a veteribus illis malis meis, cordis palpitatione & aſthmate, miſerrime adhuc affligor. Quid putem aliud, niſi ad labores tantum natum me & dolores? A prima adoleſcentia exercita aetas mea fuit: & nunc, ecce, ſtultis modo diebus praeteritis, cum ſapere, hoc eſt, vivere incipio, lenta paullatim tabe in flore ipſo abſumor. Flagellum voces me licet, & miraculum medicorum, ut qui animam tam ſaepe agam, nec moriar tamen. Verum etſi evaſi huc uſque, facturus tamen dubie ſemel ſum, quod minari toties videor. Interim omnis in eo ſum, ut animum quantum poteſt, ne ultimam illam neceſſitatem plus juſto expaveſcat, confirmem. Sed funeſta iſta miſſa faciamus. Mythographorum meorum, qui nunc ſe nuper praelo tandem aliquando ſubduxerunt, mitto heic, quod meritiſſimo tibi debetur, exemplum. Id boni ut aequique, quemadmodum omnia frivola noſtra ſoles, conſuleres, & cum venia, ſi quando bonas male collocare horas velles, legeres, etiam te atque etiam rogarem, niſi haec talia rogari te multum nolle, perſuaſiſſimum haberem. Additi ſunt faſciculo, quos commodaveras nobis libros, pro quorum uſuru quantum tibi debeam vix eſt ut verbis exprimam, cum abſque eorum praeſidio, quod nunc utcunque effeci, fruſtra omnino aggreſſus fuiſſem. Unum ex illis, in cujus margine varias emendationes in Germanico adſcriptas offendi, cum pace tua paucis adhuc hebdomadis retinebo. Vale multum, vir illuſtris, & favere nobis perge. Scrib. Delph. Batav. a. d. VII. Kalendas Aprilis Anni CIↃIↃCLXXXI.

EPISTOLA CCCLXI.

PHIL. MUNCKERUS

Nic. Heinſio.

Flagam.

CUM priſtinae illiuſque eximiae humanitatis tuae memor, vir illuſtris, ante hos ſex menſes denuo amicitiae tuae fores pulſarem, forte fortuna per abſentiam tuum aceidit ut voto illo meo exciderem. Dedi nihilominus tum operam, ut ſi minus ore, at ſcripto ſaltem te compellarem, relicto in aedibus veſtris, tanquam ſummae obſervantiae & promptiſſimi obſequii mei obſide, Orpheo noſtro; de quo non dubito, quin ad manus tuas pervenerit. Huic primo igitur obſidi adjungo nunc etium alterum, Imp. nempe Carolum Magnum, non minore ſcholarum, quam totius olim Europaei orbis cura ac regimine inſignem. Lege, quaeſo, ſi tanti putabis, & judica, an aliquod ſaltem ope-

operae pretium fecerim, post tot cresta mihi (ita enim semper credidi) tropaea a *Matthia Bergio* in Phaedro Ritterhusii pag. cxx. a *Philippo Melanchthone*, a *Martino Crusio* passim, & inter tot alias ut inprimis a *Daniele Heinsio* τῷ πάνυ, cum sequenti hoc unico carmine,

Nunc Graio ac Latio, nunc Belga ludere versu,
Ille meus tali Rervius ore fuit.

tum universo peplo suo Graecorum Epigrammatum. Te tanti parentis pari filio auctore ut pergam in hoc incepto ulterius, vel etiam calamos hosce meos Graecanicos protinus incidam. Vale, vir illustris, & in meliorem quaeso partem audaciam & confidentiam hanc meam interpretare. Dabam Harlemi XVII. Decemb. Anno C. CIↃIↃCLXXIV.

EPISTOLA CCCLXII.

NIC. HEINSIUS

Phil. Munckero.

Harlemum.

ET Orpheum & Carolum Magnum Graeco abs te carmine expressos, cum Latinis nonnullis additis, vir praestantissime, fuisse mihi traditos scito. Utrumque munus habui profecto, ut debebam, acceptissimum. Video enim te veteres illos in utraque lingua certissimos castigatae locutionis magistros ubique in numerato habere, eorumque ad imitationem scripta tua componi. Ut jam plane talem te agnoscam, qualem *Gronovius* noster olim praedicabat, in familiari apud me colloquio. Quo iniquius fero, non fuisse me domi, cum ad nos accedebas sub aestatem decursam proxime. Nec diffido tamen fore, ut compositis in tranquilliorem statum rebus domesticis, Harlemum quandoque excurram, te prae caeteris illic compellaturus, quem mihi propius conciliatum cupio. Nam nunc ne liceat uberiori indulgere sermoni, per morbum coërceor, qui ita remisit, ut omnem hactenus animi contentionem excludat atque averletur. Vale & mihi favere perge. Hagae C. CIↃIↃCLXXIV. XX. Decemb.

EPISTOLA CCCLXIII.

PHIL. MUNCKERUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

POST motam mihi, vir illustris, a *Daniele Heinsio*, incomparabili Parente tuo, salivam, hoc est, jam inde a juventute mea, plus quam epoptarum suspiriis inspicere desideravi Aldi Manutii Platonem, Leoni X. oblatum, eidemque praefixum admirandum illud *Marci Musuri* carmen Graecum, cujus ille beneficio & meritis ab exilii sui latebris Epidaurensis repente Archiepiscopus emicuit. Priore autem anno demum accidit, ut Leidae in Basileensi quodam

dam exemplari in praedictos illos *Musaei* cothurnos inciderem, metaphrasinque eorundem, perquam sane egregiam, ab Acciajolo elegiaco itidem Latino carmine adornatam. Verum uti terra diuturno solis calore arida uno imbre nequaquam satiatur, ita ego carmine illo lecto descriptoque tantum abfuit ut acquieverim, ut multo etiam magis videre exoptarim primam illam Venetam, sine dubio rarissimam editionem Aldi; eaque propter praesenti hac epistola a te expiscandum censui, an illa alicubi in hac Hollandia nostra visenda exstet. Quod ego si scirem, non molestiae, non sumptibus ullis parcerem, donec his oculis semel iterumque perlustrassem, & nonnullis meo judicio corruptis locis speratam medicinam feciſſem. Musaeo quoque poëtarum Graecorum tersissimo jucundissimoque praefixum est aliud *Musuri* epigramma, in quo me non capere fateor verba haec de Lychno amorum conscio,

— — — Σιδήρειον δὲ λεκογχὰς
Αἷμα πολυπλάγκτης πρόδοκε ποθοῦντας ἀέλλαις.

Aldus in elegantissima editione ab Anno CIↃIↃXVII. ita vertit:

— — — *Ferreum autem illa* (lucerna) *sortita*
Sanguinem, multivagis prodidit amantes fluctibus

Hunc sanguinem unde, quaeso, nacta est lucerna, & quare vocatur ille *ferreus*? An vero improprie per eum indicare vult oleum infelix, ut quod occasionem praebuerit crudeli isti & misero Leandri exitio? Quod posterius conjiciebat nuper Clar. *Cuperus*, Professor Daventrienſis meritissimus. Cum tamen & hoc satis durum videatur (licet norim ex *Salmasio* ad Solinum, saevum plantarum saepe vocari sanguinem) ad tuum hic confugio oraculum, vir illustris, rogoque quam possem humanissime, ut me haerentem vado, summae eruditionis & experientiae tuae, ut sic dicam, tridente, ad instar illius aquarum domitoris apud Maronem nostrum, levare non digneris. Vale, vir illustris, Maecenas plurimum honorande, & fiduciae huic meae & importunitati nimium fortassis magnae ignosce. Dabam Harlemi VII. Januar. CIↃIↃCLXXV. Postquam diebus his vacivis admirandi illius Musuriani carminis versionem verbalem sive propriam adornassem, in tribus autem vel quatuor locis omnino haererem, subito calore & prae nimio discendi desiderio modestiae meae oblitus, etiam has post humanissimum responsum tuum, quo plane hunc hominem beasti, denuo exaravi. Ad quas, si ob animi infirmitatem & nauseam ex morbo reliquam, tacueris, aequo, ut par est, animo feram; sin vero vel tribus solummodo verbis de visendo alicubi Aldi Platone, propediem erudieris, ipso me Croeso opulentiorem reddideris. Iterum Vale.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCCLXIV.

NIC. HEINSIUS

Phil. Munckero.

Harlemi.

AD jucundiſſimas illas & officii plenas, quae mihi rure non ita nuper reddebantur, una cum Graeco carmine, eleganti plane cultoque, vir ornatiſſime, diſtuli reſponſum hactenus ob cauſam ſonticam, interpellante reſcriptionis propoſitum valetudine, quae ne nunc quidem remittit ſatis, mirum in modum contumax. Ceterum haud modice gaviſus ſum, quando e tuis illis perſpexi, videndi Platonis Aldini deſiderio te teneri. Is enim codex, cum aliis compluribus notae rarioris, a magno *Scaligero* ſupremis tabulis parenti meo legatus, ad me jure pervenit haereditario, atque mea in bibliotheca nunc aſſervatur, itinere Suecano non ita pridem feliciter defunctus cum omni armario. Opinor autem fore, ut ante eidus Martias rus recurram, expeditis negotiis quamplurimis, quae in urbem ante paucos dies me evocarunt: rure enim in villa Trajecti agri bibliothecam ſepoſui, perluſtraturus totam atque in ordinem redacturus, ſi per valetudinem nuper licuiſſet: quod tamen occaſione prima perficiendum mihi propono, quando fieri id hactenus non potuit. Si res tuae ferent, ut eam ſub tempeſtatem illo devertas, eſt enim propter viam ipſam Amſtelodamo Trajectum petentibus ſita, obtinges hoſpes longe mihi gratiſſimus, cum Martium atque Aprilem menſes illic majori ex parte tranſigendos mihi fore opiner. Tunc & voluminis hujus pertractandi plenam tibi copiam adfuturam, & ferendi tecum, id ſi males, perſuaſum habeto ut credas. Muſaeus Aldinus in promptu nunc non eſt nobis: unde fit, ut ad poſtulata tua reſpondere curatius haudquaquam poſſim. *Sanguinem* pro oleo nonnunquam poni apud Latinos, haud ſcio an & apud Graecos, obſervaſſe me memini, compluribuſque aliorum autorum locis illuſtraſſe, ad Calpurnii eclogas. Sed & hunc codicem relictum in villa ad manum nunc non habeo. Vale, vir praeſtantiſſime, & prolatae in tantum temporis ſcriptioni benigniter, quaeſo, ignoſce. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXV. XVI. Februar.

EPISTOLA CCCLXV.

PHIL. MUNCKERUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

TAndem ad te, vir illuſtris, ea qua par eſt obſervantia accedit *Muſurus* noſter: in quo producendo ſi tibi uni operae pretium feciſſe viſus fuero, nae flocci iniquos omnes pendam cenſores. In verſione mihi hactenus nequaquam ſatisfeci: Tu, quaeſo, pro ſingulari eruditione & humanitate tua errantem mone, haerentem extrica. verſ. 59. ſecundum Grammaticos forſitan dicen-

dum fuit *Laſcarium*; ſed quia nomen eſt proprium, magis arridebat *Laſcarum*, uti *Lemurum*, & huic ſimilia. verſ. 66. in τετραπροσωπους num vitium ſtatuemus typographicum pro διπροσωπους? An vero quia in antiquitatibus Roſini, quando primum intuemur Janum quadrifrontem, quarta facies non apparet, ideo Janum dicimus τετραπροσωπον. verſ. 152. ἡμεῖν, Acciaiolus vertit *pacem*, ego *diem*, qui aliam ejus ſignificationem non reperiebam. Forte putavit Acciaiolus per metaphoram, diem vocari pacem & omnium felicitatem, uti per noctem & tenebras indigitare ſolemus res adverſas & miſeras. verſ. 167. & 168. diſtinxi Platonis auditores in juvenes & viros doctos, contra quam Acciaiolus fecit. Nunc autem poenitet me, quia Muſurus hic videtur exprimere voluiſſe peculiarem illam Platonis ibi loquentis opinionem de ἀναπαυσει ψυχῶν. olim ergo mutabo; pro *reliquos* vero ponendum *ipſos*. Nota incidit mihi niſi hac demum hora dum haec ſcribo. De aliis olim coram. Illud nunc quidem tacitus ferre poſſum, correctorem nempe Junianum ante paucos dies abunde mihi ſuppeditaſſe, unde Deo riſui litarem. Cum enim dedicationis pag. 8. ſcripſiſſem, *id omne, hoc certe reſpecta poſtquam a Deo O. M. diſceſſi, ſoli tuae* &c. ibi homo meus plane horrendum & ab omni pietate ac religione alieniſſimum credidit, *velle quenquam a Deo diſcedere*; ideoque per iteraram eamque ſeriam typographi petitionem me compulit ut mutarem. Tu vale, vir illuſtris, praecipuum & unicum ſeculi noſtri ornamentum; qualecunque hoc meum, quod tuae quoque humanitati in partem debeo, munuſculum aequi bonique conſule. Dabam Harlemi a. d. XVI. Kal. Quintilis, Anni C. CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA CCCLXVI.

PHIL. MUNCKERUS

Nic. Heinſio.

Harlem.

UNicus ille, controverſus non minus, quam difficilis Ciceronis de Calendis intercalaribus prioribus locus, qui exſtat lib. VI. ad fam. epiſt. XIV. intra proximum triennium peculiarem hunc a me extorſit libellum; cujus titulos ideo in anteceſſum hic tecum communicare volui, ut, ſi quando Harlemum noſtrum tranſire contigerit, apud nos interjungere, & ſingula ejuſdem capita mecum perluſtrare non dedigneris. Typis deſcribendum obtuli cum nuper *Danieli Elzevirio*. Sed ille abſque conſilio tuo nihil videtur tentaturus. Tu ergo, vir illuſtris, qui ſolus potes, tanquam Juno Lucina fer opem; & ſerva me foetumque hunc meum, obſecro. Vale & nos ama. Dabam Harlemi XXII. Maji CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA CCCLXVII.

NIC. HEINSIUS

Phil. Munckero.

Harlemum.

IN eo eram, ut nonnihil ad te litterarum exararem, Munckere ornatiſſime, comitaturum novam Maronis mei editionem, quam una cum hiſce, ab *Elzevirio* typographo, ut auguror, accipies, cum tuae mihi heſterno die tradebantur, quamque bonam uti in partem accipias enixum in modum obſecro. Non permittit valetudo, ut pluribus tecum agam, cujus ne ignarus ſis, nuntio, totis jam tribus menſibus lecto adfixum me haeſiſſe. Negotium interim tuum ſeriis verbis *Elzevirio* commendavi, apud quem utinam auctoritate tantum valeam, ut voti compos evadas. Vale. CIↃIↃCLXXIX. 26. Maji.

EPISTOLA CCCLXVIII.

PHIL. MUNCKERUS

Nic. Heinſio.

Rinsam.

NUnquam verius, vir illuſtris, in ipſum illud antiquum Latium deferri, Maronemque noſtrum ibi redivivum cernere, canentemque audire mihi viſus ſum, quam cum nuper illum, ſumma & incredibili quadam cura a te recenſitum ad me miſiſti. Unde facile quoque exiſtimare potes, quanto etiam promiſſarum in eundem annotationum tuarum deſiderio tenear. Interim pro inſigni iſto munere humanitati & liberalitati tuae gratias ago habeoque plane immortales. Exiguum hoc quoque, quod vides, redhoſtimentum, libellum videlicet meum de Intercalatione, benigno, quaeſo, vultu accipe. Quo per otium inſpecto, ſi quando me errantem monere, herentemque extricare, aut novis etiam ad ſecundam olim editionem ditandam adjumentis ſublevare non fuerie dedignatus, immenſo prorſus me tibi beneficio obſtrinxeris. Vale, vir illuſtris, & honeſtis conatibus meis porro favere perge. Dabam Harlemi a. d. VII. Maji Anno C. CIↃIↃCLXXX.

EPISTOLA CCCLXIX.

PHIL. MUNCKERUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

TOti olim laetitia incedebant Romae, ſi qui eruditorum ſuffragiis Apollini Palatino dignum munus aliquod compleviſſent. Si rogas, vir Illuſtris, quid mihi quoque animi fuerit tum, cum literis tuis politiſſimis nuntiares nuper, Intercalationem meam a te (hoc eſt, a vero & unico Apolline noſtro Belgico) non modo plus vice ſimplici lectam, perque omnia probatam, ſed ea etiam illuſtris Bibliothecae tuae in parte, quae venerandae antiquitatis interpretes ac vindices complecteretur, depoſitam fuiſſe, ingenue fateor, me, etſi ſingularem quandam ea in re humanitatem agnoſcerem, facere nihilominus non potuiſſe, quin liberrimo illo minimeque fucato judicio tuo vehementer delectarer, aperteque non ſemel prae me ferrem, ſolam hanc tuam, tanquam praeconis alicujus Olympici vocem, ingens mihi omnique ſpe majus cunctorum in libello iſto adornando exanthatorum laborum operae pretium exiſtere; neque hoc ſolum, ſed inſuper etiam perpetuum mihi deinceps calcar futurum ad materiam eandem magis magiſque indies amplificandam & expoliendam, poſtquam praeſertim juxta *Wilhelmum Langium* de annis Chriſti, & *Johannem Seldenum* de anno Civili Hebraeorum, etiam *Franciſcum Balduinum* in leges XII. Tabularum nactus eſſem, quem ipſum exiſtimem pleroſque reliquos JCtos in graviſſimos illos circa legem XCVIII. de V. S. errores diduxiſſe. Sed de me hactenus verborum ſatis: poſtulat enim, heu! neceſſitas pietaſque, ut etiam de *Thoma* noſtro Delphenſi, τῷ νῦν ὸν ἁγίοις, pauca ſubjiciam. Vix ille quoque toto nuper menſe exultarat ſuper praeclaro illo judicio tuo de editis recens & illuſtratis per ſe Mythologis, cum ſubito, ecce, hora illa fatalis ſupervenit, jubetque naturae debitum perſolvere a. d. XXI. Maj. hora veſpertina ſexta, expleto vixdum aetatis anno XXXIX. Qui ergo gaudebas nuper nobiſcum de exorto, nunc viciſſim dole de erepto tam propere novo hoc Critico, qui morte ſua etiam confirmavit vulgare illud, praecocia ingenia raro eſſe vivacia. Sed longus ſum. Tu vale, vir illuſtris, diu vive, & me laboreſque meos, quod facis, etiam deinceps favore tuo proſequere. Dabam Harlemi a. d. XI. Junii, Anno C. CIↃIↃCLXXXI.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCCLXX.

LUC. HOLSTENIUS

Nic. Heinſio.

Florentiam.

EA parentis tui viri ſummi & incomparabilis in rem literariam beneficia extant, ut qui Heinſianum nomen non veneretur, humanitatem aut induiſſe nunquam aut ejuraſſe videatur. Me autem multis & immortalibus meritis ita ſibi devinxit, ut quicquid hactenus mediocri ſtudiorum conatu aſſecutus videor, id ferme totum illi acceptum feram. Quo magis gaudeo, quod quam hactenus gratiam referre non licuit, ejus ſaltem teſtandae occaſionem tua haec peregrinatio mihi obtulerit. atque hoc tibi perſuadeas velim, optatiſſimum mihi tuum adventum complexumque fore, nec commiſſurum me ut quicquam obſequii officiique deſideres, quod quidem a me praeſtari poſſit. Tu vero, mi Heinſi, valetudinis rationem diligentem habe; quae ſi quam labem ea qua nunc es aetate contraxerit, in reliquam vitam omnem tranſmittet, non levi mentis & ſtudiorum impedimento. Florentiam tibi placere non miror: quem enim illa ſplendore, elegantia, tantaque civium principumque humanitate non capiat? ſed ut aeſtati tranſigendae optima eſt, ita acriori autumni hiemiſque aëre minus commoda valetudine utentibus noxia. Quocirca ultra Kalendas Novembres te iſthic commorari nolim. Sed quis recta inde ad urbem te accedere vetat? nec ipſum Aeſculapium iſta ſuadentem auſcultaverim: menſes enim frigidiores commodiſſime hîc tranſiguntur. Tu ergo, ni quid aliud iter impediat, aut divertat, recta ad nos propera, caeli Romani clementiam experturus, utinam & βιβλιοφυλάκων humanitatem! ſed quantum quidem in me erit dabo operam, ut hujus commorationis fructus tibi conſtet. Sane Barberinam bibliothecam MSStis Codicibus non male inſtructam tibi offero, qua perinde ac tua uteris. Poëmatum tuorum elegantiam *Donius* noſter jam mihi commendarat. & quid niſi polita & erudita omnia expectemus ab eo, qui in Muſarum gremio natus & educatus fuit, & cui ipſe elegantiarum parens Ovidius nitorem ſuum debebit? *Gronovii* emendationes Livianas jamdudum expecto. Earum ſpecimen cum Romae nobis adeſſet, vidi & magnopere probavi. tum enim totus erat in antiquis exemplaribus conferendis. Sed quod aliis tum potius, quam ſibi morem gerere cogeretur, minus ſibi ſatisfeciſſe videtur: nam poſtremis ſuis indicem ad me miſit aliquot locorum primae decadis, de quibus antiquum exemplar Mediceum conſuli cupit: autographum ejus ad Cl. *Donium* miſi, qui & mei & amici communis cauſa conferendi laborem, ut ſpero, non recuſabit. nam a te tuis in ſtudiis occupatiſſimo id contendere non auſim. Vale, vir egregie, & quamprimum ad nos viſe. Cl. *Allatius* ſua quoque officia defert & peramanter te reſalutat. Romae III. Id. Octob. CIↃCIↃXLVI.

EPISTOLA CCCLXXI.

LUC. HOLSTENIUS

Nic. Heinſio.

Neapolim.

MItto literas, quas promiſi, ad Eminentiſſ. Cardinalem & Archiepiſcopum Neapolitanum, cujus auctoritas aditum tibi parare poterit ad bibliothecam Auguſtinianorum, ſi forte abfuerit pater ille *Nicephorus*, ad quem alteras ſcripſi. ad D. Joannis bibliothecae curam habebat P. *Joannes Chryſoſtomus*, & in quo nihil officiorum deſideres. Eum meo nomine plurimum ſalutes rogo, ut & P. *Boluitum* Clericum regularem ad D. Pauli, qui & ipſe bibliothecarii munere apud ſuos fungitur. Memini etiam me aliquot veteres codices vidiſſe apud Patres Benedictinos ad S. Severinum. ad quos facile acceſſum tibi parabit P. *Nicephorus*. Hoc etiam rogo, ut officioſe a me ſalutes doctiſſimos viros *Camillum Peregrinum* & *Camillum Tutinum*, qui literarum nomen decuſque praecipue tuentur in ea civitate, & cum quibus vetus mihi amicitia eſt. Vale, Cl. Heinſi, & feliciter rem gere, ut ſalvum te & incolumem quantocyus recipiamus: id ex animo voveo. VIII. Id April. CIↃIↃCXLVII.

EPISTOLA CCCLXXII.

LUC. HOLSTENIUS

Nic. Heinſio.

Neapolim.

GAudeo profectionem Neapolitanam ex voto tibi proveniſſe, & tam facilem te reperiſſe aditum ad Carbonianam bibliothecam. Id doleo P. *Nicephori Comneni* humanitate te fraudatum, quam *Gronovius* aliique mea commendatione prolixam experti ſunt. Nunc cum P. *Chryſoſtomum* ſatis conceſſiſſe nuncies, vellem ejus indicaſſes nomen, qui in bibliothecae cura ipſi ſucceſſit; jam enim curaſſem officioſiſſimis literis hominem demulceri ab ordinis ſui ſubpraefecto, ut facili illo promtoque utaris, quamdiu libuerit. Aëris Campani clementiam tibi placere non miror, nihil enim caelo illo mitius, nihil ſuavius. adeoque ſuaſerim, ſi cum parentis venia fieri poſſit, ut aeſtatem iſthic exigas, qui valetudinem morbis afflictam confirmes. Magnopere enim thoracem humorum defluxu debilitatum ceteraque pectoris vitia benignioris aurae uſus diuturnior corriget. Elegiam ad magni Maronis & Sannazarii manes natam lubentiſſime viderim, eritque mihi omni Sirenum cantu jucundior. Viros optimos *Tutinum*, *Peregrinum* & *Boluitum* quam humaniſſime a me ſalutes rogo. Inducias Belgicas Galli omni conatu diſturbare conantur, & regium Oratorem pleraſque provincias in partes ſuas pertraxiſſe ajunt, Hollandis interim firmiter pacis conſtitutionem urgentibus. Vale & rem feliciter gere. Romae die XI. Maii CIↃIↃCXLVII.

EPI-

EPISTOLA CCCLXXIII.

LUC. HOLSTENIUS

Nic. Heinsio.

Neapolim.

INvitus sane scribendi officio ante octidnum defui: quod tardius tuas ad me tunc miserat mercator, tum etiam quod unius horae angustiis circumscriptus de Grammaticis quae scire avebas, expedite non potuerim. De hisce quae studium & consilium tuum dirigere possint, schedula adjuncta exhibet. *Putschii* etiam συναγωγὴν, si jusseris, mittam, ne qua veteres scriptores ab interitu vindicandi occasio tibi pereat. Arausionum Messium integris adhuc Sallustii & Ciceronis scriptis usum vix dubito, multa quoque ἐκ τοῖς σωζομένοις restitui aut confirmari ejus beneficio posse. Sed tu rectius ista dispexeris: cui bona fors ἐμπορίαν illud in manus dedit. Parentis tui incredibilis humanitas pudorem meum onerat, qui id mihi gratiae apponit, quod me haudquaquam promeruisse scio. Et quis promerendi locus relinquatur mihi tot tantisque nominibus devincto, quae nec vitae impendio expunxerim. Illi enim bonam rectamque mentem & veteris sapientiae amorem acceptum refero, hoc est, summum illud in vita bonum, sine quo vitam vitalem non ducerem. Hoc utrique tamen persuasum cupio, quamvis praestare nihil possim, omnia vestri causa me velle. Sed aliud quoque suavitatis condimentum literae tuae habuere Gronovianam epistolam; quae tanto majori voluptate me perfudit, quod opportunissima advenit; eodem scilicet momento, quo & alias a *Puteanis* fratribus acceperam, ad magni illius amici & municipis mei studia spectantes. Eorum rogatu Alexiadem Annae Comnenae Lutetiam misi, ut porro inde ad *Gronovium* curetur, cujus Latinam interpretationem regii typographi efflagitant. Epistolas ab amicis Parisiensibus fasciculo inclusas *Christophorus Puteanorum* frater, tui amantissimus, mittit. *P. Stradae* decas secunda adhuc sub praelo haeret. ego non nisi post menses aliquot proditurum existimo, cum figurarum sculptura tardius procedat, quarum lenocinio adornari debet. *Scoppium* horribilem in eum cudisse librum non ignoras. Illum nunc typis publicandum amici Patavio nuntiant. nec deerunt vapulanti fautores. Modos huic dramati faciet tibiis paribus Ludio ille nofter ex Hetruria. Vale Cl. & amicissime Heinsi, & communes jam amicos a me officiose saluta. Romae VIII. Kalend. Jun. CIↃIↃCXLVII. Elegiam de Pausilypi laudibus nunc accipio. eam Musae & Charites, aut Parthenopea Siren tibi dictavit. Commodum hoc lenimentum mihi ineptissimis quibusdam versibus legendis fesso adfuit, ut taedium inficeti carminis animo detergeret. Adeoque duplices tibi gratias ago pro isto Musarum nectare.

EPI-

EPISTOLA CCCLXXIV.

LUC. HOLSTENIUS

Nic. Heinſio.

Neapolim.

TArdius forte quam par erat ſuaviſſimis tuis literis reſpondeo, quod pro tua humanitate occupationibus meis haud gravatim condonabis. Gaudeo te in evolvendis veteribus iſtis Grammaticis tam egregium feciſſe operae pretium. Ita plane praeſagierat animus. Nec poterat illud ἑρμαιον in meliores manus incidere. Alexiadem meam jam ad *Gronovium* perlatam ſpero. Hoc enim *Puteani* fratres, ad quos eam miſi, ſe curaturos promittunt. Qui regio typographio praeſunt avide verſionem ipſius expectant. Ubi eam acceperint ſtatim ſubjicietur praelo. Moliuntur magnum & abſolutiſſimum hiſtoriae Byzantinae corpus. & ſubſidia undique conquirunt. Submiſi etiam Joannem Sinnamum, qui Alexii tempora proxime excipit, & Caloioannis filii ejus & nepotis Emanuelis res geſtas perſequitur, in quibus multa extant, quae regni Neapolitani hiſtoriam illuſtrabunt, quod Normanni pugnaciſſimi homines tunc ſibi vindicabant, & fortiter tuebantur adverſus Graecos pariter & Germanos armis id ſibi repetentes. Miſi etiam ζυλλογὴν antiquitatum CPnarum multo copioſiorem ea, quam a *Douſa* & *Meurſio* habemus. *Petrus Lambecius* nepos meus poſt Gellianas lucubrationes Eunapii Sophiſtis ex regio MSto perſanandis manum admovit, novam additurus verſionem, & poſt unum alterumque menſem editionem abſolutam nos expectare jubet. Ego interim ingenii ardorem ſufflamino illo, σπεῦδε βραδέως, donec Mediceum codicem optimum & antiquiſſimum inſpexerit in ſuo ad nos acceſſu. Etenim ſub principium Octobris eum mihi adfuturum ſpero. Nam vix continere eum potui, quin adulta jam aeſtate huc properaret. Rumor de tumultu populi apud vos exorto anxium me ſollicitumque tua de ſalute habet. Non dubito quin genium moreſque ejus civitatis jam perſpexeris, hoc tamen moneo, dum populus in fermento eſt, ne temere in publicum prodeas, ſed apud mercatorem aut popularem aliquem te contineas. Scatet enim urbs illa hominibus ſceleratis, quos ad facinus quodcunque perpetrandum & projecta audacia & extrema egeſtas facile impellit. Eo enim velut in ſentinam totius regni colluvies confluit. Sed non diffido prudentiae tuae. Doleo tamen temporis & amoeniſſimae commorationis fructum tibi interim perire. Vale, amicorum ſuaviſſime, & num omnia vobis ſatis ſalva quam primum potes ſignifica. Romae III. Id. Julias CIↃIↃCXLVII.

EPI-

EPISTOLA CCCLXXV.

LUC. HOLSTENIUS

Nic. Heinſio.

Patavium.

VErerer ne ἀπροσηγορία diuturnior amicitiae noſtrae fraudi eſſet, niſi meum animum tibi perſpectiſſimum eſſe crederem, ſciremque te affectum potius quam ſollicitam officiorum oſtentationem ab amicis exigere. Interim tribus tuis reſponſum debeo. harum primae, quas Bononia menſe ſeptembri ſcripſeras, ſub exitum Novembris mihi ex Pelignis & Marrucinis redeunti adventoria longe gratiſſima fuere, quod te ex Neapolitano tumultu feliciter elapſum nunciarent. Paulo poſt binae Patavio ſuperveneruntnegotiis collegii noſtri, quorum cauſſa iter intempeſtivum ſuſceperam, etiam tum occupatiſſimo. Haec longioris ſilentii cauſſa, cui veniam ſpero impetrabit ea, quam toto illo itinere circumtuli, tui & Naſonis tui memoria. Etenim Sulmone, ubi ſubſtiti triduum, diligentiſſime inquiſivi in codices ſchedaſque *Ciofani*, magno te gratiſſimoque munere beaturus, ſi quid eorum bona ſors obtuliſſet. Sed quod nobilium plebiſque factionibus commota civitas tota tunc in fermento eſſet, haud tutum fuit verſari in publico, & privatorum aedes curioſius rimari. hoc duntaxat reſcire potui, ad neſcio quem obſcurum & ignobilem hypodidaſculum perveniſſe adverſaria *Ciofani*, qui primarius magiſter ludi fuerat. Ita quidem re infecta inde diſceſſi: ſed operam mihi ſedulam polliciti ſunt *Jo. Ant. Tabaſſius* Canonicus & patricius, & *Mutius Febonius* chorepiſcopus, quos iſthic amicos habeo, nec a perveſtigando deſiſtent, antequam certum quid exploraverint. Faveat diligentiae noſtrae ἱμὰς ὁ λόγος· quicquid ille obtulerit, tuum erit, mi Heinſi. De Alexiade factum nollem, quod tibi nuntianti non credidiſſem, niſi me paulo poſt ſubmiſſum a regio typographo protrepticon confirmaſſet. Id fidem meam noſtramque amicitiam teſtor, me non alio animo codicem meum Lutetiam miſiſſe, quam ut *Puteanorum* fratrum opera porro ad *Gronovium* noſtrum perferretur: idque tuo me feciſſe conſilio haud dubie recordaberis. Nunc manu veluti praedae injecta & mihi beneficium periiſſe, & amiciſſimo homini editionis ſpem laudemque interceptam video: mirorque plurimum, qua fronte in protreptico Cardinalis *Barberini* juſſu codicem ſubmiſſum ſcripſerint; quem *Gronovio* deſtinatum injecta, ut duxi, manu interverterunt. Neque enim ex Barberina, ſed ex Medicea bibliotheca deſcribendum curavi; eique rei hominem graecum Roma Florentiam meo ſumptu perduxeram. Neque vero concoquere potui, quin acriter ea de re conquererer apud regii typographi praefectos, quod ipſorum culpa fides mea vacillet apud eum, cui ſtudia & obſequia mea probare impenſe cupio. Poëmatum pulcherrimorum editione Muſas & Charites omnes tibi devinxiſti; me vero etiam inſigni benevolentiae teſtimonio. Non poterant ſe meliori elogio bonis doctiſque inſinuare, quam equitis *Putegani* illuſtri & venerando nomine. Hoc enim

virtutis & humanitatis ſacrarium omnes merito amant, colunt, ſuſpiciunt. Operae pretium haud dubie feceris, ſi ſcriptorem illum veterem rerum Berengarii, hactenus nec fama notum, ex tenebris protraxeris. Inſcriptiones Zelandicae pergratae mihi fuerunt. De Nehelennia fruſtra inquiri puto; fuit enim haud dubie numen nomenque ἰνιχνεύτον, cujus generis non pauca in magno opere Gruteri extant; de quibus haud temere quiſquam, niſi forte *Goropius* aut *Schrickius*, pronuntiaverit. Vale, mi Heinſi, & parentem tuum officioſiſſime a me ſaluta. *Lambecius* nepos meus cum amiciſſima ſalute gratias pro munere maximas agit. Romae IX. Eid. Februar. CIↃIↃCXLVIII. Adjunxi literas ad *Fran. Bern. Ferrarium* bibliothecae Ambroſianae praefectum, veterem & optimum meum amicum, ille unus tibi inſtar omnium erit.

EPISTOLA CCCLXXVI.

LUC. HOLSTENIUS

Nic. Heinſio.

Patavium.

UT videas, quam non ſine ſucceſſu nobis fuerit amicorum diligentia in *Ciofani* obſervationibus perveſtigandis, mitto ad te literas *Mutii Febonii* Chorepiſcopi Sulmonenſis. Is Antverpienſe exemplar apud fratres Franciſcanos ſe reperiſſe nuntiat *Ciofani* manu paſſim interpolatum & emendatum. verum cum exemplar nec prece nec pretio obtineri poſſit, ſuam in tranſcribendo operam offert: quam ego minime negligendam ratus meum codicem ad ipſum miſi, ut in ejus margines accurate quicquid id laboris fuerit, tranſcribat. Rogavi praeterea ut porro in perquirendo pergat. Idque eum ſedulo facturum non dubito. Librum meum ſtatim ut recepero, ad te perferendum curabo, & ſi quid amplius erui in lucem poterit. Literas meas, quas ante paucas ſeptimanas ad te dedi, recte perlatas ſpero. Adjunxiſſem alias ad amicos Mediolanenſes, ſi humanitatis ac doctrinae tuae praeſtantia aliorum commendatione egeret. Vale, vir praeſtantiſſime, meque tibi omni affectu addictiſſimum, quod facis, porro ama. Romae prid. Kal. Martias CIↃIↃCXLVIII.

EPISTOLA CCCLXXVII.

LUC. HOLSTENIUS

Nic. Heinſio.

Mediolanum.

ANxium me diu ſollicitumque habuit valetudo tua: parum enim commoda Patavii te uſum amici nuntiarant. Nunc itineri etiam vires ſuffeciſſe cum intelligam, gaudeo ſane tibique gratulor: eoque confirmatiorem experieris ſpero, quo ad patrium caelum acceſſeris propius. Interim recte facis, quod lente feſtinas, gradumque ſubinde ſiſtis, praeſertim ubi Muſae de via invitant, & morae pretium oſtendunt. Quod Mediolani haud poenitendum feres, niſi me

me concepta de Ambrosianae bibliothecae praestantia opinio fallit, & eruditissimorum hominum, qui eidem praesunt, humanitas. Et quia in Latinis poëtis restituendis tua maxime versatur opera, excutias quaeso Catulli exemplar, quod *Ripamontius* in Card. Borromaei vita mirifice praedicat. Ovidianos codices optimos bona favensque fortuna tibi afferat: nam Sulmonensis spes plane decollavit: cum hactenus summa diligentia effectum sit nihil. Mitto δευτέρας φροντίδας, quas ipse Plantiniano observationum exemplari appinxerat. Sed nebulam videbis pictam in pariete, ita levia sunt & bonae frugis vacua haec annotamenta; quae veterum librorum adeo non meminere, ut de fide hominis dubitem, vereamque, ne MSStis Codicibus praedicandis fumum vendiderit. Interim hoc unum impensi laboris pretium nobis erit, ut quod periisse videmus, perditum ducamus, nec frustra quaerendo amplius laboremus. Opem in libris apud vos parandis quod tam liberaliter & benigne offers, gratias, quas debeo possumque maximas ago; nec repudiat beneficium herus meus bonorum librorum, quod nosti, cupidissimus. *Pollius* tuos puto Amsterodamum misit. Id enim se facturum quantocyus promittebat, cum indicem eorum conficerem. Eos quoque quos Neapoli reliqueras salvos tibi futuros confido. Nam incendiis aediumque demolitionibus post discessum tuum grassatores illi abstinuerunt. Nummis antiquis onustum ad tuos te redire gaudeo: ita non solum praecellentiam sed & instrumenta eruditionis perdit Italia. Habebunt enim nostri homines, quo semidoctorum antiquariorum fastum retundant. Prostat hîc magna numismatum supellex, studio impensaque incredibili conquisita a Cardinali *Boncompagno*. Sed emptorem vix inveniet Romae aut alibi per Italiam. Sed quid ais? *Allatius* noster in Melampygum incidit? Id saepe futurum praedixi, quo intempestivam maledicendi pruriginem compescerem. Sed qui alios convitiis defricare amat, se ab aliis probe depexum haud aegre feret. Neque enim obstinatam doctos viros praesertim ὑφ' ἑβρένους suggillandi voluntatem nisi cum vita deponet. Parentis tui summi optimique viri effigiem mihi periisse doleo. Etenim lubenter ex tanto intervallo recognoscerem, quam animo adhuc infixam servo. De Alexiade nuper rem ut gesta est planissime exposui. maxime enim fidem & candorem meum tibi & *Gronovio* nostro probatum cupio. Salutat te *Lambecius* noster, qui studiis ac famae tuae summopere favet. Vale, amicissime Heinsi, & quod facis rem porro feliciter gere, & me tibi addictissimum ama. Romae Idib. Maiis CIↃIↃCXLVIII.

EPISTOLA CCCLXXVIII.

LUC. HOLSTENIUS

Nic. Heinsio.

Lugdam.

QUO te hactenus regna & provincias exteras obeuntem constanter prosecutus sum affectu, amicissime Heinsi, eo nunc reditum tibi ad Batavos tuos gratulor, teque in suavissimum illum Musarum sinum, in quo na-

tus es, & parenti optimo reſtitutum gaudeo. Id nunquam tibi obſcurum fuiſſe exiſtimo, quantae nobis venerationi virtus tua & ſumma humanitas interim fuerit; quamvis ſilentio eam magis quam ambitioſo literarum officio coluerim. Hoc enim vere tibi affirmo, eorum, qui a multis annis ad urbem acceſſere, fama faventiore uſum neminem, neque memoriam altius impreſſam omnium animis reliquiſſe; quod ad paterni ingenii laudem, & illuſtrem tanti nominis gloriam felici aemulatione te non contendere, ſed perveniſſe cognoſceret. Mihi autem praecipua cauſſa eſt, cur prae ceteris obnixe te omnique obſequio colam, parentis tui, ſummi viri, aeterna in me ſtudiaque mea beneficia: cui ego quidquid in veterum ſapientia cognoſcenda hactenus aſſecutus videor, totum me debere profiteor. Claudianum tuum, munus longe gratiſſimum, ab Illuſtriſſimo equite *Puteano* accepi. idemque Cardinali *Barberino* tuo nomine exemplar elegantiſſime compactum obtulit, quod pro eo amore, quo optima ſtudia complectitur, accepit legitque lubentiſſime, ita ut ingenii tui ſollertiam & ἀκρίβειαν judicii in eo ſcriptore reſtituendo ſummopere probarit. Et ſane tantum te praeſtitiſſe judico, ut ceteri ante te nihil egiſſe videatur, neque quod alii poſt te amplius agant vel tantillum reliqueris. Eoque magnam nobis Ovidianae editionis exſpectationem commoviſti, quo nullum praeſtantius eruditionis tuae monumentum conſecrare poteris poſteritati. Atque hoc etiam nomine in Belgium te rediiſſe gaudeo, ubi iſta bono publico procures; nam valetudini tuae ab arctoi coeli inclementia non leviter metuebam, utcunque benignam regii favoris auram te expertum non dubitem. Vale, & parentem tuum veteresque amicos quam officioſiſſime a me ſaluta. Romae III. Kal. Mai. CIↃIↃCLI.

EPISTOLA CCCLXXIX.

LEO ALLATIUS.

Nic. Heinſio.

Patavium.

NON dicere effabile eſt, quantum indoluerit animo meo, turbis illis Parthenopeis, quae uſque dum non remittunt aliquid, ſed in dies ingraveſcunt, & auxiliis Gallicis, & claſſe navali magis ac magis furoribus exardet, pacatiſſima tua, & ſumme perficua ſtudia, non modo interrupta fuiſſe, ſed ſupellectilem etiam litterariam, ingenti inter alia noſtri *Voſſii* damno ſurreptam. At ſummae poſtea voluptati fuit mihi, cum evitato malo, te incolumem Liburnum, ac tandem Patavium evaſiſſe, ex gratiſſimis tuis accepi. O rerum humanarum vices, & nunquam non circumvertentem rotulam. An non ridiculus ille fuiſſet, qui tibi Neapolim properanti dixiſſet, Dominationem Hiſpanicam, tot ſuffultam praeſidiis, in florentiſſimo ac tranquilliſſimo regno, ab hoſtium machinis disjunctiſſimo, nulla gravi de cauſſa, a pueris non aere obſitis, ſed tremulis cannis armatis, antequam Parthenope exires, per clades, ſexcentaque alia infortunia in diſcrimen tam certum adactum iri. Re nondum tota explicata, riſum moviſſet, & tamen effectu deprehenſum eſt. Malumque

que ita desaeviit, ut jam restitui res in antiquum statum nullo modo possit, & suis jam fortunis & dominio diffidant Hispani, qui licet multa commententur, ut verbis saltem dignitatem sui imperii apud Siculos sustineat, nihil tamen proficiunt, & jam res haec apud summum Patrem geritur, & infra paucos menses conficietur, cum non minoribus turbis Sicilia fere omnis vacillet, & undique tentata auxilia concidant. Ita regna nascuntur, & occidunt. Faxit Deus, provideat. Ipse interim, idque ingenue fateor, quicquid sum, tuus sum. Impera, habebis me promptum, & ad servitia, si quae imposueris, ingeniosum. Statim atque cum D. *Albano* sermonem habui de carminibus Claudiani describendis, ex Codice Epigrammatum, te ea flagitante, humanissime librum communicavit, & ipse percurrens, sub ejus nomine Carmina, notas ad eadem in margine exscripsi, quae modo transmitto, ut editio, quam moliris, Claudiani illustrior exeat; beneque judico factum, si unde haec carmina hausta sint mentio indicatur, laudemque quam ipsa meretur; habeat bibliotheca Vaticana. Vale, vir optime, Reipublicae litterariae & politioris litteraturae commodo natus. Valeat quoque ex me disertissimus ac omni genii eruditionis parens D. *Daniel*, pater tuus. Quid agit noster *Vossius Isaacus*? eum quoque velim salvere jubeas. Vale iterum. Romae CIↃIↃCXLVII. XV. Decemb. Romae.

EPISTOLA CCCLXXX.

LEO ALLATIUS

Nic. Heinsio.

Leidae.

LUculentum hunc mihi diem dedisti humanissimis litteris tuis, quibus nuntias ad tuos te reversum: sed voluptas eo mihi multo maxima est, post tot labores itineris ad tuos receptum incolumem, & fructum domi capientem, in domestico Musaeo negotiosum esse, libriisque pluribus ex partibus advectis, complicandis, componendisque studere. Ne dicam de prudentia, quam ex Urbium & hominum moribus, quos hac tua peregrinatione invisisti, assecutum te esse, certissimo mihi constat, dum & ingenium tuum & studium, & ἡ σοφὶς τὰ πάντα ἰυφυΐαν mecum recolo. Vive diu, mi Nicolae, & quam sustentasti, bonam valetudinem, sedulo accura, ut quae inde sperantur ab omnibus commoda largius effundantur. Sane, si jusseris, non deero tuae industriae usui aliquantulum esse. Tiberius, ceterique Rhetores nondum lucem omnes aspexere; morae non alia causa fuit, quam nostrorum Typothetarum infelix inopia, qui uno tantum litterarum charactere contenti, eo in aliis praepedito non possunt ad plura animum advertere. Spero tamen eo expedito editionem prosequendam. Pervenit ad vos Syntagma meum de consensione Ecclesiae Orientalis atque Occidentalis perpetua. Nuntiatur mihi a viris ingenuis, in vestris regionibus, licet plerisque placuisset, displicuisse tamen *Salmasio* & *Hagio*, parareque eosdem in me meaque calamum. Scripsit praeterea *Salmasius* amicis Parisinis, qui me de eo certiorem fecerunt, fidem

aſtringens ſuam, ſe velle haec mea acriori examini ſubigere. Summopere mihi gratulor a tantis viris impeti, dignumque irae eorum judicari. Sed cum petant calamo, ſecurus interim ipſe vivo. Nonnulla *Salmaſii* in opere de Primatu non ad veritatem, ut ipſe exiſtimo, ab ipſo relata perſtrinxi. Si ipſe meliora adducet, cautior & libens fiam. Sed videat prius in rebus Eccleſiaſticis, & rebus fidei, ex quibus verum exſculpendum eſt. Rogo rerogoque, ut ſi quid ipſe de hoc argumento in publicum edet, nam quid privatim inter familiares ediſſerat, non aveo ſcire, quam celerrime indices. Sic quam opportune mihi operique providebo. Dignus eſt Claudianus notis tuis. ne diuturna mora animos exſpectantium angas. Quare precamur rerum familiarium citam expeditionem, ut amotis impedimentis ſimilibus ſtudiis incumbas. Gaudeo *Iſaacum Voſſium* a Suecorum Regina evocatum. Erit ſemper paratus ad majora promerendum. Dominus *Albanus* reſalutat, polliceturque cum quidpiam in rem tuam recurrerit, officia ſua omnia. Legit mihi inter *Balſaci* epiſtolas ſelectas lib. 3. ſextam, gaudebamuſque te laudari a viro laudatiſſimo, & merito, virtutum tuarum admiratores. Vale Romae XI. Kalend. Mart. CIↃIↃCXLIX.

Claudianus inter auctores Chymicos recenſetur. Codex meus Manuſcriptus, in quo habentur varii illius artis ſcriptores. ὀνόματα τῶν ποιητῶν τῆς τέχνης. Πλάτων, Ἀρεσίτελης, Ἑρμῆς, Ἰωάννης ἱερεὺς, Δεμόκριτος, Ζωσίμος ὁ μέγας, Ὀλυμπιόδωρος, Στέφανος ὁ φιλόσοφος, Ζάχαρ ὁ ἐν Περσίδι, Συνέσιος, Διόσκορος ὁ ἱερεὺς ἐκ μεγάλου Σαράπιδος ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, Ὀστάνης ἀπ' Αἰγύπτου, ἡ Μαρία. Πελάγιος. Πορφύριος. Ἐπιβόχιος. Κλεοπάτρα ἡ γύνη Πτολεμαίου τοῦ βασιλέως, Ἀγαθοδαίμων. Ἡσυχάριος ὁ βασιλεύς, Θεόφραστος, Ἀρχέλαος. Κλαυδιανὸς. Σεργιος. Meminit quoque illius Stephanus Alexandrinus epiſtola ad Theodorum, εἰσὶ δὲ οἱ περὶ Κλαυδιανὸν, καὶ τοὺς ἄλλους, ὁμῶ πάντες ἀδελφοὶ ἦσαν εἰ μὴ μόνον χρήσιμοι δύο ἐκ εἰσιν ἢ ἡλσοκάργυρος πάσα ἄχρης. loquitur de agricolis inutilibus in arte Chymica. Stephanus hic ſcribebat tempore Heraclii Imperatoris.

1 Haec de Claudiano Chymico leguntur ante Claudianum *Heinſii*, niſi quod Graeca verba Theodori deſunt, forte quia Allatius minutiſſimo charactere literarum difficilem lectionem verborum fecerat, nec ego me ſatis expedio. Vid. & Conring. de Hermetic. Medic. cap. 3. Borrichii Hermet. pag. 79. & 80. & de Ortu & Prog. Chemiae pag. 97.

EPISTOLA CCCLXXXI.

LEO ALLATIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

FUimus nos hoc eodem anno jactura litteratorum hominum, & ſtudiis doctriniſque illuſtrium vobis multo miſeriores: nimis enim ad hunc diem proventum eſt nequiter & morbis quotidie ingraveſcentibus, metuimus ne infortunatiora accidant. *Paganinum* enim fere continuo, quos forte & ipſe noſti, conſecuti ſunt, *Franciſcus Ingolius* Congregationis & fidei propagandae a ſecretis, eruditiore literatura, & Mathematicis ſcientiis inſtructiſſimus. Ipſo anni exordio familiaribus indixerat, ſe hoc anno, ſi aliquo valetudinis morbo tentatus

fuiſ-

fuiſſet, vitam abſque dubio poſtrarum, & cum cubaſſet in morbo, ſtatim decimum poſt diem amici ſalvemini, quod & comprobavit effectus: namque, die illuceſcente undecimo, vita defunctus eſt. *Caeſar Becillus* oratorii Presbyter, qui multos abhinc annos concordiam Euangeliorum non ſine laude ediderat, & poſtmodum rebus Chronographicis animum advertens pro Calendario opus doctum ſane & laborioſum apertiſſimis tabularum demonſtrationibus, & aliarum gentium annorum cum Romanis collatione, examinatis ac diſcuſſis adverſariorum rationibus terminaverat, & jam parabat editioni. Mors tamen conatus ejus intercepit. Antequam ad Oratorii Patrum album referretur Medicinae fortunatiſſimae operum navaverat. *Joſephus Meronus* in rebus Theologicis pertractandis clarus, multa in ſacram ſcripturam commentatus eſt doctiſſime. Quorum nonnulla ad guſtum Lugduni & Romae emiſſa ſunt: reliqua digna lumine apud haeredes ſed non conſanguineos, miſeros atque inopes, omniaque ad lucellum vel minimum revocantes, vel extinguentur, vel alio avolabunt, cum ſua Bibliotheca librorum & copia, & raritate conſpicua. Fuit patria Mediolanenſis, & humaniſſimis moribus. *Petrus Baptiſta Burgius* Hiſtoriae de bello Suecico & commentariorum de Reipublicae Genuenſis dignitate, & dominio in mari Liguſtico ſcriptor, aetate prima adhuc & valida, deſideratiſſimus amicis Januae emoritur. *Synoleticus* quoque Patavii, J. U. Doctor praeſtantiſſimus, & alii alibi exſtincti ſunt, ut amicorum litteris nuntiatur. Nec rabies morborum declinat: imo in ſingulos dies magis ac magis quaſi tum exorſa, in atrociores & funeſtiores calamitates deploranda clades, genus humanum involvit. Miſerum ſane eſt, una omnes ſimul, & qui virtuti & literis, & qui luxui atque ignominiae, & qui fatua rerum omnium ignoratione belluas exaequant, eodem pondere aeſtimatos, eodem morbo elatos, in communem tumbam damno irreparabili praecipitari. Miſerum eſt. quis hanc conditionem humanam non deteſtatur? ſed tamen verum eſt. Quis poteſt dicere Domino; cur ita facis? bonum eſt, opportunum eſt, feliciſſimum eſt, quod deo collubitum eſt. Nil obſtat, ſi ipſe non intelligo, & illius arcana non aſſequor. Non quod mihi videtur rectum, ſed quod Deus facit, id rectum eſt. Diſcurſus humanus fallax & neſcius inferatne Divinae ſapientiae legem? ſed vide quo me traxit de tanta amicorum jactura dolor. Dolet cordi meo, miſeriſque crucior modis, dum ſimiles amici ſeſe mihi rapiunt. Homo ſum. Sed ſedatu cogitationis illo impetu, imperio rationis fraeno me. Chriſtianus ſum. Gaudeo ex infortuniis ereptos, ſalutis ſuae ſecuros Beatorum ſedes tenere, & Deo creatore ſuo perfrui. Male caeleſtia cum terrenis, incorrupta, ſempiterna cum lubricis, abſone felicitas cum infortunio conferuntur. Sed ad rem. *Salmaſius* ad familiares ſcribens multa in me, meumque Syntagma de Conſenſione Eccleſiarum obloquitur, minaturque mirabilia. Vidi ego ipſius autographa. De minis non curo. Ubi notae ſe patefecerint, meum erit illas excipere, excutereque. Ut aliquid me adverſus dicat, neceſſum eſt illud ante omnia probet, concordiam, quam ipſe compono, non eſſe concordiam, quod nunquam faciet. Res nimis aperta eſt. Quidquid ille ex Grammaticorum

penu

penu de veritate Dogmatis eduxerit, ſciat id contra me non eſſe, qui tantum probo, quod tenent tenueruntque Graeci, id tenuiſſe tenereque Eccleſiam Romanam. Si ſanus eſt, nec ipſe negabit, ni ſolem etiam interdiu lucere negaverit. Sed negabit ex rabie, & volumina nobis, pro una re, de qua agitur, reliquis omnibus infarciet; ne ceſſet pro periculo eſſe ſapientibus, qui perpetuam hominis delirationem, reddo illi verba ſua, deplorant. Indigne porro agit, dum ſcommata & dicteria in me, amicis ſcribens, a me nuſquam lata exoneret. At dicta ſua oppugnavi. Quid tum? Defendat ipſe, & liberet ſe, ſi poteſt. In theatro uterque ſiſtimur. Communis palaeſtra eſt. Quid certat verbis, ubi factis opus eſt. Nec ego, nec ullus alius ex Catholicis, imo etiam ex diſcordantibus plurimi eum judicem dogmatum agnoſcimus. Qui enim judicem agnoſcamus eum, qui aeque Aſtrologica, Juridica, & Moralia, Philoſophica & humana novit & tractat, & ſui exiſtimatione larvarum plenus debachatur. Homo τῇ φύσει παραθέμενος, ἢ ἀλαζονικὸς, ἢ πάντα διάκωμῳδικὸς. At locutionis & ſententiae reliquis modum imponit. Ne aegre ferat, in literaria Palaeſtra alios aliter atque ipſe & loqui & ſentire. Non eſt quod amplius in occulto muſſet. Liberet fidem ſuam, & edat. Nec negligat illud, Promiſſio boni viri eſt obligatio. *Albanus* ſalutem tibi plurimam, & tui nimium ſtudioſus atque obſervans. Vale. Romae CIↃIↃCXLIX. XI. Kal. Jun.

EPISTOLA CCCLXXXII.

LEO ALLATIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

INgenue fateor, mi Nicolae, multis me tibi nominibus, & antea fuiſſe conjunctiſſimum, ſed nunc potiſſimum ſtudiis tuis neminem unum eſſe, qui me tibi devinctior ſit. & vide obſecro. Abſentes alii oblivioſi fuere, tu ita animo tuo Leonem affixiſti, ut continuo & memoria repetas, datiſque ad alios litteris illius nomen obſequentiſſime inculces. editis quoque libris voce & ſententia comprobas, & memoriam illius quam longiſſimam reddere conaris, & certe reddis, immortalitati commendas, ultroque poſtmodum ad me delatum Claudianum tuum dono das. Quemadmodum itaque me tot tibi beneficiis obnoxium: neque enim ferreus ſum & lapidem exui, fateor, ita & planum facio apud me optime fuiſſe collocata, ne dicam foenorata. Nunquam ſiquidem deſinam, dum vita eſt, tua in me benefacta memoria proſequi, & ſi fere ferat occaſio, aperta ante omnium oculos ponere. Idque ſi nequeam, rogabo, ut dii perſolvant grates dignas, praemia debita. Claudianum tuum accepi ab Illuſtriſſ. *de Puteo*, quo ſane in amicis pleniore obſequio demerendis neque ſanctior neque probior, neque diligentior quiſquam eſt. Eum avidius percurri, & admiratus ſum in Notis & acumen ingenii, & multarum rerum cognitionem, ſed in primis verae antiquitatis notitiam, quibus Claudiani verba examinas, ſententias in integrum reſtituis, & manca ac mutila ſupples.

Si

Si tantum valet in juvene eruditio, quid futurum est in perfecta aetate? ſervet Deus haec nobis bona, ut ſimilibus ſtudiis alii quoque ſcriptores bene proveniant, & Reſpublica litteraria novis ſemper laboribus collocupletetur. Interim ſcias quoque id velim, me ad nutus tuos paratiſſimum eſſe. Vale XI. Kal. Jun. CIↃIↃCLI.

EPISTOLA CCCLXXXIII.

LEO ALLATIUS

Nic. Heinſio.

Venetias.

BReviter ad tuas mihi gratiſſimas, Heinſi praeclariſſime. Edidit *Carolus Stephanus* Lutetiae Graece typis, ut ſcis, elegantiſſimis & vere regiis Appiani Hiſtorias, ſed Illyricae tantum principium, quum poſtea nactus *Hoeſchelius* integram ex Bibliotheca Auguſtana typis Auguſtanis publicavit: demum *Henricus Stephanus* ab *Arnoldo Arlenio* cum aliis Appiani Ibericam atque Annibalicam acceptam typis ſuis minutiſſimis in octavo cum Eclogis Cteſiae, Memnonis, & Agatharchidis exhibuit. Accepit vero ita depravatam, ut ipſe ſcribit ad *Carolum Sigonium*, cui libellum nuncupat, ut & *Arlenius* cum aliquo litteratorum fructu edi nunquam ſperare auderet, & ipſe *Stephanus* tanta depravatione deterritus, de illis corrigendis, deque earum etiam editione deſperaret. Edidit tamen utcumque ab ſe correctas. Quare mi Heinſi, quamvis dictae Hiſtoriae proſtent, codex ſi manu diligentiori exaratus, & autographum, unde tuus extractus eſt, correctius quam *Stephani* fuit, nae iſte tuus multi faciendus eſt, cum nos ex eo pleraque ſperare poſſimus, quae plane deſperaverat *Stephanus*. Et haec de Appiani tui hiſtoriis. Scribunt mihi *Voſſium* minis tantum contra *Salmaſium* agere, nec poſſe amorem inſitum, quo illum ſemel proſecutus eſt, ex animo ejicere. Quare ut putant, ſimultates & odia citius extinguentur, & ego certe id percuperem. Similes enim ipſe ſcriptiones deteſtor, atque inutiles judico. & potiſſimum ſi de rebus levibus concertatio ſit, in quibus nonniſi garrulitas emicat, & mutuae injuriae, & ſui & familiae famam dedecorant. ὁ γὰρ καταγελάσονται, dicebat ille, ὅτι ἴχνεμεν ἄν, ἄλλ' ἄτλα πεφύτευντες, ἢ τοιαῦτα ἐπιδεικνύμενοι. Vale, vir praeſtantiſſime. Romae VI. Kalend. Mart. CIↃIↃCLI.

EPISTOLA CCCLXXXIV.

LEO ALLATIUS

Nic. Heinſio.

Vienam.

REddidit mihi tuas *Fuſtembergias* noſter, officiis & humanitate refertas, de quibus nunquam dubitavi. Res erat cum Heinſio, in quo & humanitatem ipſam, & antiquam probitatem admiramur. Doleo vero me non potuiſſe pro & arbitratu meo, & ut virtutes tuae poſcebant, ſymbolam tuis doctiſſi-

mis ſtudiis conferre. Animus certe non deficit, de quo nobiles animi magis delectantur. Jam ex Italia petiturus es lares paternos, Deus iter fortunet, & poſtquam domum acceſſeris, res domeſticae tuae omnes & ſtudia ex ſententia pulcherrime procedant; & tuus Ovidius eam conſequatur lucem, quam tute ipſe & tibi & illi deſideras. An poſt Claudianum & Ovidium alius, tertius te in Italiam noſtram conducat? Et quis hic fuerit adeo Diis dilectus? Utinam hoc modo mutes ſaepius lares, ſed curſu ſoſpite, ut res quoque literaria adproſperetur. Interim ſi quid hîc Romae mihi mandaveris, quod in rem tuam fore exiſtimaveris, rem mihi gratam faceris, & ſi res proſpere proveneriit, gratioſam: & ut proveniat, conatus ipſe meos omnes inſumam. Deus det mentem *Salmaſio:* namque ut video, videtur in rabiem verti, quando rem non ultra agit rationibus, ſed conviciis. In Solinianis exercitationibus non deerit *Voſſio* leges & fertiliſſima, cui ſalutem ſolidam, & *Gronovio* nuntio. Deus te ſoſpitet ſuperſtitetque, vir praeſtantiſſime. Romae CIↃIↃCLIII. Ultimo Februarii.

EPISTOLA CCCLXXXV.

JOANN. RHODIUS

Nic. Heinſio.

Florentiam.

GRatiſſimum fuit creditum civi meo felicis ingenii tui novaeque in me benevolentiae monumentum. Nihil enim eo literarum genere mihi jucundius, in quod inclinat animus, quamvis eo parum excultus. Gratulor ſeculo noſtro optimoque patri, mihi olim noto, cujus genium, ſi quid judico, ſecundis eruditorum judiciis ad vivum exprimis. Ita perge faventibus Muſis. Sed in primis relictos Ovidio & Claudiano naevos deme: quibus nec levem in noſtris heic bibliothecis operam conferes. Optimi Principis indulgentia Celſo noſtro binos fere menſes impendi, quum liber omnium, quos vidi emendatiſſimus. Biblia Hebrea ibidem caſtigatiſſima percepi. Virgilium ei ſimilem vidi, quem aliquando Heidelbergae. Tacitum & Apulejum charactere Longobardico luſtraſſe, tua curioſitate non indignum fuerit: Cionis pariter in Lucretium ac Virgilium expoſitionem, vel meo hortatu, qui per graviores occupationes tantum inſpexi. Eſt pluteo, ni fallor, XXIV. volumen decumanum Latinis Graeciſque literis variatum. Quonam titulo quove auctore id notatum neglexi: mea tamen ut ſciam intereſt. Tuo ſi factum hoc fuerit beneficio, plurimum tibi me devinxeris. Ne quid porro tuae deſit diligentiae, moneo in veteri palatio chimaeram ſervari aeneam paucis viſam: quam vel eo nomine conſiderabis, quod minus accuratam ejus ideam exhibeat *Aldrovandus* de Quadrup. digit. vivip. lib. I. Pag. 56. Nec Pandectas mihi omiſeris. *Claudio Berigardo*, primae notae amico, Doctori Patavino ſubtilis ingenii, te nuper commendavi, quo viae comitem vix reperies optatiorem. Interim vale, ac valetudinem tuam, ſatis ut intellexi dubiam, diligenter cura. Patavii XVII. Aug. A. CIↃIↃCXLVI.

EPI-

EPISTOLA CCCLXXXVI.

JOANN. RHODIUS

Nic. Heinſio.

Venetiis.

JAM rheda prae foribus erat, quum tuae redderentur. Officio ne deeſſem D. *Offredo* contubernali meo negotium dedi meo nomine reſponderet. Reverſus D. *Gaſparem Vichefort Franciſco Bernardino Ferrario* ſtudioſe commendavi. Genuae te ipſum Roma exſpectaturum laetor: ne te fraudemur, tuve iis, quae in rem tuam futura. Clariſſimi *Craſſi* ſumma iſtic auctoritas: cujus opera in quaſvis bibliothecas, in cimelia magnatum, apud quos plurimum valet, praecipue *Ruzini*, aditus erit. Nec opus fuerit alio ad *Paulum Caortartam* Senatorem optimum parario, qui numis & ſtatuis delectatur: quanquam & *Ferrarius* hac veſpera ipſum compellaturus. *Grimanni* bibliothecam ne praetereas. Imo, ſi vacat, rariores ibi nota libros, vel in gratiam Reverendiſſimi Praeſulis *Tomaſini*, qui Bibliothecas Venetas MSS. coepit operis committere. In coenobio D. Antonii, & D. Joannis atque Pauli erit aliquid tui ſaporis: in primis vero in D. Marci bibliotheca libros novi Graecos, quos inveſtigaſſe operae fuerit ex indice, quem olim Sozomenus vulgavit. Ad *Vintimigliam*, quas miſiſti, diligenter curabo. Plura non occurrunt. Vale ac vive. Patavii VI. N. Oct. CIↃIↃCXLVII.

EPISTOLA CCCLXXXVII.

JOANN. RHODIUS

Nic. Heinſio.

Venetiis.

NEceſſitudinis noſtrae jucundius nullum mihi pretium tuis commodis: quibus unice advigilandum cenſeo. Si nonnunquam minus ex voto, eventui adſcribendum, quem ſemper praeſtare vix integrum. *Bariſonus* adhuc Venetiis moratur. Ubi redierit, mox virum compellabo. De numis, quos noſti, eſt res dubia. *Zabarella* quos habet mihi ſe miſſurum promittit. Ovidius & Claudianus cura *Offredi* hodie in tuum reditum ſepoſiti in bibliotheca, e qua libros efferri vetitum. Carmen mitto, pro quo D. *Occo* novem libras expendit, pretium ſane ferendum. Quae juſſiſti mutavi. *Tentiginis* autem Aureliano quum longe alia ſit poteſtas, verſum omnino revocavi ad Medicorum ſententiam. In autographo *Specus* plane *Species* videtur. Nec ipſe aliter judicabis. Nudius quartus *Puteanus* eques nunciavit Italiam *Holſtenio* mire placuiſſe tuam, ſuum pleno verborum modio in te animum teſtatus. Quae ſuperſunt Anatomiae apud me ſepoſita ſunt in tuum & amicorum uſum. Illuſtriſſimo *Lauredano*, *Bollano*, & *Craſſo* mea obſequia dico. Contubernales ſaluto, in primis *Occonem* tuum, ad quem annexae mihi hodie traditae. Vale, mi Heinſi, ac vive. Patavii XIIX. Febr. CIↃIↃCXLIIX.

EPISTOLA CCCLXXXVIII.

JOANN. RHODIUS

Nic. Heinſio.

Venetias.

SAturnalia Muſis parum aequa fore dudum praevidi. Sed quae tua eſt prudentia, ferendus leniter ille gentis mos. Propediem omnia ex voto cadent ominor. Flacci & Ovidii interim utilem fuiſſe operam ſpero. *Bariſonus* Venetiis reverſus in vicinum rus abiit, unde perendie exſpectatur. Gratulor de conquiſitis tam levi pretio nummis. *Roſini* Muſeum parario Cl. *Craſſo* plane tibi luſtrandum putabis: ubi vis ingens nummorum, ceteraque tua curioſitate digna. *Gisberti Bodri* Galli aurificis rariora popularis mei opera: in quibus foetus ille in lapidem verſus doctorum commentariis notus. D. Marci, Antonii, Joan. & Pauli bibliothecas excuſſiſſe operae fuerit: praecipue primam, in qua Graecae doctrinae non parum multa. Verbo, nihil intermittendum cenſeo quantivis temporis pretio. Claudianus hîc apud Canonicos geminus eſt. Italiae tuae aliquot exempla commode attuleris, & Parentis optimi effigiem, permutata ſi libet charta, cujus humanitati plurimum debeo ob curatas magna diligentia literas. Vegetium *Salmaſii* decumanae formae ſub praelo eſſe nunciat amicus. *Schelius* Doctorem ſuum Juris Civilis admodum depraedicat. *Gaudentio* necdum reſpondi; nec ille quidquam reponit. Pacatiorem fore opinor, ſilente prorſus altero, quem videbatur timere. Neapolitana cras remittam. D. *Occoni* haſce tradas quaeſo; meoque nomine cum reliquis plurimam ſalutem impertias. Vale ac vive. Patavii XXIV. Febr. CIↃIↃCXLIIX.

EPISTOLA CCCLXXXIX.

JOANN. RHODIUS

Nic. Heinſio.

Mediolanum.

UNas a tuo diſceſſu 4. April. Veronae exaratas, 13. primum accepi: diverſorum quaternas Equitis *Ponae* diligentia traditas credo. Faſciculum 9. Aprilis a *Balthaſare* & *Gaſpare van Collen* habui Venetiis: in quo *Goeſii* Vindiciae, Apologia pro D. *Heinſio*, Ejuſdem Alloquium funeſtum; quatuor ſingulorum exemplaria. Neſcio tamen qua incuria Vindiciarum particula reliquis ad literam *H* acceſſerit. Fragmentum iis, quos mihi reliquiſti, libris addendum cenſeo, ne quid inde bibliopola detrimenti capiat. De iis quid velis, accurate perſcribas cupio. Italiae tuae Romam nulla ſe adhuc obtulit occaſio. Spero tamen brevi Germanum eo conceſſurum, qui elegantiſſimum attulit *Beringi* noſtri carmen heroicum Auſtriacis Nuptiis dicatum, cui *Frambottus* operas condixit. Sed ad noſtra. Mediolani verſaris. Viri optimi *Ferrarii* comitate quae in bibliotheca tui fore arbitrii proſpicio. Ejus aliquando catalogum

quem vidi apud amicum, in quo librorum poſtremus fuit *Petri Paludani* in Pſal. expoſitio. nec tamen cetera integrum fuiſſe opinor, quod philyras decem non expleret. Ipſum ſi qua poſſes arte perficere, noſtrum utrique foret commodum. De reliquorum enim copia ſum certus. Precibus interim ſi quid poſſum contendo, de libris in ſcheda notatis me diligenter inſtruas. Cujus nempe illi notae, cujus aevi, ac moliſ, omneſne manuſcripti? De Celſo nihil moneo, praeterquam apud R. P. *Sfondratum* prudenter explores, num ei, quod jam diu in ſe recepit, manum admoverit. Si Vegetii Mulomedicinam iſtic aut aliis in locis ſcriptam offenderis, ſi Varronem, Columellam, melioris notae Plinium, Q. Serenum, Macrum, ſed in primis Celſum, indica quaeſo. De Scribonio res ferme deplorata. In quem de tuis Hypercriticis proxime. Plura enim non licet. Valetudinem cura, ut ex communi voto vivas. Amici te ſalutant. Patavii XIIX. April. CIↃIↃCXLIIX.

EPISTOLA CCCXC.

JOANN. RHODIUS

Nic. Heinſio.

Mediolanum.

BInae tuae ordine prorſus inverſo hoc menſe mihi redditae. Quas enim IX. Kal. Maj. dederas, hodie accepi, quas III. Kal. VI. Non. habui. Gratulor in bibliotheca Ambroſiana rem ex voto procedere. Nec dubito, quin iſtic morae pretium ſis habiturus. De MSS. numero quod refers, olim a Cl. *Bernardo Ferrario* accepi. Quae in ſcheda notavi, ubi commodum fuerit, edoceri cupio. Magnopere te interim oratum volo, de Re Nummaria Breviarium diligenter inſpicias, & mecum poſt *Pignorium* magni *Lipſii* cenſebis. Ejus apud me ſervatur exemplum: ſed parum accurate deſcriptum. Quae mihi ſuſpecta ſeorſum notavi, ut diligentia tua mihi redeant emendatiora. De faſciculo qnod jubes, bona fide peragam. Quod me muneris participem volueris, plurimum debeo. *Datus* in recognoſcendis quibuſdam Vegetii locis nimium ſe laborioſum obtulit: cujus operam compendio ſublevavi. *Gaudentii* V. C. typis deſcripto tui nominis elogio hodie onuſtiores traditae, cetera praeter morem breviſſimae, nihil tamen abs te literarum diu redditum monent. R. P. *Sfondratus* bonam Celſi partem ſua opera caſtigatam ſcribit. Quouſque ille progreſſus, ſi licet, explora. *Ferrarius* enim reliquum ſe perſequuturum promittit, oculis etiam non valde firmis; quem aegre moleſtiam hanc ſubire patiar, ſi ſtudium hoc valetudini nocivum putaveris. Quanti faciat animi in ſe tui ſtudium Reverendiſſimus Aemoniae Praeſul *Tomaſinus*, ex ipſius literis cognoſces. *M. Aurel. Severinus* adhuc Neapoli bene agit: cujus menſe Auguſto ſuperioris anni exaratae nunc primum traditae ſunt. *Menfredi Septalii* D. Conſiliario mea manu dedi. Illuſtriſſimus *Schelius* adhuc Florentiae commoratur. Clariſſimo *Ferrario* ex me ſalutem nuncies, cui hac vice non reſcribo. Nationis negotio impeditur

Joannes la Nouue ait ſe mox ad ipſius reſpondiſſe. Vale Patavii VII. Id. Maij. CIↃIↃCXLIIX.

In Breviario de Nummaria.

Cap. 2. ſub finem. *inclinat.* ſcrib. f. *inquinat.*

Cap. 4. non multum ab initio. *Sed & progreſſu temporum*, &c. *cum mirifici ingen. aut invent. uſus. F. cum mirif. i. a. i. uſu.*

211. Regula. *tum* alio compendio utor,

Atque hic tu. tum
quod tu. libentius p. g. p. dicunt
aut exemplo. eodem autem ſ. c. d.
ſenſit Georg. Agricola.
potuit. poſui
Sciri volo i. a. p. d. ſ. e.
Fanni. fiunt in libram.
Convenerit. Sed inquit Plutarchus:
Quod mihi Priſciani a. o. ſ. legentis: ego v. i. i. L.
Quinario. & ille

Poſt Tabulam.

Exempla pluſcula ſunt, de b. fidei. F. de quibus fidei

Sub finem Capitis. *Trecies ſeſtertium*

Cap. 5. ſub finem. *Ita enim vetus Codex. alii enim. F. alii autem*

In fine libelli numquid praeter Cujacium Hotomanni, aliorumque mentio? Sic enim retulit mihi *B. Bartholinus.*

EPISTOLA CCCXCI.

JOANN. RHODIUS

Nic. Heinſio.

Mediolanum.

QUam vellem te minus obſtrictum ſcribendi officio, quo nihil dubiae valetudini gravius. Tua vero humanitate dum alios ad mutua ſtudia provocas, tibimet non parum officis. Ego ſane non committam, ut a neceſſariis te avocem, niſi fortaſſis publicae utilitatis cauſa: quae nunc tuam poſtulat operam circa *Lipſii* de Nummis Breviarium, quo *Veſlingii* aliorumque praeſtantium virorum judicio accuratius in lucem proferatur. Doleo equidem egregiis conatibus tuis non ſupereſſe abunde tempus. Quid vero abitum valde flagitat praeter optimi patris deſiderium? Nudius tertius e Belgio *Thomae Furenii* literas habui: quibus una cum *Voſſio* & *Waleo* me ſalvere jubet. *Waleus* autem quibuſcumque Celſi ſcrupis e ſuo MS. expediundis paratum ſeſe obtulit: cujus humanitate utar, poſtquam Cl. *Ferrarius* a P. *Sfondrato* relicta perfecerit. Quod mones de *Scaligeri* in Guilandini Papyrum ſtricturis, non ſatis adſequor. Itineris Genuam verſus periculum facile declinabis *Ferrarii* conſilio

&

& auxilio; cui noti negotiatores omneſque bonae fidei veredarii eo commeantes. *Molthenium*, qui haſce dabit, enixe rogavi Brixiae *Roſſi* Memorias tibi pararet. Idem quoque *Offredus* ei ſuggeſſit. Vindicias *Goeſii M. Aur. Galuano* deſtinatas tradidi. Quae ſuperſunt *Octavio Ferrario* dabuntur; *Bernardino* nunc Apologia adfertur. *Berigardo* nuper Florentiam ſecedenti quos juſſiſti ad *Gaudentium* commiſi, pariterque ad humaniſſimum *Datum*, quae in Vegetii Mulomedicina mihi e paucis vere ſuſpecta, ad MS. Mediceum recenſenda. *Allatius* poſtremis ad me datis etiam ſolenni voto prolixum valde in te animum teſtatur. Praeſuli *Tomaſino* brevi ſum reſponſurus. *Aurelio Severino* necdum licuit. maxime, quoniam nihil adhuc de ipſius commentariis cum *Frambotto* confectum: qui Scribonio etiam typos condixit. De quo ad te propediem. Fac autem ſciam primis num Genoa Mediolanum rurſus cogites. *Lipſius* noſter Roma rediit, de quo *Molthenius* plura. Omnes tui officioſiſſimam ſalutem nunciant. Vale, meque de rebus tuis crebrius edoce. Patavii xv. Calend. Jun. CIↃIↃCXLIIX.

EPISTOLA CCCXCII.

JOANN. RHODIUS

Nic. Heinſio.

Mediolanum.

CRedo a *Molthenio* nunc traditas, quas nudiuſquintus ad te dedi. Spero etiam *Rubei* Monumenta ipſius diligentiae tantopere commendata, comparaſſe: *Holſtenii* & *Putei* heri redditae. Narrat hic *Parutae* librum de Nummis Siculis veriſque priſcorum notis brevi proditurum. De tuo itinere aliquid propediem certi exſpecto, maximeque de locis Breviarii Lipſiani dubiis. Genevae *Caſparem Bartholinum* civem meum ſalutes rogo. ad quem de te jam pluribus. Tuo interim ſcire aveo judicio, quis ille, qui Lutetiae Harpocrationem adornat. Nam & mihi optimum noſti, ex quo aliquid fortaſſis tam egregio labori poſſet accedere. Quis alter, a quo Gloſſariorum ſylloge deſideratur? Apud quos Macer, Q. Serenus, & Fannius calamo ſcripti. Puteſne apud *Scriverium* eſſe Vegetii Mulomedicinam, in quo unus alterve deploratae ſpei locus. *Waleus Thomae Furenio* civi meo ſe bona fide promiſit excerpturum e ſuis variis Celſi lectionibus, quaecunque mihi ſuſpecta. Archiepiſcopum Salisburgenſem de ſuo Codice nuperrime ſollicitavi. Si quid ejus generis porro offenderis, mone quaeſo; ne quidquam me praetereat. Vale, tuamque valetudinem cura. *Mancinus*, *Galvanus*, *Ferrarius*, *Veſlingius*, *Offredus*, ceterique tibi ſalutem adſcribunt, & ego *Bullialdo*. Patavii x. Kalend. Jun. CIↃIↃXLIIX.

EPI-

EPISTOLA CCCXCIII.

JOANN. RHODIUS

Nic. Heinſio.

Genuam.

BReviorem ſolito me facit ſumma temporis anguſtia, quandoquidem tuae *Ferrariique* ſerius traditae. Clariſſimo *M. Aur. Galvano* & *Offredo* tuas dedi: ad quas ipſi ex commodo reſponſuri. *Ferrario* jam ſcribo, Cl. *Holſtenii* ad *Moltkenium* tuae fidei committat, quo recta, ſicut mones, Lutetiam mittantur. Quam ille rectius, vel in Principis gratiam, unum adhuc diem Mediolani traxiſſet. De *Ciofanii* curis, Vegetii MSS. Scriverianis, maximeque de Celſi noſtri in bibliotheca Ambroſiana codicibus quae addidiſti, pergrata mihi fuere. Perge porro in itinere quidquid occurrat hujus generis diligenter ſuggerere. Si quid mihi tuam in rem obvenerit, mutuum exſpectabis. Illuſtriſſimus *Schelius* nuperrime ſignificat ſe denuo Romam cogitare, & forſitan ulterius. Vereor autem ne laudabile inſtitutum evertant novi, qui dubiis autoribus feruntur, Neapolitanae gentis motus, appulſa Gallorum claſſis poſtquam ſeſe in conſpectum dedit. Ad *Severinum* nihildum dedi literarum, quamvis Hortum Meſſanenſem P. *Caſtelli* ſupra annum in via haerentem nunc pridem habuerim. Clariſſ. *Veſlingius*, *Ferrarius*, ceterique tui ſtudioſiſſimi ſalutem nunciant. Vale, ſaepiuſque hoc mecum iter, dum licet, itera. Patavii Prid. Kalend. Jun. CIↃIↃCXLIIX.

EPISTOLA CCCXCIV.

JOANN. RHODIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

SIlentii tui pertinaciam expugnaturus jam calamum ſumſeram, en primae a diſceſſu tuae ſub initium hujus menſis redditae. De binis faſciculis Venetias miſſis quid factum, ipſe conſulto provideris. Quae plures apud me latuere menſes, neſco cujus, nunc mitto de tua tandem mora certior: quae tanto mihi gratior futura, quanto in mea te vota ſemper alacriorem ſcio. Q. Serenum in bibliotheca Leidenſi manuſcriptum perſpexi. Tuo commodo ſi cum vulgato conferis, rem ſane mihi pergratum feceris, publicaque profeſſione digniſſimam, quam *Holſtenio* pariterque aliis debeo. *Walaeo* jam defuncto, ſi ante omnia quae ad oram Celſi ſui habebat notata pari cura miſeris, de publico plurimum promereberis. *Thomae Bartholino* noſtro parario mihi ea promiſerat. Sed inexſpectata fati vis ſpem iſtam praecidit. Credo librum adhuc in defuncti bibliotheca eſſe, quem, ſi venalis foret, mihi aequo pretio parari cuperem. Secus, abs te ejus mihi uſum impetrari, quem poſſeſſor conceſſurus erat. Suum hac aeſtate codicem MS. aliquo cum fructu indulſit Archie-

Digitized by Google

chiepiſcopus Salisburgius, quem dudum remiſi. Parum ſane ſupereſt, quod in ſcriptore graviſſimo deſiderem, dummodo exſpectatam mihi operam commodaveris. Marcellum, qui in Cl. *Voſſii* muſeo eſt, meliori otio reſervo. Si quis Macer calamo ſcriptus occurrerit, ſi etiam Plinius Valerianus de re medica, fac ſciam. Quid item Cleopatrae *Elichmanni* accidit, cujus *Joan. Antonides vander Linden* inter Medicos ſcriptores meminit. Vegetium de Mulomedicina ad libros Mediceos denuo mihi recenſet *Datus* noſter. Expiſcare quaeſo, num & ille, quod olim putabas, apud Cl. *Petrum Scriverium* MS. & quinam libri finis. Nam ei, quem *Sambucus* vulgavit, quaedam aliunde opinor acceſſiſſe. Quam mihi ſuſpicionem firmari, aut eximi velim. *Petrum Cunaeum*, felicis memoriae virum mihi quondam notum, in Plinium majorem nonnulla paraſſe memoravit heic Gallus quidam ejus domeſticus. Quae & iſta, curioſe perveſtiges operae fuerit. Si quid porro in meam Aciam contuleris, novo me mactabis beneficio. *Grotii* verſionem Sophoclis petiiſſem ad Scribonium tuo monitu. At vero Hippodamia Poëtae a Stobaeo de jurejurando in teſtimonium vocata hodie deſideratur. Largi Compoſitiones nudiuſtertius quantum licuit emendatiſſimas abſolvit *Frambottus*. Notis recens typus propediem Venetiis exſpectatur. *Galvanus* ex ejuſdem officina De uſufructu varium opus profert, in quo & honorifica tui nominis mentio. *Panvinius* etiam integer prodiit. *Argoli* quoque ſecundi Mobilis Tabulae. *Severini* vipera Pythiaſub eodem praelo mirum quam ingens mihi & *Offredo* negotium faciat. De lucernis *Licetus* plurima ſtudioſe conquirit: qui ſingularem Cl. *Smetii* humanitatem in conferendis ſymbolis dilaudat. Reverendiſſimus *Tomaſinus* Votum Cecropis paucarum nuper expoſuit pagellarum. *Bernardinus Ferrarius* hiſce diebus reſpondit quam gratiſſimum ſibi fore epigramma tuum. Nepos primo vere Mediolani graviter decubuit; menſe Auguſto Venetiis febri correptus dubia ſalute jam primum evaſit, nec Patavium redire ipſi adhuc integrum fuit. Hetruriam toto ferme anno infeſtavit exitioſa febris, quae in quoſvis praeſertim Florentiae ſaevit: tractum quoque Picenum pervaſit. Patavii autem viciniſque locis a fluminum per crebros imbres inundatione creſcente confeſtim calore plurimos invaſit febris, quae initio levior, mox perniciem attulit. Ampliſſimo *Silvatico* ad Mutinenſem Ducem evocato ceterique melioris notae Medicis parum valentibus *Veſlingius* noſter morbi die undecimo febre maligna lenticulari XXX. Auguſti cum ſole occidit, ſolemni pompa ad D. Antonium ex teſtamento elatus. Mihi cum *Ferrario* epitaphii curam reliquit: ſua praeterea ſcripta mihi legavit omnia. Sed quod maxime dolendum affecta in iis pauca. Viri jacturam dolent omnes, maximeque plebs infima, cui conſilio operaque indefeſſus adfuit. Sed plura vetant negotia, quae in gratiam viduae filiaeque in dies mihi ſuccreſcunt. Tu Vale, mi Heinſi, & cum Ampliſſimo patre diu felix vive. Amici omnes virique Clariſſimi tui nominis ſtudioſi plurimam ſalutem adſcribunt; quam & ego Cl. *Gronovio*, & *Iſaaco Voſſio*. Vale, feſtinanti calamo perſcribebam Patavii IX. Kalend. Octobr. CIↃIↃCXLIX. *Scioppius* tertiana, quam vocant, duplici laborat. *Martinum Schavenium* civem meum commendo

tuae humanitati, si te compellaverit. Fratrem heic habet optimum ingeniorumque perstudiosum.

EPISTOLA CCCXCV.

JOANN. RHODIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

SI meas ad te superiori mense datas, ut spero, accuraverit *Abrahamus van Collen*, voti me brevi compotem fore credo, cujus praecipua haec fuit summa, *Walaei* ϛ μαναειτ» Celsum conquireres, ut in meam, seu verius boni publici, gratiam, quas orae adscripserat ille aliusve lectiones tuo mihi commodo excerptas mitteres. Has enim fere solas desiderare videor, & quas legati Veneti *Bassadoni* beneficio ex Hispania opperior. Suum quippe codicem Illustrissimus Salisburgensis Archiepiscopus liberaliter concessit. Scribonii libellum satis elegantem emendatumque edidit *Fambrottus*, notas mox additurus. Annuli heic ferrei mentionem nosti. Cujus generis mihi quidam pervetustae notae ab aurifice donatus aureo tuo persimilis. Eum, quo firmior mihi sit memoria, delineatum quaeso tuis ad me primis insere. De Vegetio alicubi laudatum vidi *Antoni Codri* judicium. Si apud vos in ea optimorum librorum copia autor, in illud haud gravatus inquires. Ingens istic laudatae memoriae *Vossii*, nec minor optimi parentis tui bibliotheca est. Sed nec desunt tibi Oxoniae amici, quorum opera id confeceris, ut satis meae factum sit curiositati: cui & optime addideris, in Terentium si quid ab eruditissimo patre in lucem emissum. Quem tecum diutissime valere cupio. Cl. *Octavius Ferrarius* convaluit. De *Scioppio* fere conclamatum. *Offredus* ceterique amice salutant. *Fambrottus* Panvinium complebit, ubi omissa indicaveris. Vale, & salve. Patavii XII. Kalend. Nov. CIↃIↃCXLIX.

EPISTOLA CCCXCVI.

JOANN. RHODIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

NON minus jucundae, quam ex illis Septentrionalibus oris inexspectatae, labente Aprili redditae sunt tuae. Notus jam orbi praecellens heroinae animus dignatione satis nunquam laudanda omne laborioси itineris taedium jure tibi diluit. Quod vero in patriam remeans aulam denuo invisere cogites, mirantur non pauci. Quam te morae brevitas occupatum reddet, praevideo: tua tamen singulari humanitate rebus meis consultum velis. Nosti quid flagient coeptus in restituendo Celso labor: cui nihil ferme deest praeter paucula ad *Walaei* laudatae memoriae codicem notata, atque in bibliotheca D. Lau-

ren-

rentii Hiſpanica ad MS. cujuſdam non admodum vetuſti oram, ab *Antonio Auguſtino* & *Mendoza*, ut *P. Sfondratus* olim monuit. Horum jam mihi ſpem fecit excerptorum Illuſtriſſimus *Baſſadonus* Venetorum ibi Legatus. Reliqua, ſi *Walaei* liber venalis, para quaeſo: ſecus, periti manu deſcribantur omnia, quae jam parario D. *Thomae Bartholino* ipſe mihi promiſerat. Nec minus de Cleopatra te ſedulum cupio, ut Epiphanio de Menſuris nondum edito Cl. *Holſtenii* Romana conſuetudine aliiſque ejus argumenti fragmentis accedat. Macri libros a Cl. *Boxhornio* facile impetrabis; quem jam nominis mei ſtudioſum gratus agnoſco. Q. Sereni quicquid iſtic a vulgatis diverſum mitte: cui nunc Vaticanus & Florentinus liber aliquid contulit: ſi quid porro Doctiſſimi *Voſſii*, in lucro erit. Vegetii Mulomedicinam denuo recenſet eximius noſter *Datus*. Cui ſi quid a *Scriverio* exſpectandum, mone. Mea namque intereſt, id mature ſciam. Nec dubito quin tuo de mea fide apud omnes vadimonio ſingulos in mea vota ſine magno negotio pertraxeris. Beneficii namque gratiam ingenua profeſſione polliceor. Claudianum tuum exſpectamus avidi: quanquam Naſonem maluiſſet Cl. *Octavius Ferrarius*, in quo non poenitendam te operam poſuiſſe opinatur. *Gronovii* Senecae ſuade ad *Frambrottum* perferantur, qui procuratorem iſtic habet civem tuum *Joannem la Noue*. Scribonium Largum ante ſex menſes emendatum ſatis ac politum dedit *Frambottus* noſter. Notis vero meis in hunc uſque diem *Offredo* laboris ſocio moram injecit *Severini* vipera innumeris intricata offendiculis. Ea nunc ad metam properante, meis manum admovebo. Cl. *Liceti* de Lucernis opus Utini inchoatum: cui e rarioribus Sereniſſimi Electoris Brandeburgici auctarium quam fuerit gratum, ex ipſius pernoſces. *Octavii Ferrarii* Proluſiones ac Epiſtolae ſub praelo fervent: quas ceteri de Re veſtiaria libri excipient. *M. Aurelii Galvani* Commentarium cum Cecropis voto ad te curabimus. *Veſlingii* noſtri, praeter Anatomicum Syſtema, nihil adeo perfectum graviter fero. De Pullitie namque Aegyptia novem tantum Capita leguntur: ſucceſſores habuit in Botanicis, quem noſti, D. *Georgium Turrianum*; in Anatomicis D. *Antonium Molinettum* Venetum. *Scioppius* poſt duplicem tertianam Medicis neglectis repetentem inedia tandem extolutus Novembri menſe diſceſſit. Selectiora ejus quaedam Politica & Grammatica brevi lucem videbunt. Promptuarium vero Latini Sermonis typographum poſtulat opulentiorem Gallum, aut Belgam. Germani enim ſumtibus ferendis impares. Veſtros, ſi juvat, portenta. *Craſſus* recte valet. *Bernardino Ferrario* epigramma tuum mittam, candidum ſane atque perelegans. Vides, amicorum optime, quam tua ego abutar patientia. Si Deus te Succis reducem velit, *Salvium* rogo virum Ampliſſimum officioſe meo nomine ſalutes, meique Regis Oratorem *Petrum Jullum* virum Nobiliſſimum; quem de MSS^orum indice, quos e Germania tranſmiſit *Auguſtus* ille *Guſtavus*, non ita pridem per amicum ſollicitavi. Quod, ut verum fatear, tua fieri mallem opera, quoniam de ſingulorum aetate atque pretio non mediocri jam uſu edoctus optime judicium ferre poteris. Cui molimini, honeſtiſque mentis optimae conſiliis Deus te diu ſuperſtitem praeſtet. Ita vovent omnes tui ſolidam tibi ſalutem nunciantes, quos inter *Offre-*

dus noſter haud poſtremus. Vale, & cum Cl. *Iſaaco Voſſio* plurimum ſalve. Patavi III. Non. Mai. CIↃIↃCL.

EPISTOLA CCCXCVII.

JOANN. RHODIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

ANxius haerebam, num recte traditae fuiſſent meae, jamque Venetiis reverſus *Joan. la Noue*, cujus fidei eas credidiſſem, ſciſcitaturum ſe promiſerat; en tuae, quibus nihil curioſitate noſtra dignum intermiſiſti. Claudianum tuum in lucem veniſſe gratulor. Italiam vero attigiſſe dubito, quum nuperis ejus non meminerit incomparabilis noſter *Puteus*. Nemo mihi credetuorum eſt, qui tuum non exſpectet avide reditum: in primis ego, qui vel ea opportunitate Sereni excerpta cum codicibus Macri Clar. *Boxhornii* humanitate, forſan & de *Smithii* Ponderibus aliquid, ſperare poſſim. *Gorlaei* ſupellex antiquaria ubinam ſervetur facile cognoſces, ſi per Galliam tranſieris. Cl. *Liceti* de Gemmis annularibus commentarium de Lucernis alter moratur a priore longe diverſus, duobus libris elenchico & hiſtorico, elegantiſſimiſque ſupra centum in aere celatis iconibus auctior, qui nunc metam proſpicit. Largus vero meus, ut feſtive *Craſſus* noſter, Longi fere nomen meruit. Annum quippe integrum operae aliis diſtractae meas protrahunt meditationes. Cl. *Ferrarii* Proluſiones epiſtolaſque interim protruſere: cujus nunc Panegyricus Reginae ſcriptus Generoſi *Banneri* ſuaſu Venetiis editus. *Kircheri* Obeliſcus jam Romae prodiit. *Angelonus Bonani* titulo ſui de Nummis commentarii Apologiam texuit. *Veſlingii* Anatome ab extrema auctoris manu emendatior mea cura Frambotti praelo eſt commiſſa. Invitus nunc meis ad *Septalii* Animadverſiones & Cautiones Medicas Analectis, quicquid temporis reliquum impendo, majori fortaſſis diligentiae, quam ingenii laude. Nolim tamen Scribonium diutius premi, ne penitus decoxiſſe videar. *Ferrarius*, quantum publica permittunt, Rem veſtiariam conficit. *Tomaſinus* Praeſul Gymnaſii ceteriſque patriae ornamentis expoliendis totus operam commodat. Reliqui ſuam quiſque provinciam ſuſtinent. Unum rogo, mi Heinſi, Ampliſſimum Senatorem D. *Salvium* de mea in priſtinam neceſſitudinem noſtram obſervantia certiorem facias, unaque Clariſſimo *Iſaaco Voſſio* ſalutem renuncies, quam viri Clariſſ. *Licetus*, *Galuanus* uterque, *Ferrarius*, *Buſtronus*, & *Offredus* tibi quoque viciſſim reddunt. Vale, ac ſalve amicitiae noſtrae decus. Patavii VII. Kalend. Mart. CIↃIↃCLI. Si quicquid iſtic in MSS. eſt medicum ſubnotaveris, rem mihi pergratam feceris, nec tuo indignam judicio.

EPI-

EPISTOLA CCCXCVIII.

JOANN. RHODIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

POſtridie quam alteras ad priores tuas dediſſem, jucundiſſimae Lugduno mihi traditae ſunt tuae. Veras in Sueciam reditus cauſas agnoſcunt, quotquot heroinae virtutes mirantur: quam *Salmaſium* quoque acciviſſe fama eſt. Gratiſſimum mihi tuum de Macro, Sereno, ac Vegetio Mulo-Medico indicium. Nihil autem gravius, quam omnem de *Walei* Celſo ſpem decollaſſe, niſi eam Lutetiae *Naudaeus* reſtituerit vir, ut noſti, non minus mei quam literarum ſtudioſus. *Moraeum* vero memini ſignificaſſe olim, ea in urbe nullum. Noli proinde, mi Heinſi, ceſſare, ſi quid per optimum parentem alioſve apud heredes moliri fas eſt. De Macro ſcio quantum valeas apud Cl. *Boxhornium*. Bremae amici ſunt, qui Sereni quicquid eſt promti curabunt. Qui Hafniae ſunt libri nihil negotii faceſſunt. De Vegetio apud Anglos, cura mihi altior eſt: quam ſua memoria amantiſſimus noſtri *Voſſius* facile ſubducet. Quae Scribonio morae cauſa jam intellexiſti, eam in Claudiano expertus ipſe. Dictu mirum, *Severinus* tres prope menſes operis ſui nuncupationem detinet, quamvis crebrius efflagitarim. Quanti *Licetus* fecerit *Smithii* lucernas, ex ipſius perſpicies. Ectypa quum caelator delinearit, ad te redibunt. Si quae apud V. C. pondera, inquire; itemque apud *Gorlaei* heredes quas memorat in Dactyliothecae Praefatione *Vorſtius* Fibulas. Cl. *Galuanus* ipſe ſuas tradidit pridie, quum in patriam diſcederet. *Frambottus* ubi quidpiam ad *Joannem la Noue* veſtrum miſerit librorum, ad te faſciculus accedet. Tu interim de Scioppii Promtuario rem promove. Novi typographos. Libris *Pierucio* praemium reponant par eſt, ſi aes negant. Aliquid tamen extorqueas vide, qui opus merito commendare poteris. Reverendus *P. Sfondratus* te ſalvere jubet: itemque *Tomaſinus* Praeſul ex Iſtria reverſus, noſterque *Ferrarius* pridem a dubia valetudine reſtitutus, pariterque *Offredus*. *Novarinus* magna conatus fatis ceſſit. Reliqui omnes tui recte valent. Quod tibi etiam atque etiam ominamur. Patavii Kalend. Jul. CIↃIↃCL.

EPISTOLA CCCXCIX.

JOANN. RHODIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

NUperis tuis nihil mihi jucundius, quas magno amoris argumento inter amicorum ſalutationes ab itinere difficili vix otio redditus domeſtico tam diligenter ad me perſcripſiſti. Quam viae rationem tenueris, coram expedias aveo; calamo, ſi res aliter ferat: quanquam illud mihi ceteriſque tuis neceſſariis foret gratiſſimum, quorum animis frequens tui obverſatur memoria.

Claudianum interim deſideramus tuum, cujus jam dudum ſpem fecit humaniſſimus eques *Puteus*, ut primum ad ipſum pervenerit. Poëmatii Reginae dicati ſors eadem, quae operis Cl. *Galuani*, qui ſuperioris anni autumno geminum *Frambotto* exemplum tradidit ad te curandum, ut alterum affini tuo cederet. Sed quam faſſus ille negligentiam brevi reſarciet. Liber, ne ignores, decumanus eſt variae doctrinae, Gymnaſii Moderatoribus inſcriptus. Autori nunc is demum honor habitus, quod *Alexandro Sinclitico* magni nominis, dum fuit, Juriſconſulto in primam cathedram ſucceſſerit. Cl. *Liceti* tuas efflictim exſpectat, ut de Gemmis aliquid conſtituat: quod opus *Bolzetta* protrahit, licet nec impenſae admodum graves futurae. Panegyricum eximii *Ferrarii* noſtri habes emendatiorem eo, quem *Bannerius* abſente auctore typis commiſit. Factum id per Saturnalia, quibus operas *Offredus* noſter vix retinere potuit. Sed, quod gravius, quum *Bannerii* ephoro parum placeret vox *evanuit*, ei ſubſtituta fuit alia vix Latina *diſparuit*: quam in hac editione prior ejecit. Autor tamen maluiſſet *abſceſſit*. Quod moneo, ſi quando tua forſitan cura in unum volumen iſtic redigantur, quaecunque ejus argumenti prodierunt. Vides itaque, mi Heinſi, quanti intererit, libellus hic in Reginae manus decore ſatis deferatur. Sed tuis comitatus, qui optimi viri de literis & de publico merita pro tua prudentia, qua par animi ſignificatione, ſi non ipſi Dominae, iis ſaltem inſinuaveris, quos interioris admiſſionis noſti, e quibus ſi noſter eſt *Salvius*, fac ſciat, *Ferrario* paucos nobis cariores. De re veſtiaria quae ſunt reliqua jam pertexit. Me vero cunctantiorem ne mireris, qui multorum ſic vereor judicia, ut aegre calamum ſumam. *Gronovii* noſtri felicitati applaudo. Quae mihi reliquit in Livio dubia, Romae fortaſſis per *Allatium*, & Florentiae *Caroli Dati* induſtria diluentur. De Ponderibus quicquid impetraveris, pergratum erit. Serenum & Macrum, qua es ſollertia, facile percurres. Quae in Hiſpania fuere ad Celſum notata, hac hieme Illuſtriſſimi *Petri Baſſadoni* legati Veneti benignitate obtinui. Vide, ſodes, *Walaei* librum: quem ſi cum Regio contulerit Pariſiis, non eſt quod tantopere ambiam. Quid tamen ſit, fac ſciam. Vale, ac vive cum Ampliſſ. Parente, quem tibi literiſque diu ſoſpitem precor. *Boeclero* propediem reſpondebo. Ubi *Salmaſius?* Clariſſimo *Vorſtio* & *Iſ. Voſſio* ſalutem adſcribo. *Tomaſinus* Praeſul adhuc eſt Aemoniae. Reliqui te amice ſalutant, praeſertim *Offredus*. Iterum Vale. Patavii XIII. Kalend. Maii. CIↃIↃCLI.

EPISTOLA CCCC.

JOANN. RHODIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

PAnegyricum Clariſſimi *Ferrarii* recte traditum gratulor, tuiſque ad Auguſtam comitatum: quamvis Reginae juſſu *Voſſii* noſtri literae omni benevolentia refertae ab Illuſtriſſimo *Adamo Bannero* antea miſſum ſignificent. Meo

auctor

auctor consilio nunc alium sua manu emendatum tibi donat: de quo recudendo quicquid fuerit visum statuas. Carmen tuum in Italiam necdum perlatum. Claudiani *Galvano* soli & mihi *Putei* equitis humanitate copia fuit: quem *Ferrarius* efflictim desiderat, ac *Offredus*. Vivam Reginae imaginem si habere liceret, curarem non minori loco esset, quam Patris maximi, passim magnatum effulgens atriis. De *Smithii* doctissimi ponderum indicio plurimum debeo: nec minus de Celsi Rhetorica, quam saepius Coloniae a me frustra perquisitam elegantissimis *Elzevirii* typis tua cura publico reddi operae pretium censeo; aut mihi saltem describi, si alia tibi mens fuerit. De Macro & Q. Sereno ex tuo commodo mihi omnia jam rata. De *Walaei* ad Celsum notis ex voto si rem confeceris, faxim ut nec heredes benevolentiae, nec laboris te poeniteat. Hae nempe solae mihi cogitationes producunt. Clarissimus *Vorstius* magni *Scaligeri* varias lectiones *Thomae Bartholino* mihi excerpendas concessit: eique pari facilitate suas jam receperat *Walaeus*, quas fatum intervertit. Quod vero eas tantopere desiderem, causa non est alia, quam ne quicquam alicujus notitiae intermiserim. Legati Veneti *Petri Bassadoni* beneficio aliquot hinc mensibus Regis Hispaniae indulgentia e Bibliotheca D. Laurentii pauca quaedam mihi submissa. Tuum erit, omnem heic movere lapidem: si quid etiam Vegetii Mulo-Medici ab edito diversum apud eximium *Scriverium* aliumve, id explorare sedulo. De Lucernis celeberrimi *Liceti* opus paulo melius procedit: cui ego indices attexo: de Gemmis aliud nondum *Bolzettae* procrastinatione coeptum. Sunt & in Simmiam Rhodium ejusdem tres commentarii non in amoeni, quos nuper legi: forsitan rectius istic excudendi. *Ferrarius* de Re vestiaria quae restant prioribus libris addet. Scribonio meo varia moram injecere: inter alia Laconicum Pisanum pervetusti operis a *Robortello* descriptum; quod *Dati* munere *Franciscus Maria Ceffinus* eleganti ad me epistola, & ad vivum penicillo delineatum transmisit. Eam notis inferam meis, forsan & *Robortelli* dissertationem non usque obviam, quum paucarum sit pagellarum. *Salmasii* pro Rege Apologiam depraedicant, qui viderunt. eam mihi promisit Anglus quidam. Argumentum credo periculi plenum, si meminero, quid olim *Scioppio* & *Puteano* acciderit. *Crassus* recte vivit, in pertexendis Venetorum elogiis totus. *Ponam* Imperator Historiographi titulo decoravit. *Petrum Scavenium* civem meum virum optimum doctissimumque te compellare jussi: tuo genio amicum sponde. Unum te celare non possum, nec debeo. Ima epistola, sic Regina jubente, a *Ferrario* quaesisse *Vossium*, verumne esset, intercessisse Danos, ne oratio ista prodiret. Quam hoc verum, cogita. Unus mihi tunc adfuit nostrae nationis *Langius*, libro de Annis Christi satis notus, quo plurimos heic sibi peperit amicos, in primis *Ferrarium*, cujus ille nomini maxime studet. De me nolti, qui non minus quam *Salvius* Senator Amplissimus meam expertus es ingenuitatem. Hominis parum prudentis merum est commentum, quo suum erga Dominam studium alienae famae ruina testatius reddere voluit. Missis ejusmodi fucis, tu, mi Heinsi, cum amplissimo patre, ceterisque viris eximiis, vale, ac vive. Patavii 11. Kalend. Jul. CIↃIↃCLI.

Li-

Liceti, *Galuani*, & *Offredi* habes. *Aprosius* Genuae habitat, ad quem tuas curabo per Illustrissimorum Praesulem *Tomasinum*, qui te salvere jubet.

EPISTOLA CCCCI.

JOANN. RHODIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

QUas XXIX. Junii cum *Ferrarii* literis & Panegyrico ad te commisi *Abrahamo van Collen*, recte traditas opinor ante tuum ad nos reditum, quem postremis XX. Julii Lugduni perscriptis indicasti. Secus si factum, eas ab optimo Patre Lutetiam missas puto. Vides ut me desiderium premat variarum lectionum in Celsum apud *Walaei* heredes: quibus si aliquando Rhetorica ejusdem accesserit, me plurimum beaveris. Macri & Q. Sereni jam certa mihi spes est. Omnibus autem hoc tempore mihi gratiorem profiteor Vegetium Mulo-Medicum *Hadriani Junii* manu interpolatum, ut meis in hunc scriptorem conjecturis lucem adferat, ceterisque ex Codice Vaticano & duobus Mediceis emendationibus, quas *Carolo Dato* denuo recognoscendas misi. Numquid & in Britannia, quod *Isaaci Vossii* indicio nunciasti, ulla ejus copia, vel in itinere tuo, praesertim Lutetiae, diligenter quaeso perquire, ut conatus noster tua etiam opera sit literis commendatior. *Smithii* obitu quantum iis discesserit, vix exprimo. In bibliotheca *Thuani* est Jordanus Calaber de equorum natura MS. qui & penes me valde mutilus. Si & alii sunt istic Veterinarii MSS. Graeci, mone. Vidi enim quos *Ruellius* Latinitate donavit. *Licetus* aliquamdiu valetudine usus adversa nunc melius habet, teque amice salutat, pariter *Ferrarius*, ac Reverendissimus Praesul *Tomasinus* adhuc lecto adfixus. *Vintimiliae* tuas mitttam. Plura posthac apud *Naudeum* exspectabis. Vale, decus meum, & vive. Patavii x. Augusti CIↃIↃCLI.

EPISTOLA CCCCII.

JOANN. RHODIUS

Nic. Heinsio.

Venetias.

IMbribus ac tempestate grave coelum serius vestras admisit, quam ut quicquam effectum dare liceret, nisi unum *Miltonum* ut mittam. De famulo si quid erit, primis Florentiae scies. *Ferrario* ceterisque quid sit plane ignoro. Neque enim domo pedem efferre integrum. De excerptis quae monuisti in commentarios referam. *Langermanni* epistolam *Offredus* apud Bergomensem tabellarium perquiret. Florentiae si *Gulielmum Langium* Danum Hafniae Professorem apud S. Laurentii Priorem inveneris, in tuam virum optimum admitte necessitudinem. Sic enim viri integritas, eruditio meretur. Unum te monitum velim, vivam Serenissimo Reginae effigiem primae nobilitatis viris ex-

expeti. Uno fac exemplo plurimorum desiderio satisfiat. Vale, mi Heinsi, diuque sospes vive. Hasce num acceperis, mone. Patavii XII. Januar. CIↃIↃCLII.

EPISTOLA CCCCIII.

JOANN. RHODIUS

Nic. Heinsio.

Romae.

GAudeo, mi Heinsi, postremas meas humanissimi equitis *Putei* cura optime traditas, gratulorque novam istic natam diligentiae tuae materiam: quam tamen valetudini adversam nolim. Claudiano sane operam commodare plurimum refert. De Celsi autem indicio plurimum debeo, cujus utinam aliquod mihi specimen esset. Quamvis enim recens admodum videatur, ex vetustiori forsan descriptus fuit. cujus generis Cl. *Gronovius* apud me deprehendit Statium; nec ita dudum Illustrissimus Salisburgi Archiepiscopus Celsum mihi e Germania misit, vel una lectione omnibus, quos hactenus vidi, praeferendum. Panegyrici ad Berengarium scripti exemplum invenies apud Cl. *Holstenium*, mea cura excerptum, cujus apud me alterum est. Si librarium Romae offenderis, *Valesii* desiderio celerius satisfeceris. Qui mea exscribebat Analecta, summo meo incommodo in Germaniam discessit: quanquam hoc mihi solatii, quod paucae superstint philyrae. Quid Cl. *Liceti* Lucernis lucem moretur, ex ipso cognosces: quod antea significare nolui. Apud Eminentissimum *Barberinum* non parum heic posse crediderim optimum *Holstenium*, qui tua causa nihil non tentaverit. *Galvano* tuas tradidi, sed exeuntibus prope acroasibus publicis in conferendis honoribus Academicis occupatissimo. Illustrissimo *Tomasino* pergrata erunt Tesserarum ectypa: quem ad Pentecosten adfuturum ferunt. *Datusne* Florentiam redierit, fac sciam. *Frambottus* Patricii opera sepositi, quorum de Nova Philosophia alterum rarissimum ac plane recens, utrumque nitidissimum. *Gulielmum Sobierum* Belgam, longa mihi necessitudine conjunctissimum, tibi ob singulares animi dotes per *Holstenium* innotescere aveo. Virum ad unguem factum videbis. *Ferrarii* nostri de Re vestiaria opus recognitum *Frambotti* operis recte procedit. De Reginae salute admodum sollicitus tuas desiderat, ubi aliquid inde habueris certi. Cum *Puteo*, *Holstenio*, & *Kirchero* viris maximis *Langermannum* Achatem tuum salvere jubeo, teque una *Offredus*. Vale, ac vive decus meum. Patavii XIX. Aprilis Anno Christ. CIↃIↃCLII.

Digitized by Google

EPISTOLA CCCCIV.

JOANN. RHODIUS

Nic. Heinſio.

Romam.

VIX te denuo compellaſſem, mi Heinſi, ni haſce Cl. *Galeanus* addidiſſet humaniſſimas, tuamque *Liceti* noſter expeteret vigilantiam atque dexteritatem, ut non ambigenti modo Quaeſitori Utinenſi omnem ſcrupulum eximi cures, verum plenam ulterius *Auguſtae* ſua quaecunque monumenta dicandi facultatem viro optimo impetres eorum indulgentia & auctoritate, cui parendum reliquis. Indicem jam miſit typographus. Quid moretur lucem vides. Tuo ſolum opus conſilio, qui volumen adornandum, holoſerico rubro, an corio puniceo Conſtantinopolitano, quod mea ſententia durabilius, elegantiuſque ad morem Gallorum auro variatum: fibuliſne argenteis, an ſericis taeniis ejuſdem coloris auro intertextis; quanquam haſce gratiores credam; aut ſi malis involucrum a vinculis plane ſolutum. Quod genii & conſuetudinis Heroinae haud neſcius primis optime decreveris: ne libro ceteroquin egregio deſit quod & oculis lenocinetur. Analectis in *Septalium* meis jam coronidem addo. Notis in Scribonium heri manum admovit *Frambottus* noſter, qui tuam de Patritii libris mentem opperitur. Clariſſimum *Datum* Florentiae fratrem amiſſum lugere nuper ſignificavit *Langius*, qui Bibliothecae Mediceae operam non poenitendam commodavit. Haec dum ſcribo, tuae mihi redditae. *Liceto* mandata cras referam: *Ferrario* tuae forſitan hodie tradentur; *Altempſii* bibliothecarium non ita contra gentis indolem ab omni humanitate alienum fore putaverim, ut librorum MSS. maxime veterum, qui nunc publici juris, medicorum indicem velit negare. Quid rerum ſit, quantum licet, explora. Equitis *Patoi* ſolito tardius traditis reſpondere non licet. Virum eximium meo nomine plurimum ſaluta, & *Kircherum*, cujus ad *Delmium* in ipſius e Germania reditum ſervo, niſi aliter juſſerit. Vive cum *Langermanno* tuo, ac valetudinem ſerio cura. Patavii III. Maji CIↃIↃCLII.

EPISTOLA CCCCV.

JOANN. RHODIUS

Nic. Heinſio.

Florentiam.

AUdax infeſtae ſortis tentamentum in ſacrum caput non ſine horrore percepimus magno divinae providentiae argumento: rem tamen ut geſta nemo vere cognovit. *Dato* ſcripſi de Mulo-Medicina Vegetii, quem ſe denuo perlecturum promiſit. Vide, quaeſo, cujus aetatis uterque liber ſcriptus, in membranis an in charta; & quodnam autori praenomen. In meliori editione *Sambuci* P. praeſcriptum, *Hadriani Junii* libro *Flavii* praemiſit *Albertus vander Laën*,

Laën, aut neſcio quis alius, quod poſtea deletum. *Langii* Amſtelodami perſcriptae XXVI. Auguſti traditae, amicos tantum ſe Lutetia ſalutaſſe memorat, mox ingenti diſcrimine ac pretio cum veredario Bruxellenſi abiiſſe: in patriam contendere: vidiſſe interim in Belgio libellum *Vandalini* Dani, quo ejus de Annis Chriſti ſententia non ſine felle examinatur. *Ferrarius* hoc menſe Mediolano exſpectatur. *Liceti* de Lucernis librum adhuc icones morantur. De Gemmis alter, cui & ego indices paro, ſub finem futuri menſis cum eruditis communis erit, etiam veſtris: ſed καθ' ἑδὸν ἑτέρων, de qua coram. Popularem de literis *Freſcobaldi* nuper compellavi ſine reſponſo. Vale, meique nominis ſtudioſos ſaluta. Patavii IX. Auguſti CIↃIↃCLII.

EPISTOLA CCCCVI.

JOANN. RHODIUS

Nic. Heinſio.

Florentiam.

SEnectus ipſa morbus eſt. Eoque ferenda aequius adverſa parentis optimi valetudo, quae id habet ſolatii, quod per inducias natura quandoque ſumat vires. *Liceto* nuper cum febre non temnenda ei aetati paucis diebus urina ſupprimebatur. Blandis medicamentis magni *Silvatici* ſuaſu mota mali cauſa excernitur ſine dolore calculus: mox ille melius habuit, ſueta nihilominus intermiſit ſtudia. Index geminus operis de Gemmis tantum ſupereſt *Frambotti* operis, quum typographorum alteri deſit numerorum copia. *Auguſtae* caſum ex tuis verius intellexi, quam ex vulgari fama, quae de ponte praecipitatam ferebat equi culpa. Quicquid ſit, divinam heic agnoſcimus providentiam. Quae de Vegetii Mulo-Medicina monuiſti, fuere pergrata. Me tamen ſequior librorum aetas non multum monet, ſiquidem & recentiores interdum ex optimae notae antiquis deſcripti: qualem apud me Statium Cl. *Gronovius* deprehendit. Si meliores apud *Scriverium*, omnem monebo lapidem *Lindanus* medicus eos inſpiciat. Vereor autem ne Flavium de Militia videris, quem is jam ſatis terſum dedit. Lucernae *Rondininii* ectypus non poterit non eſſe *Liceto* carus, quemadmodum & *Tomaſino* Praeſuli Teſſerae olim promiſſus. *Roſenkrantzium* tibi conciliem, non eſt opus, ſua quem virtus commendat. De navali praelio nihil certi. *Octavius Ferrarius* Mediolano exſpectatur, qui interruptum de Re Veſtiaria opus eſt repetiturus. Meis hodie in *Septalium* Analectis manus extrema imponitur. Cui licet animum oculoſque adverterim, nevum tamen omnem quacunque diligentia effugere non licuit. Majorem operae vigilantiam Scribonio promittunt. Sed quam mihi video incumbere. Noſti mortalium genus. ideoque plura non addo. Reverendiſſimus Praeſul *Tomaſinus*, *Licetus*, *Galuanus*, *Offredus*, te ſalutant: ego Reverendiſſimum *Freſcobaldum*, *Gaddium*, *Ceſſinum*, *Datum*, *Langermannum*, ceteroſque mei ſtudioſos. Vale Patavii XII. Sept. CIↃIↃCLII. *Claudium Berigardum* Philoſophum eximium iſtic tibi cupio innoteſcere. Circulus viri Piſanus Reginae placebit ſcio. Naturalem quippe ſcientiam ad experimenta revocavit.

EPISTOLA CCCCVII.

JOANN. RHODIUS

Nic. Heinſio.

Florentiam.

PIetatem in optimum parentem ſumme laudo: quam & *Auguſtae* placuiſſe gaudeo. Vide autem ne dum intempeſtiva per nivoſas Alpes feſtinatione ipſius, cui vitam debes, valetudini conſultum velis, tuae officias, deſideratumque officium moreris. Eam ſi patri meliuſcule procedere ſignificarint literae, in Martium menſem iter differendum cenſerem. *Oedenſteinio* quondam Archiepiſcopi Salisburgenſis nepoti a ſtudiis ante de Ovidio certior factus negotium dedi ſedulus inquirat, ſi quid ejus in ea bibliotheca, hodieque rem denuo commiſi, qui tui ſtudioſiſſimus omnem operam promittit. Securum igitur eſſe ſuadeo. *Dinum* ſi offenderis, gratiſſimus erit: quem ſemel apud *Silvaticum* videre contigit. Plinium Medicum olim Florentiae paravi: quem nunc vellem, ut cum Aldino & Baſilienſi poſſit conferri. Aldinum pluribus locis hactenus emendavi ex ingenio. Tentabo id ipſum Plinii Majoris ope, cujus pleraſque ſequioris aevi ſcriptor ille Chriſtianus excerpſit: quo Plinii nomen apud vulgus meruit. *Langermannuſne* Romae diu commoraturus, fac ſciam: ut mihi tralatitia ſit ejus opera, quam de te exſpectabam. *Langii* Hafniae IX. Octobris perſcriptae XVI. hujus menſis traditae referunt gravi dyſenteria ad quartum & viceſimum diem decubuiſſe, jamque de ſe pene conclamatum: ſaeviſſimum in maximam regni partem crebris funeribus vulgari morbum, etiam in optimates ac luculentiores; qui tamen eo tempore paululum remittebat. Aliorum quoque ſermonibus accepi, *Bordingium* ex eodem malo convaluiſſe. Legatus veſter cum Senatoribus Regni primis res magni ponderis pertractabat: noſtri e Britannia rediere. Analecta in *Septalium* mea lucem videre: quorum exemplar ad Cl. *Nardium* miſi. Cetera in Scribonium *Frambottus* nunc aggredietur. *Dato* ſalutem, cujus proximis reſpondere jam mihi non eſt integrum. *Ferrarius* ceterique te ſalvere jubent, ego *Langermannum*. Vale, ut vivas. Patavii XXII. Novemb. Anno Chriſt. CIↃIↃCLII. inclinante die.

EPISTOLA CCCCVIII.

JOANN. RHODIUS

Nic. Heinſio.

Florentiam.

EA heic aſperitas hiemis, ut ſinus etiam Venetus rigeat frigore, vixque cymbis aditus. Si & iſtic, nivibus Apennini hoc menſe te non ſatis tuto commiſeris. Serius ea de cauſa literae adferuntur. Haſce tamen exaro, licet calamum aegrius ducam. *Oedenſtinio* nullae adhuc Salisburgo redditae. *Raſchius* quoque mutata ſententia Italiam antea luſtratam reliquit. Roma nuntiatur, *Ange-*

Angelonum inteſtato exceſſiſſe; ejuſque rariora ceſſiſſe *Pamphilio*; equitem *Patrum* colicis doloribus vexari; novas inter Suecos & Danos diſſenſiones pullulaſcere. Dî meliora? Si quid habes certi, mone. *Naudaeum* & *Freſnium* noſtros in Sueciam conceſſiſſe intelligo; *Voſſium* Auguſtae gratia excidiſſe; quod certe nollem. Gallus quidam, neſcio quid retulit de *Salmaſii* obitu. *Licetus* de Lucernis volumen elegantiſſime adornatum civi cuidam Hamburgenſi nuper tradidit, qui recta in patriam tendens *Mullero* S. M. curatori committet. De Gemmis alterum brevi ſequetur. *Ferrarii* de Re Veſtiaria pars prior ante Natalitia Chriſti ad umbilicum perducta. Chartae defectus alteram, meas etiam in Scribonium Notas, moratur. Emendationibus interim tuo beneficio in Celſum excerpendis leniam frigoris taedium. Quod ut aliquando bono fiat publico, quis ille *Sponius* Lugduni Medicus, fac ſciam: quid etiam puncta paſſim ſubnotata velint. *Gaudentii* noſtri ſanctae memoriae in Tertullianum ſalebrae diu multis fruſtra deſideratae recudantur cura. *Forſtneri* fratrem, ſi libet, apud *Gaddium* perquires, meum popularem *Petrum Oſtenfeldium* apud *Datum*, cui octavo hinc die reſpondi. *Ferrarius* minus recte valet. *Offredus* te plurimum ſalvere jubet. Vale, mi Heinſi, & vive. Patavii x. Januar. CIↃIↃCLIII. *Fr. Pona* Saturnalium Proluſionem quartam tuo nomini dicavit.

EPISTOLA CCCCIX.

JOANN. RHODIUS

Nic. Heinſio.

Florentiam.

VAletudini tuae, Clariſſime vir, qualicunque mora optime conſuluiſti, forſan & conatui literario: cui coeli benignitas & omnia favent. Utinam & Muſis amica tranquillitas. Neſcio enim quid Roma nuncietur de ingenti Suecorum apparatu. Multa etiam circumferuntur de Regis mei providentia, qui jam communem Belgii veſtri tutelam in ſe recepit, operam ſubditorum nactus promtiſſimam, nobilibus claſſi annonam, eccleſiaſticis equitatum ſuppeditantibus. Interim tanti moliminis eventum patienti animo exſpectantes quod noſtrum agamus. Ovidii quidquid apud nos, e ſcheda cognoſces. Parum id eſt, ideoque minoris operae. *Oedenſtenius* pridem reverſus Salisburgum ſe denuo ſcripturum promiſit. *Dinum* Florentiae ſi non offenderis; Bononiae fortaſſis, Ferrariae, aliove loco ſeſe offeret. Parvae molis eſt. Cetera ejus apud me ſunt: haec ſola mihi deſiderata, licet Venetiis edita: quae ſemel apud Cl. *Silvaticum* viſa. *Argenterii* opus a *Lindano* veſtro Leidenſi Profeſſore nominatum nulla in hunc diem ſedulitate perveſtigare licuit. De cujus fide coepi dubitare, quum noſter ille non pauca in Medicorum catalogum alienis titulis admiſerit, nec Germani, cetera oculatiſſimi, tam eximii argumenti libro ſubtiliſſimi autoris opus locupletarint. Iſne unquam commentarius Florentiae prodierit, apud Cl. *Nardium* ceteroſque Medicos provectiores, imo bibliopolas ac typographos celebres, vel ſolius *Lindani* cauſa, non gravatus expiſcaberis: quan-

quam & mea interſit id pernoviſſe, ut ſecundis Analectorum curis aliquid inde accedat. Nec tibi moleſtum fuerit, non in Medicea modo bibliotheca, & S. Salvatoris Bononiae, ſed in aliis, quas in itinere paſſim perluſtrabis, eos indagare ſcriptores cujuſcunque notae calamo exaratos, quorum tibi indiculum addidi: ut ipſorum notitia reliquis in me beneficiis hoc etiam accedat. De Teſſera ceteriſque *Tomaſino* Praeſuli ornamento futuris aurem vellico. Si tibi perſcribendum in Sueciam, omni opera fac ſciam, quaeſo, num Illuſtriſſimus *Cornificius Ulfeldt* eques Danus ea ſit in aula, & quamdiu commoraturus. Meus enim ille a multis annis patronus, ne dicam familiaris; de quo plura coram, unum hoc rogans incluſas ad Illuſtriſſimum *Guſtavum Bannerum* accures, quas mittit *Julius Comes Placentinus*, ei Nationique plurimum addictus: quem virum officii memorem hcic agnoſces. *Ferrarii* pars altera de Re Veſtiaria ſub praelo eſt. *Argoli* de Cometa pridem viſo Diſſertatio brevi exibit. *Liceti* de Gemmis Hieroglyphica in dies a bibliopego Venero praeſtolamur. Uterque te ſalvere jubet, in primis *M. Aurel. Galuanus*, qui me inviſit heri, quum a Natalitiis Chriſti pedem non extulerim domo: adfuit etiam *Liceti*, ac *Ferrarius*. Omnes recte valent. *Offredus* pariter ſalutem adſcribit, quam & ego *Langermanno*. Vale, decus meum. Patavii VII. Februarii CIↃIↃCLIII.

EPISTOLA CCCCX.

JOANN. RHODIUS

Nic. Heinſio.

Venetias.

OPinione mea ſerius ad proximas reſpondeo, ut aliquid ſerio. Omnem tentavi modum, quo tuo ſatisfieret voto. Sed in vanum, ſiquidem libri ſine peculiari indulgentia deportari non poſſunt in aedes noſtras, nedum extra urbem; quod diris vetitum. Teſtes erunt *Ferrarius*, quem nunc primum compellavi, & *Offredus*, qui in Cathedrali bibliotheca, & apud Canonicos Lateranenſes jam ante aliquot dies libros ſepoſuit, ne iis quaerendis quid morae foret. Si Venetiis aliquamdiu expectanda fuerint, quae in Sueciam mittenda, non ab re crederem Patavium concedere, niſi bidui taedium deterreret. *Langermannum* meliuſcule habere gratulor, pariter *Bannerum*. *Urſatus* noſter tibi & bibliothecae Regiae ſuorum monumentorum bina exempla deſtinavit; Abbas *Papafava* ſuae etiam gentis ſeriem, ut bibliothecam augeant Regiam: *Licetus* tibi editum recens utrumque librum. Ego & meam adderem Aciam cum *Lipſio* de Re Nummaria, ſi ea in bibliotheca deſideraretur. Quicquid ſit, nec mea ſpero ingrata fore, quum mei ſtudioſos ibi habeam non paucos; quos inter nemo *Ulfeldio* prior, qui in Gallia & Italia mihi ſemper fuit conjunctiſſimus; de quo coram plura. Comes *Scotus* vir optimus te plurimum ſalvere jubet. Celſum utrumque, ſi libet, remittam. Vegetium *Datus* protraxit. Quidquid conſtitueris, factum puta. *Licetus*, uterque *Galuanus*, *Ferrarius*, ac *Turrianus* ſalutem adſcribunt. Teſſerarum ad Praeſulem *Tomaſinum* memine-

ris,

ris, antequam convasandum. Vale, vir Clarissime. Patavii XIV. Martii Anno Sal. CIↃIↃCLIII.

EPISTOLA CCCCXI.

JOANN. RHODIUS

Nic. Heinsio.

Venetiis.

PRoximas meas XII. Martii ad *Abrahamum van Collen* missas necdum tibi visas, quum tuas XVI. dares, vel inde suspicor, quod nihil de *Liceti* ac *Ulfati* libris ad te transferendis perscribas. *Turriano* res tuae quam sint curae, jam ex *Offredo* intellexisti. Venetiis Ovidii Metamorphosis in bibliotheca D. Marci pluteo tertio reperitur; de Arte ejusdem liber cum Scholiis apud *Roccum Fidelem Cornianum* Jurisconsultum, virum optimum, qui *Crasso* procul dubio amicus, cui nec ego ignotus. Ceteri, quos apud Brugnolum bibliopolam e meis notavit schedis Praesul *Tomasinus*, jam apud *Gaffarellum* sunt, qui eos paravit me praesente. Fuit etiam De Arte apud *Vintimigliam* exemplar in coenobio D. Stephani, quod fortassis nunc in bibliothecam D. *Augustini* Genoae repositum, in quam se suos transtulisse libros omnes indicat suis nudius quartus traditis. Tuas quamprimum expecto. Vale, mi Heinsi, ac vive. Patavii XXI. Mart. CIↃIↃCLIII.

EPISTOLA CCCCXII.

JOANN. RHODIUS

Nic. Heinsio.

Venetiis.

HEsterna luce libris colligandis occupatior in eam redactus fui temporis angustiam, ut vix eos tribus verbis persequi foret integrum. *Colonium* tamen hodie tradidisse spero. Aderant & *Liceti* ad te literae, pariter *Ursati*. Ille utrumque opus de Lucernis & Gemmis, praeter duo volumina Augustae dicata, misit, quod in tuam vel publicam bibliothecam transferatur, perinde habet: hic bibliothecae Regiae Monumenta in charta Imperiali excusa offert, alterum tibi exemplar. *Cottunius* inscriptione mentem significavit. Credo epigrammatum exemplar *Langermanno* supereſſe. Addidi & ego meam in charta regia Aciam *Septalio* meisque in hunc Analectis in usum bibliothecae regiae, si tibi commodum videbitur, itemque de Re Nummaria *Lipsium* cum Paraeneſi viri fortissimi *Nesteris Martinengi*, quae fortassis Dominae ob prudentiam non displicitura. *Patricii* Philosophia Universalis Illustrissimo *Delphino*, lectissimorum librorum possessori, dudum divendita. *Corniani* liber continet Fastorum libros Amorum, Tristium, de Ponto, & cetera opuscula Venetiis impressa Anno 1474. forma decumana oblonga, sine Scholiis. Una ad Liviam Consolatio nonnullis in locis est calamo emendata. Quem tuum in adven-

ventum cum Metam. MS. diligenter ſervo. Vicetiae nullus eſt natione Graecus. Sed presbyter quidam *Annibal Gradarius* Graecae linguae non imperitus, & *Cadamuſtus* alter civis nobilis mihi a multis annis notus. *Offredus* hac veſpera aut ſummo mane libros, quorum memini, MSS. conquiret. Herum enim non licuit heri hodieve offendere. Vale, mi Heinſi, ac vive cum tuo *Langermanno*. Exarabam Patavii Kalend. April. CIↃIↃCLIII.

EPISTOLA CCCCXIII.

JOANN. RHODIUS

Nic. Heinſio.

Pariſios.

NIhil tuis jucundius, mi Heinſi, quem ſemper in animo, in oculis fero. Binas tamen ſolas a tuo diſceſſu accepi. Helveticos motus ſi patientius tuliſſes, itineris tam laborioſi aliquem fortaſſis fructum percepiſſes. Genevae nonnulla tui ſaporis fuiſſe credo. Heſychius erat in bibliotheca *Deodati*, quem *Porta* emendaverat, additis paſſim Homeri verſibus. Num & illic, noveris. Omnia heic lenta. Ex quo Mediolanum XIII. Maji conceſſit *Octavius Ferrarius*, hodie tertiam mihi philyram exhibuit typographus. Nec ullis mihi precibus impetrare licuit, ut vel primam daret mearum conjectationum in Scribonium. D. *Antonio* ea vis fuit, quod omnes moraretur. Nec tamen colophonem attigit ejus Hiſtoria, quae annuae ſolemnitati exponenda fuerat, non ſine gravi bibliopolae detrimento. *Argolus* interim de Cometa pagellas aliquot conſcripſit: librum integrum *Licetus*. Praeſulis *Tomaſini* Gymnaſium Patavinum optime procedit: qui de Teſſeris magnas tibi gratias habet. Comes *Scotus* dubia deſtillatione conflictatus naturae jam pridem ſalutem debet. *Datus* valetudini hactenus operam dedit: communem ei *Ceſſinus* obtulit in Vegetio recenſendo apud *Gaddium*. Plura in eum non male divinavit *Junius*. Vide, ſi quicquam hanc in rem apud Cl. *Scriverium* alioſve poſſis inveſtigare; ac mone, quaeſo, ne fruſtra ſpes tantas alam. De Macro jam *Langermannum* ſollicito. Si per Daniam commeaveris, *Bangium* affinem ſalutes cum *Vormio*, *Bartholinis*, ac *Fureniis* viris egregiis, qui tuam merentur neceſſitudinem. In Suecia meas ipſe Illuſtriſſimo *Cornificio Ulfeldio* protinus reddas cupio, meaque ſimul obſequia ſerio teſteris. *Naudeo*, *Bourdelotio*, *Raphaeli du Freſne*, ceteriſque mei ſtudioſis ſalutem adſcribo; tuo in primis Parenti optimo firmam valetudinem voveo; V. Cl. *Vorſtio* & *Voſſio* fauſta omnia. Vale, mi Heinſi, ac vive. Amici te ſalvere jubent. Si quid ad me dederit reſponſi Eques ille noſter, tuis includatur. Cave tamen lino muniantur literae. Venetiis enim aperiuntur ejuſmodi omnes, nec denuo ſignantur. Patavii XXIV. Jul. CIↃIↃLIII.

EPI-

EPISTOLA CCCCXIV.

JOANN. RHODIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

DEſideratiſſimis tuis menſe Januario redditis, quibus nihil mihi jucundius, reſpondeo ſerius, ob adverſam Clariſſimi *Ferrarii* valetudinem: cui mea manu Regias tradidi, pariter *Liceto*. Utriuſque habes. Ad *Banierum* etiam *Co. Scoti*, qui Diſſertationibus de Paedia Peripatetica nuper editis prolixe Auguſtam laudavit, nec te ceteroſque de ſe bene meritos praeteriit. Inopinato ſuperioris menſis frigore, *Puteo* etiam, ut ſcribit, Romae admodum infeſto, *Argolum* domi ſecluſum videre non fuit integrum. *Licetus* cum ſuis ad Auguſtam mihi Cometae hiſtoriam commiſit, quam civi meo Hafniam dabo ferendam, ut prima occaſione ad vos curetur. Scribonium addidiſſem, niſi *Frambottus* jam tres menſes aliis impendiſſet operas: quo poſtulationibus ipſius parum aequis cederem. Quod hodie factum. Nec melior *Ferrarii* ſors: cujus de Re Veſtiaria opus quintum jam menſem lentas trahit moras. De Celſi Rhetorica plurimum debeo. Tu interim vide recuperes eam, quae iſtic erat. *Bangio* vix licuerit ſine meo indicio reperire Ovidii exemplar: de quo ad ipſum perſcribam. Literas meas ad Illuſtriſſimum *Cornificium Ulfeldum* tuae curae creditas ipſi tradi cupio. Si nondum iſtic, expiſcare quaeſo, ubinam vivat. Si Stralſundiae, ut ſuſpicor, tibi non erit difficile per aulicos veſtros, aut *Ulfeldum* alterum Regiae, ut audio, Cuſtodiae Praefectum, cui non ſum ignotus, id perficere. Malo tamen apud te aliquamdiu haereant, quam dubiae fortunae committantur. Mea enim plurimum intereſt, ad ipſius manus perveniant. Quod tua opera futurum quam maxime confido. De ceteris ad te per Germaniam, ut monuiſti. V. C. *Iſaacum Voſſium* ſaluto, & *Langermannum*. *Kirſtenius Dieterico* fatis functo pridem Romam conceſſit. Omnes in urbe recte valent. *Holſtenius* bibliothecae Vaticanae praefectus. Vale, mi Heinſi, ac vive. Patavii v. Martii CIↃIↃCLIV.

EPISTOLA CCCCXV.

JOANN. RHODIUS

Nic. Heinſio.

Upſaliam.

REgias literas mea manu *Liceto* ac *Ferrario* traditas, jam procul dubio intellexiſti, modo meae ad Ampliſſimum Patrem tuum miſſae recte fuerint curatae. Nec aliam nunc viam inſiſtere tutum duco, tametſi aliis de cauſis ad *Jo. Georgium Volcamerum* Noribergenſem Medicum perſcribam. Habes *Argoli*, & quibus priorem faſciculum vix licuit onerare *Offredi* noſtri. *Licetus* ſuum de Cometa reſponſum una cum literis ad Auguſtam apud me reliquit,

ſuam praeterea *Co. Scotus* ad te Paediam Peripateticam: quae civibus meis in patriam redituris committenda cenſui, qui Hafnia libros in Sueciam accurabunt, ubi te aeſtiva acturum opinor. Dignitate ac munificentia Regia quantum tibi acceſſerit, ſatis perſpexi. Mihi ſemper ſpes anguſta, hiſce potiſſimum temporibus, quibus pax dubia Muſis obſtacula minatur. De *Langermanno* aliquid ſcire aveo. Nullo ferme diſcrimine Theocritum Treviſanorum MS. in ipſius gratiam coepi cum edito conferre. *Ferrarii* de Re Veſtiaria opus integrum nunc metam proſpicit, quam & metus attigiſſet Scribonius, niſi ultra menſes quatuor ceſſaſſent operae. *Holſtenium* Bibliothecae Vaticanae praefectum noſti. Magno id factum rei literariae commodo: ſiquidem in ea reficienda is totus. Adverſa valetudine affectus ſocii opera Oedipum ſuum perficit *Kircherus*. Virum bene meritum a *Meibomio* acrius habitum adeo grave fuit ſummo Pontifici, ut niſi deprecatus fuiſſet ipſe *Kircherus*, in poſterum ei veritum fuiſſet advenarum omne commercium. Vale, mi Heinſi, ac reſponde, niſi haſce anteverteris. Iterum Vale. Patavii VIII. Maji Anno CIↃIↃCLIV. *Iſaacum Voſſium* V. C. ex me ſalutes, quaeſo; Te heic omnes: e quibus *M. Aurelius Galuanus* aliquamdiu febre catarrhali decubuit.

EPISTOLA CCCCXVI.

NIC. HEINSIUS

Joan. Rhodio.

Florentiam.

REſponſorias, Rhodi Clariſſime, *Octavii Ferrarii* viri eximii litteras & tradidi jam pridem Reginae, & tradidiſſe me paulo poſt tibi nunciavi, miſſo ad *Abrahamum Colonium* faſciculo. A quo tamen cum nihil hactenus intelligam, quod de faſciculo ſecurum me reddat, parum abſum a ſuſpicione perditarum literarum; niſi tu hunc mihi ſcrupulum tempeſtive exemeris. Reſpondebam eodem tempore & ad Ferrarianas & ad alias, quas mittebas, amicorum literas. Magna poſt ſecuta rerum apud Suecos mutatio; quam tamen operoſe nunc non recenſebo, quod Famam non fuiſſe parcam in iis omnibus per Europam diſſeminandis confidam. Imperio poſtquam ſeſe abdicaſſet Regina, nihil habuit prius, quam pedem ex Suecia movere, ſparſo prius de Spadanis fontibus adeundis rumore, credo, ne diſcedenti Senatus obniteretur. Spadam tamen non videbit, ut arbitror. Hamburgo Amſtelodamum recta contendiſſe ultimi ferebant nuncii, inde Bruxellas abituram: quo jam adveniſſe debuit, dum haec ſcribo. Hibernaturam illam in ea civitate quidam adfirmant, negant alii. Moram certe nonnullam iſtic tractura exiſtimatur. Juſſerat ut ſeſe in hoc itinere comitarer. Sed obluctatus eſt parens meus, quod negotia ſua videret in hac aula trahi. Ea ubi confecero, ſequar fortaſſis. Quanquam malo nonnihil etiamnum differre cogitationes iſtas, dum plenius intelligam, quo ſpectet iſta peregrinatio, de qua non deſunt hic, qui minus bene augurentur. Deterruit hoc *Langermannum* quoque: qui nuper ad ſuos diſceſſit ex hac urbe,

ope-

operam, ut opinor, Duci Mecklenburgensi addicturus. Jussit illum Regina & Rex sperare Consiliarii munus in Senatu Vismariensi, ubi locus in illo collegio vacaret. In Theocrito excutiendo non est quod labores, nisi exquisitae notae sit exemplar istud Trevisanum. *Vossius* jampridem in Bataviam profectus est, ubi Reginam expectat. Ducis Holsatiae filia Regi nostro desponsata est. Ferrarianos de Re Vestiaria libros & Scribonium suum avide expecto. De *Meibomio* recte existimas. Nimis inclementer profecto excepit optimum *Kircherum*, idque instante *Salmasio*. Is apud Regem vestrum bibliothecarii munere nunc fungitur. Amicos omnes jubeo salvere. Vale, optime & clarissime vir. Holmiae. Anno CIↃIↃCLIV. XV. Aug. Gregor. Tuae multo tempore in Batavia detentae fuerunt, quod domi expectarer. Unde fit, ut tardius nunc iis respondeam. Eadem licet via tuae mittantur imposterum. Spero enim ante hybernam fore tempestatem, ut mihi hinc liceat abire. *Liceti* librum populari tuo creditum periturum metuo, nec ad me fore perferendum.

EPISTOLA CCCCXVII.

NIC. HEINSIUS

Nat. Rondinino.

Romam.

VErsus tuos, Rondinini Illustrissime, quibus merito Juveniles *Philomathi*, viri maximi, Musas celebrasti, quanta cum voluptate quantaque cum admiratione legerim, verbis testari foret arduum. Diutius illi, fateor, quam par erat, penes me haesérunt: quod itineri Neapolitano *Furstenbergii* nostri licet imputes, non meae negligentiae: Nec diffiteri tamen possum me haud invito factum, quod tanto tempore tam insigne depositum meae fidei commissum fuerit, cujus solo conspectu animum jacentem ac fractum excitari sensi ad poesin, & repente incalescere. Nunc quoque aegre avelli eos a me patior: patior tamen, quod spes sit fore, ut brevi publice legantur. Veneration certe, qua jam ante non exigua virtutes tuas prosequebar, multum accessit, postquam contubernio meo frui Musae tuae non sunt dedignatae. Dum autem in eo sum, ut eas dimittam via tuta, ac *Furstenbergii* reditum ad vos operior, ecce nova comitate, literis inquam tuis, me circumventum ac oppressum deprehendo. Nam quod anxie excusas protractam scriptionem, meas invasisti partes, cujus erat silentium diuturnum deprecari. Convenire vos semel iterumque tres aut quatuor simul, singulis hebdomadis; haberique tum eruditos a vobis sermones, nunciat *Furstenbergius*, cujus felicitati sane invideo, quod in partem veniat hujus consuetudinis. Atque adeo certus esto, si meus essem, nihil prius mihi fore, quam ad vos citato gradu properare; sed injectae mihi sunt compedes in bibliotheca Medicea: quae cum codicibus Ovidianis manu exaratis satis sit instructa, huic pistrino non possum me subducere. Multos jam examinavi magna cura, plures evolvendi restant. Velim enim post confectum iter Italicum poetae maximo lucem foenerari. Sunt autem loci

fere infiniti adhuc indignis modis depravati, quos in integrum posse restitui diffido, sine ope vetustiorum, quam quae hactenus fuerunt ad manum, exemplarium. Quapropter per Germaniam iter facere decrevi: quod illo terrarum in tractu bibliothecae etiamnum veteres supersint satis multae, quas opem conatibus meis aliquam laturas auguror, a te interim contendo supplex, ut si quas in membranas Ovidianorum operum incides (dubium enim non est quin ex privatis apud vos bibliothecis possint nonnullae erui) eas meis usibus vindices ac in lucem protrahas. Ita & maximus accedet cumulus caeteris tuis erga me beneficiis, & erit, quo publice testari possim, quantum tibi debeam. Vale.

EPISTOLA CCCCXVIII.

NAT. RONDININUS

Nic. Heinsio.

Florentiam.

Vide nimium ne mihi sumam, & si a te me non minimum diligi sciam, quantumlibet amori concedam, si eum tamen in partem aliquam earum laudum, quibus plenum scazontem meum dimisisti, nullum velim venire. Quid ni enim ita me amem? cum optime perspectum habeam candorem illum tuum, qui nihil magis quam omnem assentationis labeculam reveretur. Eas itaque sic deinceps observabo, ut veluti ὅρκον μοὶ ἔναι recte putaverim. Profecto sic habeto, hanc gloriam adeo amplam lautamque a me existimari, ut huic privatae domesticaequae luci, quid a publica illa, & quam jam appetit Scazon, addi possit, haud videam. Utinam vero ejus authore, ac teste praeclarissimo diutius perfrui liceret. nec modo praeceps valetudo parentis, verum etiam augustissimae Principis ingentia jussa reditum in patriam adurgerent. Ignosco autem maximae Reginae, castrorum literarumque matri, quae ab hujus immanis barbariae faucibus ereptas Musas, magnorum ducum exemplo, eodem exemplo quo Martem colit, & Patris laureatos fasces non ut olim in Jovis, sed in ipso Apollinis gremio reposuit; si ab Italia carissimum pignus tam avide reposcit, & concessam hanc nobis brevem usuram morae saepe reflagitat. Magnum illi tamen munus referes, Ovidium nempe pejus a librariorum insciția, quam ab exilio mulctatum, per te iterum civitati donatum, suaeque ingenuitati restitutum. Quod jubes ut manu exaratas membranas, quas possim, conquiram, curabo libenter, cupio enim plus satis, & de egregio vate, & carissimo amico aliquid mereri. Sed tua ipsa industria, & diligentia, quam mihi significas, qua omnes bibliothecarum rimas angulosque pervios fecisti, non nihil ab incepto retardor. Nihil tamen omittam. Malo enim impudentior fortasse, quam minus officiosus existimari. Germania hac copia longe Italiam praeterit. Nosti enim ut Vaticanorum codicum numerus luculenter ab ea instructus auctusque sit. Mea consuetudo maxime uno *Furstembergio* ac *Favorito* celebratur, in utroque summa eruditio,

&

& poëseos ſtudium incredibile. Quod ſi ad eam etiam aliquid tuae ſuavitatis accederet, Croeſo major incederem, ſed & in ipſam non parum confers tuis epiſtolis, quas a te quantumvis abſis crebras eliciam. Vale. Romae XIX. Kalend. Januar. CIↃIↃCLII.

EPISTOLA CCCCXIX.

NIC. HEINSIUS

Nat. Rondininio.

Romam.

INter multa, quae Romae periucunda mihi acciderunt, plurimumque attulerunt voluptatis, peream, ſi quicquam prius duco antiquiuſque tua conſuetudine. Viſus enim ſum eam in te morum, vir Illuſtriſſime, obſervare amabilitatem, eum ſummae ingenuitatis candorem, quem millenus quiſque hominum eruditorum, quorum in agmine multum es conſpicuus, praeſtare vix poſſit. Teſtis erit *Furſtenbergius* noſter, quantopere gratatus mihi ſim felicitatem tui cognoſcendi eximiam. Non ibo tamen in tuas laudes, ne beneficiis injuriam, & modeſtiae pulcherrimae foedam reponam aſſentationem. Nefas tamen ſit ſilentio involvi benignitatem iſtam, omni commendatione majorem, qui firmum ſatis effectus tui vinculum non putaſti, niſi obviae liberalitatis & munificentiae teſſera inſigni ſanciretur. Loquor de praeclaris rei antiquariae monumentis, quae tui μνημόζυνον ad me venire voluiſti, quanquam inhaeret animo meo nunquam elapſura virtutum tuarum imago. Quod ego tui pignus omni liberalitate duco praeſtantius. Nunc quidem nihil magis mihi eſt in votis, quam ut te praeſente frui denuo poſſim. Id confidebam omnino fore, cum Roma ante menſes duos diſcederem. Supervenit poſtea ingratus nuncius de afflictiſſima parentis optimi valetudine, qui incertum animi dubiumque me fecit, & in contemplatione calamitatis domeſticae multo tempore defixum tenuit. Nam niſi deus adſit e machina, & opem inexpectatam ferat, pedem ad lares paternos citius referre cogar, quam velim. Dolor hic juſtiſſimus in cauſa fuit, vir Illuſtriſſime, quod literis te meis tardiuſcule compellem. Cave enim credas hanc animi ingrati notam eſſe, quem ego procul habeo & averſor, ſic ut nihil magis. Vix opinor fore, ut ante tempus hibernum hinc me proripiam. Si quid interea curatum voles, ſcias velim, cum in promptu tibi ſint amici plurimi, iique potentiſſimi, neminem tamen inter illos inventurum te, qui operam tibi ſuam ardentius probatam cupiat. Vale. Florentiae CIↃIↃCLII. prid. Non. Septemb.

EPISTOLA CCCCXX.

NAT. RONDININUS

Nic. Heinſio.

Florentiam.

IN exſpectatione tuarum litterarum, in qua ſane diu fui, nihil mihi jucundius accidit *Furſtembergio* noſtro, qui ſpem certam fore pollicebatur, amantiſſimum noſtri Heinſium, non laturum ab ſe has amoris veluti ὑποθήκας longius deſiderari. Ut verus autem fuit. Nam ecce a te plena amoris, & humanitatis epiſtola; quaeque hanc moram abunde farciverit. In his vero, cum de multis te amo, tum eo praeſertim quod in hac praeclara ingenii laude, qua flores, diligis tamen, qui tecum ad eandem palmam, ſed longo ex intervallo aſpirant. Quo etiam, quoniam me tuis laudibus provocas, jam omnes artus, & nervos contendam ardentius. Quid autem de antiquis illis munuſculis memoriam injicis vir? cui etſi tota ſe proferat e ſuis tenebris eruta vetuſtas, tamen pro opera a te in ea illuſtranda naviter impenſa, plura ſe debere, & majora ipſa ſua voce teſtetur? Fatebitur hoc certe, ſi antiquos ſuos mores velit antiquitas obtinere. Sed male ſit fortunae, quae te a noſtra Italia tanto terrarum ſpatio interjecto jam dividet. At quando te ſuprema in parentem officia, ipſa denique pietas convicio pene compellit properare; molius eſt ferendus hic dolor. Perge porro: ſuaviſſimi enim filii aſpectu, vel ex ipſo rogo allevabit oculos parens, parataſque luctui lacrimas jucundiſſimos inter amplexus abſumet. Eris tu forte deus illi, quem non niſi e machina prodire poſſe in ſcaenam putas: utinamque faxis ut tragicus hic ornatus, ut olim Plautinus ille Jupiter, exitu laetiore ſe convertat. Hoc certe, qui litteris ex animo factum vellent, ſpectatores optumi mallent. Tu cura ut valeas, & quoniam inter nos videndi languidior jam ſpes eſt: amorem noſtrum non ſinas tuarum litterarum deſiderio tabeſcere. Iterum Vale. Romae XVIII. Kalend. Octob. CIↃIↃCLII.

EPISTOLA CCCCXXI.

NAT. RONDININUS

Nic. Heinſio.

Florentiam.

DIU a me nihil litterarum. *Furſtembergii* enim abſentia factum eſt, ut hoc amoris noſtri iter, ut ait ille, interrumperetur. Non fuit autem, cui adhuc recte darem. Hodie ſub veſperam, dum Agonalem plateam praetervehor, viſus ſum videre *Furſtembergium*. Is num eſſet vix ſatis primo conjeci. Ita enim totus prorſus erat in typis quibuſdam, qui ibi propalam venales proſtant, ſpectandis, ut quamvis ſumma voce, & quantam ex inſperato gaudio extuleram, de curru ſaepius clamarem, nullus tamen adverterit. Nolui, aliquid forte meditan-

Digitized by Google

ditanti, quod maxime sit in communem rem nostrorum studiorum, odiosus intervenire. itaque ocius domum revertor, calamum posco, perscribo, ut eadem opera me hac molestia, ut ne quid a me inelegantер admissum putares, & hujus epistolae, quam dudum debeo, fidem liberarem. Optimum certe fuerat dum mihi unice carissimum juvenem Roma Neapolim decedentem, ire laetum, ire felicem jubeo, eique secunda omnia polliceor, huic quoque epistolae faustum iter exposcere. Sed & ipse fidem faciet, vix me ut huic generi urbanitatis aliquid darem, tantulum temporis invenisse. Sed ut ab his tandem abstineam, amabo te, mi Heinsi, de Scazonte etiam atque etiam videas, quippe in has solum leges ut mitterem vix tandem expugnavit, cui nihil unquam negatum velim, *Furstembergius*. Multa in eo exsanguia sunt, & sine cultu, quem a tuo stilo colorem aliquem nitoremque desiderant. Ille namque spiritus, quo maxime poëtica vivit oratio, qui in eo quam exilis sit sentio, in majus quiddam exurget scio, ubi divina illa tua veluti Delphicum antrum attigerit. Apud suaviſſimum parentem rectene sit aveo scire. illo enim incolumi spes nostrae maxime nituntur posse te in Italia longius frui. Quid si etiam Romae! Palladiam merito hanc hyemem appellarem, si per eam una esse liceret, & omnes tuae suavitatis intermissos fructus exigere. Ama me, ut facis, & Vale. VII. Idus Novembris CIↃIↃCLII.

EPISTOLA CCCCXXII.

NAT. RONDININUS

Nic. Heinsio.

Florentiae.

TU vero adhuc es meis in laudibus, quibus quoniam ut veris frui non licet, saltem ut falsa imagine recreor. Sinam jam nunc Scazontem, velut amplo satis instructum viatico, quocunque velit exire. De Ovidianis codicibus etiam atque etiam videbo, siquid dignum diligentia tua reperero, non omittam. Sed quis ad beatam illam Mediceae Bibliothecae copiam adspiret? perterritus enim nonnihil sum, fateor, & numero & alacritate illa, qua ad unum omnes pene decurristi. Sed quoniam mones esse etiam in novis istis quod seligas, & unde aliquid mutes, & puram illam incorruptamque vetustatem, non adeo recentiores has Grammaticorum maculas infeciſſe, quin aliqua latebra interdum teneri possit, quae indiligentem illorum diligentiam effugerit, sedulo incumbam ut humanitati tuae in hoc genere aliquid respondeam. Amari a me Reginam tuam ais. Injuria certe literarum illarum, quas ipsa adeo exornat, quaeque ut in me aliquae sint indies curo, secus facerem. Magna quippe laus quaeque in pauciſſimis contigit, posse eodem animo, quo bella geras, & canere, & Philosophiam, pulcrum illud, sed plenum invidiae nomen, non modo in urbes, ut olim Socrates, evocare, verum etiam in Aulam inducere. *Furstembergius* ad *Alexandrum Pollinum* elegantiſſimam odem dedit. ad me etiam aliquid. in hoc vero semibarbarum quendam, Scotum, an Britannum nescio, qui

prae

prae te uno omne Latinum nomen gentemque togatam, ſuo oceano frigidiorem putat, mirifice traducit. Si nondum miſit, exigas, gratulaberis ſat ſcio felicitati meae cum leges, ſed abunde noſti ejus ingenium moreſque cultiſſimos. Tu modo ut *Furſtembergium*, ſic etiam Natalem tuum fac ames. Vale. Roma III. Idus Januar. CIↃIↃCLIII.

EPISTOLA CCCCXXIII.

NIC. HEINSIUS

Nat. Rondininio.

Romam.

OBlectandi animi cauſa diebus proxime elapſis nobiliores aliquot Hetruriae civitates perluſtrabam, Rondinini illuſtriſſime, comitem itineris nactus *Carolum Datum* elegantis virum ingenii. Nunc Florentiam reverſus nihil habeo prius, quam ut ſuaviſſimae tuae reſpondeam epiſtolae, quae amabili eloquio itineris moleſtias omnes languenti mihi ac nauſeanti excuſſit. In Ovidianis codicibus conquirendis quod operam tuam non defuturam mihi polliceris, amplector officium. Optime enim optimo auctori volo, quem ſi non omnibus, pleriſque ſaltem foedioribus abſterſis nevis, in lucem prodire tandem comptiorem rei publicae literariae intereſſe cenſeo. Nec eſt quod Mediceorum codicum copia ac numerus te deterreat, ſaepe enim fit, ut exemplar unicum inſtar plurimorum ſit. Potioris duco illum, qui ad Divi Marci hîc adſervatur, Metamorphoſeon codicem, quam Mediceos omnes, etſi & inter hos nonnulli ſint eximii. Regina noſtra quod magni a te fiat, felicitatem ejus, quam aſſiduam hactenus comitem in omnibus negotiis experitur, agnoſco. Quanquam enim ſingulares, quae in illa elucent, dotes bonorum ac praeſtantiae virorum venerationem mereatur; tamen non neſcis, raro dignum magnis virtutibus poni pretium. *Furſtembergium* pro innata ſibi comitate Oden ad *Alexandrum Pollinum* ſuam, alteram etiam tibi inſcriptam mecum communicavit. Dignus utorque parente ſuo foetus. Angli illius putidam arrogantiam graphice deſcripſit. Ego vapulanti faveo, qui hominis ineptias, ſuperbiam & φιλαυτίαν cum alieno contemptu conjunctam ſatis olim ſuperque perſpexi. Poſt dies quatuordecim hinc Bononiam & Venetias cogito. Italiam tamen veſtram non reliquero, niſi te rurſus per literas convento ac ſalutato. Vale. Florentiae Kalend. Februar. CIↃIↃCLIII.

EPI-

EPISTOLA CCCCXXIV.

OCT. FALCONERIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

CUM duobus ab hinc annis Amſtelodamum veniſſem occaſione peregrinationis, quam per Bataviam veſtram inſtitueram in coetu nobilium aliquot Italorum, non ſine aliquo numine factum exiſtimo, ut ad IX. Kalend. Sept. (ipſum enim diem memoria teneo) inconſo mihi magna cupiditate tui viſendi, propter ſingularem doctrinam tuam, inclytumque Patris tui, clariſſimi viri, nomen colloquendi tecum plane divinitus copia oblata ſit. Nam cum in tabernam quandam divertiſſemus in ea urbis via ſitam, quam *Warmoeſtraat* vernacule appellant, neſcio quo pacto aliquamdiu ſoli fuimus in triclinio, dum alios nonnullos ad prandium conveniendi moram facientes officii cauſſa praeſtolaremur. Accedis ad me perhumaniter, ut ad exteros fieri ſolet, interrogas nonnulla de patria, de itinere, de ſociis. Reſpondeo me Florentia oriundum, Romae quidem degere, ſed Francofurdianorum comitiorum fama excitatum, una cum *Julii Sachetti* Cardinalis ex fratre nepotibus illuc ab urbe properaſſe, ut conventui noſtra aetate celeberrimo intereſſem, quo abſoluto ſolemni Caeſaris inauguratione per Rhenum in Bataviam deſcendiſſe, trajectionem illinc in Angliam fore, inde in Belgium, poſtremo peragratis Galliis in patriam reverſurum eo animo, ut ex ea peregrinatione, quam oblectationis gratia ſuſceperam, nonnihil etiam fructus a conveniendo illuſtres omni optimarum artium genere viros perciperem. Conſtitutum mihi eſſe paucis poſt diebus commmigrare Lugdunum Batavorum, ut *Nicolaum Heinſium*, *Danielis* F. viſerem, quem ſtudiis litterarum florentem, & ſingulari eruditione virum acceperam. Dii boni! quam omnibus laetitiis cumulatum me ſenſi, cum te inſperato Numinis favore praeſentem cognovi! Cave quicquam putes mihi ea agnitione jucundius accidiſſe unquam, qua poni ante oculos mihi, veluti reducto ſipario, ſimulacrum elegantiae omnis litterariae viſum eſt. Memini etiam te poſt officioſa ultro citroque verba mentionem honorificentiſſimam feciſſe *Franciſci Barberini* Card. Ampliſſimi, a quo, cum Romae fuiſſes, ſummae erga te benevolentiae non vulgaria indicia recepiſſe memorabas. Quo deinde fato acciderit, ut te vix repertum omiſerim neſcio. Illud certe non mediocriter dolui, nullum arctius inter nos neceſſitudinis commercium initum eſſe, me tibi vix notum quod ſcirem, & vehementius etiam doluiſſem, niſi mihi ſpes adhuc ſuperfuiſſet viſendi te iterum Lugduni Batavorum, ibique dandi pignus aliquod obſervantiae meae, & amicitiae noſtrae auſpicandae facultatem futuram. Eo cum veniſſem indictas ſtudiorum vacationes, te ruſticatum diverſiſſe, non facile eſt dicere quam moleſte tulerim. Quamobrem cum me ex itinere Romam recepi, nihil mihi prius faciendum curavi, quam ut jacta Amſtelodami amoris noſtri fundamenta litteris confirmarem. Eas habes elegantiae, & ornatus omnino vacuas, ſed

plenas obſequii erga te mei, quibus ſi effecerim, ut te a me tantum amari, obſervarique credas, quantum profecto cupio, nihil eſt, quo beari magis poſſim. Quod neceſſitudinem tuam, ut facio, tam enixe expeto, id cauſſae eſt, quod & litteratos viros, tuique ſimiles veneror majorem in modum, & iis ſtudiis animum adjunxi, in quibus mirifice me a te adjuvari poſſe, non ita te ignoro, ut non intelligam. Hoc commune nobis eſt a natura, ut nihil non alicujus commodi gratia ii agant, qui tantum diſtant a brutis animantibus, quantum propter aliquem finem agere a Philoſophorum ſapientiſſimis dicuntur. Tuae humanitatis erit efficere, ne voto decipiar, communione eruditionis, & doctrinae tuae, quam non ſine invidiae ſuſcipione addiſcendi cupidis denegare poteſt quiſquis in iis excellit; illudque e contra polliceor, quantum in me eſt, quicquid ab ingenio, & grato homine proficiſci poterit, tibi a me fore paratiſſimum. Vale. Romae XI. Kalend. Maji CIↃIↃCLX.

EPISTOLA CCCCXXV.

NIC. HEINSIUS

Oct. Falconerio.

Romam.

EX quo ante triennium apud Amſtelaedamenſes in campona forte congreſſi ſumus, conſpectus tuus ſuaviſſimus animo meo identidem eſt obverſatus. Ex brevi enim, quem tum inſtituebas, ſermone, pauciſque verbis, guſtum haud dubium habere mihi viſus ſum praeclarae indolis tuae, & ingenii ad venuſtatem omnem facti. Quo indignius atque impatientius tuli, uberiorem, (quem tum mihi promittebam, ſi Hagam excurreres, nam excurſurum te polliceba-re) fructum tuae conſuetudinis interverti. Sed quid cautae fuerit, cur conſpectu poſtea tuo ſim fraudatus, divinare haud poſſum: niſi quod fortuna mihi viſa eſt hoc uno ſe benignam praeſtitiſſe, ut tui deſiderium intempeſtive ſubducti majus aeriuſque in me excitaret. Nec intermiſiſſem primas literarii hujus commercii occupare partes, & abſentis amicitiam ac conſuetudinem ambire: ſed nec nomen tuum habebam exploratum, nec qua via aut ubi terrarum compellandus eſſes ſciebam. Dum in hoc cogitationum aeſtu fluctuo, oportune accidit, ut opera ac beneficio *Caroli Antonii Putei*, viri longe humaniſſimi, epiſtola mihi a te ſit reddita, ſed tardius, quam fieri oportuit, quod ſub adventum tabellarii domo abeſſem. Mox reſponſionem paranti, cum alia ex aliis avocamenta ſeſe offerrent, [1] alteram a te epiſtolam *Emericus Bigotius* ad me mittit, nihil priori cedentem, ſive elegantiam & leporem, in ea ſpectes, ſive ſingulare mei ſtudium. Pudebat jampridem, ut dicam ingenue, quod res eſt, ſemel a te vinci officiis: quid factum cenſes, poſtquam cumulus prioribus tuis erga me meritis acceſſit ingens ſecunda compellatio? Barbarum profecto ferreum-

[1] Hanc prodere hic minime neceſſarium credidi, qui ejuſdem, quo prior, quam intercidiſſe lugebatur *Falconerio*, erat argumenti. Vide *Nic. Heinſii* Praefationem ad lib. III. Elegiar.

reumque esse me oporteat, nisi comitati tam profusae dem manum. Quapropter sic de me statuas velim, ut certus sis imposterum, neminem in rerum natura esse, qui te sancte constanterque observando, maximeque merito tuo faciendo, me antevertat. Quod ut liquidius appareat, creber te posthac per literas conventurus sum, quando majoribus officiis bene te mereri non datur. Neque consuetudini nostrae literariae damnum quid aut impedimentum laturum est iter, quod sub aestatem proximam in Septentrionem paro, nomine Reipublicae nostrae aulam Suecicam aditurus: dabo enim operam, ut ante profectionem meam plenius cognoscas, quae via literis tuis sit insistenda, ut tuto citoque ad me perferantur. *Francisci Barberini* Cardinalis Amplissimi in me merita non frustra praesens olim apud te praesentem praedicavi, sunt enim tanta, ut majora esse vix possint: quorum omnium me memorem esse, si Princeps optimus ex te aliquando intelligat, cumulus perquam ingens caeteris tuis beneficiis accesserit. Ad Eminentissimum *Sacchettum* saepe a me tentatus est aditus, dum in urbe aeterna haerebam, sed nescio quo casu evenit, ut pararium non invenirem, qui virum tantum mihi conciliaret. De studiis communibus ut & nonnihil addam, paro editionem novam Operum P. Ovidii Nasonis: ex quo scriptore incomparabili naevos plurimos sustuli, idque potissimum instructus veterum membranarum ope, quas hanc in rem magno studio conquisivi ac pervolvi. Eandem operam caeteris quoque majorum gentium poëtis Latinis navaturus, si auxilia necessaria sint in promptu. Sed de his plura ex Cl. *Bigotio* cognosces. Viros urbis aeternae celebriores, *Fatsteubergium*, *Pollinum*, *Favoritum*, quos maximi facio, si noris, meis quaeso verbis officiose saluta. Vale. Hagae Anno CIↃIↃCLXI. Februar.

EPISTOLA CCCCXXVI.

OCT. FALCONERIUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

Cumulatrunt me omnibus laetitiis eae litterae, quas mihi abs te attulit nudius tertius Clarissimus vir, ac tui amicissimus *Emericus Bigotius*: ex iis enim cognovi meas tibi redditas esse, non eas modo, quas ipsi ad te mittendas dederam, sed illas ipsas, quos anno superiore statim atque Romam a diuturna peregrinatione me receperam, observantiae meae erga te testes, ad te miseram. Cum enim unis atque alteris litteris ad te datis quo minus meae ad te aut tuae ad me pervenirent, fato quodam agi videretur, vereri sedulo coepi, ne nimis temere in spem venissem jungendae tecum amicitiae, ac perfruendi consuetudine litterarum tuarum, quo quidem bono frui ἀκήρατον tantum fas esset, quemadmodum & ambrosiam potare iis tantum olim dabatur, quos Deorum convivio Jupiter dignaretur. Verum ista me sollicitudine liberarunt, quas dixi, literae tuae, quas cum primo statim occursu afferre se *Bigotius* nuntiasset, tantum in me voluptatis motum excitari illico sensi, ut eas de manu porrigentis

abreptas avide, ut nunquam alias, perlegerim, ac saepius reguſtarim. Ac de iis quidem libellis, quos tibi in cauſſa fuiſſe narras, ne promptius mihi reſcriberes, jam ad nos allatum fuerat, ac tum praeſertim de Sulmonenſi illo Muſarum ocello, quem cum V. V. MSS. collatum, & commentariis perpetuis illuſtratum te propediem in lucem editurum nuntiabatur. Perge, vir eruditiſſime, paternam gloriam aemulari, & litterariam Rempublicam juvare monimentis ingenii ac doctrinae tuae. Legationem illam tuam Suecicam pauliſper diſtuliſſe te a *Bigotio* audio. Cum vero primum id iter ſuſceperis, cures velim, ut nequid locorum diſtantia, aut abſentia tua ab Haga conſuetudo litterarum noſtrarum detrimenti capiat. Angit me quippe is metus, ne diutius iis caream, quam patitur amor erga te meus. Idque eo magis quod cum brevi *Bigotius* ab urbe diſceſſurus videatur, neminem habiturus ſim internuntium amicitiae noſtrae, a quo de te, rebuſque tuis cognoſcam, cuique ſi quid de te ſcire velim, id credere confidenter poſſim, ut de eo certior fias. Quapropter ſi me amas, de toto iſto litterarum ad te mittendarum negotio, quibus tabellariis ſcribendae, ſi cuiquam Venetias committendae, quo tutius ad te perferrentur, ecquem certum hominem (ſi id faciendum exiſtimas) huic rei praeficias ante tuum ex Haga diſceſſum, fac diligenter ad me ſcribas. Ceterum licet *Carolum Antonium* equitem a *Puteo* veterem amicum Romae habeas, humaniſſimum certe virum, ac tui ſtudioſiſſimum, quo uti in iis, quae iſthic tibi uſuveniant, conſueveris, ſcias cupio, ſi quid in re litteraria aut alibi uti velis opera mea, hoc mihi gratius nihil accidere unquam poſſe. Luculentiores illas litteras tuas, quarum mihi ingens deſiderium prioribus hiſce injeciſti, vehementer expecto. Vale Roma. CIↃIↃCLXI. Non. Mart.

EPISTOLA CCCCXXVII.

OCT. FALCONERIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

EX iis litteris, quas a te nuper allatas communicavit mihi eruditiſſimus ac ſuaviſſimus vir *Ezechiel Spanhemius*, intellexi quantum tibi debeam, qui in tam praeclaro doctorum virorum coetu, quos ipſi in urbe conveniendos inprimis putas, me haud praetereundum cenſuiſti. Hoc ſane tam egregium opinionis de me tuae teſtimonium ego tanti facio, quam quod maxime, ſed vide ne tu hoc ipſo ſtudio dignitatis meae eum me hominem promiſeris, quem praeſtare haud facile poſſis. Atque ego quidem in jungenda cum *Spanhemio* noſtro amicitia litteras tuas anteverteram, nam, cum proxima aeſtate Florentiae commorarer, eam ipſe occaſionem avide arripui, quam fors obtulerat fruendi conſuetudine doctiſſimi, atque ornatiſſimi viri, quocum viro mihi adeo arcta jam amoris neceſſitudo conglutinata eſt, ut quos aeque diligam, ac obſervem multos habeam, quem plus neminem. Florentiae ingens ſane deſiderium tui apud omnes, qui litteris delectantur, quod ego ac *Datus* noſter perſaepe jucundis de

de te sermonibus leniebamus. Ovidium tuum idem vehementer expectare nuper ad me scripsit. Nostri vero Bibliopolae adeo quid in re libraria apud vos agatur ignorant, ut mihi quantum ad ipsos est in unum aut alterum annum spes egregio tuo isto labore perfruendi rejicienda sit. De *Holstenii* operibus sic accipe. Codex regularum monasticarum propediem Vertumnum visurus est, Janumque bifrontem. Concilia Romana in proximo edenda speramus, ac subinde Frontinum de aquaeductibus. De Stephano, seu potius Polemone, longinqua spes. Atque haec omnia *Francisci Barberini* Card. Amplissimi beneficio, quem si tibi laudare, ac praedicare velim, γλαῦκα, ut ajunt, εἰς Ἀθήνας. Id certe de optimi Principis humanitate haud praeteritum volui, quod cum nudius tertius, me voluntati tuae occursurum existimans, ipsum tuis verbis salutassem, eas amoris ac benevolentiae erga te significationes exhibuerit, atque existimationis, quam habet virtutis ac doctrinae tuae, ut nil supra. *Famianus* ille *Nardinus*, cujus de Roma antiqua commentarios in epistola tua Spanhemiana desiderare videris, haud multo abhinc tempore diem obiit. De ejus libro edendo altum apud Typographos silentium. Quod si mihi ullus unquam aditus aperietur juvandi ejus libri editione amatores antiquitatis, curabo ut propensione saltem in bonas litteras is videar, quem tu pro tua humanitate fingis. Saltem ope amicorum dabo operam, (nam mihi cum *Nardini* haeredibus aut consanguineis nulla necessitudo, quippe cum oppidanis atque obscuris hominibus) ne is liber eodem, quo auctor suus, fato pereat. Quod mihi jam diu pollicebaris, te, quo litteras ad te mitterem, cuique darem, ac de tota commercii nostri ratione scripturum, id ut quamprimum conficias, abs te enixe postulo. Nam ista tua Holmia Samavobrivae mihi loco esse incipit, ac si sexto tantum quoque mense accipiendae sint mihi a te litterae, vix continebo me, quin Gothos literis infensos ac bonarum artium deturbatores iterum appellem. Extra jocum, litteris tuis carere non diu possum sine luctu. Quod si me amas, curabis, me eas ita certis intervallis accipere, ut cum negotiorum tuorum, tum amoris nostri rationem habere velle videaris. Vale, Roma x. Kalend. Januar. CIↃIↃCLXII.

EPISTOLA CCCCXXVIII.

NIC. HEINSIUS

Oct. Falconerio.

Romam.

EXcursus in Septentrionem meus non alio magis nomine molestus mihi fuit, vir Nobilissime, quam quod perceptam ex tuis alloquiis voluptatem mihi interverterit. Scripsi ego bis ad te ante meam ex patria profectionem. Priores tibi redditas fuisse ex jucundissimis tuis Martio mense exaratis facile cognovi. De posterioribus nihil mihi hactenus est intellectum, quarum jacturam insuper habendam esse arbitror, dummodo exploratum habeas, officio scriptionis

nis me non defuiſſe. In procinctu ſtabam, cum poſtremae tuae ad me perlatae ſunt. Quibus opportunius videbar reſcripturus poſt meum in haſce regiones adventum. At vero vix ſuperatis feliciter itineris longinqui moleſtiis tanta publicarum occupationum mole oppreſſus ſum, ut curam omnem rerum familiarium ac privatarum, quanquam invitus, a me rejecerim. Redeo nunc ad officium poſtliminio, hancque tui compellandi oportunitatem minime paſſus ſum mihi elabi, cum forte literarum nonnihil ad *Carolum Datum*, virum, ut ſcis, mihi amiciſſimum, pararem, quem totis octo aut novem menſibus non compellaverim. Ad illum jampridem per *Elzevirios* bibliopolas Amſtelaedamenſes miſſa ſunt nonnulla exemplaria operum P. Ovidii Naſonis, quem poëtam annotationibus meis illuſtratum typis ſuis illi deſcripſere. Ex iis exemplaribus ut unum tibi tradat, rogatus a me eſt *Datus* noſter, non quod lucubrationes iſtas dignas eſſe cenſeam, quae tibi exhibeantur, ſed quia benevolentiam meam in re etiam tantilla probatam tibi cupio, quando majori id a me fieri haud poteſt. Mox novam editionem ſuaviſſimi Poëtae notis perpetuis atque uberioribus adornatam moliar, modo ne deſint nova veterum membranarum ſubſidia, quarum ope loca, quae etiamnum ſatis multa hic illic mendoſa occurrunt, ſi non omnia, at pleraque corrigam, atque emendem. Interim Claudianum ſecundis curis illuſtratum nunc paro. Quo labore perfunctus de aliis etiam primi ordinis poëtis emendandis fortaſſe cogitabo. *Emericum Bigotium* optimum atque officioſiſſimum virum ad ſuos jam reverſum eſſe opinor, nam quas poſtremas ad me dedit menſe Julio Mediolani exaratas, eae ſatis indicabant de patria repetenda illum cogitare. Quamdiu is vixit in aeterna urbe, frequentibus literis non ſine magna voluptate mea me docebat, quid homines eruditi per Italiam operum novorum molirentur, quo pede incrementa bonarum artium procederent. Nunc illo ſimul & *Ferdinando Furſtenbergio*, literatiſſimo Principe, Italia digreſſis, vix eſt reliquus, qui rerum veſtrarum me cupidiſſimum vel levi illarum cognitione me imbuat. Opus veterum inſcriptionum, quod a V. Cl. *Carolo Morono* luci paratur, quando nobis expectandum ſit, ſi verbis vel tribus ſignificaris, tum ſi quae alia non diſſimilis notae praela typographica apud vos exercent, immane quantum me beaveris. Amicos meos duos domo patriaque Germanos Italia nunc tenet, alterum ex iis *Ezechielem Spanhemium* Sereniſſimi Electoris Palatini Conſiliarium, alterum *Marquardum Gudium*, utrumque egregie literis inſtructum; in hoſce ſi fortaſſis incides, ut benignum te experiantur & propitium rogo. Literarium commercium quia videris non faſtidire, epiſtolas, quibus me impoſterum dignaberis, Amſtelaedamum perferendas cura, *Ludovico & Danieli Elzeviriis* bibliopolis inſcriptas. His ſi tradentur a tabellario, quin ad me in haſce regiones toto perveniurae ſint, vix eſt ut dubites. Solent autem, ni fallor, Roma non Venetias, ſed Mantuam mitti, atque inde Amſtelaedamum. Hoc certe moris habebat vir incomparabilis *Caſſianus Patens*, cum ad me ſcriberet, quod faciebat frequenter. Ejus fratri nobiliſſimo *Carolo Antonio* ut ſalutem meis verbis dicas vehementer te rogo. Vale, vir Exime, meque tui obſervantiſſimum bene-

vo-

volentia tua fovere ac complecti perge. Dabam Holmiae Suecorum Anno CIↃIↃCLXI, a. d. x. Novemb. Gregor.

EPISTOLA CCCCXXIX.

OCT. FALCONERIUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

QUod forte serius, quam par erat, respondeo litteris tuis, quas a *Dato* nostro ab usque Idibus Januariis acceperam, peto a te, vir Nobil. ut id non, negligentiae meae tribuas. Si enim ubi hae datae sint animadvertes, cognosces facile me haud de nihilo Florentiam properasse, ubi tertium mensem desiderabar. Utinam quavis alia de caussa quam obitu avunculi mei, in quo praeter lucrum domesticum multae accesserunt curae, ac sollicitudines, quae me antehac occuparunt & adhuc occupant. Redeo nunc ad humanissimas, ac jucundissimas illas litteras tuas, quae me sane laetitiis omnibus cumularunt: vehementi enim de te, rebusque tuis desiderio flagranti nil gratius accidere poterat, quam ut ex iis, & te recte valere, & me a te amari intelligerem. Cujus quidem tui erga me amoris haud obscurum argumentum est te me dignum existimasse, cui Nasonis a te nuper editi exemplum tam humaniter mitteres. In quo certe munere elegantissimo, cum multa mihi reputanda sunt, tum id maxime, quod & abs te venit, & benevolentiam tuam erga nos egregie testatur. Ego vero pro eo ago tibi, habeoque gratias quamplurimas, Ovidiumque tuum ea voluptate legam, quasi nunquam alias legerim. Non dubito scilicet, quin per te suavissimo Poetae plurimis in locis lux addita, in multis suus veluti color, ac venustas reddita esse videatur. Caeterum quod a me postulas, ut, quid literati homines hic moliantur, ad te scribam, id & ultro seu iis litteris, quas *Ezechieli Spanhemio*, viro Erud. tradidi ad te perferendas, & in posterum cum quod mittam habebo, exequar diligenter. Illud vero piget scribere, quod & fateri cogimur, & tu satis nosti, Italiam nostram, urbemque aeternam nunquam minus, quam hoc temporis in rem litterariam contulisse, sive ita ferat rerum necessitudo, sive ea sint nostrorum hominum ingenia, ut ad Criticam, quod hodie usitatissimum scriptionis genus, ac quasi regnum virorum Eruditorum est, minus apta nataque sint. Optimus ille senex *Allatius* in scribenda Apologia Concilii Florentini totus est. Fervidum ingenium ac quietis impatiens! *Holstenii* concilia Romana, atque Epistolae Pontificum adhuc ineditae jam nil nisi praelum desiderant. Codicem autem regularum Monasticarum ideo tibi non misi, quod nec expectatum tibi fore, nec jucundum eum librum existimavi, qui nil praeter barbariem, & pauca quaedam haud ante edita de instituto Monachorum continet, quam etiam partem Ecclesiasticae eruditionis abunde implevit, uti nosti, eruditissimus *Menardus*. *Carolum Moranum* Venetiis redeuntem hic praeter spem in Bibliotheca quadam offendi. Ab eo id didici, quod haud sane sperabam, ipsum in paranda vete-

veterum inſcriptionum editione alacrius, quam unquam antea, laboraturum, quas tamen haud ita ſtatim lucem viſuras operis magnitudo ſuadet, quod editarum a *Grutero* inſcriptionum volumen facile excedet, ut & *Moronus* ipſe teſtatur. Ita ex itinere pleno alioqui maeroris ac curarum, id voluptatis fructuſque percepi, ut & deſiderio tuo de veterum inſcriptionum editione cognoſcendi maturius ſatis facerem, & *Marquardum Gudium* hîc reperirem, de quo ego, ac *Spanhemius* noſter nihil adhuc compertum habebamus. Quem ſane virum & quam amicitia tua dignum! Ei, quo in praeſentia potui officii genere proſecutus, litteras tradidi commendatitias ad *Stephanum Gradium*, ſecundum, ut appellant, Bibliothecae Vaticanae cuſtodem, quocum viro lectae eruditionis arcta mihi neceſſitudo intercedit, cujus opera, homo ad Remp. literariam ſuo labore juvandam natus, perquam commode in eas res quas molitur, uti poterit. Caeterum cum primum Romae fuero, curabo, ut intelligas, me praeter eam exiſtimationem, quam debeo ejus virtuti, ac doctrinae, auctoritatem ac commendationem tuam plurimi facere. Si quid ad me ſcripturus es, Romam mittas velim, non enim diu Florentiae me futurum ſuſpicor. Vale. Dat. Florent. VI. Kalend. Martii Anno ab Incarnat. ut Florentiae mos eſt CIↃIↃCLXII.

P. S. Minervam Sanctianam *Schioppii* propediem Patavii lucem viſuram audio.

EPISTOLA CCCCXXX.

NIC. HEINSIUS

Oct. Falconerio.

Romam.

CUM multa ſint, quae debeam humanitati *Caroli Dati*, viri, ut ſcis, ad demerendos amicos unice facti, non poſtremo loco numerandum inter haec beneficium eſt, quo me affecit, dum curandi ad te Naſonis mei moleſtiam minime detrectavit aut ſubterfugit. Eo enim ad res meas fovendas ſtudio ferris ac raperis, ut meditationum mearum nihil tuis oculis poſſim ſubtrahere, niſi & ſim & palam videri cupiam omnium mortalium unus maxime inurbanus, & praecipuarum neceſſitudinum oppido quam negligens. Ego autem cum amandum te conſtanter mihi propoſuerim, ut plenius intelligere potuiſti ex litteris, quas Februario menſe ad te dedi, Spanhemiana opera in iis curandis uſus, non committam impoſterum, ut ineptiarum mearum quicquam oculis tuis ſeſe ſubducat, quando iis applauſum tam benigniter indulges. Doctiſſimi *Allatii* intereſt profecto, ut credamus, populares ſuos omnes, totamque eccleſiam Orientalem cum Roma non minus conſenſiſſe olim, quam nunc conſentit ipſe. Quapropter dubium mihi non eſt opus, quod hanc in rem molitur, multa eruditione refertum fore. Holſteniana omnia plurimi facio. Ut iraſcar quodammodo mihi, quod hîc terrarum ſedem fixerim, quo ſcriptorum Italicorum nihil perferri ſolet, niſi cum jam amiſit gratiam novitatis omnem,

ac

ac magna ſui parte eſt obſoletum. *Carolus Moronus* duram provinciam ſuſcepit de edendis inſcriptionibus antiquis poſt *Gruterum*. Utinam opus luculentum brevi videamus! aut quia ob immenſam ejus molem id ſperare non datur, ex parte ſaltem prodeat in lucem, ne expectatione nimis diuturna enecemur. Tu & quot jam paginae hoc in opere typis deſcriptae ſint, & quando opineris fore, ut ſuprema ei manus a typographo imponatur, fac quaeſo tempeſtive intelligam. Audio catalogum Barbarinae Bibliothecae ab eodem *Morono* mox publicandum fore. Quid in Belgio noſtro ac Germania moliantur homines literati, ut hîc denuo ſubtexam minime neceſſarium duco, cum ubertim de re tota hodierno die literis ad *Datum* noſtrum exaratis egerim. Ampl. *Spanhemius*, ſi etiamnum Romae eſt aut Florentiae, ſalveat quaeſo. Salveant amici caeteri, qui perquam pauci in urbe aeterna mihi ſunt reliqui, *Caſſiano Puteo*, *Holſtenio* & *Furſtenbergio* inde ablatis. Horum tamen in numero ducendi mihi & *Leo Allatius*, & illuſtriſſimus Eques *Carolus Antonius Puteus*, cujus amantiſſimis literis propediem reſpondebo. Vale, mi Falconeri. Exarabam Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXII. a. d. III. Maji menſis.

EPISTOLA CCCCXXXI.

NIC. HEINSIUS

Oct. Falconerio.

Romam.

TOtum ſaeculum mihi viſus eſt hic annus, quo non niſi duas a te epiſtolas accepi, Falconeri humaniſſime; alteram quarum *Spanhemius* Romae, alteram *Datus* Florentiae exaratam ad me miſerunt. Reſponſionis officium neutram in me deſiderare ſum paſſus, & tamen nec de te, nec de *Dato* noſtro, nec de *Spanhemio Gudioque*, nec de Amicorum Italorum quoquam poſt acceptas illas quicquam mihi intellectum eſt. Quam ego ſollicitudinem impatienter mehercules fero, miſereque metuo, ut ſatis ſalva apud vos ſint omnia. *Bigotius* aeſtatem totam Lutetia abfuit, unde factum eſt, ut & ille praeter ſolitum tacuerit, deque rerum veſtrarum ſtatu nil nunciorum ad me miſerit. Scribe ergo & quidem quamprimum, quî tu, quî reliqui amici valeatis, ſi vis ut ego quoque valeam ac ſalvus ſim. Virgilium ex auctoritate veterum membranarum, Medicaei codicis longe antiquiſſimi praeſertim, caſtigatum jam ad typographos miſi in patriam edendum. Plura membranarum veterum ſubſidia circumſpicio, quorum ope lucubrationes iſtae ornatiores fiant. Sed de hiſce omnibus ſcribam uberrime, ubi edoctus ero, qua via mihi compellandus ſis. Tu quaeſo tuas ad *Elzevirios* Amſtelaedamenſes mitte, quorum opera ad me perventuras eſſe ne dubita. Vale. Holmiae Suecorum CIↃCIↃLXII. a. d. XIII. Novembr.

EPISTOLA CCCCXXXII.

OCT. FALCONERIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

PRaeter eas litteras, quas tute recentioribus tuis a. d. XIII. Novembris accepiſſe te ſcribis, binas aut fortaſſe plures a meo in urbem reditu ſeripſi, quas tibi redditas non fuiſſe miror ac plane doleo, niſi fortaſſe earum alterae, quas *Gudio* noſtro dederam, quo tutius ad te perferrentur, poſt datas ad me litteras ad te pervenerunt. In iis enim de tota hîc Romae re litteraria ac de nonnullis ad antiquitatis ſtudia pertinentibus, quo te delectari inprimis ſcio, ſatis luculenter ſcriptum erat. Verum ſi quid iis litteris amiſſis detrimenti paſſus es, curabo, ut aliis, quas ad te quamprimum daturus ſum, id ſatis ſuperque reſarciam. Mittam enim tibi diſſertationem quamdam meam, in qua occaſione explicandae cujuſdam inſcriptionis, in uno ex iis lateribus repertae, qui e ruinis veteris muri prope Pantheon reperti ſunt, nonnulla priſci aevi illuſtrantur, quae tibi placere poſſe ſperamus. Interea quod ad *Nardinii* librum attinet, id te ſcire oportet, authoris ipſum autographum jamdiu apud me eſſe, quem ego Pontifici de ejus editione cogitanti jamdiu obtuliſſem, niſi publica negotia ei impedimento fuiſſent, quo minus id genus curis animum adverteret. Scripſeram in hanc ſpem verſiculos aliquot, re ipſa argumentum praebente. Hos nunc ad te mitto nihil eſſe exiſtimans, quod amicos candidiores ac tui ſimiles latere debeat. Caeterum ipſe ſatis novi, quam parum e re mea agam, qui tibi homini maris tam emunctae, ac poëtae noſtrae aetatis celeberrimo, nugas iſtas meas offerre velim. Sed talia mecum reputantem id me impulit, ut eos qualeſcunque eſſent ad te mitterem; quod te inter Horatianae illius Satyrae amicos numerandum eſſe nunquam confui, neque is es, qui,

— — — in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aquila aut ſerpens Epidaurius.

Amici hîc noſtri *Gottifridus*, *Carolus Antonius a Puteo*, *Pollinus*, *Favorinus* optime valent. *Spanhemius* is, quocum de te jucundiſſime ſaepe loquor, totam minus hiemem futurum ſe Romae pollicetur. *Gudium* aut profectum jam Florentia, aut profectionem indies parantem a *Dato* noſtro audio, ante aliquot dies vehementer nephritide laboraſſe. Quantum vero ad rem litterariam, de Frontini editione vix eſt, quod expectes. Neque plus ſpei a *Morono*, quem ineditarum adhuc inſcriptionum volumen promittere tibi, jamdudum eſt, ſignificaveram. De iis enim apud Cardinalem *Barberinum* mirum ſilentium. De Nardiniana vero ſo conjicio, ut ipſam, neque adeo cito neque omnino non conficiendam eſſe cenſeam. Noſti Typographi Romani quam puſillo animo ſint, quamque in ſuſcipiendis haud ita magni ſumptus librorum editionibus moroſi, difficileſque ſint. Virorum illuſtrium Imagines, ſive e gemmis, ſive e numiſmatibus expreſſas praeter eas, quas *Fulvio Urſino* τῷ πάνυ debemus, Pictor

hîc

hic quidam, huic negotio ſatis aptus incidendas aere, edendaſque curat. Sed utinam me ab jucundiſſimo, quo fruor, otio bellum, in quod nos ac ſimul Italiam omnem conjici video, non avertat. Quod ſi contingat, nam aequae jam conditiones pacis in Gallia ſperni videntur, vides quam parum loci hujuſmodi rebus ſit. Verum haec θεῶν ἐν γόνασι κεῖται. Ac nos qui tandem caſus maneant, ſcito me in adverſis rebus nullum aeque ſolatium habiturum atque amicitiam tuam. Vale, ac ſi quid de rebus iſthic publicis quod ſcitu dignum ſit, quodque nuntiari commode poſſit, me certiorem feceris, multum eſt quod debebo humanitati tuae. Roma XV. Kalend. Februar. CIↃIↃCLXIII.

ROMA

AD ALEXANDRUM VII. PONT. MAX.

Cum ſe A Famiano Nardinio reſtitutam Ipſi ſupplex offerret.

Illa ego clara olim imperio, modo certa ſacrorum
Sedes, antiqua & pietate urbs proxima Coelo,
Illa decus quoque nunc orbis tua maxima Roma,
Quam leni imperio gaudentem, munere Divum,
MAXIME ALEXANDER *quatuor his jam regis annos,*
Te precor, haud unquam dubii per foedera moris,
Reddere quo mihi me properas, ſenioque labantem
Suſtentas, ne quae Victor NARDINIUS *devi*
Reſtituit noſtrae (lacrymis ſine talia fari
Vix poſſum infelix) veſtigia ſplendida ſortis,
Rurſum aevo patiare regi, condive tenebris.
Namque haec, quae doctis operoſa volumina chartis
Ipſe referta vides, ſculpendiſque aere figuris
Haec urbis monumenta tuae, mihi credere ſi fas,
Aequatas coelo moles, decora alta Quiritum,
Quidquid opes, quidquid luxus, vel victa Corinthus,
Grajugenumque artes quidquid potuere recondunt.
Seu per ſeptenos ſeſe flectentia colles
Moenia obire juvat, nitidas ſeu marmore thermas
Viſere, & aerio pendentes fornice rivos.
Tu, modo ſi fert haec animus cognoſſe, laborem
Nec tenuem, curaſque leves, Pater Alme, recuſa.
Aſpice, Romanum qua ſe inter culmina rupis
Edita Tarpeiae pandens, clivumque Palati
Amplum, illuſtre forum, populos, gentemque togatam,
Aeneadum ſobolem excipiebat. Curia ventum

Patribus hic, ubi ſubjectis nova jura Britannis,
Vindeliciſque dabant; Roſtra en male fauſta diſerto
Romulidum ante omnes, lacus en hic Curtius, arcus
En Fabii, en Janus medius, putealque Libonis.
Hinc ſe ſacra oculis offert via, certus ut illam
Invidioſa feri praecludunt atria Regis,
Vivida ſyderei quae fulgent aera Coloſſi,
Vicinique patet ſublime opus Amphitheatri?
Cernis, ut ad laevam Paci ſacrata beatae
Inſurgunt aſtris faſtigia, quaeque imitandae
Vix unquam, ſuperant monumenta uxoria taedae,
Et quae, nunc meminiſſe juvat, de nomine Templa
Dicta olim noſtro! nobis quoque condita Templa.
Parte ſed adverſa coelo, Capitolia celſa
Aſpice, ut attollunt ſeſe! illic vertice ſummo
Imminet arx centum gradibus ſubeunda, vireſcit
Fronde ſacra geminus prope lucus, colle ſub imo
Nunc quoque, quae antiquae molis pars magna, columnae
Stant quatuor, geminae fuerant delubra vetuſta
Fortunae: Imperii en opibus loca certa tuendis.
Saepe hic ſublimi tecto concordia Patres
In ſubitos belli caſus pacique coëgit.
Marmore conſpicuus Pario Tibereius arcus
Ultum hic teſtatur Varum, repetitaque ſigna,
Cui ſacra reſpondent canae penetralia Veſtae,
Aeternumque ignem, & Phrygios ſervantia Divos.
Quod ſi tantus amor tenet inſtaurare ruentem
Urbem, jam rerum Dominam, terriſque potitam,
Quid molem ſenio informem, ſi coetera confers,
Magnanimi Agrippae mens eſt decorare? columnas
Niliaco aut quorſum immanes de marmore rurſum
Tollere humo effoſſas? quorſum labentia buſta
Reſtituiſſe libet Ceſti? majora patent jam,
Queis mihi duleis bonos, ſi quae ſpes ulla, vetuſtae,
Auſpice te, longo redeat poſt tempore formae.
Haec modo, quae laeto monumenta inſignia Avorum
Romulidae vultu aſpiciant, ſqualentia dudum
Rudera, & indecores aevo potiente ruinas
Lucem noſſe dedit NARDINIUS: *area in orbem*
Tu qua utrinque licet ſe Vaticana coërcet,
Porticibus vaſtis, tanto & te Principe dignis
Aequaris ſolus priſcae decora inclyta Romae;
Tu tamen attonito defiges lumina vultu,

Quodque ſatis dixiſſe fuit, mirabere, celſa
Seu Capitolini luſtrabis Templa Tonantis,
Aurea tecta, aureos poſtes, fulgentia gemmis
Signa, Orientis opes, domiti ſpolia orbis opima,
Seu magis Auguſto celebrata Palatia luxu,
Trajanique forum, Magnique aurata theatra,
Septaque, ſeu geminos Circos, hortoſque Luculli
Conſpicies. Noſtris ergo, Pater optime, votis
Annue, NARDINI ſpectata volumina caecis,
Invida preſſit adhuc queis ſors, erepta latebris
Nomine freta tuo volitent aſtra uſque, Quiritum
Excepta ac merito plauſu, ſtudiiſque virûm per
Ora, per aſſiduaſque manus laudata ferantur.
Tunc demum, mihi quae facies dum ſceptra manerent
Terrarum, Oceano, & gelido metuenda Nyphati
Agnoſcent, quotquot Rhenum, Ligerimque, Ararimque
Et Betim, placidique bibentes flumina Scaldis,
Relliquias utcumque mei, celebreſque ruinas
Viſuri properant Urſae glacialis ab axe
Suſpicientque itèrum redivivam Saecula Romam.

De Vetere Famiani Nardinii Roma.

Marmoream Auguſtus fecit ſe principe Romam,
Quae tantum lateres Roma prius fuerat.
Reddidit antiquam Romam Nardinius, aevo
Collapſaeque urbis rudera reſtituit!
Confer utrumque: illum vincet tanto hic, minus urbem
Quanto ornaſſe eſt, quam reſtituiſſe decus.

EPISTOLA CCCCXXXIII.

NIC. HEINSIUS

Oct. Falconerio.

Romam.

ANxius atque aeger animi pendebam ſuper tua valitudine, de qua ut ſegnius ſentirem, ac male augurarer, ſilentio tam pertinaci fiebat. Annum quippe jam totum compellationibus tuis fraudabar, rerum Italicarum incertus, cum & caeteri illic terrarum amici tacerent interea, & *Bigotius* in Neuſtriam profectus Lutetia abeſſet, ſolitus alioquin frequentes de rebus veſtris nuntios ad me dare. Nunc quemadmodum laetor, & quidem maxime, demptam mihi eſſe hanc ſollicitudinem, ita doleo & indigne fero literarum jacturam, quas non unas te exaraſſe anno proxime elapſo teſtaris. Affirmabat quidem poſtremis ſuis *Gudius*, miſiſſe ſe non ita pridem epiſtolam a te mihi inſcriptam ad

Plumerum librarium Amſtelaedamenſem, ſed cum Plumerus ipſe jam pridem ad me perſcripſerit, nil ſibi multo tempore de Gudianis rebus eſſe auditum, ac ſimul obſecrarit, ſi quid reſciſſem, ejus ne ſeſe ignarum eſſe paterer, facile hinc colligi poteſt, periiſſe in via, aut perperam curatas eſſe literas; cum tamen tutus certuſque tabellariis veſtris in Belgium ſit excurſus. Opinor alias me monuiſſe, quod denuo nunc repetendum eſſe cenſeo, recte te impoſterum atque ordine facturum, ſi *Elzeviriis* bibliopolis Amſtelaedamenſibus inſcribas, quas ad me perferri voles, eaſque Mantuana via in Belgium ut mittendas cures. His veſtigiis cum inſtiterit hactenus amiciſſimus utrique noſtrum *Datus*, aut nullas aut raras admodum ex ſuis ad me perſcriptis deſideravit. Pollicitus quidem fuerat, fidemque dederat *Spanhemius* noſter, cum in procinctu ſtabat, ante hoc biennium Alpes tranſiturus, fore, ut literis frequentibus abſens me conveniret, ſed iſtas pollicitationes excuſſerunt illi, ni fallor, illecebrae coeli Italici & vitae aulicae continua aſſectatio. Neglectam ab illo fidem eo aequius fero, quod Sororem ſuam hîc terrarum degentem haud certiorem quam me rerum ſuarum jampridem facit. Invideo equidem illi felicitatem ſuam, qui in otio uberrimo, ita Italiae ſe affixit perluſtrandae atque excutiendae, ut amicorum quicquid Tranſalpinorum ſibi ante acquiſiverat, tam ſecurus poſſit contemnere. Mihi quanquam deeſt quod in bonum publicum agam, impetrari tamen a me non ſino, ut amicorum obliviſcar. Sive quod ſic a natura factus ſim, ut amicitias vita ipſa longe jucundiores eſſe ducam, ſive quod haec ſolitudo, quae me ab omni literario commercio quodammodo amovit, deſiderium in me excitat priſtinae voluptatis, quam ſane maximam ex conſuetudine praeſtantium ac tui ſimilium virorum percipiebam. Qua re fit, ut augurer res meas hoc anno ſic componi poſſe, ne Italiae tertium videndae ſpem pro conclamata haberem. Adſpiro enim unice ad privatam vitam: & in Muſarum cultu innocentiſſimo plurimum praeſidii collocavi, quo Italiae veſtrae genius, & inſtructiſſimae libris optimis bibliothecae, quarum magna illic terrarum eſt ubertas, aliud nunc agentem ultro invitant. Sed de tota hac re alius confabulandi locus, & fortaſſis oportunior, ſeſe aliquando dabit. Carmen, quo *Famiani Nardinii* Romam veterem exornaſti, mirifice mihi placuit. Ego typographum circumſpiciam, qui editionis curam in ſe ſuſcipiat. Intereſt enim rei literariae, ne antiquitas Romana hoc ſui ornamento noſtra ſupinitate fraudetur. Literas, ex iis, quas ad me dediſti, non unas periiſſe permoleſtum eſt. Nam ut omnes, quotquot a te mihi exhibentur, habeo gratiſſimas, ita praecipuo apud me ſunt in pretio, quae rerum Italicarum ſtatum enarrant, atque in ſtudiorum communium illuſtratione occupantur. Quapropter, ſi me amas, quod facere te ſum certus, perditarum deſiderium frequenti ſcriptione mihi ut lenias ſum auctor. Praeſertim ne oculis meis ſubtrahas ingenii tui foetus felices, ſi quos aut jam enixus es, aut porro emiteris. De inſcriptionibus antiquis *Moremum* ſpes noſtras tanto tempore fruſtrari indignor. Impelle quaeſo hominem, quantum potes, ne enecare nos pergat irrita expectatione operis longe utiliſſimi. Quamquam ingens periculum eſt, ne bello Gal-

Gallico, quod magna animorum contentione parari vobis dicitur, ingens detrimentum capiat res literaria. Spero in melius Deum optimum Max. hanc procellam tam atrocem conversurum esse. Imagines virorum Illustrium, quas *Fulvius Ursinus* ex variis antiquitatis monumentis collegit, ac publico conjunctas in unum volumen dedit, possideo ex duplici editione tam Romana, quam Antverpiensi: Possideo & illas, quas *Leonardus Augustinus* ante hoc quinquennium in lucem emisit, perlatas ad me munificentia *Caroli Antonii Patei*, viri longe humaniſſimi. Si quid hujus argumenti praeterea est proditurum, id uti ne me sinas ignorare quaeso. Tum quantum operae Typographicae jam promoverint in Inscriptionibus vetustis edendis. Stephanum Byzantium & Frontinum *Holstenii* e latebris proferri vehementer velim. De studiis meis copiose ago jam nunc cum amiciſſimo *Dato*, agerem & tecum, ni subvererer nimia loquacitate odiosus esse. Interim exillo intelliges, si quid sit quod cognitione tua non indignum fore arbitrabitur. Proximis diebus in hac aula e vivis excessit *Konings Marckius*, magni nominis imperator. Amiserunt Sueci spatio anni unius militiae utriusque Magistrum *Kaggium*, tum Marschallos uti vocant, exercituum tres, *Duglasium*, *Lilium*, *Konings-Marckium*. Quartus etiamnum supereſt *Stenbockius*, Scaniae provinciae praefectus. Amiserunt & *Bielckenstiernium* rei maritimae strenuum ducem & proximum a Thalassiarcha *Frangelio*. Amicos omnes jubeo plurimum salvere. Vale, vir eximie. Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXIII. VII. Mart. Gregor.

EPISTOLA CCCCXXXIV.

OCT. FALCONERIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

NON oblivione sane amicitiae nostrae factum est, mi Heinsi, ut tres ferme integros abhinc menses nihil ad te litterarum dederim. Ex quo enim x. Kalend. Septembr. Allobroges esse desiimus, ipse tibi facile persuadeas nullam mihi scribendi ad te occasionem oblatam esse, nihilque plane otii adhuc usque e longinquo itinere redeunti fuisse ab iis, quae aulicorum natio officia atque amoris declarationes, ego meras nugas, & maximum societatis humanae incommodum appello. Tu vero pro tua in me humanitate si quid mihi negligentius actum est, quam mea erga te observantia atque amor singularis postulabat, boni & aequi consulas velim. Erimus certe posthac in te colendo diligentiores, neque te patiemur tam diu sine litteris nostris esse. *Schefferus* vester, quantum Florentiae ab *Dato* nostro audii, Urbicii atque Arriani tacticorum editionem jam aggressus est. Rogo te, si me amas, ut me quam citiſſime de tota hac re certiorem facias. Mea enim interest id utrumne verum sit scire, qui, ut alias ad te scripsi, ni fallor, Arriani Tactica una cum Leonis Imperatoris Problematibus militaribus, atque Anonymi de Arte Rhetorica, quatenus ad rem militarem spectat, commentarios edere meditabar. Quod si Ar-

Arriano meliore quidem fato ſub Cl. *Schefferi* auſpiciis in litterariam lucem prodire contingat, prope eſt ut ab evulgandis, de quibus modo ajebam, opuſculis plane deterrear. Verum de his fortaſſe pluribus ad te alias ſcribam, teque, quem plurimi ſemper faciam, ſuper tota hac re conſulam. Petronianum fragmentum, ante multos abhinc dies Patavii edi coeptum, propediem expectamus. Atque ego quidem incredibili cupiditate vellem utique, ut ipſius exemplum ad te mittendi quamprimum occaſio daretur. Non dubito enim, quin ipſe quoque vehementiſſimo ejus legendi deſiderio flagres. Quae de re litteraria te ſcire oporteat haec habeo. Edita nuper ex *Holſtenii* ſchedis opuſcula quaedam ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam pertinentia, nempe Acta S. Felicitatis & Perpetuae, atque Faſtidii cujuſdam Epiſcopi nonnulla, quae adhuc D. Auguſtino tribuebantur. His accedunt locupletes ipſius *Holſtenii* ad Martyrologium notae, quas ex antiquiſſimo ejus codice, qui penes Reginam eſt, olim deprompſerat. De Frontino ac Stephano nihil. Scholiaſtes quoſdam Graecos in Euangelium D. Marci nunquam antea editos brevi publici juris faciet *Petrus Poſſinus* e ſocietate Jeſu is, cui Annae Comnenae Hiſtoriam, ac Nicephori Bryennii commentarios debemus. Ejuſdem opera fruemur quamprimum Georgii Pachymeris Hiſtoria, quam a *Petavio* olim editam ipſe ab innumeris mendis repurgavit, ac locos antea inextricabiles illuſtravit. *Allatius* in confutanda hiſtoria Concilii Florentini a *Crygthonio* edita totus eſt, ac prima quidem pars ejus operis quam primum ſub praelo erit. Diſſertationem ſuam de Numiſmatum uſu atque utilitate brevi pollicetur *Spanhemius* noſter, quem concivem jam jam appellare licet. *Carolus Antonius de Puteo* optime valet. Tibi, niſi longiores ad me miſeris, harum prolixitatem minus placuiſſe exiſtimabo. Vale, Roma XIV. Kalend. Decemb. CIↃIↃCLXIII.

EPISTOLA CCCCXXXV.

NIC. HEINSIUS

Oct. Falconerio.

Romam.

FRaudatus multo tempore ſuaviſſimis alimentis tuae compellationis, quippe poſt illas, quas a. d. XV. Kalendas Februarias hujus anni exararas, nil de te nobis intellectum erat, niſi quod illuſtriſſimo *Raſponio* in comitatum legationis & itineris adſcitum te rumor publicus ferebat, fraudatus, inquam, ea voluptate, quam ſane ex alloquiis tuis capio incredibilem, poſt longas irritae exſpectationis ambages, ecce nunc tandem accipio illas, quas Romam redux a. d. XIV. Kalend. Decembris ad me miſiſti. Nam eas, quas ultimae tuae penultimaeque meminerunt, nullus vidi, quam jacturam, uti debeo, fero aegerrime mehercules; vide igitur ſodes, quorum fidei eas ad me perferendas commiſeris. Nam Roma in noſtrum Belgium literis ſolebat iter eſſe tutiſſimum, praeſertim ſi quae Amſtelaedamum mitterentur, quo tabellarii ex diverſis orbis terrarum partibus, ut noſcis, ob frequentiam & celebritatem commerciorum, tam-

tamquam ad commune Europae universae emporium, assidui contendunt. *Elzeviriis* autem *Ludovico* & *Danieli* bibliopolis ea in civitate fixam habentibus sedem, ac mihi perquam familiaribus, inscribi ac concredi posse, quicquid ad me perlatum velles, non nunc primum, si prope recordor, a me moneris. Tu quoque vicissim si non gravaberis significare, cui viae sit insistendum, ut meae imposterum celeriter tutoque in manus tuas perveniant, confido fore, ut omnis imposterum querela de perditis aut perperam curatis epistolis cesset utrimque & amoveatur. Illud praecipue te rogare volo, ut, si quid illis, quae periere in via, rerum novarum complexus es, quod non ignorari mea interesset, ad me iterare de novo, ac verbis vel tribus palam facere molestum non ducas. Holsteniana opuscula nonnulla in lucem tandem prodiisse jucundissimum intellectu fuit. Vitam beatae Felicitatis ac Perpetuae apud illum videram jam olim ante hoc decennium typis descriptam, idque egregium antiquitatis monumentum maxime sum veneratus. Infelicem me, qui illic terrarum nunc aetatem agam, quo aut numquam aut sero perfertur, si quid rei eximiae luce publica apud vos donatur. Stephanum Byzantium & Frontinum ut editos quoque intelligamus auguror curae tibi fore, nam nisi tu hoc agis, neminem acturum esse praevideo. Petronianum Fragmentum si paucarum pagellarum est, & a reliquo Satyrici libelli opere seorsum editum, per tabellarios non inopportune ad me deferri potest: idque ut ad curam tuam digneris revocare, te obsecro atque obtestor. Quamquam melius in commune consulturi sunt, qui fragmentum id edendum suscepere, si omnia illius exemplaris simul depromunt. Non enim dubium mihi est multa illic emendate integreque exstare, quae in vulgatis codicibus mendosa nunc circumferuntur. Sed tu de his videris. De Urbicii sive potius Mauritii Tacticis sic res se habet, uti ex *Dato* nostro intellexisse te scribis. Commisit ea jam praelo *Schefferus*, & majori operae ex parte jam librum descripsere: accedent iis & Arriani Tactica, cujus exemplar admodum mendosum in manibus sibi esse idem *Schefferus* jam non semel apud me est conquestus. Tu si in codicem nonnihil castigatiorem incidisti, est quod tibi gratulemur, mi Falconeri. Quapropter causae nihil est, cur a proposito desistas. Certus enim sum in instructissimis Italiae vestrae bibliothecis complura hujus latere argumenti, quae *Schefferus* nec vidit umquam, nec visurus est fortasse, nisi tuo beneficio. Leonis Tactica cum optimo exemplari & vulgatis codicibus auctiore collata possidebam olim, unde Meursiana ejus operis editio & correctis locis propemodum infinitis & luculenta accessione ornari posset, quem librum Reginae a me donatum ante annos hos duodecim & plures, postea apud *Isaacum Vossium* vidi, ubi eundem etiamnum asservari vix dubito: nam alteri exemplari manu exarato, quod haec ipsa Regina eodem tempore a me donum tulit, quid sit factum, vix est, ut pro re certa & explorata possim adfirmare. Significavit etiam, ni fallor, *Bigotius* noster ex pervetusto codice complura in iisdem Leonis Tacticis se meliora atque auctiora reddidisse, qui, ut est vir ad humanitatem omnem & ad demerendos amicos unice factus, horum nihil tibi invidebit, si in-

telliget inſtituto tuo operam ſuam hîc poſſe utilem eſſe. Idem *Schefferus* poſt publico datos in Phaedri Fabellas commentarios nunc in ſuo de Italica Pythagoreorum Philoſophia volumine typis deſcribendo occupatur. *Brunnerus*, qui *Schefferi* apud Ubſalienſes eſt collega, atque illic Graecas profitetur literas, Palaephato in lucem prolato, nunc Thomae Magiſtri dictionum Atticarum Syllogen adornat, cui Moeris Atticiſta aliique hactenus mediti, qui dialectum Atticam illuſtravere, fortaſſis accedent. *Gronovius* Lugduni Batavorum Livium & Plautum a ſe recenſitos praelo jam ſubjecit. *Iſaacus Voſſius* adverſariis ſuis ſuper argumento Philoſophico partim de Luce, partim de aetate mundi Chronologica non unum nuper libellum apologeticum repoſuit, ipſe poſtea in Angliam eſt profectus, in procinctu certe illum ſtare poſtremae, quas e Belgio accepi, literae nunciabant. *Graevius* Heſiodum & Polyeni ſtrategemata parabat. *Gudius* ad noſtros redux quid moliatur, aut quid Galli, nihil nunciandum ſuccurrit, niſi operum Origenis editionem Graeco-Latinam ab *Huetio* Cadomi adornari. Sed de rebus Gallicis tu melius certiuſque me omnia noviſti: ut de me hoc addam Caſtigationes Virgilianas jam propemodum abſolvi. Uſui praecipuo Mediceus codex fuit omnium, quotquot per Europam inveniri poſſint, ni fallor, veterrimus, quamquam duo treſve aſſervantur in Vaticanis ſcriniis litera majore Romana quoque exarati, & Mediceo non multum recentiores, quibus uſum me non eſſe, cum facultas dabatur, doleo nunc equidem, & indignor. Ex ſua bibliotheca auxilii nonnihil Regina juſſerat ſperare, cujus impulſu potiſſimum hanc ſpartam ſuſcepi adornandam. Sed cum neminem in comitatu familiaque jam habeat literarum gnarum, non video, quid opis illinc polliceri ſtudiis meis poſſim. Eminentiſſimo *Barberino* cum oportunum erit, ut obſequia mea ſiſtas, enixe te rogo. Tum ut ſalutes equitem *Puteanum*, cujus benignitati plurimum debere me haud neſcis, ac *Leonem Allatium*, & ſi quos praeterea mei ſtudioſos in urbe cognoviſti. Adderem his & *Spanhemium*, niſi illum mei eſſe oblitum opinarer. Quo magis mirum mihi eſt viſum, quod narras de re nummaria illuſtranda cogitare illum, quem literas aeque ac amicos negligere atque inſuper habere arbitrabar. Coepi tamen parcius illi ſuccenſere ob contumaciſſimum ſilentium, poſtquam ex Sorore ejus cognovi, communem mihi cum illa eſſe hanc querelam, ſeque toto jam biennio nullam a Fratre epiſtolam accepiſſe. Vale, ſuaviſſime & nobiliſſime Falconeri, cum Senatus Regius ob ſolemnia feſti inſtantis ferias ac receſſum paret, ſolito ſum nunc occupatior. Haec cauſa eſt feſtinatae ſcriptionis, quam tu pro caetera comitate tua in bonam partem interpreteris velim. Iterum vale. Holmiae Anno CIↃIↃCLXIII. a. d. XXIII. Decembris.

EPI-

EPISTOLA CCCCXXXVI.

OCT. FALCONERIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

COmmodum redditae mihi ſunt literae tuae a. d. XXIII. Decemb. datae. Nam cum ex eo, quod ipſe non ſemel mihi affirmaveras, nullus mihi dubitandi locus ſupereſſet, quin poſteriores noſtras accepiſſes, quas *Elzeviriis* ad te perferendas miſeramus, vehemens ſuſpicio inciderat, ne de valetudine tua ita eſſet, ut nos profecto cupiebamus, quae me ſane ſollicitudo plurimum torquere coeperat. Ego vero miror ſummopere illas meas, quas tibi in Gallia Sabaudiaque ſcripſeram, minime ad te perveniſſe. Utraſque certe *Holmio* veſtro Lutetiam miſeram, quo tutior iis in Bataviam, atque iſthinc per *Elzevirios* in Sueciam ad te curſus foret. Caeterum ſi quid in illis erat quod te ſcire oporteret, aut jam ex iis, quas te accepiſſe ſcribis, ſuppletum eſt, aut his demum ſupplebitur. Neque ſane alia deinceps via ad inſtitutum litterarum commercium opus erit, cum nulla adhuc felicius ſucceſſerit, quam ea, qua nuper te monente uſus ſum. Quapropter, ut ipſorum etiam *Elzevirierum* fidei eas, quas ad me in poſterum ſcripturus es, committas, enixe ſuadeo, quibus & ipſe cum literas, tum ſi quid aliud ad te ex Italia noſtra perferendum erit, omnino mittam. Nam a te nunc mecum praeclare agi, ac pro amicitia noſtra exiſtimabo, cum ea libertate, qua amicos decet, omnia, quae hinc tibi opus fuerint aut in re libraria aut alibi a me tibi comparari juſſeris. Atque ex iis ſane libris, qui hic ante biennium in lucem prodierunt, ipſe ultro tibi miſiſſem, ſi quos eruditi hominis, ut tu inprimis es, bibliotheca dignos agnoviſſem. Nam quae ex *Holſtenii* ſchedis hactenus edita ſunt, non ea mihi videbantur, quae tibi in remota adeo Europae parte degenti tam magno itinere mitti operae pretium eſſet. Haud ita vero ſtatuo de Petronii fragmento, quod ubi primum ad nos afferetur, deberet autem quotidie, ſi vera Patavini amici nuntiant, per Tabellarium ad te mittam, ut de illo germanumne ſit, an ſpurium ipſe harum rerum peritus aeſtimator ſententiam feras. Illud interea ſcias, editionem iſtam Patavinam nihil aliud continere, quam quae nuſquam antea prodierant, neque alia multa eſſe in ejus autographo, quibus Petronius emendari aut lacunae ſupleri poſſint. Doctiſſimi *Schefferi* opera tacticorum facile principem publici juris fieri vehementer gaudeo; verum haud ſatis miror ipſum provinciam iſtam ſuſcepiſſe inconſulto Mediceo illo codice celeberrimo, in quo cum Urbicius, tum Arrianus aliique rei Tacticae ſcriptores plurimi continentur mutili ſane, atque ut alibi aevi vitio laborantes, ſed a quibus tamen facilius fortaſſe, quam ex quibuſvis aliis, codicibus auctores alioquin mendoſiſſimi reſtitui poſſint. Ac de Urbicio quidem, ſi bene memini, *Holſtenius* in accuratiſſimo indice ſelectorum Mediceorum codicum a ſe confecto animadvertit, eum, qui Mediceum ac Regium habuerit, integrum Urbi-

cium haud ita magno negotio litteratis sistere posse. Arrianum haud mihi per tempus licuit serio ad examen revocare, cum quicquid otii a domesticis negotiis supereſſet, quamdiu Florentiae ante triennium commoratus sum, id omne in describendis Leonis Imperatoris problematis militaribus, atque Anonymi de arte Rhetorica militari commentariis insumpserim, quorum versioni, ac subinde editioni concinnandae incumbam, nisi me, ut proximis fere annis, dura itineris alicujus necessitas ab opere avellat. Vaticano Codice si in Virgilianis curis, quibus modo occupari te narras, aliquid opis afferri tibi posse judicas, non est, cur illum a te praeteritum magnopere doleas, modo locos, in quibus haesitas, ad me mittas cum ipso Vaticano conferendos. Id mihi cum gratissimum erit, tum autem facillimum ob eam, qua utor, familiaritatem cum *Stephano Gradio* viro Eruditissimo, ac Vaticanae Bibliothecae custode, ut appellant. *Spanhemius* noster hac ipsa die dissertationem suam de Numismatis veterum praelo consignare coepit, qua denique fiet, ut nisi antea te litteris compellaverit, quod mihi querelas tuas significanti facturum se nudius tertius pollicebatur, silentium suum diutinum sane, ac contumax occasione sumta tandem perrumpat. Illustrium imagines ad CL. e gemmis, ac numismatibus depromptas, ac nondum Antiquitatis studiosis publice visas, jam excusas apud se habet Pictor quidam Romanus harum rerum curiosus. Sed vereor ne in commentariis adornandis, quod arduum homini licet historiae veteris haud ignaro negotium futurum est, diutius haereat, quam eruditorum curiositati explendae par esset. Cardinalis *Barberinus* mirifice erga te affectus est, tibique me quodcunque a se proficisci poterit, serio jussit polliceri. Equitem *Puteanum* atque *Allatium* a me tuo nomine salutatos scias, atque utrumque eo animo erga te esse, quo ipse maxime velis. Tu quamdiu apud Suecos futurus sis fac, ut cum primum se occasio dederit, ad me scribas, nam praeterquam quod de discessu tuo nonnihil ab amicis audio, atque ab ipso ni fallor *Spanhemio*, multum mea interesse arbitror scire Holmiaene Suecorum an Hagae Comitis degas. Id sane omnium mihi optatissimum est, ut in loca te digniora atque amicitiae nostrae excolendae magis opportuna quamprimum redeas. Vale, vir Clar. & te a me quam maxime amari observarique tibi persuadeas. Roma Kalend. Mart. CIↃIↃCLXIV.

EPISTOLA CCCCXXXVII.

OCT. FALCONERIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

QUod nullas ante duos abhinc menses a me litteras acceperis omnia fuisse in causa praeter oblivionem tui persuadeas tibi velim V. Clar. Erubesco equidem in omnibus fere, quotquot ad te damus, literis ab excusatione initium mihi sumendum esse, sed ea si homini amicissimo quicquam credis, per id tempus nostra conditio fuit, ut nullus mihi plane de his rebus cogitandi locus

Digitized by Google

cus relictus sit. Ceterum bene est, quod *Flavium Chisium* Cardinalem, cum potestate Legati a latere proficiscentem, sequi minime jussus sum. Nunc enim otio tandem nostro reddi licebit, ni, contra quam sperare interea occurrit, ab eo iterum iisdem occupationibus evocemur. Ego vero dolui aliquamdiu, partes meas a *Dato* nostro occupatas in mittendo ad te Petroniano; ut vulgo credebatur, fragmento, verum, ut illud legendi facultas facta est, quod nudius tertius tantum contigit, minus poenitere coepit, quod in donando tibi, ut nonnullorum opinio erat, puro puroque auro, sed, ut res est, scrutis quisquiliisque minus diligens accumtusque fuerim. Quam vero notam apud eruditos is liber mereatur, tute judicabis. Ego certe nunquam adducar, ut Petronio elegantiarum Arbitro stribligines, barbariemque infelicis alicujus imitatoris tribuam. Neque quisquam erit opinor, qui Pseudo Petronii hujus stilum tantum a Petroniano distare non intelligat, quam quod maxime. Ita plane insulsum, inficetum, illiteratum ubique elocutionis genus, sententiae e pistrino gurgustioque productae; quaeve, ut *Ferrarius* noster ad me belle scripsit, Neronianas Thermas refrigerent, ut Idiotismos non paucos, adagiaque ac modos loquendi Italicae linguae peculiares omittam, e quibus commentitium istum Petronium explodere, fraudemque deprehendere manifesto licet; In qua quidem re eum, qui typographi partes gerit, adeo confidenter agere perquam inique fero, qui ut privato lucro consuleret vel cum aliena jactura, nescio quam explorata eruditorum hujus urbis de Petronio illo suo sententia liquido pronuntiare non dubitavit, id fragmentum doctissimi cujusque in urbe censurae subjectum opinionem sui, quam e Dalmatia Venetiisque ac Patavio attulerat, facile retinuisse. Mihi vero compertum est eos, qui his nominis hujus honorem merentur, tam fragmentum illud Petronii germanum existimare, quam Berosi monumenta, quae circumferuntur, qui criticae artis vel leviter curiosi sunt. Namque ex iis unus, quicum vetus mihi necessitudo intercedit, cujusque fidei judicioque plurimum tribuo, id mihi perfancte affirmavit, sibi ab eo, qui apographum possidebat, vix unam aut alteram ejus paginam semel lectam, nam ut amplius legeret amici cujusdam interventu minime licuisse. Se, quoniam ille *Jo. Rhodii*, viri sane docti, sed ante quinquennium extincti auctoritate uteretur, non sane quod in rem judicatam transiturum arbitraretur, sed, ut fit, occasione sermonis, neve amici hebetes oculos, crassumque palatum statim explodere videretur, id sibi ἦχον ὀδόντων effugere passum esse, si ita ferret libido, fragmentum illud publici juris faceret, quidque de eo sentiendum esse Eruditis integrum relinqueret. Quae prolixius ideo tecum egi, ut cum ipse scias, tum vero alios, quotquot isthic hisce literis delectantur, certiores facias non adeo obtusa esse Romanorum hominum ingenia, ut vappam pro Falerno, lutum pro auro venditari sibi patiantur. De *Nardinii* libro nescio an alias scripserim, me tandem cum Bibliopola hic transegisse ut typis edatur. Id vero in praesentia addam, illum opinione citius sub praelo futurum. Nam ante Kalend. Aug. se operi vacaturum Typographus pollicetur. *Holstenii* observationes in Geographiam Ecclesiasticam

Monachi cujuſdam ex iis, quos Gallice *les Feuillants* appellant, brevi prodibit in lucem, quibus ſubinde Concilia Africana ejuſdem opera concinnata, notiſque illuſtrata accedent: *Spanhemii* noſtri liber jam eſt ad umbilicum productus, ac propediem publici juris erit. De Stephano ſilent omnia. Tu ſi me amas, quid apud vos in litteris agatur ſcribere, ne graveris, diu eſt enim, cum nihil a te litterarum accepi. Ante omnia nos, ut facis, amare perge, ac plurimum vale. Roma 3. Kalend. Jun. CIↃIↃCLXIV.

EPISTOLA CCCCXXXVIII.

NIC. HEINSIUS

Oct. Falconerio.

Romam.

QUas tu Kalendis Martiis ad me dediſti, eae perlatae quidem in manus ſunt, ſed ſerius, quam deſiderium earum, quo tenebar ſane flagrantiſſimo, videbatur pati, credo dum exſpectabatur, ut Petroniano fragmento operae typographicae edendo defungantur, Florentiae eas aliquantum temporis ſubſtitiſſe. Compenſarunt tamen moram odioſiſſimam inſigni munificentia lautitiaque, opiparo Trimalchionis convivio, recreante ſtomachum latrantem & eſuritione quodammodo enectum: ſententiam de ipſo fragmento meam hac occaſione non inviderem tibi, ſi perlegiſſem omnia ea animi attentione, qua judicem decebat. At vero cum vix ſemel lectione tumultuaria feſtinataque percurſum Ubſalienſes amici, atque in his *Schefferus* noſter facile princeps, abſtulerint a me, atque involarint, premo etiamnum ſententiam, ne temere quid aut incogitanter videar pronunciaſſe. Nec poſſum diſſimulare tamen incidiſſe me in complura, quae vetuſtatis reconditae venerem genuinam redolebant. Fuiſſe quidem ſuſpecta non pauciora & legentem offendiſſe, ſed quae librariorum incuriae accepta referri queant. Tibi interim, mi Falconeri, & noſtro *Dato* debitorem valde obaeratum me profiteor, quorum officio ac ſedulitate ſit factum, ne genius meus tam exquiſitis deliciis, & quales unice ad guſtum mihi faciunt, defraudetur: pari munificentia certare vobiſcum vehementer velim: ſed & curta oppido elegantiarum ſupellex mihi eſt in ſcriniis, & illic terrarum aetatem ago, unde nil ad rem Romanam redundavit umquam, praeter ſtragem praeſentiſſimam & ingens detrimentum. Nec deſunt tamen hac tempeſtate, qui veterem gentis infamiam abolere contendant, prolatis in medium, quae antiquitati tam Graecae quam Latinae illuſtrandae ornandaeque haud parum conducunt. *Schefferus* certe hoc anno Mauricii & Arriani Tactica, partem potiſſimam typis jam expreſſa, publico eſt daturus. Nam ſupremam manum jam nunc librarius impoſuit ejus de Italica Pythagoreorum Philoſophia commentario. Mox ſubſequentur ejuſdem lucubrationes de Re navali veterum curis ſecundis plurimum adauctae. *Binnerus* totus eſt in adornando Thomae Magiſtri vocabulario Attico, cui Moerin Atticiſtam ſubjunget hactenus inditum: de me polliceri nil equidem poſſum:

Fer-

Fervet tamen ſub praelo typographico jam pridem Claudianus meus, & niſi fallor ad finem feſtinat. Novam poëmatum editionem flagitare bibliopolae a me non deſinunt, quibus fortaſſe mos erit gerendus. Quod ſi fit, inter amicorum primos tuum iſti libello nomen inferetur. De Virgilio, Valerio Flacco, Silio Italico cogitare me non ſinunt occupationes publicae ſolito nunc denſiores, quanquam ſcriptores illos animadverſionibus tantum non praelo jam paratos illuſtravi, ſed venient tranquilliora tempora, ut ſpes eſt. Auguratus eram pedem a me ex ſeptentrione movendum fore ante Caniculae exortum, qua de re etiam per litteras egeram cum Sereniſſimo Electore Palatino, a quo reſcire rem *Spanhemius* potuit, ſed juſſus ſum diſceſſum differre in annum proximum ab his, a quorum nutu nunc pendeo. Tuarum interim litterarum frequentia nil jucundius, nil optabilius, Octavi ſuaviſſime, continget. Eaſdem Mantuana via ſi Amſtelaedamum ad *Elzevirios* bibliopolas recte miſeris, uti ab Equite *Puteano* olim factum eſt, ac etiamnum a *Dato* noſtro confieri ſolet, ſpondeo fore, ne oleum operamque perdas. *Holmius* iſte qui ſit, per quem tuae tam negligenter ſunt curatae, haud ſcio. Id ſcio, ſi *Elzeviriis* fuiſſent traditae aut ab illo, aut a tabellario quocunque, nunc eas nequaquam a me deſiderandas fore, quarum equidem jacturam indigniſſime, ut par eſt, fero. Mauricii, ſive is Urbicius eſt, Tactica ex Mediceis, ni fallor, membranis deprompta ſtudio *Holſtenii & μακαρίτου Sebefferus* a Sereniſſima Suecorum Regina eſt nactus. Arrianum a *Bigotio* noſtro habuit, uti & Baſilii Naumachica, quae commentario de Re veterum Nautica eſt additurus. Tu quae ex pulvere bibliothecarum corraſiſti jampridem, bono publico invidere, quaeſo, diutius noli. Atque utinam ſit ex veſtratibus, qui Hori Etymologicum, quod Urbino in Vaticanam eſt tranſlatum, in commune aliquando ſiſtat; dubium enim non eſt, quin multa nobis ignota illic tradantur, quae publicari rei litterariae intereſt. Tu ſi provinciam hanc detrectas, *Allatium*, *Poſſinum* alios quoſcunque impellas atque adhorteris velim, ne publicae utilitati hîc deſint. Sed inſcriptiones illas *Caroli Moroni* Romanas quando tandem videbimus? Nihilne preces orbis litterati ardentiſſimae, nil imperium mandatumque eminentiſſimi *Barberini* apud illum poſſunt, ut veterno excuſſo, ac amota procraſtinatione omni ſeſe tandem contentione accingat huic labori, unde certam nominis immortalitatem, mutuetur, ac univerſum litterarum nomen egregie demereatur? Sin ceſſare & cunctari pergit, ut hactenus, ingens neglecti officii invidia apud poſteros illum manet, qui praeſentiſſimam oportunitatem in commune conſulendi inſuper habuerit, ac perire paſſus ſit. De Virgilio agetur a me alias. Habeo interim acceptum, quam ſperare me jubes, operam tuam. *Spanhemius* pergit, quantum video, ſui eſſe ſimilis, nam nec ſcribit ipſe, nec quo res ſuae ſint loco per alios ſignificari curat. Sunt tamen, qui adfirment mandatis publicis inſtructum brevi huc venturum. Id ſi vere aſſeveratur, complexu ejus frui nobis licebit. Proxime Plautum *Gronovii* ex Belgio accepi. Livium ejuſdem vix hoc anno videbimus. Cujus partem tertiam reſtare edendam, prioribus duabus jam confectis, *Elzevirius* monet. Equidem *Carolum Antonium Puteanum*, *Allatium*, *Poſſinum*, &c.

& ſi quid praeterea hominum apud vos eſt mei ſtudioſorum, jubeo ſalvere. Cum occaſio feret, Eminentiſſimum quoque Principem *Franciſcum Barberinum* de obſequiis meis ac cultu conſtantiſſimo certiorem uti facias enixe rogo. Vale, vir Eximie. Exarabam Holmiae Suecorum Anno CIↃIↃCLXIV. a. d. xx. Junii Gregor.

EPISTOLA CCCCXXXIX.

OCT. FALCONERIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

ACcepi nudius octavus a *Dato* noſtro litteras tuas a. d. xx. Jun. datas, quod mihi ſane peropportune accidit, nam cum jam, ex quo poſtremum ad te ſcripſeram menſes ferme quatuor eſſent elapſi, nihilque abs te litterarum ad nos perveniſſet, dubitare coeperam, ne eodem fato, quo aliae nonnunquam, eae ipſae periiſſent, quas tamen, ut ipſe monueras, ad *Elzevirios* per Mantuanum Tabellarium perferendas curaveram, quo tutius tibi redderentur. Nunc vero quando id proſpere ſucceſſit, atque expeditior deinceps, ut ſpero erit curſus litterarum noſtrarum, efficiam ſedulo ut obſervantiae erga te meae luculenta teſtimonia frequentius accipias. De Petronii fragmento, quae prima pars eſt litterarum tuarum, haud praeter expectationem accidit judicium tuum. Quamvis enim in iis, quae proxime ad te ſcripſi, in quibus id egi, ut aliorum potius opinioni obſequerer, quam meam proferrem, nihil tutius perſuadere mihi videar, quam illud Petronio eſſe tribuendum, non is ſum, qui praejudicium utcunque meum (nam vix ipſum percurrendi otium habueram, cum ad te ſcripſi) vel reclamante veritate mordicus tuendum mihi eſſe cenſeam. Ac tum ſane, qui cum ex jam pridem diſſeminatis rumoribus, tum vero ex literis Patavinorum amicorum adverſam de Petroniano iſto fragmento opinionem animo inbibiſſem, illud ita affectus legi, ut iis percenſendis, quae Petronianae notae non videbantur, ſedulo haererem. ea vero, quae ut tu recte mones, atque ipſe poſtmodum obſervavi, vetuſtatis reconditae venerem ingenuam redolent, incurioſius negligerem. Neque tamen id facile aſſentiar ejus generis eſſe complura, quae in eo deprehendi, ut librariorum παραδείγματα cenſeri debeant. In multis quippe locis non una, aut altera vox corrupta, aut e margine ingeſta, quod ſane amanuenſibus vitio verti poſſit, ſed cum locutionis genus, tum ipſa ſententia, ac inceſſus is eſt, qui a Petroniano ſtylo tantum diſtet, quam quod maxime. Ego vero de illo ſic demum ſtatuo, quicquid in eo continetur, non ejuſdem farinae eſſe, atque in eadem officina cuſum. Aliter catulos olere, aliter ſues. Nam quis aut Petronio ipſi, aut ei, qui tanto ſucceſſu ipſum ſit imitatus, quanto eum oportet, qui, quae tute elegantiſſima ac plane Petroniana obſervaſti, conſcribere potis fuerit, longe adeo diverſa excidiſſe in animum inducat, adeoque ab iis omni ex parte diſformia. Ineſſe multa igitur arbitror, quae, ut tulit antea ſemper Petronianorum

norum ſcriptorum fortuna, ſparſim interpolateque e diverſis codicibus tradu&ta ſint, e quorum aliquo Tragurienſe iſtud recentius apographum extet. Iis intermixta non pauciora, quae ab infelici quopiam litteratore infarta ſint ad fucum ſui ſimilibus faciendum, aut librarii incuria irrepſerint, qui, ut ſaepe factum conſtat, omnia, quae ad idem argumentum facere videntur, ſive illa ejuſdem ſcriptoris ſint, ſive alterius, quaſi per ſatiram, non ſine litterarum detrimento, promiſcue deſcribunt. Quod ſi ὑποβολιμαῖον aliquid in eo deprehendere manifeſto lubet, confer modo, quae hîc de decantato illo apud tot Authores vitri flexilis invento narrantur, cum iis, quae de eadem re habentur apud Iſidorum, ſtatimque agnoſces noſtrum hunc ita ab illo ipſo mutuatum, ut diſſimulandae fraudi pauca admodum, eaque in deterius mutaverit. Ceterum quod *Rhodium* attinet, cujus auctoritate ac teſtimonio Typographus Patavinus plurimum creſcere videtur, compertum mihi eſt, haud ita pridem virum eruditum, *Rhodii* xxx. annorum ſpatio contubernalem atque intimum, apud communem amicum conqueſtum viri doctiſſimi manes iniquo mendacio ſollicitari, cui nunquam viſum hoc fragmentum conceptiſſimis verbis jurare paratus ſit. Illum accepiſſe tantum a quodam Dalmata, id neſcio quid Tragurii repertum, cumque id *Scioppio* communicaſſet, retuliſſe eum, ſe de eadem re cum Romae eſſet, aliquid audiviſſe, verum arbitrari eſſe id alicujus Aſcetae foetum infelicem, natum in culina ad laevam manum. ἡ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. Nam vobis, penes quos ſtant regni Critici jura, maſſam iſtam excoquere curae erit, atque aurum a ſcoria ſeponere, jamque ut audio Amſtelodami nova Petronii editio cum mantiſſa hac Tragurienſi, atque eruditorum virorum in eam animadverſionibus adornatur. Quae iſthic a V. V. Cl. Cl. *Scheffero Brunneroque* in emolumentum rei litterariae parari nuncias, praeclara ſunt, quaeque ab omnibus, quotquot hoc genere ſtudiorum delectantur, ſummo cum plauſu excipiantur. Mihi certe Mauricii atque Arriani tactica ſalivam jam nunc movent. Claudianum tuum vehementer expecto, cui tantum curis tuis acceſſurum confido, ut nulli amplius ad ſpicilegium locus relinquatur, ac ne me gloriolae ejus parum cupidum putes, quam vel ſummos viros immortalitatem per ſe ſatis adeptos ultro affectaſſe conſtat, ſcito torqueri me expectatione novae, quam polliceris, poëmatum tuorum editionis, quorum ope diuturnam apud poſteros noſtri memoriam ſerio jam augurari licet. Quod ſuades ut Hori Etymologicum ex Urbinate bibliotheca vulgare aggrediar, in eo amoris erga me tui vim agnoſco, qui me ei ſpartae ornandae parem arbitraris, quae viros longe doctiores, longeque alio eruditionis ingeniique cenſu inſtructos poſtularet: Ego vero jam antea animadverteram, quantum Graecis litteris eſſet acceſſurum, ſi Orionis Grammatici Etymologiae aliaque id genus, quorum mentionem fieri apud *Geſnerum* ex Phavorino videbam, in lucem aliquando prodiiſſent. Nam quin Horus is, quem tu in Urbinate Bibliotheca latere exiſtimas, idem ſit cum Orione Alexandrino Phavorini ac Thebano Suidae dubitare vix auſim. Neque parum conjecturam meam juvant τὰ περὶ ἐτυμολογιῶν, quae in Vaticana ſub Orionis Thebani nomine reperiuntur, cum interea nihil aut in ipſa,

aut in Urbinate ex Hori ſcriptis extet, niſi me atque ipſum *Allatium* accuratiſſimi fallant indices nuper confecti. Horum vero exemplum una cum his idcirco ad te mitto, ut tu, ac Cl. *Brunnerus* deliberetis operae ne pretium ſit, Orionem iſtum, ſeu potius ejus ἐκλογὰς, una cum Thoma Magiſtro ac Moeri Atticiſta edere. Quod ſi haec demum ſunt, quae tantum ex ejus authoris ſcriptis ſupereſſe conjicere liceat, aut majora in praeſentia ſperare non contingat, quid ad rem magis fieri poſſit, quam ut is geminis argumenti ſcriptoribus tertius adjungatur. Ignorare nos interea non oportet, Siculum quemdam Praefulem nomine *La Farina* ante aliquot annos neſcio quid ſimile Hori aut Orionis edere coepiſſe, deſcriptum ut ipſe ajebat, ex bibliotheca S. Laurentii, vulgo Eſcurial, cujus tamen conatus quatuor aut quinque folia non exceſſit. Quantum vero ex Typographo ipſe didici, qui ejus opuſculi editionem ſuſceperat, pauca erant, quae ſupererant in autographo. Quod ſi vel ea ipſa folia videre licuiſſet, quid de nova hac re ſtatuendum eſſet, ex iis facile patuiſſet. Sed neque illa Typographus tanti fecit, ut aſſervanda ſibi eſſe duceret, neque mihi apud alium quemquam reperire contigit. Ceterum noſtri hujus Vaticani membranae, optimae notae videntur, quaſque ego ante quingentos abhinc annos ſcriptas judicem. In Medicea vero nihil Hori aut Orionis extare *Datus* noſter nuperrime ad me ſcripſit. Ac de his tane vos amplius deliberabitis. Mihi certe conſilium fuit, quod a me praeſtari poterat, ultro conferre, ut & tibi Orionis editionem pro virili promovendo rem gratam facerem, & Cl. *Brunnero* vel hoc levidenſi munuſculo meam erga ipſum obſervantiam declararem. Tu vero, ſi me amas, voluntatis hujus meae interpretem agere, ipſique omnia polliceri, quae a me proficiſci poterunt ne graveris. Tacticorum, quos e Medicea ante triennium deſcripſeram, editioni adornandae liberius deinceps, ut ſpero, vacare dabitur. At illa, ſi quae haud ita pridem meditamur perficere continget, majoris operis mantiſſa erunt: nam de edendo ſimul ſcriptorum aliquot Ῥ μηχανικῶν ἀνεκδότων nuper cogitare coepimus, ſed de his alias σὺν θεῷ. *Carolo Morono*, ipſique Cardinali *Barberino* per occaſionem de Inſcriptionum editione aurem vellam. *Holſtenii* obſervationes ad Geographiam Eccleſiaſticam *Caroli a Sto Paulo* brevi prodibunt. Ejuſdem notae ad Stephanum ex autographo Reginae nunc deſcribuntur, quo deinde Typis edantur. *Spanhemii* diſſertatio de praeſtantia & uſu numiſmatum antiquorum jam ante aliquot dies in lucem prodiit, magnoque favore excepta eſt omnium, quotquot hic ſunt homines eruditi, neque dubito, quin eandem de ſe opinionem apud viros doctos ubicumque retentura ſit. Ejus exemplum ad te perferendum jam nunc *Dato* miſit *Spanhemius*, ut ex ipſius litteris agnoſces. *Poſſinus* Pachymerim ſuum quamprimum typis committet: *Nardinii* Roma proximo menſe ſub praelo erit. *Franciſcus Barberinus* Cardinalis delatum ſibi a me tuo nomine obſequium mirum quam comiter excepit. Utque ſe ad omnia tui cauſſa facienda paratiſſimum eſſe tibi ſignificarem, impenſe rogavit. Eques *Puteanus* atque *Allatius* te plurimum ſalvere jubent, tibique gratias agunt quam maximas, quod eos adeo amanter benevolentia tua complecteris. Vale V. Cl. & me litteris tuis beare perge. Romae XVI. Kal. Aug. CIↃIↃCLXIV.

EPI-

EPISTOLA CCCCXL.

NIC. HEINSIUS

Oct. Falconerio.

Romae.

SI perlatae sunt, quas mense Junio ad te dabam, non potes ignorare, Falconeri nobilissime, redditum nobis esse Petronii fragmentum officiosa *Dei* nostri opera, qui ut mei demerendi studio singulari concessit hominum amicorum hactenus nemini, ita nunc quoque nihil praeter solitum fecit, quod spes meas, quas de libello nec dum in lucem prolato conceperam, non est frustratus. Ego autem quamquam monumentorum veterum sum longe avidissimus, horum praesertim, quae cum tineis & blattis in hoc aevi conflictata, luce publica nunc demum donantur, nescio tamen quî fit factum, ut unica eaque admodum festinata libelli hujus lectione defunctus, tam levi opella tamque tralatitia satiari facile me sim passus, sive quod alibi & in publicis graviter jam pridem occupatus, uti eram illo tempore, quo fasciculus ad me pervenit, atque uti nunc sum, non potui plenius indulgere voluptati, quam ex antiquis scriptoribus evolutis capio mehercules maximam, sive quod hae schedae Genii Petroniani nervis illis vegetis ac felicissimae elegantiae nequaquam visae sunt satis respondere. Soloeca quippe & semibarbara illic non pauca occurrunt, qualia Petronio ipsi excidisse absit, ut credamus. Facundia supra sermonem plebejum raro adsurgit, facetiae ut plurimum frigent, sales minime aculeati vix feriunt lectoris palatum, & leviter tantum tergent atque radunt. Sunt tamen hîc illic ex interiori antiquitate deprompta, quod dicebam proxima compellatione, quae vix quisquam temporum nostrorum scriptor potuisset excogitare. Ut minimum absit, quin accedam accuratissimi *Gronovii* sententiae, cui viro plurimum a me defertur, dum arbitratur, esse quidem recenter confictum id fragmentum, sed tamen, quicumque tandem hîc os subievit nobis habuisse illum Petronii aliquanto plura, quam publice hactenus circumferuntur. Nonnulla etiam, quae manifeste mendosa illic occurrunt, litteris postremis nuper admodum ad me delatis, feliciter satis corrigebat. Admovi & ego manum medicam locis depravatis non paucis, idem de se *Schefferus* noster testatur. Qui meo beneficio libellum consecutus variis jam nunc observationibus illustravit, juris publici fortasse faciendis aliquando, nisi per scriptores tacticos ab hac cogitatione nonnihil avocaretur vir doctissimus. Fatetur ille, & nobis assentitur plurima sordere in Petronii fragmento: sed contendit schedas, ut veterrimas, sic depravatissimas, ex quibus apographum Dalmaticum profluxerit, ab homine sciolo fuisse descriptas, qui quicquid non assequeretur, pro libitu inverteret, atque interpolaret. Hoc ut aegre nobis persuadet, ita nihil praeter ordinem faciemus, si expectabimus animadversiones ejus in hunc libellum, unde liquidior nobis fiat haec sententia. Is ipse *Schefferus* de dogmate Philosophiae Italicae commentarium publico nuper

Digitized by Google

dabat. Mauricii etiam & Arriani omnia typis jam deſcripta ſunt, nunc in annotatis *Schefferi* procudendis operae occupantur, quae & ipſa lucem propediem videbunt. Alius vir eruditus Ubſalienſi praelo commiſit libellum hiſtoricum veteri idiomate Gothico conſcriptum, quem notis illuſtravit. Uti & *Franciſcus Junius* longe vetuſtiſſimum codicem Novi Teſtamenti Gothici, quem Ulphilae primi Gothorum epiſcopi manu deſcriptum eſſe ſunt, qui opinantur, Amſtelaedami edendum curat. Sed haec non ſunt tui guſtus, & tamen nunciantur, quod alia majoris rei vix occurrant, aut in promtu ſint, quae nunciare poſſim. Claudianus curis a me ſecundis illuſtratus jam in eo eſt, ut colophonem a typographo expectet. Mox poëmata mea praelo ſubjicientur. Ut ad vos quamprimum itinere maritimo ſubvehantur, operam dabo: etſi in Claudiano, quem adoleſcentes emaculavimus, nihil eſt, quod eruditos & tui ſimiles oculos invitet: Virgilium hyberna tempeſtate abſolvemus, ſi non omni ex parte naevis liberatum, at ſaltem longe caſtigatiorem quam legi vulgo nunc ſolet. Sed adeo non ſum meus, ut privatis ſtudiis nihil temporis elargiri poſſim, quod non publicis negotiis, & ſpartae, quam ſuſcepi adornandam, detrimentum ferat qualecumque. Et ſunt tamen, quae me continuum hîc exercent adeo non magnae rei, adeo publice non profutura, ut praeſtaret omnino, privatis ſtudiis me frequenter inſudare, quam mercatorum lucro patrocinari, & alienis litibus, atque adeo magno conatu magnas a me nugas agi. Nam quae cum publica rei patriae conjuncta ſunt utilitate, ea & ſuſtineo libenter & facile fero. Et hoc quidem in tranſcurſu. *Nardinii* Romam quod polliceri pergis, gratulor tuae induſtriae, per quam fiet, ne blattis in praedam cedant hae lucubrationes hominis, uti rumor fert, minime indocti. Petronianum fragmentum quod pro ſpurio & a te & ab homine Venerum Latinarum inprimis gnaro, *Octavio Ferrario*, quem honoris cauſſa nomino, habeatur, gaudeo equidem vehementer, quibus longe plus hîc a me defertur, quam centum *Rhodiis* & Dalmatarum cohorti univerſae. Perlegam illud denuo, atque inde excerpam, quae videri poſſunt pro iis militare, qui veſtigia antiquitatis indubitata in eo ſcripto paſſim exſtare contendunt. Sunt autem pauciſſima, ſi quid ipſe hîc judico, quae ſcrupulum mihi injecere. *Auguſtinum Favoritum* diu eſt, quod in oculis fero. Unde fit, ut invitus plane exceperim rumorem, qui de rebus ejus nonnihil turbatis ſpargitur. Auguror tamen fore, ut ille mox redeat in gratiam magni Regis, poſt Romanos omnes, ne unus in hoc numero plectatur, qui praeclaris animi dotibus, antiquum nominis Romani ſplendorem inter primos tuetur. Tu, quid polliceri hîc nobis aut ſperare debeamus, ſignifica quaeſo, ne ſcriptionis argumentum deſit. *Carolo* autem *Morono*, ne quid diſſimulem, iraſcor, qui Marmorum Romanorum in lucem proferendorum laudem ſolidam hominibus tranſalpinis *Apiano*, *Smetio*, *Gratero* relictam cupit, dum ipſe oneri ſuſcepto poſt hos Atlantes externos ſucceſſor Hercules Romanus ſuccumbit, certe deſideria noſtra cunctando fruſtratur & ludit promiſſi ſecurus: *Spanhemii* ſororem cum proxime compellabam, negabat illa res fraternas ſibi magis compertas eſſe, quam eſſent mihi. Quantum video amicus

ille

ille desultor primas etiam necessitudines hîc terrarum jubet frigere. Vale, mi Falconeri, & mihi, quod in praecipua felicitatis parte pono, favere ac bene velle imposterum perge. Exarabam. Holmiae Suecorum Anno CIↃIↃCLXIV. a. d. xv. Kalend. Septembr.

EPISTOLA CCCCXLI.

NIC. HEINSIUS

Ol. Falconerio.

Romam.

Recte tibi redditas fuisse, quas mense Junio scribebam, ex tuis Sextili mense exaratis licuit mihi cognoscere, Falconeri humanissime. Unde fit, ut optime sperem de iis, quas a. d. xv. Kalend. Septemb. prioribus subjunxi, etsi eas pari fortuna usas ex te nondum percepisse datum est. De meo autem silentio tam pertinaci quid dicam? aut quo colore taciturnitatem excusem? Ex rumore publico noviſſe jam potes, Britannos, qui Regum cervicibus atrociter insultabant nuper, nunc vicinis ac foederatis Belgis pari quoque iniquitate permolestos esse, bellumque in illos meditari maximo conatu. Nec hoc tantum, sed missis circumquaque ac subornatis legationibus solicitare in partes suas ac avellere a nobis quicquid possunt Regum principumque tam Europaeorum, quam remotas orbis regiones accolentium: & hoc quidem in primis, quos sacrosancta atque arcta pactorum religione adstrictos potissimum foederatis Belgis haud nesciebant: quorum in numero praeter Regem Christianissimum Suecorum ac Danorum Reges. His illorum subdolis ac clandestinis machinationibus dum pro virili in hac aula eo obviam, plurimum equidem negotii mihi facessitur, plurimum molestiae a me devoratur, sic ut excussa omni de Musis cogitatione jam per menses quatuor poene continuos curis publicis unice vacarim. Quae ut absque fuco aut mendacio tibi commemorantur, ita confido, te prae caetera aequitate tua dilatum tanto tempore scriptionis officium in partem haudquaquam pessimam esse interpretaturum. Venient, ut spero, tempora, per quae diligentiori mihi imposterum esse concedatur. Fragmentum istud, quod sub Petronii nomine lucem nuper admodum adspexit, commentariis de stylo suis *Schefferus* subtexendum curat, additurus & observationes nonnullas, per quas loca passim mendosa aut corrigat aut obscuriora illustret, otium abunde nunc nactus, post tacticos scriptores publico commissos. De ipso fragmento an judicium suum probaturus sit nobis mox videbimus. Certe totum illud scriptum ut Petronianae lucubrationis esse credam, nequaquam nobis persuadebit. Pro Orionis libello gratias immortales ago: quem *Brunnerus* Thomae Magistro Moeridique additurum esse pollicetur. Sed quantum video, lente haec ejus cura procedit. Si vera sunt, quae *Gudius* noster prae se ferre dicitur, allatum abs se ex Italia Hori aut Orionis Etymologicon, quod uno alteroque magnis constet voluminibus, libellus ad me missus pro excerpto exiguo operis immensi erit habendus. Ego in rem totam

totam diligentius inquiram. Hujus interim ſcriptoris meminerunt cum auctor Etymologici magni, tum Euſtathius commentariis in Homerum. Ex Belgio noſtro quod ſuper re litteraria nuncietur, aut nihil eſt aut parum. *Voſſius* annum totum domo abfuit, dum in Britanniam Galliamque excurrit, abfuit & plus aliquanto temporis *Chriſtianus Hugenius*. *Gudius* quoque aeſtatem proximam in Germania ſua exegit, nec litterarum quicquam ad me dedit, ex quo Gallica Italicaque peregrinatione eſt defunctus. Miſit tamen ad me per *Elzevirios*, pervetuſtum & quantivis pretii codicem Maronianum. Livium *Gronovii*, quantum ipſe poſtremis litteris ſignificabat, propediem videbimus, niſi jam nunc, dum haec ſcribo, in publicum eſt prolatus. Idem Quinctiliano manum admovere coepit, cujus editionem adornabat ante illum *Cornelius Schrevelius*, ſed illo e vivis nuper ſublato, inſtitutionibus oratoriis ſummi ſcriptoris jam praelo exemptis, id negotii *Gronovio* reliquum fuit, ut Declamationes caſtigaret, qua in cura nunc occupatur. Aeſchyli tragoedias cum ſuis & aliorum obſervationibus majori forma Londini *Thomas Stanlejus* edidit. Ex hoc ſeptemtrionis tractu quod nunciari poſſit, nil in promtu eſt. Claudianus meus lucem jam pridem videt, ſed ad vos quando perventurus ſit, vix certo poteſt adfirmari, adeo maria depraedationibus Britannicis nunc infeſtantur. Poëmatis meis nec dum edendis typographus vacat: ſub limam revocabam nuper epigramma, quod olim manibus viri ſummi optimique *Caſſiani Putei* a me fuit conſecratum, id, ſi tanti eſt, a *Dato* noſtro, ad quem mittetur, flagitabis. *Nardinii* Romam quando videbimus? Quando Holſtenianis ex ſcriniis quod edendum reſtat? Quando vetuſtas inſcriptiones? In Galliis prodiiſſe audio Lupi Ferrarienſis epiſtolas aliquando auctiores cum aliis opuſculis illorum temporum, & Salvianum Maſſilienſem, & *Petri a Marca* nonnulla hactenus inedita. *Henricus Valeſius* praeter hiſtoriae Eccleſiaſticae volumen ſecundum de Clemente Alexandrino edendo cogitare dicitur, nec minus de matrimonio incundo, etſi ea ſit aetate, quae in ſenium vergat. De Regina Chriſtina quid ſperare debeam ignoro. Eam aeſtate proxima huc excurſuram quidam adſeverant, negant alii. Virgilii editionem quia urgebat olim apud me ipſa, per litteras eam obſecrare auſus ſum, ut ſi quid huic inſtituto profuturum, aut ex ſua, aut ex aliis aliunde bibliothecis indagare poſſit, hoc ne me fructu fraudari ſinat. Sed reſponſi nihil hactenus ab illa ad me pervenit, ut periiſſe in via litteras prorſus opiner. Equitem *Puteanum* ejuſque generum *Rondininium* cum VV. Cl. *Allatio*, *Poſſino*, *Favorito* jubeo ſalvere. Vale, Falconeri nobiliſſime, & me affectu tuo perpetuum dignare. Exarabam Holmiae Suecorum Anno CIↃCIↃLXV. a. d. XXVIII. Januarii Gregor.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCCXLII.

OCT. FALCONERIUS

Nic. Heinſio.

Hollandiam.

NUllae unquam gratiores mihi litterae tuae, quam quae, *Dato* noſtro curante, proximis diebus redditae mihi ſunt a. d. XXVIII. Januarii datae. Cum enim multa faciebant, ut eas avide expectarem, tum vero maxime ſollicitudo, quam mihi valetudinis tuae inculſerat ceſſatio iſta tua tam diuturna, quamvis cum ante duos ferme menſes de *Elzevirii* Amſtelodamenſis obitu certior factus eſſem, ejus rei cauſſam in id reſciendam eſſe duxit, ut ejus morte curandarum litterarum noſtrarum munus ad eos homines deveniſſet, qui parum diligenter eo fungerentur. Utinam vero non eorundem negligentia occaſio tibi praebita ſit, me quoque ceſſatorem appellandi, quamvis poſt eas, quarum ipſe meminiſti, bis ad minus ad te ſcripſerim. Ego certe nihil poſtea ad te litterarum dedi, quod cum de hoc ipſo valde dubitarem, expectabam neque ſuſtinebam, ne prius ipſe ad te ſcriberem, quam litteris a te acceptis eſſe aliquem cognoviſſem, qui defuncti vices in ea re ſuſcepiſſet. Gaudeo equidem ſummopere accepiſſe te Orionis libellum, quem exeunte anno ſuperiori ad te miſeram, ut pro virili Cl. *Brumeri* curas in illuſtranda Graeca-Lingua promoverem, communicando ipſi qualequale eſt ejus authoris fragmentum, quod mantiſſae loco eſſe poſſet editioni, quam parabat, Thomae Magiſtri. Ac ſi bene memini ea potius Orionis ad te mittere ſcribebam, quae apud nos reperirentur, quam quae extare ejus ſcriptoris arbitrarer, cum multo plura ex ejus Etymologico a *H. la Farina* typis excuſſa ex *Maſcardo* cognoviſſem. Neque tamen, quantum ipſe meminiſſe videbatur, tantae molis erat libellus ille, ut ea omnia complecti poſſet, quae in Codicibus Gudianis, ſi vera ſunt, quae nuncias, continentur. Ille certe Romae, atque alibi multos optimoſque diverſorum Authorum codices M. S. parvo pretio ſibi comparavit. Sed ego non poſſum, quin tecum de homine, tui cauſſa omni genere officiorum exculto, parumper conquerar, qui poſtquam ab urbe diſceſſit ab hinc fere triennio, ne verbum quidem unquam ad me ſcripſit, quo ſaltem, ubinam gentium degeret, certior factus ipſum ultro compellare, atque amicitiae partes pro virili implere potuiſſem. Rem itaque mihi gratiſſimam facies, ſi ipſum opportune moneas, ſi minus ille noſtri, me certe ejus memorem ad abſentis, ut cum Martiali loquar, amicitiae officia praeſtanda paratiſſimum eſſe, ubi & quo mittendae litterae, & cui dandae, ab ipſo certior fiam. At tibi, Heinſi humaniſſime, ago habeoque gratias quam plurimas pro iis, quae amanter adeo ac diligenter, immo & luculenter, ad me ſcripſiſti. Neque ſane adeo officiorum ignarus ſum, ut abs te graviſſimis pro Republica negotiis occupato quotidie litteras exigere audeam. Id ſane optandum mihi potius eſt, quam ſperandum, cum, quod & ipſe vehementer cupere videris, in Patriam atque in ſuaviſſimum lit-

litterarum otium te receperis. Verſiculi tui in obitum Equitis *a Puteo* ἐς μακαρίτην, quos *Datus* ipſe, vota noſtra antevertens, ultro ad me miſit, ſummopere mihi placuerunt. Quam Latini illi! quam ſucci pleni, quam te, atque eo digni, in cujus laudem conſcripti ſunt! Ut vero me non tam malum Poëtam, quam confidentem amicum experiaris, mitto ad te exemplum ejus Carminis, quod *Alexandro* VII. Pont. Max. ejus Natali die obtuli, una cum codice Commentariorum Caeſaris, illo quidem ſatis eleganti atque optimae notae. Atque id quidem ipſe plane neſcio quo pacto mihi quidvis aliud agenti, atque Aſtronomicis obſervationibus intento occaſione Cometis, qui paullo ante in corvi aſteriſmo effulſerat, e calamo exciderit. *Allatii* exercitationes adverſus *Creygtonium* jam manibus hominum circumferuntur. *Nardinii* Roma, quamvis Typographum quotidie urgere non deſinam, non niſi aeſtate proxima, quantum conjicio, publici juris fiet. *Barberinus* Cardinalis in editione Pachymeris totus eſt, qui hoc ipſo anno, ut audio, prodibit in lucem. Ceterum de Stephano atque aliis Holſtenianis curis edendis mirum ſilentium. Ego vero quam primum ipſum alloquendi copiam habebo, ei ſtimulos addere tuae hujus epiſtolae lectione non praetermittam. *Puteanus* atque omnis hîc amicorum chorus te ſalvere plurimum cupiunt. Vale. Roma VIII. Kalend. Maji CIↃIↃCLXV.

ALEXANDRO VII. PONT. MAX.

Dona Natalitia.

AUrea lux redit ecce, mihi celebranda quotannis,
Qua te olim, Alme Pater, dias in luminis auras
Naſcentem, magniſque datum ſuccedere rebus
Arbia, felices fatis monſtrantibus ortus,
Excepitque ſinu, & fluvio veneratus amico eſt.
Et jam collucent feſtis altaria flammis
Undique, te nobis pro ſoſpite ſacra Quirites
Inſtaurant, caſtaſque aras, delubraque divûm
Accumulant donis, dumque omnis gaudia laetis
Urbs ſua teſtatur votis, fauſtaſque frequenti
Ingeminat plauſu voces, atque omina laeto
Murmure reſponſant ſeptem alto e vertice colles.
Quid faciam? coelo cui nec fas numen ad aras
Elicere, & cultu ſuperos propiore vocare:
Nec tantum ſperare ſubet Muſa, inclyta facta
Aequare ut poſſim tua fando, & carmine ſaltem
Quod poteram meritos hodie tibi ſolvere honores.
Praeſertim hîc primus quoniam mihi ducitur annus,
Qui ſanctus mihi ſemper erit, mortalia ſupra

Ex

Ex quo ſorte datum attolli, alloquiiſque beatis
Dignari & ſacris adytis & nectare Divûm.
Ergo hominum quando nec Dii munuſcula parva
Contemnunt, tenueſque roſas, & thuris honorem
Exigui, haec tibi quae ſuadet dare, munera felix,
Te naſcente, dies, illo Pater accipe vultu,
Urbem quo rerum dominam populoſque ſerenas.
Hoc quamvis geminas Tyrio non murice frontes,
Non auro ferat inſignes, gemmiſque volumen;
Aſt illi pretiumque facit ſat longa vetuſtas,
Illi & docta manus ſimulacra hominumque ferarumque
Addidit, & pictas volucres & florea ſerta.
Fuſile & arte nova late intermiſcuit aurum.
Hic animum tibi quae capiet mage nota voluptas,
Geſta olim, & magno patrata a Caeſare bella,
Horrida bella leges, Rheni vada caeca bicornis
Incaſſum haud tentata unquam, Galloſque feroces
Servitiumque pati, Romanaque jura coactos,
Et domitos, toto avulſos licet orbe, Britannos.
Nec vero ante mihi paullo longum meditanti,
Natali quae dona die tibi more vetuſto,
Obſequii monumenta mei, Pater Alme, dicarem,
Haud ducibus fatis, fauſto & ſine Numine Divûm
Crediderim praeclaro oblata volumina, magni
Quae decora Herois ſublimiaque acta referrent,
Laetus & accipio hinc omen fore, grandibus olim
Ut fretus te dante auſis (ſi tanta decebunt
Mortalem) res ipſe tuas, divinaque facta
Aggrediar fati ſecuris tradere chartis,
At te florentem nulla non laude, verenda
Inſignem pietate, animis ingentibus aſtra
Aequantem, implentemque vices & jura Tonantis,
MAXIME ALEXANDER, *ſimilem ſperantia ſecla*
Nequicquam, te ſera nimis venerabitur aetas,
Tu Vaticanae decus immortale thyarae,
Heſperiae fauſtum tu ſidus habebere ſemper.
Te patria aeternum celebrabit clara vetuſtas
Te tua gens titulis, & nunc te clarior ipſa,
Unum omnes, quotquot ſervabunt atria longa,
Inter avos atavoſque auguſta in imagine quaeret,
Magnanimoſque trahent in magna exempla nepotes
Dulcis amor famae venientis, & aemula virtus.

EPISTOLA CCCCXLIII.

NIC. HEINSIUS

OB. Falconerio.

Romam.

QUI de morte Elzeviriana perſuaſum eſſe te voluit, ut nuntio mendaci crederes, incurius omnino, ſi quis unquam fuit, Falconeri nobiliſſime. Sunt enim *Ludovicus* & *Daniel Elzevirii* in civitate Amſtelaedamia etiamnum incolumes. *Joannes Elzevirius*, qui Lugduni Batavorum fixerat ſedem, e vivis ante hoc triennium exceſſit. Sed nihil ille ad noſtrum commercium. Tu igitur me auctore confidenter perge quicquid litterarum in manus noſtras cupies perlatum per Amſtelaedamenſes *Elzevirios*, ut ſolebas, curare: qui ſi apud vos elati jam ſunt, apud nos revixere. Orionis libello quid factum ſit, ex quo *Brunnerus* eum a me accepit, quidem ignoro: Ubſaliam enim excurrere non permittunt jam pridem occupationes cum frequentes, tum moleſtae, quas intentatum a Britannis foederato Belgio praeter jus faſque bellum nunc parit invito mihi longe maximas. Opinor tamen *Brunnerum* de libello edendo etiamnum cogitare. Percunctatus eram *Gronovium* per litteras, fideſne eſſet habenda rumori, qui ad nos pertulerat ingentem Orionis hujus commentarium in ſcriniis Gudianis ineditum adſervari. Nam ipſum ſuper ea re conſulere & ſcitari *Gudium*, ſupervacuae prorſus ac inertis operae videbatur fore: quod is interrogatus haud ſoleat reſpondere, a litterario commercio plane averſus atque alienus. Ad me certe, ex quo Italica ac Gallica defunctus eſt peregrinatione, ne verbum quidem etſi ſemel iterumque compellatus, dedit; ne tu cenſeas benignius officioſiuſque ab illo agi mecum, quam tecum agitur. *Gronovius* quoque nil reſcripſit hactenus, caetera amicorum abſentium haudquaquam negligens: credo, quod omni cura ac cogitatione jamdudum defixus haeſit in Livio ſuo, qui publicum, ut ajunt, nunc tandem videt, locis infinitis caſtigatus. Ipſe *Gudius*, ni fallor, Haganam ſedem habitandam ſibi delegit. Sed quid moliatur, aut quid publico paret, minime exploratum habeo. *Spanhemius* ad ſuos rediiſſe jam debuit, ſi quid credendum iis, quibus ipſe ad me anno proxime elapſo perſcribebat. Sed nec laudatiſſimos ejus ſuper re nummaria commentarios licuit videre. Dantiſco accipiebam heri Hevelianum de cometis nuperrimis prodromum, opus accuratum omnino. Novi complures in Germania tam ſuperiori quam inferiori, qui in eadem palaeſtra deſudent. Qui ſi quid operae facturi ſint pretium poſt Hevelianam lucubrationem, propediem videbimus. *Schefferus* poſt Taciticos ſcriptores deque dogmate Pythagorico commentarios in lucem prolatos, de Stylo opuſcula publico dedit: nunc obſervata ejus in Petronianum fragmentum, Tragurii apud Dalmatas repertum annis proximis, ſub praelo typographico fervent. Verſus Pontifici maximo dedicati abs te mirifice mihi placuerunt. Multus in iis orationis nitor, multa leporis Latini copia. Felicem hoc praecone *Alexandrum* Septimum: Feliciſſi-

mum,

mum, ſi bona ſua intelligit, & laudatorem tam diſertum pro meritis remuneratur. Epicedion manibus *Putean*i noſtri a me datum quod tanto opere commendas, vide ne fruſtra ſis. Id tamen qualecumque ſub limam poſtea revocavi, verſibuſque nonnullis auxi, ut videre poteris in poëmatum meorum editione, quam *Elzevirii* nunc moliuntur. Complectetur hoc volumen Elegiarum libellos quatuor, quorum tertius tuo nomine eſt inſcriptus, Silvarum ternos, binos Juvenilium. Elegiae typis jam nunc propemodum ſunt deſcriptae. Sed quod pagellae ſingulae huc terrarum, ut menda typographica a me corrigantur, ſint mittendae, tardius, quam velim, conatus hic procedit, totoque hoc anno, quantum apparet, operas typographicas exercebit. Claudianus nec dum ad vos mitti potuit, maria infeſtantibus piratis Britannicis. Quid quaeſo Moronianis inſcriptionibus fiet tandem? Hanc epiſtolam libuit non obſignare, quo legi a *Dato* noſtro poſſet. Id e re mea fore videbatur, ne ad illum quoque perſcribenda eſſent, quae ad te perſcripſeram. Vale, Falconeri jucundiſſime, meque quamvis immerentem, ſolito adfectu dignare impoſterum. Amicos omnes jubeo ſalvere. Exarabam Holmiae Suecorum Anno CIↃIↃCLXV. a. d. XXIII. Junii Gregoriani.

EPISTOLA CCCCXLIV.

OCT. FALCONERIUS

Nic. Heinſio.

Florentiam.

EX iis literis, quae a. d. XXIII. Junii datae ſuperioribus diebus mihi redditae ſunt a *Dato* noſtro cognovi, ut alias ſaepe, quanta ſit vis amoris erga me tui, quem turbae iſtae Brittannici belli, occupationeſque, ſi quae unquam moleſtiſſimae, non prohibent, quin ad me ſcriberes, neque vero tantum ſcriberes, ſed de inſcribendo mihi tertio Elegiarum tuarum libro cogitares, quo quidem ampliſſimo teſtimonio benevolentiae tuae nihil gratius accidere poterat, nihil honorificentius, atque ut verum fatear, optatius: ea enim noſtra eſt in primis ambitio, ut nos quoque ex iis eſſe, qui amicitia tua beantur, publice pareat. Ego vero pro praeclaro adeo munere gratias tibi ago habeoque quam maximas, ac deinceps curabo, ut, ſi quid unquam moliemur in litteris, quantum declarationem iſtam animi tui faciamus, palam ſit. Cardinalem *Barberinum* triduo poſt acceptas tuas litteras de Inſcriptionum editione compellavi, qui ſane mihi fidem ſuam obligavit, ubi a Pachymeri ſe expediverit, quod intra paucos menſes futurum conjiciebat, de iis edendis ſerio cogitaturum. Interea ut exemplar earum, quae jam olim ipſo curante editae ſunt, neque tamen publici juris factae, mihi ad te mittendum concederet, impetravi. Sed *Maronum* vereor, cujus e manibus non niſi magno cum labore, ac plane aerumnoſo is liber mihi extorquendus erit, quem ut primum accepero, curabo diligenter, ut per *Datum* noſtrum ad te quam citiſſime afferantur. Hae vero morae levius tibi ferendae erunt, quod quamdiu nobis bellum cum Brittannis

erit, non video quomodo haec ad te mitti possint. Quae res magno sane detrimento nostro facit, ut *Schefferi* tacticos scriptores, commentariosque de dogmate Pythagorico adhuc desideremus. *Nardinii* liber brevi prodibit in lucem, cui si per tempus licebit nonnulla adjiciemus mantissae loco, quae antiquitatis studiosis haud ingrata fore speramus. *Spanhemius* noster dissertationem suam de Nummis veterum secundis curis auctam jam praelo subjecisse recentissimis litteris nuntiabat. Miror vero te illam Romae editam adhuc desiderare, cum ipse ab eo non semel audierim, antequam Roma discederet, se illius exemplar ut ad te perferretur curasse, una cum litteris, in quibus se de diuturno illo tecum silentio purgaret. De *Gudio* quoniam is est, ut neque amicorum tui similium litteris rescribere dignetur, omnem plane cogitationem abjiciam. Tu vale, mi Heinsi, ac quantum occupationes tuae patiuntur, me litteris tuis beare perge. Roma Kalend. Septemb. CIↃIↃCLXV. Inscriptiones Barberinianas, quas modo a *Morono* accepi, propediem *Dato* nostro mittam, ut is quamprimum, ut ad te perferantur, curet.

EPISTOLA CCCCXLV.

NIC. HEINSIUS

Oct. Falconerio.

Romam.

NON te praeterit, ut puto, rem foederatorum Belgarum publicam magnis hac tempestate difficultatibus objectam esse, idque per illos, quos id facinus haudquaquam decebat. Qui exsul & extorris patria in sinum nostrum confugit, quem opibus nostris ad extremam redactum egestatem fovimus atque sustentavimus per annos complures, qui revocatus denique in regnum a suis nobis se ac fortunas credidit suas, Gallis atque Hispanis diffisus, ac e nostro litore in Britanniam postliminio se recepit, imperio restitutus, nunc oblitus beneficiorum omnium jugulis nostris & libertati insidiatur, eamque hospitalitati sanctae mercedem refert. Dum inter has atrocis belli & fortunae parum hactenus faventis angustias foederatorum Belgarum populus jactatur, inveni & ego, mihi crede, quod agerem, Vir Nobilissime. Idque eo magis, quia Suecos prae caeteris foedere tentandos Britanni sibi, nec sine successu proposuere. Distuli ea propter ad suavissimas tuas responsum, quas Kalendis Septembribus anni superioris exarasti, dum nuntios de die in diem nequicquam opperior, qui poëmatis meis supremam a typographo manum esse impositam significarent, cujus te rei certiorem per me fieri unice cupiebam. Sed injecit moram haud modicam operi instituto miles Monasterienſis, intercepti in via libelli nonnullis, quae ad bibliopolam addendae volumini hinc Amstelaedamum mittebantur, paginis. Resarcivi damnum, ut potui, & opinor, omnia jam nunc ad finem esse perducta. Sed viam non invenio, qua liber ad te perferri possit, infesto per piratas mari. Unde factum est, ut & Claudianum meum amici Itali hactenus desideretis. Exemplaria vobis destinata Lutetiam deferri cu-

curarem, ſi indè Romam aut Florentiam tutius mittenda fore certo perſuaſus eſſem. Eminentiſſimum Principem *Franciſcum Barberinum* de pertexendo inſcriptionum antiquarum opere deſideria noſtra fovere gaudeo, ut qui maxime. In Pachymeri edendo cum fervide deſudare operas typographicas nuntiarit proxime *Datus* noſter, hoc labore illas jam defunctas eſſe augurari licet, ac proinde inſcriptionibus praelo committendis accingi. quod utinam ex tuis propediem intelligamus! *Nardinii* Romam & parietinas D. Pauli accepiſſe ſe teſtatur munus abs te mihi deſtinatum idem vir amiciſſimus. Si quid impoſterum ejus rei per itinerum compendia mihi tempeſtive redditum cupies, Lutetiam id ad *Bigotium* aut *Capelanum*, quibus illic utor conjunctiſſimis, mittas neceſſe eſt, unde ad *Elzevirios* Amſtelaedamum, & per illos Hamburgum Hafniamve mox curetur. Eminentiſſimo *Barberino* pro ſingulari munificentia cum reponi nonnihil a me par ſit, audebo fortaſſis tuam operam implorare, ut poëmatum meorum exemplar Heroi tradas meo nomine, perge interim, quod facis, illi propius propiuſque me conciliare, quando alia re demereri mea ſtudia luculentius haudquaquam potes. Navis illa, quae *Schefferi* Tacticos Amſtelaedamum ferebat, in Codano ſinu tempeſtatibus jactata hybernavit, atque inde Lubecam contendit, ibique ſarcinas ac mercem omnem expoſuit, metu piratarum Britannorum. Nec conſtat nobis hactenus Tacticos Amſtelaedamum deveniſſe, quod bibliopola Lubecenſis, cui rei ejus cura incumbebat, domo aliquando abfuerit, Francofurtum profectus. *Schefferus* ipſe Tragurianum Petronii fragmentum ex quo animadverſionibus illuſtravit, quod & ipſum a juvene quodam Norico nunc fieri fert rumor, nunc in Upſalia antiqua edenda occupatur, qui liber mox in publicum proditurus creditur. Hac defunctus lucubratione ſecundam Phaedri editionem dabit. *Gronovii* Livium & Quintilianum nuper publici juris factos vidiſti, credo. Videtur ille nunc cogitare de revocandis ſub limam iis, quae ad Silvas Statii ante hos triginta annos in lucem dedit, quod propoſitum ut tenere pergat, valde illum ſum adhortatus, ſuggeſſique conjecturas complures, quae operi ornando augendoque inſerviant. *Spanhemium* Heidelbergam rediiſſe, ac Commentarium ſuum de praeſtantia nummorum veterum auctiorem praelo typographico ſubjeciſſe audio, qui liber in conſpectum meum nec dum pervenit. Sed nec ipſe *Spanhemius*, quod mireris, quicquam ad me, ex quo ad ſuos reverſus eſt. Non ita diu eſt, quod *Bigotius* per litteras ſignificabat, Sereniſſimam Sueciae Reginam ſelectiores veterum nummorum plurimos ex hiſce, quos ipſa poſſidet, aut jam edi curaſſe, aut mox eſſe curaturam. Quid nobis inde ſit ſperandum, tu omnium optime me docebis. Neminem enim ex ejus comitatu cognitum habeo, quem hac de re poſſim percunctari. Ajunt prodiiſſe partem epiſtolarum ſecundam *Tanaquilli Fabri* apud Salmurienſes, in quibus noſter *Gudius* male excipiatur. Haec injuria virum doctiſſimum fortaſſis inſtigabit ad properandam Phaedri ſui editionem. Virgilium neglectum a me relinqui jubent occupationes publicae. Prudentium a me caſtigatum cum brevibus animadverſis Epiſcopo Paderbornenſi ſum pollicitus. Sed *Bigotius* me moratur,

qui ſperare jubet excerpta codicis Ambroſiani longe vetuſtiſſimi, quem Mediolani excuſſit ipſe, nec mittit tamen. Credo quod in Neuſtria diutius ob fraternam mortem detineatur, quam opinatus erat fore. Amicos omnes plurimum ſalvere jubeo. Equitem *Puteanum* in primis, & *Leonem Allatium*. Tu Vale, & me, ut ſoles, ama conſtanter, Falconeri nobiliſſime. Exarabam Holmiae Anno CIↃIↃCLXVI. a. d. XXVII. Februar. Gregor.

EPISTOLA CCCCXLVI.

OCT. FALCONERIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

ETSI perſpecta antea mihi ſatis erat tua erga me benevolentia V. Cl. non potui non gaudere vehementer luculentiſſima amoris in me tui ſignificatione, cujus ſane vim in iis litteris agnovi, quas diebus ſuperioribus a *Dato* noſtro accepi a. d. XXVII. Febr. datas. Quod enim illuſtrius amicitiae noſtrae teſtimonium a me expectari potuiſſet, quam ut de ſcribendis ad me litteris cogitares, inter tot tantaſque turbas negotiorum, quibus poſt coeptum inter Britanniae Regem ac Foederatas Provincias bellum, te plus nimio obrui mihi perſuadeo. Id certe me proximis menſibus deterruit, ne quicquam literarum ad te darem, quem publicis curis, ſupra quam vellem, occupatum intempeſtivis officiis compellare parum opportunum cenſebam. Quod ſi quicquam hac in re a me peccatum eſt, in eo tantum peccaſſe tibi perſuadeas velim, quod cum omnia apud vos, terra marique turbata eſſe nunciarentur, caute, dicam quod eſt, nimis egi, qui ut amicitiae noſtrae ſatisfacerem, ne epiſtolam quidem fortunae caſibus committendam eſſe cenſui. Ego vero vices tuas ſummopere doleo, quem literis natum literiſque novis ſemper ingenii tui monumentis illuſtrandis intentum, adminiſtratione Reipublicae honorifica illi quidem atque optimo cive digna, ſed cum alias ſemper, nunc vero maxime aerumnarum atque inconditi laboris plena, diſtineri, atque e Muſarum ſinu plane avelli video. Nobis vero veſtrum hoc bellum haud parum detrimenti in re litteraria attulit; magna enim librorum ex Batavia veſtra penuria, ex quo mare infeſtis claſſibus implicitum ac pene clauſum eſt, atque inde accidiſſe arbitror, ut de *Gronovii* Quintiliano fama tantum ad nos pervenerit. Claudianum ac Poëmata tua ita avide expecto, ut eorum deſiderium vix ferre poſſim. Utinam horum ſaltem exemplum Lutetiam ad *Bigotium* noſtrum miſiſſes! Quam opportune librum ille ad me perferri curaſſet occaſione oratoris Regii, qui ad obeundam apud Pontificem legationem propediem diſceſſurus recentiſſimis literis nunciabatur. *Scheffери* Tactica, ſi ut quam primum poſſideam curaveris, obligabis me haud vulgari beneficio. Cum enim nunc ſim in vertendis Julii Africani Ceſtis atque aliis id genus Auctoribus, ſatis vides quanto mihi uſui is liber deinceps futurus ſit. *Wagenſelii* atque *Hadriani Valeſii* Diſſertationes,

nes, de Petronii fragmento Tragurienſi nuper Lutetiae editas, hoc ipſo die a *Bigotio* noſtro accepi, quarum ad vos quoque famam perveniſſe ex literis tuis conjicio. Eam quoque ſpartam a *Scheffero* adornari non ſine magno litterarum emolumento continget. Ego quid de tota hac re ſentiam non ſemel alias ad te ſcripſi: *Spanhemio* erit cur minus iratus ſis, cum a me etiam ejus literas jam diu deſiderari ſcias. Ex quo enim Lutetiam ſe contulit, quo verſus ſe poſtridie diſceſſurum ante tres ferme menſes ad me ſcripſit, nihil plane literarum ab eo mihi redditum eſt. Eminentiſſimo *Barberino* de Inſcriptionum antiquarum editione iterum aurem vellam, ſed quantum conjectura augurari licet, non ita ſtatim id opus aggreſſurus videtur, ipſumque potius editionem audio parare B. Nili Abbatis epiſtolarum, quarum ad mille jam in Latinum ſermonem verſas penes ſe habet *Leo Allatius*. Sereniſſimam Sueciae Reginam de vulgando inſigni ſuo nummorum veterum Muſaeo cogitare locupletem auctorem habeo Eminentiſſimum *Azzolinum*, qui apud Reginam plurimum gratia & auctoritate poller. Hunc cum heri alia de cauſa conveniſſem, non deſtiti urgere hominem gloriae cupidum, ut Reginam ad opus adeo illuſtre, adeoque literatis omnibus exoptatum, impelleret abſolvendum, quod a *Franciſco Gottifredo*, quem ſatis noſti, inceptum promotumque haud leviter fuerat. Nam Tabulae jam ſupra ſexaginta excuſae ſunt, in quibus ſeries integra Nummorum, qui magni apud Antiquarios appellantur, ac nonnulli etiam ex majoribus, quos *Medaillones* vocant, continentur. Sed quis tandem rerum maneat exitus θεῶν ἐν γόνασιν ἧται. Egoicerte operam meam, quam *Gottifredo* jam ſenio ſatiſcenti gratam ac neceſſariam plane fore video, ipſique pollicitus abunde ſum, praeſtabo, quantum in me erit, ſtrenue ac diligenter. *Natalis Rondinini* ἐ μακαρίτου carmina nulla huc uſque inter ejus ſcripta reperiri contigit, quae aut tibi inſcripta ſint, aut tui quoquo modo mentionem faciant. Id ego nudius tertius a *Nicolao* ejus fratre didici, quem antea hac de re non ſemel conveneram, quique omnia facturum, ut deſiderio tuo, quantum in ſe eſt, ſatisfaciat, perhumaniter pollicitus eſt. Vale. Roma XV. Kalend. Maji CIↃIↃCLXVI.

EPISTOLA CCCCXLVII.

OCT. FALCONERIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

ETSI poſt eas literas, quas paucis ante diebus ad te dedi, nihil plane erat quod ſcriberem, nolui tamen pro mea erga te obſervantia occaſionem amittere, quae ab inopinata ſereniſſimae Reginae ad vos profectione mihi ſeſe obtulit, amoris noſtri officiis ſatisfaciendi. Quae res cum hoc ipſo peropportune mihi accidit, tum vero magis, quod cum Pachymerianae Hiſtoriae exemplum tibi mittere vehementer cuperem, neſciebam, quo me verterem hoc temporis, quave via utendum mihi eſſet, quo illud tuto ad te perferretur. Librum

vero

vero ipſum una cum hiſce literis reddet tibi *Caeſar Macchiatus* Reginae Medicus, mihique non vulgari neceſſitudine conjunctus, quem tanti facio, ut & amicitia tua dignum judicem. Ab eo plura de me rebuſque meis, ſi libitum fuerit, cognoſces. Ne autem, quod ad Pachymerim attinet, plus mihi ſumam, quam res eſt, ſcito me iſthic nihil aliud egiſſe, quam ut librum ad te mittendi onus in me ſuſciperem, caetera debere te humanitati Eminentiſſimi Cardinalis *Barberini*, qui & doctrinam, eruditionemque tuam plurimi facit, ſuaeque erga te benevolentiae declarandae occaſionem libentiſſime amplexus eſt. *Schefferi* Tactica ſatis erit, ſi *Macchiato* Romam redeunti tradideris ad me perferenda, non eſt enim cur jam de ejus libri lectione vehementer laborem, nam recentiſſimis *Bigotii* noſtri literis admoneor virum quemdam doctum (*M. Hardy*) hanc ipſam ſpartam jam multo antea adornare coepiſſe, Africanum, Apollodorum, Philonem, Byzantium, Atheneum jam pridem in Latinum vertiſſe, quin & ſchemata ipſa, quae in eorum Authorum ſcriptis, ac praeſertim Atheneo occurrunt, jam excuſa, ita ut opus integrum nihil amplius niſi praelum expectare videatur. His auditis mirum quantum in me incepti operis proſequendi ſtudium refriguit. Quamvis enim Anonymi tractatum de Concionibus Militaribus inſtituendis, & Africanum jam in Latinum verterim, *Bigotiuſque* ipſe me hortetur ad ſymbolam in id opus conferendam, Auctoreſque ſupra dictos peculiari quoque editione typis vulgandos, non video quis mihi locus ſuperſit operam meam in hanc rem utiliter collocandi, poſt eum, qui his ipſis Authoribus illuſtrandis jam multis abhinc annis inſudavit, niſi plane velim actum agere. Satius igitur erit animum ad alia convertere. Tu vero occaſionem, quam tibi divinitus oblatam eſſe cenſeo, Reginam auctoritate tua impellendi ad edendum Nummorum ſuorum Theſaurum nequicquam ſine fructu elabi ſine. Eas nunc ad te partes delatas eſſe ſatis vides, operamque adeo eruditis omnibus utilem ut egregie praeſtiturus ſis nullus dubito. De Reginae inopinato iſthuc adventu multi multa dicunt, majoraque latere arbitrantur, quam quae ad privatas ipſius rationes pertineant. Ego certe non parum commodi ex eo mihi auguror, quod quamdiu Regina apud vos commorabitur, frequentiores ac longiores abs te literas poſtulare jure poſſe mihi videor. Ac mihi ſane rem gratiſſimam feceris, ſi quantum commode abs te fieri poterit, omnia quae hominem Reginae res cognoſcendi cupidum ſcire interſit, ad me diligenter ſcribes. literas, ſi opportunum videbitur, *Macchiato* ipſi trades, ut ad me in Reginae faſciculo mittendas curet. Vale, & me, ut facis, ama. Caſtro Gandulfi, ubi apud Pontificem ruſticamur. Idib. Majis MDCCLXVI.

EPI-

EPISTOLA CCCCXLVIII.

NIC. HEINSIUS

Ob. Falconerio.

Romam.

FAteor, Falconeri eximie, toto hoc biennio non defuiſſe quod agerem. quamquam enim res Britannicae ſatis ſuperque negotiorum exhibuiſſe mihi poterant, in iis tamen multo minus deſudavi, quam in Suecicis. Sueci quippe, etſi foederati nobis, tamen fortunam potius, quam nos ſecuti, in eo jam dudum ſunt, dum arma noſtra parum auſpicato procedunt, ut Brittannis ſeſe adjungant. Unde illos revocare, & ad ſaniora convertere non nobis tantum, ſed Gallicanis quoque Oratoribus difficillimum hactenus fuit. Danorum Regi maximum minabantur malum, quod ille noſtras partes eſſet amplexus. Sed cum illis Moſci armata immineant manu, in hac, opinor, paleſtra invenient, cum quo exerceantur. Quamquam & injuria contumeliaque non una a Britannis adfectos jam quodammodo poenitere coepit conſiliorum adverſum nos agitatorum, cum aliquando agnoſcant, ab iniqua & ſuperba gente non ſibi minus imminere periculum, quam nobis, ſi victores evadant. Sed in hac qualicunque occupationum publicarum congerie cave credas non vacaſſe mihi de te cogitare, quem in oculis tantum non aſſiduum fero. Ne ſtudia quidem bonarum artium ex toto intermiſi, proximis diebus feſtis inter res aulicas prolatas recenſendo Prudentio conceſſis, quem laborem ut ſibi darem *Epiſcopus Paderbornenſis* non ſemel a me poſtularat: Perduxi animadverſiones noſtras uſque ad libros adverſus Symmachum conſcriptos, qui fere ſoli caſtigandi ſuperſunt. Codicibus pervetuſtis tribus quatuorve ſum uſus, ſed partem maximam mutilatis. Paucorum dierum otio eſt opus, ut ſupremam manum huic lucubrationi, ſatis perfunctoriae, imponam. Poëmata mea vix tandem nunc lucem, ni fallor, vident, certe propediem videbunt. Miſit enim paginas libri omnes typis jam deſcriptas ad me *Elzevirius*, praeter illas, quae titulum operis & praefationem complectuntur, ut nihil typographos morari poſſit. Nec in me mora fuit, ſed in illis, quibus curam editionis demandaram, per occupationes domeſticas alio interdum avocatis. *Elzevirio* in mandatis jam nunc a me datur, ut libelli ſpecimen nonnullum cum hiſce ad te mittat. In Belgio prodiere nuper praeter quatuor Euangelia vetuſto ſermone Gothico conſcripta, praeterque *Alberti Rubenii* poſtumum de Re Veſtiaria commentarium, *Iſaaci Voſſii* de incremento Nili opus. Praelo typographico etiam permiſit noſter *Gronovius* eruditas admodum *Palmerii Grentemeſnilii* in Graecos ſcriptores animadverſiones. *Schefferus*, poſt editum nuper admodum de Upſalia veteri commentarium, Phaedri fabellas obſervatis ſuis illuſtratas ſecundae parat editioni. Atque haec hactenus. *Chriſtinam Alexandram* Hamburgi propediem exſpectari fert rumor, inde ad nos venturam. Si illa pervetuſtos Maronis Codices, quos poſſidet complures, ſecum feret, uti erat pollicita, a

me pervolvendos, pertexam tandem aliquando, quae ad illum ſcriptorem haud pauca obſervavi. Utinam hac occaſione tam oportuna uſus *Nardinii* Romam, & ſi quid praeterea apud vos operum hujuſcemodi prodiit, per quemcumque ex familiaribus comitibuſque ejus ad nos miſiſſes, quae alioquin fero huc perventura ſunt, hoc tam turbato temporum ſtatu. Vale, jucundiſſime Falconeri, & mihi fave, ut hactenus. Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXVI. a. d. III. Quinctil. Gregor. *Elzevirius* Heſiodum cum notis *Graevii* publico mox dabit. Inde curas convertet ad Homerum & vetuſtum ejus Scholiaſten, quem Didymum vulgo volunt. Sed cum optet nonnulla ſubminiſtrari ſibi Scholia ex vetuſtis membranis, quae lucem hactenus non videre, vide quaeſo, an laudabili ejus inſtituto prodeſſe poſſis, quod negotium *Dato* etiam noſtro verbis ſerio commendavi. Rogatus eſt per me *Elzevirius*, ut cum Claudiani noſtri, tum poëmatum exemplaria bina ad *Bigotium* deferri curet quamprimum, quae per illum ad te ac *Datum* noſtrum in Italiam confeſtim itinere terreſtri mittantur, quando mari id haudquaquam tutum aut conſultum eſt. Arriani Tactica vollem ad te dare, ſi poſſem. Librum illum nec dum conſtat mihi aut in Gallias aut in Bataviam perlatum eſſe. Neſcio enim ubi oberrant exemplaria jam ante menſes vicenos illuc miſſa.

EPISTOLA CCCCXLIX.

NIC. HEINSIUS

Oct. Falconerio.

Romam.

POſtremis tuis, Falconeri Nobiliſſime ac humaniſſime, reſcripſi non ita nuper. Quam meam epiſtolam ad *Datum* noſtrum gnaviter ab *Elzevirio* curatam, ac proinde tibi redditam confido. Nunc id tantum monebo, miſſa eſſe Lutetiam complura Poëmatum meorum exemplaria, curante eodem *Elzevirio*, inter amicos illic ac litterarum amantes viros, meique nominis ſtudioſos, dividenda per *Emericum Bigotium*, aut potius, quia ille praeter exſpectationem noſtram ab urbe eſt digreſſus, per *Johannem Capelanum*, quem *Bigotio* non minus rebus tuis favere compertum mihi eſt quodammodo atque exploratum. Rogavi jam hunc ipſum *Capelanum*, ut occaſionem oportunam indagaret, qua deſtinatum tibi exemplar, una cum altero, quod Eminentiſſimo *Barberino* oblatum volui, ad te per viarum compendia tuto & ſine procraſtinatione ulla, aut certe minima, perferri poſſet. Si cunctatur paululum *Capelanus*, eſt enim illi res, ut noſti, cum valetudine parum proſpera, rogo ne graveris ipſe viam circumſpicere, qua liber iſte quam celerrime, quia id in votis tibi eſſe tuis adverto, Romam perveniat. Totidem exemplaria Florentiam ut curaret, idem *Capelanus* per me eſt rogatus, quorum alterum Sereniſſimo Principi *Leopoldo* ab Etruria tradatur, alterum Clariſſimo *Dato*: Habet & ut mandatis a me *Elzevirius*, ut hanc in rem duo Claudiani mei exemplaria huic ipſi *Capelano* tradenda curet, quorum alterum tibi, alterum eidem *Dato*

cum.

Digitized by Google

cum Poëmatis mittatur. Sed metuo, ne in nimiam molem fasciculi excrescant, si Claudianus accedat, qui per se volumen satis copiosum efficit. Quicquid est, vobis ac *Capelano* incumbet, vestris desideriis hîc invigilare. Nam, quin jam nunc, dum hasce exaramus, exemplaria Lutetiam, quae dixi, devenerint, vix videtur dubitandum: Mari foederatos Belgas ac Italos inter iter ac commercium omne, ut vides, occlusum abruptumque est bello hoc nefario, quod nobis ex Britannia intentatur. Sine quo esset, jam maritimo itinere Liburnum recta cursissem perferenda cum haec ipsa exemplaria, de quibus modo agebam, tum alia utriusque libri complura, quae viris apud vos bene de me meritis jure optimo debentur. Nunc apud illos, uti confido, temporum ac viarum difficultas pro me intercedet, ac legitimae excusationis locum obtinebit qualemcumque. Auguror annum proximum pacem nobis esse relaturum & daturum molliora ac Musis magis amica tempora. Quibus plane invitis inter atrocissimam bellorum procellam graviter jactati ista conscripsimus, certe sub luminis oras prodire passi sumus: cum absque hoc incommodo tumultuaria vita, aulica & publicarum occupationum tempestas a studiis publicis abunde alienum effecisse me potuerit. Et haec quidem hactenus. Accepi proximis diebus varios hinc inde libros, recenter in lucem emissos: quos inter *Hevelium* de cometa Anni MDCLXV. Statium cum commentariis *Barthii*, Catonis Districha cum notis ac observationibus *Daumii*, Sallustium *Gronovii*, *Rubenii* de re vestiaria, deque nummis ac gemmis variis commentarios postumos, tum Gallica nonnulla rem publicam & aulicam magis, quam litteras humaniores tangentia. Accepi & a *Reinesio* in Petronii fragmentum Dalmaticum annotata, quibus Schefferianas notas subjunxit. Accepi a *Francisco Junio*, *Isaaci Vossii* avunculo, quatuor euangelia antiquae versionis cum Gothicae tum Anglo Saxonicae. *Schefferus* ipse Phaedri fabellas praelo typographico rursus permisit cum observatis auctioribus, post editam Upsaliam veterem, jamque totus est in recensendis iis, quae super Re Navali veterum commentatus est. Si quid viro optimo credimus, opus editionis primae vix umbram ejus, quod nunc molitur, expressit. Vossianos de incremento Nili commentarios nec dum vidi. Vale, jucundissime Falconeri. Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXVI. a. d. XXIV. Sextil. Gregor.

EPISTOLA CCCCL.

OCT. FALCONERIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

VIX credas V. Cl. quam jucundae mihi fuerint posteriores literae tuae, quas ante paucos dies a *Dato* nostro accepi: jam diu enim, multumque earum expectatione tenebar, quod & de te rebusque tuis certiorem fieri cum alias semper mihi gratissimum, tum vero maxime hoc temporis, cum abs te procurandis Reipublicae vestrae negociis, si unquam alias, ut opinor, occu-

pato gravioribus ac certe insignioribus frui mihi videor amoris tui testimoniis. Quid jam de exemplo dicam amantissimae, ne humanissimae, quod parum est, dicam illius epistolae tuae, in qua amicitiae nostrae historiam publice extare voluisti? Quid de cultissimis, atque elegantissimis carminibus ad *Montauzerium*, quarum lectione, ne quid suavissimis hisce literis tuis deesset ad cumulum deliciarum, beare me profecto voluisti. Ego vero pro singulari ista tua erga me humanitate ago tibi, habeoque gratias quam maximas, ac si quid unquam moliar in literis, quod publica luce haud indignum centuerim, curabo ut in hac quoque parte observantiae erga te meae satisfiat. Claudianum tuum vehementer, ut omnia, quae a te proficiscuntur, expecto, sed interim de illo ne verbum quidem a *Bigotio* nostro, cujus etiam literas jam diu desidero. Pachymeris historiam non dubito quin Reginae Medicus jam tibi reddiderit, aut saltem ad te perferendam curaverit, si diutius ipsi Hamburgi commorandum fuit, ut vulgo ferebant. Misissem ad te eadem occasione, quod in primis cupere videris, *Nardinii* Romam, librumque nuper editum, in quo selectae marmoreae tabulae, dimidiae, ut appellant, eminentiae, e variis antiquorum monumentorum cimeliis collectae, graphice excusae sunt, adjunctis explicationibus unius ex nostris Antiquariis, haud sane ineruditi, opera, sed vix obtinere potui ab eo, cui in ipso Reginae comitatu expeditis itineribus maturandum erat, ut Pachymerim, quod haud ita sane modicum volumen est, se allaturum reciperet, quem ego librum omnibus praeferendum esse duxi, cum ob ejus praestantiam, tum vero ejus causa, a quo mittebatur. Caeterum quoniam in Pachymeri sumus, scias jam partis alterius ejus Historiae versionem a *Possino* coeptam, in qua, ut ab ipso audio, plus fortasse, quam in prima, haud minus certe, insudandum erit. Index nummorum, quem a *Gottifredo* ad praelum me adjuvante comparari ad te alias scripsi, jam ferme in promptu est, sed deterret me Typographorum nostrorum inscitia, ac plane socordia, quibus nulla nisi in forensibus libris lucri spes. Verum huic incommodo medendo opportune accidet, quod amici Parisienses nunciant, *Petri Seguini* proximo autumno Romam adventus, qui pro ea, qua est in *Gottifredum* benevolentia, ac studio in rem nummariam singulari, facile id negotii in se recipiet, ut de hujus libri editione cum Typographo quopiam Parisiensi transigat. *Benedictus Millinus*, quem tu fortasse nosti, vir doctus, atque eruditus, qui in Anastasio Bibliothecario multum curarum collocavit, dissertationem quamprimum se editurum pollicetur, in qua vitas Pontificum, aut majorem certe ejus operis partem perperam Anastasio tribui contendit. *Allatius* in recensendis Nili epistolis quotidie versatur, quas brevi in lucem daturus est Eminentissimi Card. *Barberini* beneficio. *Holstenii* Notae ad Geographiam sacram *Caroli a S. Paulo*, *Cluverium* & *Ortelium* jam prodierunt, quibus accesserunt etiam dissertationes duae de Ministro & forma confirmationis apud Graecos. De Homeri editione, quam ab *Elzeviriis* comparari scribis, jam a *Dato* nostro fueram admonitus, atque etiam interpellatus, ut si quid ad illam ornandam e Vaticana Bibliotheca posset accedere, mea opera procurarem, qua de tota re jam tum statim

cum

cum *Allatio* egi, ſed quo minus negotium ulterius promoverem impedimento fuerunt aeſtivae feriae; quae cum intra paucos dies ceſſaturae ſint, de Homericis Interpretibus, quorum nonnullos inter Vaticanos codices reperiri audio, *Allatio* rurſum aurem vellam. Heri recentibus Amſtelodamenſibus literis atrox nuncius vulgabatur de incenſis a Claſſe Britannica ad CL. veſtris onerariis navibus in portu neſcio quo, quae plaga ſupra bis millies HS. aeſtimabatur, quae ſi vera ſunt, ego vehementer tui cauſa doleo, vereor enim ne majora etiam detrimenta a Britannis, impetu victoriae elatis, Reipublicae veſtrae afferantur. Tu vero, ut ut haec evaſura ſint, vale, & me, ut te facere ſatis video, impenſe ama. Roma Idibus Septemb. CIↃIↃCLXVI.

EPISTOLA CCCCLI.

NIC. HEINSIUS

Oct. Falconerio.

Romam.

UT quod res eſt, dicam ingenue, mutuis officiis certare tecum praecipuae mihi ſit voluptati, ſi res ſic ferat, adeo numquam deeſt in tuis litteris, Falconeri jucundiſſime, quod me oblectet ſimul & erudiat. Sed neque tu tam ſeverus es beneficiorum exactor, ut graveris continuam in hac palaeſtra palmam, & ego ſcio illic terrarum me poſitum, ubi ſcientiarum nomen, ſi alibi gentium, negligitur & friget. Nec tu alios fortaſſis ex ſeptentrione nuntios a me exſpectes, praeter hos, qui narrent, nihil hîc, quod ſcientiis promovendis conducat atque ornandis, agi. Adeſt in hac civitate nunc nobis *Johannes Schefferus*, qui litteras humaniores & jus publicum apud Upſalios profitetur. Is Phaedri fabellas curis ſecundis illuſtratas propediem prodet in lucem. Mox de re navali veterum commentarios longe auctiores atque elimatiores dabit. Sed deeſt per hoſce tractus bibliopola, qui typis paullo concinnioribus opus eruditum curet deſcribendum ac publici faciendum juris, ut foris illi circumſpicienda ſit rei hujuſce oportunitas, quam domi nuſquam inveniet. *Brunnerus*, qui Moerin Atticiſtam nobis debet promiſſi reus, & calculo graviter laborat & ſupremum in Academia patria gerit magiſtratum, ut hoc quidem temporis curae privatae vix vacare poſſit. *Schefferi* Mauricius & Arrianus jam ad te perveniſſent munus a me, ſi obtuliſſet ſe via, per quam mitterentur. Nec deero officio, ſi aut Regina ipſa, aut nonnemo ex comitatu ejus ſub hybernam tempeſtatem huc excurret, cui tuto faſciculus ad te peferendus committi poſſit. Ita quidem ſperavit ipſa, ſed neſcio quid difficilioris rei intervenit nuper, quod propoſiti illius impetum in medio curſu interrupit quodammodo ac ſufflaminavit. Ultimis certe litteris princeps Auguſta prorſus ignorare me voluit, quid de adventu ſuo promitti nobis fas eſſet. Excurram fortaſſis ipſe Hamburgum ante aeſtatem proximam, ſi pedem hinc a me moveri permittent foederatorum Belgarum Patres conſcripti, qui votis ac precibus meis hactenus hîc pertinacius obnituntur. Interim amicos, quos Hamburgi compluTtt 3 res

res habeo, adhortabor, ut cum Medico Reginae agant de Pachymeris hiſtoria, eamque arreptis occaſionibus tempeſtive huc perferendam curent. Ardeo enim deſiderio libri illius conſpiciendi. Idque eo magis, quod opinor munificentiae ac benignitatis Barberinae argumentum hunc ſcriptorem bibliothecae meae ab Eminentiſſimo Principe deſtinatum eſſe. Diu eſt, quod poëmatum meorum exemplaria complura in unum faſcem conjecta, Lutetiam perlata oportuit, inter quae duo ad te curanda per *Bigotium*, aut quia is ab urbe abeſſe pergit, per *Capelanum*, quorum alterum vindicares tibi ipſi, alterum Eminentiſſimo *Barberino* a me dares. Sed quod in Arteſia ſarcinas iſtas detineri ſit rumor, ob contagii metum lue peſtifera Flandros ac Brabandos fines infeſtante, tardius haud dubie libelli, quam velim, ad vos perferentur. Interim habes hîc breve epiſtolium nulla facundia inſtructum, ſed plane ſubitaneum, quo & muneris paupertatem excuſare, & cultum meum longe impenſiſſimum magno Principi inſinuare ſum aggreſſus. Nec de ſucceſſu deſperandum eſt, ſi tu infantiae meae ſolitis & toties mihi jam perſpectis ſtudiis ſubvenire dignaberis, tuaeque auctoritatis praeſidio hunc hominem ſedulus fovebis. Caeterum quia ſcribis, meam ad ducem *Montozerium* Elegiam haudquaquam tibi diſplicuiſſe, quae operis initium facit, reliqua quoque non prorſus abs te damnanda fore aut rejicienda ſpes aliquanta ſuboritur. Claudianum eadem via ad vos perventurum ſperabam, ſed quia moles voluminis deterrere latores poteſt, & alias praeter hanc ab *Elzevirio* difficultates moveri video, nihil hîc pro certo polliceri datur. Adeo vix quicquam mari ſecurum ſinit eſſe aut tutum Britannus hoſtis, etiam portibus ac ſtationibus navium quandoque apud nos infeſtus & gravis. Cujus factum barbarum, quod in poſtremis tuis deſignas, ultus eſt ac vindicavit pro nobis Deus nuper admodum exuſta fere univerſa civitate Londinenſi, eamque in rem luſi paucis hiſce verſibus, quos una cum hiſce litteris a *Dato* noſtro, ut opinor, accipies. Epigramma ipſum pro bono ac concinno abſit, ut ipſe venditem: & tamen dubito, an meliora hinc terrarum tibi exſpectanda ſint: vides quam ſuperbum ac arrogantem me barbaries haec noſtra reddat. Amicos omnes jubeo ſalvere, te autem agere feliciter aetatem. Vale, vir Eximie, & mihi, ut hactenus, perge bene velle. Litteris & properatae ſcriptioni ut benigniter ignoſcas etiam atque etiam mihi es rogandus. Exarabantur Holmiae Suecorum a. d. XXV. Octobris Gregor.

P. S. Has exarabam, cum audio propediem Hamburgo nobis adfuturum eſſe *Adamium*, Cardinalis *Azzolini* ex ſorore nepotem, miſſum a Regina, per quem cum copiam mihi fore faciendam augurer Hiſtoriae Pachymeris, diſtuli promiſſam ad Eminentiſſimum *Barberinum* ſcriptionem, dum liber ipſe compareat. Et ſane opinor melius me conſulturum eſſe mihimet ipſi, ſi via Pariſienſi una cum poëmatum meorum libello epiſtola Romam mittatur.

EPI-

EPISTOLA CCCCLII.

OCT. FALCONERIUS

Nic. Heinſio.

Heiniane.

Mihi ſane gratae ſunt, eruntque ſemper literae tuae, illae vero etiam ſuaves fuerunt, quas recens a *Dato* noſtro accepi a. d. XXV. Octob. datas, ex quibus cognovi eſſe tandem aliquid, in quo tibi placere, amoremque erga te meum teſtari poſſim, quodve tenuitatis meae rationibus accommodatum ſit. Vix enim aliud officii genus a me proficiſci poſſe video, quo tu delecteris magis, quam ſi te de iis, quae Romae in re literaria fiunt, certiorem faciam. Praeſtabo vero id diligenter, quantum potero, curaboque ne quicquam te lateat, quod eruditione tua dignum ſit. Doleo interim haud modice mihi in Pachymere ad te mittendo parum adeo feliciter ſucceſſiſſe, ſive id caſu, ſive negligentia Medici Reginae, quem tamen modis omnibus rogavi, ut librum ad te quam citiſſime perferendum curaret. Verum an non tu ſuaviter nugaris, qui me a te nihil expectare jubes in iis literis, in quibus tam praeclara de eruditorum apud vos virorum ſtudiis narras, quodque deliciarum omnium cumulus eſt, me elegantiſſimo illo tuo Epigrammate de Incendio Londinenſi beas? Tu vero ne indonatus a me omnino abeas, optimo dierum, hoc eſt Kalendas ipſis Januariis, accipe ſtrenarum loco, bina hîc Epigrammata Graeca, quae e Baſi haud ita pridem circa Thermas Trajani effoſſa ipſe deſcripſi atque notis etiam illuſtravi, quas cum annotationibus ad Inſcriptiones nonnullas Athleticas adhuc ineditas brevi, ſi per ocium licebit, vulgabo.[1] Mihi vero in ſecundo Epigrammate non parum negotii facit illud [2] ἐυχησον, quod huic loco minime quadrat, ut tu quoque animadvertendo cognoſces, ſi ea notione accipiatur, qua vulgo ſolet accipi: verba enim, ni fallor, Nicomedis haec ſunt Aeſculapium rogantis, ut ſigni a ſe dedicati donum libenti animo ſuſcipiat, acceptum gratumque habeat, qua ſignificatione verbum ἐυχεσθαι a Graecis ſcriptoribus uſurpatum nullibi comperio. Sed de hoc pluribus ſuo loco. De Homeri editione jam non ſemel Cl. *Allatium* conſului, a quo haec didici, nullos in Vaticana Bibliotheca reperiri veteres Scholiaſtas; qui Homerum, ut Didymus utque Euſtathius, perpetuis commentariis illuſtrarint. Eſſe equidem nonnulla Tzetzis Joannis, ſi bene memini, verſus nempe, ut recentiores Graeci appellant, Politicos, quibus verſibus agit de iis, quae Bellum Trojanum praeceſſerunt aut conſecuta ſunt. Iſaaci Porphyrogenetae Deſcrip-

1 Ipſa epigrammata, quae ſequebantur, hic exhibere minime neceſſarium viſum, quia legi poſſunt cum doctiſſimis ad ea notis poſt Inſcriptiones Athleticas pag. 127. & ſeq.

2 in edito non occurrit id verbum, nec in notis de eo aliquid monetur: & pro σὶ, ἱκέσιον ἔχειν τὸν Νεων, legitur σὶ ἱκέσιον ἐλθὼν Νεων. Ita enim poſt hanc epiſtolam ſcripſit *Falconerius* meliora ſe doctum ſcribit Epiſtol. ſeq.

ſcriptiones Heroum Homericorum *Allatii* ipſius opera editae ſunt, ut noſti. Supereſſe tamen ejuſdem Authoris nonnulla de eodem argumento, quae lucem non viderunt. Caeterum in diverſis, quos habet Vaticana Bibliotheca, Homeri codicibus, multa ſparſim adnotata legi Scholia, quae ſintne luce digna, nec ne ſe profecto neſcire. Haec mihi *Allatius*, veſtrum nunc erit dijudicare, num haec ad editionem, quam paratis, faciant. *Petrum Seguinum* propediem, avide vero, quantum ipſe conjicere potes, expecto, quocumviro eruditiſſimo, tuoque, ut ex ejus libro cognovi, non vulgari amico, non dubito quin ſaepius de te rebuſque tuis mentionem faciendi occaſio ſeſe oblatura ſit. Commodum vero ille aderit promovendae editioni indicis nummorum Gottifrediani, de quo alias ad te ſcripſi: vix enim ulla eſt ſpes, niſi ille ejus operis edendi negotium ſuſcipiat, reperiri poſſe aliquem e noſtris Typographis, qui ſuis ſumptibus librum id genus imprimere audeat. Nili Epiſtolae jam ſub praelo ſunt, brevique prodibunt, etiam libri ſex reliqui Pachymeris; iis enim vertendis *Poſſinus* ſtrenue incumbit, De Poëmatum tuorum exemplis quamprimum mihi curandis ſcripſit nuper ad me *Bigotius* noſter, ſed poëmata ipſa adhuc non video. Cl. *Schefferi* obſervationes ad fragmentum Petronianum Reginam Cardinali *Azzolino* miſiſſe audio. Poſtremo, quod tu facis, viciſſim a te peto, ut de literis & properata ſcriptione mihi ignoſcas, vix enim his diebus tantillum temporis ab occupationibus ſuperfuit, quo raptim haec ad te ſcriberem. Vale, & me tui amantiſſimum amare perge. Roma Kalend. Januar. CIↃIↃCLXVII.

EPISTOLA CCCCLIII.

OCT. FALCONERIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

REdeunti mihi e Germania, quo, ut noſti, a felici recordationis *Alexandro* VIII. Pont. Max. miſſus fueram ad Cardinalatus inſignia deferenda Cardinalibus *Salisburgenſi* ac *Spinulae*, redditae ſunt Florentiae a *Dato* noſtro literae tuae a. d. VI. Aprilis datae, quibus ſane quod tardius, quam par erat, reſcripſerim, facile me abs te veniam impetraturum ſpero; nam audito nuncio de Pontificis Maximi obitu, bonis omnibus luctuoſo, mihi vero etiam peracerbo, tibi ſatis perſuaſum erit, me tum maerore confectum ob amiſſam una cum optimo Principe ſpem omnem dignitatis meae, tum vero etiam occupationibus diſtractum, a quibus vix fieri poterat, ut in tanta rerum mutatione me explicarem, ſcribendis literis imparem fuiſſe. *Alexandri* VIII. Pont. Max. funus alterum excepit Reipublicae ac literis ſane luctuoſiſſimum *Sforziae Pallavicini* Cardinalis, quocum ego, clariſſimo aetatis noſtrae viro, arctiſſimo amicitiae vinculo conjunctus fueram; ut inde poſſis conjicere, quanta mihi ad recentem luctum doloris atque aegritudinis acceſſio facta fuerit: ſentio enim quam magna mihi rebuſque meis plaga inflicta ſit; ſed ferenda haec modice, ut omnia humana ſunt, mihique ad litteras, tanquam ad portum, in iſta pertur-

turbatione confugiendum: quamvis & ipſum ſtudium literarum ſalubre minus futurum mihi video ob neceſſitatem vulneris refricandi, ubi animum recordatio habeat, quantum in literis quoque praeſidii amiſerim doctiſſimi ac ſapientiſſimi Cardinalis morte. At de his quidem ſatis, de quibus aliquanto prolixius ad te ſcripſi, non tam ut dolori meo indulgerem, quam ut tibi perſuaderem, non vulgares profecto cauſas fuiſſe, quae me a reſcribendo tuis literis integrum fere menſem diſtinuerint. Redeo nunc ad illas ipſas tuas literas, ac primum maximas tibi gratias ago, habeoque, quod communicatis *Ferdinando* Epiſcopo Paderbornenſi literis meis, licet inelegantibus, ac nequaquam tam diſerto lectore dignis, memoriam mei excitaveris in optimo atque humaniſſimo Principe, cujus virtutem atque eruditionem ſemper unice colui; mihi vero rem gratiſſimam facies, ſi opportune illum de mea erga ipſum obſervantia, ac, ſi fas eſt ita loqui, etiam amore certum feceris. Epigrammata illa Graeca tibi placuiſſe ſummopere gaudeo, nec eſt jam, cur aut tu, aut Cl. *Langermannus* ingenium torqueatis in difficili illo, ut tunc videbatur, loco explicando, ἰυχηεσσι ϟ δίεσι: recenti quippe marmoris hujus inſpectione haud dubie cognovi, quod antea non deprehenderam, legendum ibi eſſe ἰυχῆς ἐλίγγι δίεσι, unde ſi minus facilis, haud incommodus certe ſenſus elici poſſit. Haec ipſa Epigrammata a me explicata ac notis illuſtrata una cum inſignibus aliis Inſcriptionibus Athleticis jam praelum ſubiiſſent, ſi per Typographum liceret, a quo in excudendis Nili Epiſtolis, quarum editioni *Leo Allatius* incumbit, occupato vix maximo conatu impetrare potui, ut diſſertatiunculam illam meam de Apamenſi Nummo vel meis ſumptibus excuderet. Neque alii (pudet dicere) Romae ſunt Typographi, apud quos typos Graecos invenias ea majorum caracterum copia, ut, quod in hoc genus libris frequenter uſuvenit, nummorum aut lapidum Inſcriptiones exprimi poſſint. Caeterum recentes quidem literas a *Capellano* ſuperioribus diebus accepi, exemplum vero poëmatum tuorum neque ad me pervenit unquam, neque quid de eo factum ſit ſcio. Tu vero, ſi me amas, modis omnibus curato, ut voti tandem aliquando compos fiam; jam ferme enim annus eſt, ex quo optatiſſimi libri legendi expectatione torqueor. De Comitiorum exitu ſi quicquam augurari libet, meo & omnium ferme judicio inter eos qui currunt, *Ruſpiglioſus* is erit, qui brabiolum accipiet. De tuo in patriam reditu tibi ex animo gratulor, ſed ut de re mihi alioquin optatiſſima parum ſolide gaudeam, facit, quod a neſcio quo audivi te Suecicae illi tuae legationi obnoxium adhuc eſſe. Quae ſi vera ſunt, quid tandem ſpei ſupereſt, te Bataviae tuae reſtitutum ſerio literis, ut facis, illuſtrandis vacaturum: fac igitur ut a te ipſo, quid hac de re ſtatuendum mihi ſit, quamprimum ſciam, meque interim tui amantiſſimum invicem amare perge. Vale. Roma IV. Id. Jun. CIↃCIↃLXVII.

EPISTOLA CCCCLIV.

OCT. FALCONERIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

JUcundiſſimae, ſi quae aliae fuerunt, mihi poſteriores litterae tuae a. d. 11. Non. Sextil. datae, quas de more mihi curavit, vir utriuſque noſtrum amiciſſimus, *Carolus Datus*. Ex iis namque cognovi, quod uſque adhuc ignoraveram, delatam ad te tandem Diſſertationem meam de Nummo Apamenſi, quam in meo ab Urbe diſceſſu, occaſione itineris Germanici, faſciculo alligatam ad te miſeram, neque in iis anguſtiis temporis, quod breviſſimum mihi datum fuerat ad me itineri comparandum, ſpatium utique fuit illam, ut debueram, literis proſequendi, quod aequi bonique conſulas velim. Venio nunc ad ea, quae ipſe in iis literis ſcribis, ac primum, plurimum me tibi debere ſentio V. Cl. quod Diſſertatiunculam illam dignam putaveris, quae te conciliante Doctiſſimorum virorum manibus teratur, quorum ego judicium vereri potius debueram, quam laudem expectare, ac ne quidem ſperare. Erit vero cur vel hoc ipſo nomine tibi amplius debeam, ſi illos de eo certiores facias, quod vellem ex ipſa Diſſertatione mea intellexiſſent, me circa *Noe* nomen ex Nummo illo Apamenſi ita diſſeruiſſe, ut ea dicerem, non quae vera putarem ipſe, aut ab aliis exiſtimari vellem, ſed quae veriſimilia magis, aut certe a vero minus aliena videntur. Nam quae objici poſſent, multa ſane novi: ſed in re obſcura, ac difficultatis plena quidvis aliud volui, quam nihil omnino dicere. Illud etiam ultro ingenue fateor, me, ſi mihi eorum vices ſubeundae ſint, vix unquam mihi perſuaſurum, hoc nomen in Nummo verbis reperiri poſſe, cum tamen nihil certius, quam tres illas literas N, Ω, E, in arcae fronte extare, alias praeterea nullas, quas ſi de ΝΩΕ minime accipiendas eſſe duxerint viri, quos nominas, doctiſſimi ſane atque eruditiſſimi, libenter ab iis meliora ac certiora diſcam. Ego in Diſſertatione illa conjecturam, aut ſuſpicionem potius meam, non opinionem aperire profeſſus ſum. ἀ, ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. Quod de tuo in Sueciam reditu ſcribis, mihi ſane permoleſtum eſt; Jam enim ſpes longas inchoaveram, te a munere pleno curarum ac laboris expeditum omnino fore. Jamque mihi ſaliva moveri coeperat, non modo de Prudentio tuo, quo, ut video, propediem eruditis fruendum erit, ſed de Virgilio atque aliis ingenii tui foetibus, quibus nemo te faecundior. Quin & paraveram indiculum librorum, qui cum hîc rariſſime appareant, vix a me alia ope, quam diligentia tua conquiri poſſint. Sed ut ut diſceſſurus ſis, non antea ſpero profectionem adornabis, quam Hagam pervenerit *Paulus* frater meus, qui una cum *Laurentio Magalotto* Patricio Florentino, ſummi ingenii juvene, bonis artibus, Philoſophia praeſertim, ac Mathematicis imprimis exculto, peregrinationem per Europam ſuſcepit, neque multum, poſtquam hae noſtrae tibi redditae fuerint, a Batavia veſtra abeſſe poterit; nam ad vos Vienna brevi

cur

cursum directurum posterioribus literis nunciabat. Utrique vero in iis cognoscendis, quae isthic scitu aut visu digna sunt, quae sunt profecto plurima, non parum opis, ac praesidii erit ab humanitate tua, quam freno potius, quam calcaribus egere certe scio. De Poëmatis tuis brevi accipiendis nova spes mihi affulsit a *Bigotii* nostri recentibus literis, quibus expectare se propediem nescio quid librorum ab *Elzevirio* narrat, quos inter exempla illa tuorum Poëmatum extare nullus dubito. Illud vero quod ad Cardinalem *Barberinum* ante aliquot menses miseras, missumque ad me fuerat a Sereniſſimo Principe *Leopoldo ab Etruria*, redditum a me Cardinali statim est una cum epistola, quae libro ipsi erat alligata. Inscriptionibus Graecis, quarum desiderio magnopere teneris, ad praelum comparandis in praesentia incumbo, quae si minus hic, Lutetiae certe accurante viro doctissimo atque amicissimo *Petro Seguino*, brevi prodibunt. Caeterum sancitam inter Rempublicam vestram, ac Brittannos pacem tibi ex animo gratulor, ac mea etiam causa vehementer gaudeo; maritimo enim commercio restaurato optimorum librorum copia erit a vestris Typographis, quos libros jam diu frustra desideravimus. Utinam esset quod reponere possent nostri Romani, a quorum praelis praeter Nili Epistolas, quarum editionem curat *Allatius*, Eminentissimi Cardinalis *Barberini* munificentia, nil est, quod ut nunc expectari possit. De *Clemente* IX. Pont. Max. credo jure literis ac bonis artibus gratularis; a Principe enim in primis munifico, atque animi tanto fastigio haud imparis omnia polliceri sibi possunt, qui florent genere aliquo laudis. Sed praeterquam quod ille in nostris hisce studiis non ita est versatus; ut ingentem illis apud eum gratiam futuram augurari liceat, vereor utique, ne tamdiu superstes sit, quamdiu & e republica esset, & nos impense optamus. Sed haec Θεῶν ἐν γόνασι κεῖται. Vale, Heinsi nobilissime, & me tantum ama, quantum te a me amari tibi persuadeas velim. Roma. VI. Id. Septemb. CIↃIↃCLXVII.

EPISTOLA CCCCLV.

OCT. FALCONERIUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

Mitto ad te una cum his literis librorum indicem, de quo superioribus ad te scripseram. Eorum acquirendorum spem omnem ego in humanitate, ac diligentia tua collocavi: nam eorum complures, nec Bibliopolis nostris unquam visi, nedum apud ipsos venales habeantur. Pecuniam, qua ipsis comparandis opus erit, iidem a me curabunt Florentini negociatores, a quibus nostrae hae tibi reddentur. Utinam bonis libris ita nos hîc abundaremus, ut a me vel in hoc saltem reponi aliquid contra posset pro iis, quae beneficio tuo me consecuturum spero. Caeterum quos ex iis, quos in indice notavi, libros reperire contigerit, apud te serves rogo, donec frater meus isthuc venerit: nam ipse eos ad nos mittendi negotium suscipiet. Nudius tertius a *Spanhemio*

noſtro literas accepi Bredae datas, quibus poſtridie ſe Heidelbergham verſus iter ſuſcepturum nunciabat, tum vero *Gudium* de itinere Italico iterum cogitare. Nollem de Suecico tuo mentionem injeciſſet: nam id ſane mihi permoleſtum: ſed quando nihil non faciendum Reipublicae cauſa, nil nobis ſupereſt, quam vel hinc fauſtum tibi iter adprecari. teque, ut tibi perſuadeas rogare, te, ubicumque terrarum ſis, impenſe a me amari & coli. Vale igitur, & me viciſſim ama. Roma VII. Kalend. Octobres CIↃIↃCLXVII.

EPISTOLA CCCCLVI.

OCT. FALCONERIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

SUaviſſimas tuarum literarum eas mihi fore, quae ſint longiſſimae, jam alias quidem ad te ſcripſi, nunc vero quid de iis dicam, quas a. d. xv. Octob. exaratas *Dato* noſtro curante diebus ſuperioribus accepi? In iis ſiquidem tuus in me amor paſſim elucet, quo te impulſum ſentio, ut me diligenter adeo de iis, quae iſthic in re literaria aguntur, certiorem faceres, quod quidem & mihi per ſe gratum erat, multo vero gratiſſimum, quod diu eſt, cum quid apud vos viri docti molirentur cognoſcere avebam, quibus meam de Apamenſi Nummo Diſſertationem non diſplicuiſſe ita mihi perſuadeo, ut te potiſſimum ſuffragante eorum favorem, ſi quem meruit, is liber adeptus ſit. Quod tu innuis circa verbum ΝΩΕ, illud ex ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ inverſis vitio ſculptoris literis fieri potuiſſe, ipſe etiam obſervavi, ſi recte meminiſti, ſed quo minus id veriſimile videatur, ea obſtant, quae ad ipſum locum animadverti. Mallem & alia multa monuiſſes, quae a te, acerrimi judicii viro, ibidem corrigi potuiſſe non dubito. Jam enim de ſecunda ejus editione cogitandum mihi eſt, cum ipſam mantiſſae loco, meis ad veteres Inſcriptiones notis addere decreverim, quae notas Lutetiam, ut ibi typis edantur, propediem mittam. Literas meas VII. Kalend. Octob. datas, tibi redditas eſſe gaudeo, id enim ſummopere cupiebam, ut tua ope eos libros, de quibus ad te ſcripſi, conſequi poſſim. Eorum certe nonnulli ejuſmodi ſunt, ut non niſi per occaſionem a viro rei literariae perito, ac in primis diligenti, qualem te eſſe novi, comparari poſſint. Utinam vero & poſteriores noſtras acceperis, quibus Indiculum librorum ad te miſi, quos excerpſi ex Catalogo Bibliothecae cujuſdam, cujus auctio ad Kalend. Nov. apud vos fieri debebat. *Scheffero* eruditiſſimo quid nunc praeſtare poſſim ad opus, quod parat de re Vehiculiaria veterum, ſane non habeo, ſed omnia ille ſibi in eam rem, quae a me proficiſci poterunt, ut te ſponſore parata eſſe ſciat, vehementer cupio. Cl. *Graevio* multum eſt jam quod debeo, cum, ut ex recentibus *Bigotii* literis audivi, dignum me exiſtimarit, quem Heſiodo ſuo donatum velit. Ejus enim libri exemplum una cum Claudiano tuo Lugdunum miſiſſe, ut ad me perferatur, *Bigotius* idem nunciabat. Homeri Apotheoſin formis excuſam ex marmore Columnenſi, jam diu eſt cum *Bigotio* miſi, qui.

qui eam a me *Graevii* nomine poſtulaverat. De Homeri Scholiaſte, quem in Bibliotheca *Salviatorum* latitare ajunt, videbo diligenter; ſed vereor ne quid perficere poſſim, cum difficillime hîc pateat ad hujuſmodi Bibliothecas aditus dominorum inſcitia, qui famam omnem Bibliothecis ſuis eo quaerunt, quod ad eas complures acceſſum poſtulent, conſequatur nemo. *Graevium* vero eundem, ut certiorem facias rogo, me *Nardinii* Romam, cujus deſiderio teneri illum ex *Pauli* fratris literis cognovi, ipſi, cum primum per occaſionem licuerit, curaturum. *Bovini* libellus, quem ipſe a me petiiſti, raro admodum venalis hîc reperitur, ſed omnia tentabo, ut deſiderio tuo ſatisfaciam. *Latini Latinii* Epiſtolarum volumen alterum nuperrime in lucem editum, quod tibi gratum fore exiſtimo, *Dato* noſtro mittam, ut ad te perferendum curet. Nili Epiſtolae, de quibus alias ad te ſcripſi, nondum prodierunt. Ejuſdem ſcriptoris opuſcula neſcio quae brevi ſe publici juris facturum pollicetur *Franciſcus Maria Suareſius*, Epiſcopus Vaſionenſis. Pachimeris Hiſtoriarum pars altera propediem ſub praelo erit. *Paulum* fratrem ad vos minime adhuc perveniſſe miror. Plura ille de mea erga te obſervantia, ne quid de amore dicam, nunciabit. Tu iis nihil verius eſſe credito, meque interim impenſe, ut facis, ama. Roma a. d. x. Novemb. CIↃIↃCLXVII. Eram in his ipſis conſignandis, cum alterae a te mihi perlatae ſunt, ex quibus cognovi te & meas illas, de quibus eram ſollicitus, accepiſſe, & te a librorum nonnullis, quos abs te petieram, coemendis immanitate pretii deterritum ſapienter abſtinuiſſe: in quo tibi plurimum etiam debeo: non enim mea intereſt libros, quibus aliquamdiu carere ſine magno etiam incommodo poſſim, tanti emere. Ceteros, quos a te facilius neque iniquo admodum pretio comparari poſſe non diffidis, libenter expectabo. Librorum indiculum, quem poſtulas, raptim a me deſcriptum hîc habes.

EPISTOLA CCCCLVII.

OCT. FALCONERIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

JAM ab ipſo quidem *Pauli* fratris in Bataviam veſtram adventu cognoveram ex ejus literis, quanta tuis in me meritis facta eſſet acceſſio, Heinſi ſuaviſſime, ob eximia beneficia, quibus ipſum ac *Laurentium Magalottum*, virum amiciſſimum, dum iſthic apud vos commorati ſunt, adfatim cumulatos novi. Neque ſane commiſiſſem, ut ſignificationes earum gratiarum tam diu deſiderares, quas tibi ob ſingularem iſtam tuam erga me humanitatem habui jam tum, nunc vero ago quam maximas; niſi quod ſuperioribus literis tuis acceperam de proximo tuo in Sueciam reditu, me in debito erga te officio perſolvendo aliquanto ſegniorem effeciſſet, quod crederem te in longo difficilique itinere conſummando diu, ut erat veriſimile, immorante, mihi vel ſerioribus literis tuum in Sueciam adventum praevertendi ſpatium futurum. Nunc vero quid dicam de ſuaviſſimis literis tuis, quas nudius tertius a *Dato*

noſtro accepi a. d. XXVII. Febr. datas, quibus ex literis illud tandem ſtatuendum mihi eſſe cognovi nullum plane eſſe officii genus, in quo te a me aequari, nedum ſuperari poſſe confidam, unumque mihi ſupereſſe, ut in te amando obſervandoque nemini concedam. Ergone ad Prudentium ac Poëmata tua, quibus me donatum paulo ante voluiſti, tot optimos raroſque libros accedere oportuit? Ego ſane tibi pro tua hac in me liberalitate nihil eſt quod non debeam; ſed vide ne illa omnem mihi poſthac viam intercludat petendi abs te optimos rariſſimoſque libros, quos te accurante comparandi mihi ſpem feceram. Impudens enim omnino ſim, ſi eos iſto pretio abs te elicere pergam, cum praeſertim vix ullam mihi fore occaſionem ſperare liceat tibi de libris, qui hîc edantur, par referendi. Quamobrem ſi me opera tua uti vis in re, qua nulla magis afficior hoc tempore, munificentiam iſtam tuam in me tantiſper cohibe. Obligabis certe me vehementius, tibique vel hoc ipſo nomine plurimum debebo. Epiſtolam tuam *Franciſco Barberino* Cardinali ſtatim reddidi, eidemque ſpem feci de Prudentii exemplo, quantocius ipſi iſtendo. Sereniſſimum namque Etruriae Principem menſe Majo ineunte Florentiae expectari nunciant; quod ubi primum acciderit non dubito, quin libros a te *Moneliae* traditos *Datus* ſtatim ad me mittat. Novit enim quam magno Prudentium ac Poëmata tua legendi deſiderio ardeam. Epiſtolarum Nili exemplum, quod tibi Cardinalis *Barberinus* dono dat, *Dato* eidem miſi, quo tutius ad te peferatur una cum aliis libris, quos ille ſe propediem ad *Elzevirios* miſſurum nunciabat. Eodem quoque faſciculo accipies volumen alterum Epiſtolarum *Latini Latinii*, ac bina Apotheoſeos Homericae exempla, quod a me munuſculum accipias rogo. Erit ſane illud, ſi cum tuis comparetur, tanquam χάλκεα χρυσείων; ſed veniam ſaltem meretur, qui praeſtat quod poterit. *Bovini* libellum, cujus deſiderio teneris, nuſquam adhuc reperire potui. De Roma *Alexandri Donati* rurſum edenda fuit, cum cogitaret Typographus Romanus, qui eam primum edidit; ſed poſt vulgatam *Nardinii* Romam omnem ejus rei cogitationem abjecit. *Martinus la Farina*, Siculus tibi fama ſaltem notus, nuper ex Hiſpania huc rediit, integrumque Orionis Etymologicum ex M. S. Codice Bibliothecae Scorialenſis ſecum attuliſſe narrat, quod ſe publici juris facturum quamprimum pollicetur. Ego vero currentem incitare non deſinam, ut & tibi in eo morem geram. Memini enim Orionis hujus Etymologicum a te olim vehementer deſiderari. Vale, amicorum optime, ac ſuaviſſime & quod nobis praecipue eſt in votis, te ab iſta tua aerumnoſiſſima legatione quantocyus expedi. Romae. Pridie Kalend. April. CIↃIↃCLXVIII.

1 Vitam hujus viri doctiſſimi, cujus ſupra jam ſemel iterumque mentio facta fuit, accurate deſcripſit nuper Cl. *Mongitor*, in Bibliotheca Sicula, part. II. pag. 53. ubi inter ejus libros, recenſet Addictiones ad librum quemdam Graece ſcriptum, ad vocabularii formam digeſtum, qui Romae excudebatur, ſed non abſolutus fuit: quem hoc Orionis Etymologicum fuiſſe ſuſpicari licet. De *Orionibus* vero variis, & *Ore* etiam Alexandrino, quos confundi ſupra jam ſuſpicatus eſt *Falconerius*, Vid. Cl. *Fabric.* Biblioth. Graec. lib. V. cap. 7. pag. 67. & lib. V. cap. 40. tom. X. pag. 42.

EPI-

EPISTOLA CCCCLVIII.

OCT. FALCONERIUS

Nic. Heinſio.

Holmiae.

NUllum occupatiorem eſſe hominem, quam cui cum praelo res ſit, ipſe experientia, puto, didiciſti: me vero mei libri editio maxime occupavit, tum aliis de cauſis, tum vero praecipue, quod cum is extra aliorum conditionem eſſet, qui apud noſtros hoſce Typographos excudi ſolent, colluctandum mihi fuit cum operarum imperitia, ac non tam in correctionem, quam in ea ipſa, quae Typographi erant, incumbendum. Haec prolixius ad te, ut ſilentium meum diuturnius illud quidem, quam & ego voluiſſem, & obſervantiae erga te meae officio convenire videbatur, in bonam partem accipias, quod ut pro tua humanitate facias te etiam atque etiam rogo. Caeterum ejus libri exemplum ut ad *Elzevirium* perferatur jam *Dato* noſtro miſi. Erit deinde *Elzevirio* curae, ut illud tibi quam primum reddatur. Libros, quos ab eo tuo beneficio accepturus ſum, nondum accepi, alioſque etiam avide exſpecto, quos ille tuo juſſu a *Plumerio* mihi comparaſſe poſtremis literis ſuis nunciabat. Quid novi in re literaria ad te ſcribam, mihil proſus habeo poſt ea, quae ſuperioribus literis tibi ſignificavi. Illud non praetermittam, quod tibi antiquitatis omnis amantiſſimo ſcitu non erit, opinor, injucundum, repertas nuper in effodiendis ruinis antiquorum, ut videtur Balneorum parietinas graphice depictas, in quibus non ſolum varias Deorum imagines videre eſt, ſed etiam oppidum ad mare ſitum, aedificiis frequens, arcuato ponte, ſeu potius mole in altum procurrente, cui moli gemini arcus, ſtatuae equeſtres, atque alia etiam ejus generis ornamenti loco inſiſtunt. Hujus picturae aetatem, ſi quid mei judicii ſit, non multo ſuperiorem Conſtantini aetate duxerim, idque praecipue conjicio ex inſcriptionibus ad nonnulla ex iis aedificiis appoſitis, quae ſequioris aevi Barbariem redolent ut illae, *Forus Boarius*, *Forus Olitorius*, *Portex Neptuni*, *Aquae Penſiles*. Id procul dubio eſt, illam Antonini Pii tempora non excedere, nam id conſtat ex alia Inſcriptione, quae ibidem legitur *Bal. Fauſtinae S.* Harum omnium picturarum Iconiſmum eſt jam, ut audio, qui formis excudendum curat, quod ſi verum erit, habebis quam primum, unde deſiderio tuo luculentius ſatisfacias. Eminentiſſimi Cardinalis *Barberini* Epiſtolam huic faſciculo alligatam ad te mitto. Vale, & ſi me amas, ad me quam frequentius poteris aliquid literarum dato. Roma. XIV. Kalend. Septemb. MDCLXVIII.

EPI-

EPISTOLA CCCCLIX.

NIC. HEINSIUS

Oct. Falconerio.

Romam.

ANxius profecto, ut qui maxime, de rebus tuis haerebam, a quo poſt meam ex patria profectionem vere proxime decurſo inſtitutum nil litterarum prorſus accepiſſem, nunc ſcrupulum omnem exemere mihi, quas a. d. XIV. Kalend. Sept. Roma ad me additis Eminentiſſimi Principis *Franciſci Barberini* longe officioſiſſimis litteris, dediſti. Ex quibus ſum edoctus, quod alioquin neſcirem, Prudentii mei exemplaria Romam eſſe perlata. Ut ſpes ſit Poëmatum quoque meorum copiam tibi ſimul eſſe factam. Ceterum quod magnus ille Princeps ſubindicat Clementis exemplar ſibi a me deſtinatum Eminentiſſimo *Roſpigliofio* munus ceſſiſſe, id quidem laetabundus cognovi; jamque *Elzevirio* in mandatis eſt datum, ut aliud paretur, quod Barberinae bibliothecae addatur, ſi ſit tanti. Monui praeterea rogavique optimum *Capelanum*, ſi occaſio ſic ferat, ut exemplar ſuum Romam curet deferri ad Emin. Principem: ſibi aliud apud *Elzevirium* praeſto eſſe: nam Amſtelaedamo Romam libros mittendi rara, quod ſcis, opportunitas ſe praebet. Picturae illius antiquae ectypon videre impatienter deſidero, utinam vero iſtiuſmodi cimelia ex urbe aeterna ad nos recta deferri poſſent: Nam amicus Florentinus, ut libere dicam quod res eſt, etſi ad omne genus officii a natura factus, & mei perquam ſtudioſus, tamen, ſive morbo frequenter obnoxius, ſive alibi occupatus, aliquanto tardior eſt in curandis voluminibus apud vos recens editis, cum nec *Nardinii* Romam, nec *Spanhemii* de praeſtantia veterum nummorum diſſertationem hactenus acceperim: & hoc quidem hactenus. Recentem ingenii tui foetum longe avidiſſime exſpecto inhioque. Mihi toto hoc menſe cum valetudine adfecta negotium fuit ſatis moleſtum, a quo nunc vix tandem nonnihil reſpiro. Quapropter, quae tua ſingularis eſt benignitas, aequi bonique conſulas, quod paucis nunc tecum ago. Conveniebat me nudius tertius *Johannes Schefferus*, quem res privatae Ubſalia in hanc civitatem evocarant, tradebatque exemplum militiae ſuae navalis, *Elzevirio* mittendum, qui ejus editionem parabit. Ejuſdem commentarium de re vehicularia poſt publici quoque juris iiſdem typis faciendum licet augurari. Rogavit me vir optimus, ut ſe tibi de nota meliore commendarem. Vale, Falconeri nobiliſſime. Exarabam Holmiae a. d. XXIV. Octob. CIↃIↃCLXVIII.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCCCLX.

OCT. FALCONERIUS

Nic. Heinſio.

Helmiae.

OCcupato mihi, ſi unquam alias, compluribus negotiis redditae ſunt ante integrum ferme menſem literae tuae a. d. XXIV. Octobris datae, gratiſſimae illae quidem, ut tuae mihi omnes eſſe ſolent, ſed quibus lectis non potui, quin adverſus amicum noſtrum Florentinum, ne quid gravius dicam, vehementer non commoverer. Itane vero deſiderare te adhuc *Nardinii* Romam atque *Ezechielis Spanhemii* diſſertationem de praeſtantia & uſu numiſmatum antiquorum, quorum librorum uterque ante quadriennium lucem videt? Quod ſi vel toto orbe divulſi a nobis eſſetis, ut ille Britannos ajebat, tamen debuerant illi tanto temporis ſpatio jam diu ad vos perveniſſe. Atque ego quidem peſſimum noſtrum hoc fatum nimis quantum dolerem, niſi profecto ſcirem tribuendum id potius amici negligentiae aut incogitantiae, quam locorum, quo diſtamus, intervallo. Huic autem incommodo ut ea ratione, quae opportunior viſa fuerit, occurratur, tuum erit curare: nam Romae vix ullum novi Bibliopolam, cui cum Amſtelodamenſibus veſtris commercium intercedat, ſi unum excipias, quo *Petrus Blavius* utitur in libris huc ad amicos mittendis. Hac ſi via deinceps uti me libuerit in iis curandis, quae ad te perferenda erunt, neceſſe erit ut per *Elzevirium* cum *Blavio* agas, ut homini de mittendis ad te quaecumque a me illi tradentur, det in mandatis. Sed vereor, ne hac ipſa via certa ſatis atque expedita commercii noſtri ratio futura ſit; raro enim admodum, ac quantum ego ſcio, vix quot annis homini huic quicquam ad *Blavium* mittendi ſeſe occaſio obtulerit. De his autem tute videris, tum vero ſi quam aliam opportuniorem viam ad librarium hoc commercium mecum inſtituendum habeas, ad me quamprimum ac diligenter ſcribas. Haec ad eam partem, quae praecipua eſt tuarum literarum. Ceterum jucundiſſimum mihi accidit, quod ex eiſdem literis intelligo, tantam eſſe Cl. *Schefferi* erga me humanitatem, ut de me adeo amanter cogitet inter aſſiduas, graviſſimaſque occupationes, quibus juvandae reipublicae literariae diſtinetur, cui quidem non mediocris acceſſio fiet, ſi ejus de Re Navali Commentarius ſecundis curis auctus iterum prodibit in lucem, ne quid dicam de eruditiſſimo ac ſingulari Syntagmate de Re Vehicularia veterum, cujus tu ſpem facis. Utinam ne illa longa ſit! nam tu ſalivam mihi vehementer moviſti, nec niſi egregia omnia expectanda ab homine eruditiſſimo atque antiquitatis omnis conſultiſſimo. Ei tu ſingularem obſervantiam meam teſtatam quamprimum facere cave praetermittas, cujus quidem qualecumque pignus Inſcriptionum Athleticarum exemplum accipiat meis verbis rogabis, quod jam *Elzevirio* miſi ipſi tradendum. Tibi vero de rebus, quae hîc geruntur, unum habeo quod nunciem, acerbiſſimum illum quidem ac literis maxime luctuoſum *Leonis Allatii* obitum, quo

extincto magnum literarum Graeciae columen amissum vehementer, opinor, mecum dolebis. Scripta sua ac MSS. Codd. *Barberino* Cardinali legavit *Allatius*, cujus in Bibliothecae Vaticanae praefectura successorem futurum audio *Franciscum Slusium*, Canonicum Leodiensem, quem ut nostratibus omnibus Pontifex anteponeret, adductus est diligenti commendatione *Jacobi Russpighosii* Cardinalis, fratris filii, quocum *Slusio* magnus fuit usus, dum ille Apostolicae sedis Nuncium in Belgio ageret. Bibliotheca scriptorum Hispaniae, quam concinnavit vir eruditus, *Nicolaus Antonius*, qui Ecclesiarum Hispanicarum negotiis apud Pontificem procurandis praeest, jam sub praelo est, cui prope etiam est, ut *Benedictus Millinus* Christinae Reginae a Bibliotheca Anastasium suum committat, quem notis Criticis, ac Chronologicis etiam illustratum publici juris propediem facturus est. Exciderat pene, quod quidem scire Cl. *Schefferum* interest, allatum huc tandem e Dalmatia Petroniani fragmenti codicem, quem constante eruditorum omnium suffragio ante trecentos circiter annos scriptum fuisse constat, ut inde validissimum telum peti possit ad eorum opinionem evertendam, qui id fragmentum suppositititium asserere praecipiti judicio conati sunt. Nemo enim erit, cui persuadeant ea aetate quemquam fuisse, cui Petronii larvam gestare, atque in auctore supposititio edendo, qui ea tempestate, ut credibile est, vix eruditioribus notus fuerit, gloriam quaerere in mentem venire potuerit. Sed de his plura vir doctus, qui *Statii* partes adversus *Vagensilium* & *Valesium* scripto etiam tuendas suscepit. Ectypum picturae antiquae, cum primum per occasionem licebit, ad te mittam. Tu vero meam in rescribendo tibi negligentiam aequi bonique consule, & me, ut facis, benevolentia tua complectere. Romae Kalend. Februar. CIↃIↃCLXIX.

EPISTOLA CCCCLXI.

NIC. HEINSIUS

Oct. Falconerio.

Romam.

EX quo in ultimos hosce terrarum tractus non ita nuper emigravi denuo vix intermissum mihi cum valetudine dubia negotium fuit. Sub exitu tamen anni proxime decursi adeo incruduit morbus, ut ab illo tempore aut lecto, aut cubiculo haeserim adfixus, pedem certe domo in publicum non extulerim. Confirmavi quidem jam instauravique vires utcunque, sic tamen ut caelo horrido ac prorsus hiberno exponi non ausim, museo inclusus & lentae febriculae adhuc obnoxius. Felices vos, & meliore fato prognatos, quibus aestivum tempus jam adfulget, dum nos nivem inter ac gelu mense quinto luctamur multa cum coeli inclementia: Nam ne quid erres, Falconeri nobilissime, aquis omnibus circa civitatem hanc glacie etiamnunc adstrictis, mare navibus intercluſum imperviumque est omnino, sic ut Januario mense non magis. Verum omissis hisce tam ingratis, amicum communem nobis Florenti-

num

num illum horteris & impellis rogo obſecroque; ut mei aliquando meminiſſe dignetur. Annus jam eſt, & quod excurrit temporis, quando ſignificabat, ſeſe copiam librorum ſatis luculentam habere paratam, cum iis navibus mittendam ad nos, quae tunc in ſtatione portus proximi ventos opperiebatur commodos. Poſtea nuntiavit exſpectaſſe ſeſe neſcio quid faſciculi Roma, quod tu libris mittendis addi voluiſſes. Id quia non comparuiſſet in tempore, elapſam fuiſſe e manibus opportunitatem, quam juſſiſſet ſperare. At mihi compertum eſt, ex illo navem non unam e numero bellicarum noſtratium, patriae repetendae accinctam, in portu Etruſco haeſiſſe: quas occaſiones cum amicus noſter negligat, atque elabi alias ex aliis patiatur, facile colligo, aut cum morbo illi eſſe negotium, aut alio cogitationem converſam. Solebat enim ſedulitatem omnibus numeris abſolutam & longe exactiſſimam prae ſe ferre. Urgebo & ego ceſſantem, ubi ex hoc languore diuturno emergam, quod ut ſpero ſub hirundinum adventum fiet. Rumor eſt in Belgio atque etiam hîc terrarum Sereniſſimam Suecorum reginam iter denuo in Germaniam meditari, ad res privatas componendas, quas in hoc regno praeter ſuam opinionem non ſatis compoſitas reliquit. Si res ſic ſeſe habet, quod tu certius poteris reſcire, vide quaeſo, an commodis meis gratificandi opportunitas apud illam tibi detur. Sin ipſam illam venerari coram non ſoles, aut ſoles infrequentior, te commendante fortaſſis ex domeſticis ejus nonnemo cauſam meam ſuſcipiet agendam. Cum ex me cognoviſſet aliquando de Marone recenſendo conſilium agitari, curae ſibi fore promiſit, ut quicquid codicum divini Poëtae paullo vetuſtiorum in ſcriniis bibliothecae ſuae poſſidet reconditum, uſui meo ſubminiſtraretur id omne. Proxime cum Roma ad nos excurrebat, promiſſi hujus fuiſſe oblita mihi viſa eſt, nec ego ejus admonere illam potui, quod viae jam ſe commiſiſſet, priuſquam de profectionis conſilio certi ad nos nuntii eſſent perlati. Vide ergo, ſi qua ratione effectum dari poſſit, ut ſtudiis meis hîc conſulat, excurſura in ſeptentrionem. Nam niſi ſarcinis ejus codices addantur, negotium ſit prorſus arduum, & de quo promovendo nolim cogitari, ne importunus, ut qui maxime, atque odioſus arguar. Pollicitus eram praeterea magnae Principi, curae mihi fore, ut Stephanus Byzantius cum annotatis Holſteniania in Belgio noſtro Typographum inveniret, qui jam inventus eſt, ſi exemplar voluminis ipſum, aut ejus apographum mittetur. Videmur autem periculi omnis, quod in via ſubeundum erit, aleam eo minus formidare, quod Em. *Barberinus* annotata haec Holſteniana in ſuos uſus deſcribenda jam curarit, quantum ex fama colligo. Ut ſi alterum pereat in itinere exemplar, in altero tamen lucubrationes Holſteniamae ſalvae ſint futurae. Sed haec tanti non ſunt, ut meae in ſpem gratiae diſcrimen ſubeas repulſae, ſi rem ancipitem ejuſque eventum cum difficultate conjunctum fore deprehendas. *Allatii* fatum deploro. De ſucceſſore ejus gratulor: eſt enim mihi jam perſpectus vir ille, ut egregium in modum litteratura inſtructus, praeſertim Graeca, ita comitatis laude apud nos clarus. *Scheffero* gratiſſimum fuit de Dalmatico Petronii fragmento rem cognoſſe; uti ex ipſius viri optimi

litteris manifeſtum tibi fiet. *Petrus Blavius* eſt mihi in amicorum numero, utiturque eo familiariter ſic ſatis *Elzevirius*, ut illi tuto videatur poſſe committi, quicquid ad me voles: niſi tu opinaris tutiorem fore viam Gallicanam ac *Bigotii*, aut quia is Lutetiam rarus emigrat ex Neuſtria ſua, amici cujuſcumque Pariſii operam. Spanhemianum commentarium de praeſtantia veterum nummorum typis Elzevirianis jam majori ex parte deſcriptum eſſe nuntiant ex Belgio amici, ac militiae navali Schefferianae manum a typographo propediem fore admovendum. Prodituras mox etiam in publicum Gronovianas ad Plinii Hiſtoriam Naturalem caſtigationes, opuſculum non magnae molis. Tacitum ejuſdem *Gronovii* ac *Graevii* Suetonium lentius procedere. Eſſe tamen in recognoſcendo Cicerone occupatum *Graevium* ipſum: editionis auſpicium ab epiſtolis familiaribus fore inchoandum, *Gronovii* filium in Polybio Macrobioque luci parandis verſari. Prodiiſſe *Voſſii* patris de Idololatria Gentium commentarios auctiores. Anaſtaſii vitas Pontificum Romanorum a Cl. *Millino* nobis exſpectandas eſſe gaudeo. Ejus ſcriptoris pervetuſtum exemplar, alterumque in charta exaratum in Bibliotheca Leidenſi vidiſſe me recordor. Utrumque *Damaſii* nomen, ſi probe recordor, praeferebat. Curam Bibliothecae illius nunc habet *Gronovius*. Percurrebam Silvas Statianas nuper, ad quas jam olim complura obſervavi, ſunt enim mendoſiſſimae etiamnum. Codices vetuſtos ejus Poëmatis nullos omnino in Bibliothecis inveniri opinor, notae recentioris nonnullos, etſi rariores & illos, ſcio hìc illic exſtare. Vaticanos quinque cum vulgatis libris in meos uſus *Langermannus* commiſerat ante annos hoſce xv. Sed ſchedae illae naufragio nobis paullo poſt periere. Cum Vaticanum alia de cauſa adieris, rogo, codices illos, & ſi qui alii poſtea acceſſere, inſpicias, conſulaſque ſuper locis hìc a me annotatis. Lituris, quae ob aſſiduas amicorum interpellationes ſat multae irrepſere, benigniter rogo ignoſcas. Viro perilluſtri *Carolo Antonio Puteano*, ſi adhuc in vivis eſt, ejuſque genero *Nicolao Rondininio* plurimam ſalutem dico. etiam *Franciſco Sluſio*, ſi jam in Urbem advenit. Quid *Pollinus* & *Favoritus* nunc agunt? Quid Etymologico Orionis fit, quid inſcriptionibus antiquis, quas *Moronus* tanto tempore promittit? Quid *Athleticis* tuis? nam eas ardeo videre. Jam rediiſſem in patriam, ſi per valetudinem licuiſſet, cui hoc nomine vehementer iraſcor. Ad Reginam ipſe propediem litteras dabo, ſed metuo ne ſerus. Vale, Falconeri Illuſtriſſime, & tuis annumerare me perge. Holmia Suecorum a.d. XXIV. April. Greg. CIↃIↃCLXIX.

Codicem habeo Silvarum Statianarum ex editione Parmenſi, ante annos fere ducentos juris publici factum, quo interpretum nemo hactenus eſt uſus, ejuſque ad marginem vir eruditus nonnemo Italus (nam Florentiae codicem redemi, ſi probe recordor) illorum temporum diſcrepantes ſcripturas ex libro veteri adnotaram: multa illic caſtigatius, quam in exemplaribus vulgatis leguntur. Equo Domitiani verſ. 18. *Exhauſtis martem non amplius armis Biſtonius portat ſonipes.* Parmenſis! *non altius.* Unde ſuſpicatus ſum ſcribere oportere, *Exutis martem non altius Armis B. p. f.* Ut procedat comparatio: nam & ipſe Domitiani Coloſſus inermis: niſi quod Gladio cinctus. *Exutis armis*,

uis, quia Mars Gradivus, ſeu pedeſter, totus a capite ad calcem armatus, quomodo in antiquis nummis exhibetur. verſ. 23. *adſertae munere prolis*) *adſcitae* Gronovius vere, ut opinor. verſ. 30. *Te ſigna ferente, Et minor in leges iret Gener & Cato caſtris*) *τὸ caſtris* prorſus inconcinnum eſt. Pater meus, *in leges iret gener & Cato noſtras*, hoc eſt ſub leges Caeſarianas iſſet, quibus nos paremus. Sic hoc ipſo libro Silva IV. Soteriis pro Rutilio Gallico verſ. 28.

ſeu plana ſolutis
Qua ſtruis orſa modis, ſeu qua tibi dulcis in artem
Frangitur, & noſtras ſentit facundia leges.

Sic editio Parmenſis probe. Pro *qua, qua*, vulgati *cum, cum*. *Noſtras leges* Poëticas vocat. Silv. I. 67. *Septem per culmina montes It fragor, & magnae fingit vaga murmura Romae.*) *τὸ fingit* parum arridet, putabam, *vincit*. Sed nec *montes* ſatisfaciunt. Nam Romae & quidem in foro erectum fuiſſe coloſſum jam deſignavit. Putabam *molis it fragor*. Sic initio carminis, *ſuper impoſito moles geminata coloſſo*. verſ. 98. 99. *Quem tradere es auſus Pellaeo, Lyſippe, duci. Mox Caeſaris ora Aurata Cervice tulit*, verſus ſuſpecti, quia in fidem hiſtoricam peccant. Videndum an in libris ſcriptis exſtent. Silv. II. Epithalamio Stellae verſ. 9. *Alternum factura pedem*) alii aliter, ego, *tractura*. verſ. 21. *Et olenti ſpargere thymbra*. MS. *nimbo*. quod placet, ſi ab aliis codicibus confirmatur. verſ. 32. *promiſſaque numine dextro Vota paves. permiſſaque* videtur ſcribendum. verſ 41. *Hanc propter tutum: votum* corrigebam. Gronovius *juſtum*, Parmenſis editio, *licuit*. forte *hanc propter libeat*. verſ. 47. *attulit hic mecum. τὸ mecum* videtur corruptum. verſ. 80. *& inermi ſtrinximus arcu*. Parmenſis, *inerti*, quod multo rectius. verſ. 91. *Supereſſe per aeſtus*) Parm. *duraſſe* & hoc concinnius. verſ. 100. *Hic juvenum lapſus, ſuaque haud heſterna revolvit Vulnera*. Parmenſis *ſuaque aut externa*. forte, *hinc juveni plauſus: ſuaque aut externa r. v.* verſ. 122. *Queritur jam Seras avaros Auguſtum.*) videtur a manu Statii eſſe, *querimur jam Seras avaros Auguſtum ſpoliare nemus*. verſ. 131. *Erraret Daphne ſecura: in litore Naxi*) ſic diſtinguendum cum Parmenſi. Male Voſſius in Grammatica, *ſi curvo in litore* ex Senenſi codice. verſ. 155. *Perſpicui vivunt in marmore fontes*) forte, *in murmura*. verſ. 189. *Raptor erat*) *Raptorem* cum Parmenſi & Gronovio. verſ. 203. *Prendiſti portus, tumidae ſic transfuga Piſae*, locus mendoſus. Cur enim *tumida Piſa?* Gronovius hic ſe multum jam torſit. Forte, *prendiſti portum: udae ſic transfuga Piſae*. vel *portus*, ſi hiatus iſte in carmine te offendit, cujus generis tamen verſus plurimi in Marone, Horatio, Juvenale, aliiſque occurrunt; etiam apud noſtrum. ſic pag. ultima Silvarum, *Uberibus tibi parve dedi: heu munera noſtra Ridebas. Uda Piſa* propter Alpheum & Arethuſam. Theb. III. 479. *Branchus, & undoſae qui ruſticus accola Piſae*. ultimam ſyllabam in *portum* male geminarat librarius. Vide ſodes codices Vaticanos. verſ. 240. *Dat Juno verenda Vincula & inſigni geminat Concordia taeda*) quid eſt *geminare vincula taeda?* aut fallor aut corrigendum, *inſigni geminat concordia nodo*. *Nodus* pro vinculo: ſic *nodus amicitiae*, & talia complura. *Nodus Acidalius* pro ceſto ſive cingulo

Veneris apud Martialem. verſ. 251. *Extremo fraudatis opus*) *Opes* fortaſſe. Silv. III. Tiburtino verſ. 16. *Arte manus conceſſa locis*. Parmens. *antiqua locis:* ſi ſcriptura ab aliis etiam codicibus adſtruitur, putem, *arte manus quaeſita*. Gronovius, *adjecta*. Sed taedet in his minutiis haerere. Silv. IV. Soteriis. verſ. 60. locus valde corruptus.

Hinc alti gaudens datur aggredienda facultus

huc Parmenſis. Liber MS. *Hinc arti gaudens*. verſ. 76. *Hunc Galatia vigens auſa eſt inceſſere bello, Hinc quoque perque novem timuit Pamphilia meſſes*) haec ſunt corruptiſſima. Parm. *Hunc Galathea ingens*. Deinde, *me quoque perque novem tenuit*. *Galatia* tertia producta ſuſpectum eſt. etiam *vigens*. forte *hunc Galatae, atque ingens a. e. c. bella Maeſia*, (vel *Myſia*) *perque novem tenuit P. m. tenuit*, ut apud Lucan. de Caeſare, *Bellantem geminis tenuit te Gallia luſtris*. *Ingens Maeſia* ut apud Claudian. *cum Geticis ingens premeretur Moeſia plauſtris*. paullo ante ſcribendum quoque, *ferrumque recingi*. Lib. II. Epiced. in Glauciam verſ. 84. *jura animis ſociare datur*. Parmenſis *ſanare*, puto, *ſancire*, Sic lib. I Silv. III. 92. *Fronte gravis ſanuſque decor*. forte, *ſanctuſque*. nam *ſanuſque* ſuſpectum eſt, cujus loco Parmens. *ſociuſque* Eodem Tiburtino verſ. 89. lego. *Daunia nimboſa revocabunt litora bruma*, non *avia*. nam quemadmodum aeſtate Tibur & loca jam ante deſignata Romani veteres petebant, *& quodcumque jacet ſub urbe frigus*, ut cum Martiali loquar, ita ſub hibernam tempeſtatem, villas in Calabria Apuliaque ad mare poſitas, *ver ubi longum tepidaque brumae*, cauſas reddente Horatio. Sed haec fuſius in Adverſariis ſum proſecutus. Etiam pecus ex Sabinis, Lucanis, aliiſque Italiae partibus hyemem in Daunios tractus eaſdem ob cauſas compellebant. Si *ve avia* tuemur, non liquebit, in qua parte Italiae Vopiſcus hibernaverit, mox etiam ibidem ſcribendum, *Hic premitur facunda quies*. *Docta otia* paullo poſt habebimus. Deinde ibidem verſ. 95. *Pliadumque nivoſum ſidus & Oleniis dignum petiſſe ſub aſtris* Parm. *placidumque nivoſum*. Puto *Hyadumque n. ſ. & Olenii dignum petiiſſe ſub aſtri*. Sub ſidus Hyadum & Olenii aſtri ſive haedi Olenii; *Pliadum* ferri non poteſt, cum peccet in legem metricam. verſ. 103. denuo ſcribendum cenſeo: *Vibres* pro *turbes*, *Liventem Satyram nigra rubigine vibres*. quomodo apud Catullum *truces vibrare jambos*. verſ. 109. eodem Tiburtino, *ſic omni detectus pectora nube*. Scribe meo periculo, *deterſus*. Horatus, *Notus obſcuro coelo nubila deterget*. Sic & alii ſcriptores paſſim. Noſter Silvarum II. Epiced. Glauciae verſ. 193. *Te videt & ſimiles tergentem pectore curas*, ita Parmenſis. Quod & *Gronovius* in uno alteroque codice videtur invenire. Unde is conjectabat, *repetentem pectore curas*. fruſtra, ſi quid video. vulgo *volventem*. Sed *tergentem* pro *detergentem*, ſolantem, ſolatia curis & dolori quaerentem. Haec quoque diligenter & multis ſumus complexi in adverſariis. Lib. II. Silv. II. Surrentino verſ. 150. *non frontem vertere minae*. Parmenſis *viſere*. MSS. *traxere*. Inter aliquid. proximo verſu malim, *rugarum ignara voluptas*, quam *curarum*. Silv. VI. Epicedio Pileti verſ. 48. *Nam pudor inde novae mentis*) An, *pudor ingenuae mentis*. Ut Epicedio

cedio Glauc. *rogenuoſque ſuper crines*, verſ. 44. Parmens. *Unde notae mentis.* Paullo poſt verſ 54. *Dignus & Haemonium Pyladem praecedere fama.* locus manifeſte corruptus, nam Phoceus fuit Pylades, non Theſſalus. MS. Cod. cujus deſcripantes ſcripturae in Parmenſi apparent editione, *Haemonium juvenem*, Forte, *Haemoniam Pelidae accidere fama*, vel, *Haemonium Pyladaeque atcedere fama Cecropiamque fidem.* ut tria exempla ſingularis amicitiae conjungat, Achillem, Pyladem, Theſea. Paullo ante, *Carmina quae doniſſe queant.* Parmenſis, *Carmine quo potaſſe queam*, pro *dotaſſe.* Sed non ſatis haec cohaerent, & jam nimius ſum. Lib. III. Silv. II. Propempt. Metii verſ. 30. *Sunt quibus exploret rupes gravis arte molorchus.* Parmens. *explores prius gravis.* Sed τὸ *Molorchus* omnium ingenia hactenus exercuit, & eſt mendoſum profecto. Sub finem Silvarum pagina poſtrema ſunt perquam mendoſa omnia. verſ. 80. videtur legendum, *primo genitum quem protinus ortu Implicui fixique mihi.* Plin. lib. VII. Ep. 12. *Caleſtrium Tironem familiariſſime diligo, & privatis mihi & publicis neceſſitudinibus implicitum.* Sed & illa corrupta ſunt, *queſtuſque & vulnera caeca reſolvam.* pro *exercere genas*, forte *extergere genas.* ut *genas natantes* pro lacrimis poſuerit. Deinde non cohaerent illa, *luduſque tenello Riſus.* forte, *multuſque tenello Riſus, & e noſtro veniebant gaudia vultu.* ridenti Statio puer ſuevit arridere. Habes plura quam velles. Si non grave eſt conſulere Vaticanos Codices ſuper hiſce locis, facile tibi erit arbitratu, ſi quis inter illos ſit notae haud contemnendae, & qui mereatur excuti ad alia complura loca, de quibus tecum agam, ubi id ex uſu meo fore judicabis. Hac properantiſſime in hancce ſchedam conjiciebam, cum primo paucis tecum agere mihi eſſet propoſitum: crevit ſub manu, ut vides, locorum, de quibus conſultum te volebam, numerus. Vale iterum iterumque, Falconeri nobiliſſime.

EPISTOLA CCCCLXII.

NIC. HEINSIUS

Oct. Falconerio.

Romae.

APrili menſe, ſi recte calculum pono, compellabam, aut interpellabam potius non paucis, vir Perilluſtris, exhibito negotio de inſpiciendis Silvarum Papinianarum Vaticanis codicibus. Fugiebat tum me locus iſte libri IV. ad Marcellum verſ. 87.

jam Sidonios emenſa labores
Thebais optato collegit carbaſa portu;
Votiferaque meas ſuſpendit ab arbore vittas.

Ita caſtigavit ex Senenſi codice, quo uſum eſſe ſcimus *Scaligerum*, *Gevartius.* Sed cum alia exemplaria ſcripta editaque a me conſulta vulgatum, *pomiferaque ab arbore*, mordicus arripiant, habeamque compertum, membranas iſtas Se-

Senenſes locis compluribus a mala manu fuiſſe interpolatas, vix aſſentior *Gevartio*, niſi per te doctus *Pomiferaque* a Vaticanis etiam in *Votifera* mutari. Deſignat nimirum Papinius in Albano ſuo ſupremam manum Thebaidi fuiſſe impoſitam. Alba autem non minus quam Tibur arboribus pomiferis celebrata. Unde illud Silii Italici lib. VIII.

interiorque per udos
Alba ſedet campos, pomiſque rependit ariſtas.

Pluribus haec alibi illuſtramus. Unde fit, puto, manifeſtum non eſſe adeo ineptam & hactenus receptam in Statio ſcripturam, ac *Gevartio* videtur: nam *votiferam* fuiſſe arborem, de qua agit, vel hinc liquet, quod in ea vittas Papinius poſt detextam feliciter Thebaidos telam, ſuſpenderit. Sed ut miſſa haec faciamus: habui a *Capelano* proximis diebus epiſtolium, quo is teſtatur Prudentii exemplar Eminentiſſimo *Barberino* deſtinatum ſibi ab *Elzevirio* traditum, ſuaque opera jam Romam miſſum eſſe, per popularem neſcio quem, qui id ipſum ſe in manus magno Cardinali traditurum ſit pollicitus. Fac, quaeſo, cum occaſio dabitur, Princeps optime de me meritus ex me cognoſcat mandata ſua curae mihi fuiſſe. Proxime ſignificabam cum morbo diuturno pertinax negotium mihi hiberna vernaque tempeſtate fuiſſe. Ex qua Charybdi etſi necdum penitus emerſi, jubeor tamen Sarmatas, ſive Moſchos, adire publico nomine. Sed unde pes amovendus ſit ante hiemem. Si quid litterarum a te mihi illic reddetur, taedium ſolitudinis majore ex parte profligatum agnoſcam. De re litteraria quod addam nihil nunc quidem habeo in promtu. De *Graevio* Ciceronis novam editionem moliente verba, ni fallor, faciebam proxime, deque *Gronovio* Tacitum nobis parante. Scribit ille nunciatque annotata in Plinii Hiſtoriam naturalem ſua jam lucem ſpectare, tum quae in Plinii junioris Epiſtolas obſervarit, una cum curis in Plauti comoedias ſecundis. *Thevenotum* Leidae Geographiam Arabicam praelo typographico commiſiſſe. Si in Virgilium editionis Aldinae ab *Andrea Naugerio* caſtigatum incides quandoque venalem, & in Valerium Flaccum *Baptiſtae Pii* Bononienſis commentariis illuſtratum, eos codices ut mihi vindices enixe peto. Haec in tranſcurſu & opera plane tumultuaria, cum litterarum nonnihil forte parandum eſſet Florentiam. Si Reginae perſuaderi poteſt, ut Stephanum Byzantium *Holſtenii* trans Alpes in Batavia noſtra curet edendum, operam eam ſuſcipiet libentiſſimus, ut mihi jam eſt teſtatus, *Daniel Elzevirius*. Vale, Falconeri optime, & ignoſce nimiae feſtinationi. Dabantur Holmiae Suecorum a. d. XIX. Junii Gregor. CIↃIↃCLXIX.

EPI-

EPISTOLA CCCCLXIII.

OCT. FALCONERIUS

Nic. Heinſio.

Holmiae.

SErius equidem, quam pro inſtituto meo, reſcribo literis tuis a. d. XXIV. Aprilis datis, quas menſe proxime ineunte acceperam, verum eam tarditatis meae excuſationem affero, quam quin tibi legitimam probaturus ſim, nullus plane dubito, ipſam ſcilicet ea negotia, de quibus ad me ſcripſeras, procurandi difficultatem, cujus explicandae ratio cum in aliorum potius arbitrio ac commodis, quam in opera aut diligentia mea ſita eſſet, nihil magis quam opportunitates temporis poſtulabat, quibus dum captandis haereo, utinamne illud immerito mihi acciderit, ut me ceſſatorem ac tantum non Florentino amico negligentiorem apud te exiſtimaveris. Illa vero longae hujuſce morae potiſſima fuit cauſa, quod aeſtivis feriis jam coeptis nullus mihi ad Vaticanam Bibliothecam patebat aditus, ut reliquo anni tempore; quamobrem expectanda mihi fuere Cuſtodis commoda, qui ejus mihi copiam faceret. Ceterum Silvarum Statii Codices non quinque, ut ipſe *Langermanno* auctore affirmas, ſed quatuor tantum in ea extant, aut quintum certe reperire non licuit. Ex iis Codicibus variantes lectiones ad eos locos, quos in ſcheda adnotaſti, hîc habes cum ipſa ſcheda. Qui numeris 3283. & 3871. notati ſunt quadringentorum circiter annorum antiquitatem praeferunt: 3595. aevi paulo recentioris eſt, ſed ſcholiis perpetuis minioque ſcriptis illuſtratus. Quartus, qui numero 3282. recenti ſcriptura ex antiquiorum uno videtur deſcriptus, ac multis in locis ad exemplum melioris codicis emendatus. Ex hoc ſpecimine Variarum lectionum, quid praeſidii ſperandum tibi ſit a Vaticanis Codicibus ad editionem Statii, quam meditaris, facile intelliges; mihi illi non aliis correctiores viſi ſunt. Sed de his tute videris. *Chriſtinae* Reginae repertum a te eſſe Typographum, qui Stephani Byzantii editionem aggrediatur, tuis verbis nunciavi, quo nuncio mirifice illa delectari viſa eſt, ſtatimque juſſit ad te ſcribere, ſe autumno proximo familiarium quempiam de rebus ſuis in Hollandiam miſſuram, ea occaſione *Holſtenii* Notas ad Stephanum, tum vero etiam Virgilii Codices e Bibliotheca ſua, quorum ipſe deſiderio teneris, curaturam, ut ad te perferrentur. Prudentius ac Poëmata tua, quae anno ſuperiore per *Monelium* Principis Etruſci medicum ad me miſeras, jam olim ad me allata ſunt, quod ego ſane iis tibi literis ſignificavi, quibus Cardinalis *Barberini* epiſtola erat alligata. Exemplum aliud Prudentii, quod miſſurus erat *Bigotius*, nondum accepi, verum illud propediem expecto, nam ſic ſperare me jubet recentibus literis ſuis *Bigotius* idem: libros ab *Elzevirio* miſſos, quorum bonam partem liberalitati tuae debeo, jam diu eſt cum poſſideo, quod & me tibi ſcripſiſſe arbitror. Unam Philoſtorgii Hiſtoriam adhuc deſidero, quam, ut videtur, tu mihi ex auctione illa Amſtelodamenſi comparaſti. Sed forte

aut ipse fallor, aut liber alicubi in fratris mei sarcinis latitat. Tu de hoc me certiorem facias velim; sine vere is liber a te mihi comparatus, & *Elzevirione* an fratri traditus. Amicus Florentinus, quem officii sui admonueram, postremis literis ad me scribit, libros, quorum ipse curandorum onus susceperat, jam ante menses aliquot oneraria navi Amstelodamum ad *Elzevirium* missos, sibi vero neque de libris neque de navis illius adventu ab *Elzevirio* quicquam nunciari, quod te ex *Dati* ipsius literis cognoviſſe non dubito. *Carolus Antonius Putaneus*, *Nicolaus Rondininius*, *Alexander Pollinus*, *Auguſtinus Favonius*, quibus tuis verbis salutem dixi, salvere te jubent etiam atque etiam, virtutisque tuae memoriam amice colunt. *Franciſcus Sluſius*, quod jam, ut opinor, ad te allatum est, Vaticanae Bibliothecae praefecturam recusavit, valetudinis excusatione usus, neque alius adhuc, quod sciam, ei muneri destinatus. A *Morono* veterum Inscriptionum editionem aut aliud quidvis frustra expectas. *Mediani* Anastasius nondum praelum subiit. Prodiit tamen ejusdem Dissertatio breviſſima de Anno nativitatis & Passionis Christi, quam ille Anastasio Prodromi loco esse voluit, ac veluti basim Chronologiae, quam ipse ad eum Auctorem concinnavit. Georgii Pachimeris Historiarum libri sex, qui supererant, jam lucem vident *Poſſini* opera, & *Barberini* Cardinalis munificentia. Cl. *Scheffero*, ad quem litteras huic fasciculo alligatas mitto, ut observantiam meam testatam facias vehementer a te peto. Vale. Roma Non. Jul. CIↃIↃCLXIX. De Etymologico Orionis, quod scribenti ex animo exciderat, nil habeo quod nunciem. Id certe scio, qui Romae de eo edendo saltem cogitet, esse neminem.

EPISTOLA CCCCLXIV.

OCT. FALCONERIUS

Nic. Heinſio.

Halmiam.

CUM ante tres ferme menses Florentiam veniſſem, ut *Paulo* fratri praesto esſem, quem a diuturno itinere redeuntem, post Europam prope universam, in comitatu Sereniſſimi Etruriae Principis, peragratam, gravis ac pene exitialis morbus exceperat, redditae mihi sunt a *Dato* nostro literae tuae, quas a. d. XVI. Sept. Narvae Ingrorum ad me dederas, quibus literis de susceptа a te ad Moschos legatione certior sum factus, quam sane tibi feliciter, fauste que evenire opto, atque auguror. Sed, ut verum fatear, tua ista profectio in longinquas adeo ac barbaras regiones non mediocri me affecit sollicitudine, quo fit ut nuncios de te tuaque valetudine avide, si alias umquam, expectem. Ad illas vero tuas rescribere adhuc distuli, cum quod quicquid literarum ad te darem, ad te non nisi in reditu Hamburgi, aut in istis locis uspiam perventurum esse crederem; tum vero etiam quod ad eorum pleraque, quibus responsum oportebat, ut tum quid rescriberem non habebam, quod sane nunc Romae plenius faciam. Prius vero quam ad alia veniam, peto abs te, ut quod

ami-

amicitia noſtra maxime poſtulari videtur, *Novantiae* iſtam tuam plane abjicias, qua adductus moleſtam mihi provinciam fuiſſe ſuſpicaris Vaticanos Codices ſuper nonnullis Sylvarum Statianarum locis conſulendi. Ego vero contra affirmo, nihil ſuavius mihi accidere poſſe, quam ut opera mea, ubicunque opus fuerit, utaris familiariſſime, ut ego quidem tecum facio; quod niſi tu quoque feceris, edico tibi, mihi nunquam perſuaſum fore me a te tantum amari, quantum me exiſtimare velle pro certo habeo; interea voluntatis hujuſce meae pignus accipe, quod a te ſine ullo pudore aut verecundia peto, ut ante tuum in patriam reditum, libros nonnullos rariores, qui Hamburgi, Altorfii, aliiſque iſtarum regionum locis excuſi ſunt, qui quidem apud Bibliopolas veſtrates difficile reperiri poſſint, diligenter mihi compares. Eorum indicem ad te non mitto, quod titulos plerorumque ignoro; unumque te ſcire ſatis ſit, me praeter Cenſorinum de die Natali, *Reineſii* epiſtolas & varias lectiones, vix libros ullos in iſto terrarum tractu editos poſſidere, quamobrem id tibi curandum eſt, ut libros omnes rariores, qui ad Hiſtoriam & Philologiam pertinent, quorumque pars major hoc aut ſuperiori ſeculo in lucem prodiit, ſedulo conquiras, eoſque minime praetermittas, qui ad veteris Germaniae partes illuſtrandas faciunt, illoſque praeſertim, ſi qui ſunt, qui Collectiones rariorum ſcriptorum continent medii aut recentioris aevi. Ut autem urbanitatem hac in re meam magis perſpectam habeas, ſcito me ducentos aut trecentos amplius florenos in hujuſmodi libros libenter impenſurum. Pecunia, qua ad id opus erit, ut tibi Hamburgi curet Mercatorum Italorum aliquis, qui Amſtelodami negotiantur, ſi fieri poteſt, efficiam, quod ſi id minime ſucceſſerit, erit Amſtelodami *Franciſcus Ferronius*; quem opinor noſti, qui argentum, quodcumque tibi a me eo nomine debebitur, ſtatim ſolvet. Quod ſi forte alicubi incideris in Epiphanii opera editionis Petavianae, aut Antiquarum lectionum *Caniſii* Tomum quintum & quarti partem ſecundam, Collectioneſque praeterea ſcriptorum Germanicorum *Urſtiſii*, & *Lindenbrogii*, monitum te volo eos libros a me ſummopere deſiderari. De Stephani editione Reginae iterum aurem vellere non dubitavi, quod tuae & *Elzevirii* recentes literae a me poſtulare videbantur, injecique etiam mentionem *Theodorii Ryckii*, cui in Hollandiam brevi redituro Cod. MSS. tuto credi poſſet; ſed quantum conjicio Regina ejus conſilii, quod te auctore ſuſcepiſſe videbatur, exequendi ſaltem ut nunc haud magnam ſpem facit: nil enim aliud, ad ea, quae dixeram, reſpondit, niſi MSS. illum Cod. haud hujuſmodi eſſe, ut cujuſvis fidei facile committi poſſit, ſeque ea de re amplius deliberaturam. Prudentius tuus, quem a meo ſtatim reditu *Ryckius* mihi tradiderat, *Barberino* Cardinali, vel Pontificiis comitiis occupatiſſimo, fuit gratiſſimus, ejuſdemque lectionem ſibi magnae voluptati eſſe mihi nudius tertius Cardinalis ipſe affirmavit, a quo alterum Pachymeris Hiſtoriae volumen, quod nuper in lucem prodiit, jamdiu ſum nactus, mihique curae erit, ut per *Ryckium* aut aliqua alia via ad te, cum primum licebit, perferatur una cum *Allatii* Apibus Urbanis, quem librum olim a te deſiderari novi. Philoſtorgium in ſarcinis *Pauli* fratris repertum tandem accepi.

De re hic literaria vix quicquam eſt, quod nunciem, niſi prodiiſſe ante paucos Typis Barberinis *Theodori Epiſcopi* Ancyrani expoſitionem Symboli Nicaeni; *Lucae Holſtenio* interprete, qui paucarum paginarum libellus eſt; Bibliothecamque Scriptorum Hiſpaniae jam ad finem properare. *Mager* ille, cujus opera editum eſt utrumque Epiſtolarum *Latinii* volumen, ejuſdem Auctoris emendationes & animadverſiones in diverſos ſcriptores ex Codd. Bibliothecae Viterbienſis brevi ſe publici juris facturum pollicetur, idemque de Anaſtaſio ſuo ſperare jubet *Benedictus Mellinus*, qui Bibliothecae *Chriſtinae* Reginae praefectus eſt; ſed vereor ne ea, quam cum *Franciſco Levera*, Reginae ejuſdem Aſtronomo, nuper ſuſcepit controverſiam de Anno Natali & Paſſionis Chriſti, ipſum a propoſito abducat. Vale vir Ill. meamque in hiſce ſcribendis literis negligentiam aequi bonique conſule. Roma Kal. Febr. CIↃIↃCLXX. *Petri Lambecii* Commentarios Rerum Hamburgenſium jam poſſideo, Demoſthenem editionis Francofurdienſis ſi alicubi juſto pretio venalem reperias mihi comparato.

EPISTOLA CCCCLXV.

OCT. FALCONERIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

QUod me de tuo Holmiam Suecorum reditu, legatione apud *Ruthenos* feliciter obita, certiorem facis, literis tuis a. d. XIII. Decemb. datis, beaſti me plane, mi Heinſi. Eram namque, ſi umquam alias, de tua valetudine ſollicitus, poſt acceptas haud ita pridem ab *Elzevirio* noſtro literas, quibus tibi non bene cum ea eſſe nunciabat. Ego vero tibi ex animo gratulor, non tam quod ex intima illa ſeptentrionis barbaria ſalvus incolumiſque remearis, quam quod in patriam quam primum redeundo te ſimul ac me voti compotem efficies. Id enim jam diu eſt cum aveo. Te namque in Bataviam reverſo longe melius amicitiae noſtrae rationibus conſuletur, opportuniori litterarum commercio. Quod ad libros attinet, quorum indicem ſuperioribus literis ad te miſeram, ut in iis conquirendis opera tua uterer, integrum penes te arbitrium eſto, ut ſcilicet eos tantum compares, cum per occaſionem licuerit, quos commodo pretio mercari contingat. Inſcriptionum Athleticarum exemplum, quod unicum mihi ſupereſt, quando de iis, quae *Elzevirio* miſeram recuperandis nihil jam ſpei reliquum, *Dato* noſtro quam primum mittam, ut cum aliis libris, quos ille propediem miſſurum ſe tibi nunciabat, ad te perferantur. Nam quod de iis Lutetiam tranſmittendis monebas, vereor ne parum opportunum in hoc rerum ſtatu conſilium futurum ſit; imminere namque vobis bellum a Galliarum Rege conſtantes ſunt rumores. Pachymerianae Hiſtoriae volumen alterum, partemque alteram Gemmarum Antiquarum *Leonardi Auguſtini* curabo, ut una habeas. Virgilii editionem Aldinam, & ſi quae aliae ſunt vetuſtio-

ſtiores, diligenter conquiram. *Ryckii* libellus, cui titulus Apes, ignotus mihi plane eſt. Caeterum quod in editione Virgiliana ſymbolam conferre non ſum potis, equidem doleo. Operam tamen meam tibi promptam paratamque polliceri in iis, quae tibi a Bibliotheca Vaticana opus erunt, poſſum. Sed tu in hac re voluntatem ad me tuam enucleatius perſcribas neceſſe eſt. Stephanum Byzantium Lugduni Batavorum ſub praelo eſſe vehementer gaudeo: non dubito enim, quin hac ipſa editione *Holſtenii* & μακαρίτου in eum auctorem animadverſiones publici juris fiant. In hoc certe fidem ſuam obligavit *Theodorus Ryckius*, Popularis tuus, cum me ſuaſore codicem ipſum Holſtenianum anno ſuperiori a *Chriſtina* Regina obtinuit. De *Allatii* curis in Oppianum, *Carolum Moronum* Card. *Barberini* Bibliothecarium, penes quem *Allatii* ſcripta omnia extant, quamprimum conveniam. *Pollinus*, *Favoritus*, aliique viri docti, quorum tu in literis tuis mentionem facis, tibi pro tua iſta erga ipſos humanitate gratias agunt quam plurimas, teque ſalvere ex animo jubent. Tu, ſi me amas, properatae ſcriptioni ignoſce, & ad me de te rebuſque tuis quam ſaepius ſcribe. Roma. Prid. Kalend. Mart. CIↃIↃCLXXI.

EPISTOLA CCCCLXVI.

OCT. FALCONERIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

PRincipio te poſt intimam Ruthenorum barbariem peragratam ſoſpitem in Sueciam rediiſſe, tibi ex animo gratulor, mi Heinſi, quod ex recentibus literis tuis a. d. XVIII. Aprilis datis cognovi, quae quidem hoc nomine, ſi aliae unquam, gratiſſimae atque jucundiſſimae fuerunt. De nova Maronis editione, quam meditaris, animum ego quidem tuum vehementer laudo ac probo, verum ad hanc ſpartam adornandam quid conferam neſcio, niſi quid tibi a Vaticana Bibliotheca eſt opus, in quo ego tibi operam meam jam antea ſum pollicitus, iterumque polliceor. Catalectorum vetus aliquis MSS. Codex an ibidem extet, equidem ignoro, ſed hac ipſa de re, quamquam feriae jam coeperint, Bibliothecam quamprimum adibo, atque ad te propediem ſcribam. Jacturam librorum, quos olim ad te miſeram, reſarciendam curavi. Eos *Datus* noſter ad te mittet, quem ſuo periculo cautiorem factum fuiſſe in libris iſthuc curandis minime dubito. Itaque praeter *Nardinii* Romam Inſcriptioneſque Athleticas meas, habebis Pachimerianae Hiſtoriae volumen alterum, itemque *Leonardi Auguſtini* Gemmarum partem ſecundam. Librorum, quos tu nuper a me petieras, nullum adhuc inveni, neque enim nunc, ut antea, licet Bibliopolarum Agonalium forulos rimari, in quibus libros id genus facilius reperire eſt. Servius, quem ajebas, editionis Florentinae mihi aeque ac *Dato* noſtro eſt incognitus. Caeterum nihil hîc agitur in literis, quod te ſcire operae pretium ſit. Nobis tam beatis eſſe non licet, ut Batavis veſtris, quibus praela

nunquam vacant a bonis doctisque libris. Bibliotheca Scriptorum Hispaniae brevi lucem videbit, nec non *Alexandri Farnesii* & *Ambrosii Spinulae* vitae Latino sermone conscriptae, quas quidem nescio quantum eruditi homines sint probaturi. *Franciscus Bernardinus Ferrarius*, *Andreas Marianus*, & *Camillus Peregrinus* ante hos tres, aut quatuor annos fato omnes cesserunt. *Paulum Sfondratum* qui novit Mediolanensium, qui hîc degunt, reperi neminem. *Ovidius Montalbanus* vivit adhuc, sed ut audio, jam in peculio Proserpinae, & in orci familia numeratus, ex quo apoplexia correptus jacet. Amici omnes Romani *Carolus Antonius Puteus*, *Nicolaus Rondininius*, *Augustinus Favoritus*, *Stephanus Gradius*, *Alexander Pollinus*, & *Carolus Moronus* recte valent, teque salvere plurimum jubent. Cum *Barberino* Cardinali multus mihi nudius tertius fuit de te sermo, qui sane te & magni facit, & amat vehementer. Vale, amicorum suavissime, & me tantum ama, quantum te a me amari velim tibi persuadeas. Roma Prid. Non. Jul. CIↃIↃCLXXI.

EPISTOLA CCCCLXVII.

NIC. HEINSIUS

Oct. Falconerio.

Romam.

NArro tibi, Falconeri nobilissime, adfuisse nobis proximis diebus *Pantichum* Abbatem, virum ingenii unice elegantis, cujus ego raram eruditionem & plane concinnam, quod vobis Etruscis patrium est & perquam familiare, sum equidem miratus, ut qui maxime. In tanta vero felicitate id mihi praeter votum ac prorsus inopportunum accidit, quod tentatus articulari morbo, qui in ipsa via me oppresserat, atque aeger delatus in patriam, non potui homini meritissimo ea praestare officia, quorum intermissorum pudore medius fidius praesentissimo tangor. Quod nisi is pro cetera animi benignitate aequi bonique consulet deserti per valetudinem vadimonii hanc culpam, opinionem, quam de meorum officiorum promtitudine qualemcumque concepisti, quî tueri possim ac sustentare salvam, non video. Maronem nostrum sic commendatum tibi esse volui, ut nil propterea tamen de rei majoris negotiis tibi decederet. Absit enim ut ludum nostrum tuis seriis anteferendum putem, quae quanto rei litterariae cum emolumento conjungantur, haudquaquam me fugit. De Servio etiam Florentinae editionis cum monui, non alia mihi mens fuit, quam ut libri a me desiderati ne meminisse gravareris, si forsan is in bibliopolio venalis tibi occurreret. Scio enim, atque exploratum plus satis habeo, codicum sub initia artis typographicae inventae procusorum mercem ranius prostare, atque inventu esse difficillimam. Pachymerianae historiae partem alteram quando nanciscar cum libris reliquis abs te missis, non intermittam gratum me per litteras pro munificentia singulari apud Eminentissimum Principem *Franciscum Barberinum* profiteri. Sed & volumimbus abs te de-

desideratis, quorum indicem jampridem ad me misisti, conquirendis, si indagari in Bibliopolarum pergulis possint, sedulus incumbam. Virorum illustrium excessum apud vos, quem enarras, indigne equidem tuli. Exstabant enim illorum in me ut privatim, sic publice in rem litterariam universum officia sane luculenta. *Paulum Sfrondratum*, illustri loco apud Insubres prognatum, Augustinianae aut Theatinae familiae Monachum, non enim satis memini, virum artium bonarum amore ac cognitione non levi instructum, Mediolani ante annos plus minus duodeviginti cognitum habui. Parabat is tum in Hispanias peregrinationem, ubi ad Episcopatum neficio quem haud multo post evectus mihi nuntiabatur. Ex illo quid factum sit viro mire officioso cognosse neutiquam est datum. Viris eximiis, *Carolo Antonio Patso*, *Nicolao Rondinino*, *Alexandro Pollino*, *Augustino Favorito*, *Stephano Gradio*, *Carolo Morono* mei memoriam constanter inhaerere lector, quibus plurimam salutem si meis verbis dixeris, quando opportunum videbitur, agnoscam animo non ingrato singulare beneficium. *Gronovium* hic vidi adhuc ex diuturno ac periculoso morbo languentem. Is in Tacito ac Gellio recognoscendis potissimum nunc occupatur. Vidi & *Cuperum*, cujus observationes nuper admodum Ultrajecti prodiere. Vidi & *Tennulium*, *Gronovii* affinem, qui in Jamblichi operibus publico parandis se exercet. *Graevii* Suetonium propediem videbimus. Deinde ad Epistolas Ciceronis familiares castigandas is transibit. *Theodorus Ryckius* quotidianus mihi adest, cum in hoc oppido sedem fixerit. Is salvere plurimum te jubet. Plura narranda nunc non occurrunt. Vale, decus musarum & ocelle. Hagae Comit. Nonis Septemb. Gregor. CIↃIↃCLXXI.

EPISTOLA CCCCLXVIII.

OCT. FALCONERIUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

EGO vero mi Heinsi, pro tuo in patriam reditu, cujus literis tuis Nonis Septembribus exaratis certior sum factus, Apollini & Musis litandum a me censeo, qui tam charum mihi caput deque literis adeo praeclare meritum, magno bonarum artium beneficio, Athenis Belgicis reddiderunt. Non dubito enim quin in isto otio, quod tibi vacatio a muneribus publicis hoc tempore conciliabit, praeclare aliquid, quodque rempublicam literariam egregie juvet, sis moliturus. Id certe augurari licet, amicitia nostra fruendi crebriores posthac occasiones futuras, quod impense gaudia nostra auget, facitque ut tu nobis prope redditus atque in conspectu ipso esse videaris. Caeterum cave tibi persuadeas, quicquam mihi antiquius esse, quam ut commodis tuis serviam, quod ideo tibi dictum volo, ut scias operam meam in omnibus, quibus opus fuerit, promptam paratamque fore. Ad indicem librorum quod attinet, peto abs te, ne graveris ejus exemplum ad me mittere. Illum namque recudere est.

eſt animus, ne in iis conquirendis, quos ab illo tempore comparavi, operam perdas. *Cyriaci Spangenbergii* hiſtoriam Manicheorum Urſellis editam circa finem ſuperioris ſeculi adhuc deſidero, petoque abs te vehementer, ut, ſi me amas, latebras omnes iſtarum Bibliothecarum excutias. Ejus libri conquirendi provinciam ſuſceperat pro ſua in me humanitate *Theodorus Ryckius* noſter, quam quidem ſtrenue geſſiſſe minime dubito, ſed hujus laboris implendi ſortem tibi reſervatam eſſe auguror. Quo me hoc ſingulari beneficio ad alia multa obſtrictum habeas. Ecquid vero *Ryckius* Stephani Holſteniani editionem molitur, an Typographum adhuc quaerit, qui opus a viris eruditis avide expectatum publici juris faciat. Me certe ille uſque dum fidem ſuam liberet ἐγγυοδώκτην habebit, ut fidejuſſionis ejus eventum praeſtem, qua *Chriſtinam* Reginam impuli, ut Codicem ipſum illi crederet, quantocius excudendum. *Jo. Georgio Graevio* neminem habeo praeter te, cui debeam magis inter amicos Batavos. Ille me prior literis compellavit, libris, quos edidit, donavit, *Paulo* fratri Ultrajecti commoranti humanitatis officia omnia praeſtitit. Hiſce nominibus cum ipſe me obligatum ſentirem, arripueram libenter occaſionem obſervantiae erga illum meae, ut poteram, faciendi ſatis, mittendo illi exemplum Notarum mearum ad inſcriptiones Athleticas exemplar, quod cum aliis nonnullis, quae amicis Batavis donanda *Elzevirio* ante triennium miſeram, neſcio quo caſu periiſſe noſti. Neque habeo unde jacturam reſarciam. Unicum ſiquidem exemplar quod ſupererat *Datus* noſter ad te perferendum curabit in eo faſciculo, quem ſe propediem (melioribus, ut ſpero, auſpiciis) ad te miſſurum poſtremis ſuis literis nunciabat. Quamobrem rem mihi gratiſſimam feceris, ſi exemplar ejus libri, quod forte apud Bibliopolas veſtrates reperire liceat, vel certe Francofurti, quo a Bibliopola Veneto, qui majorem eorum partem coemit, quam plurimos miſſos fuiſſe ſcio, *Graevio* meo nomine ſiſtendum cures, in quo quidem vel mea cauſa operam ſuam praeſtiturum *Elzevirium* plane confido. Novit enim ille, quam in ejuſmodi re meam paratam habuerit, cum Obſervationum Geographicarum *Holſtenii* exempla gemina a me petiit, quae idem ac libri alii inauſpicati ejus faſciculi fatum ſubierunt. Apud nos in re literaria nihil plane fit, quod te ſcire interſit. Hiſtoriam rerum in Belgio geſtarum ab Ambroſio Spinula *Angelus Gallucius* e Societate Jeſu nuper vulgavit, in qua vereor, ne ille operae pretium fecerit. Bibliotheca Scriptorum Hiſpaniae, de qua alias ad te, ni fallor, brevi prodibit. De *Paulo Sfondrato* quaeram diligentius, quodque de eo compertum habuero, quamprimum ad te ſcribam. Crebriores ſcilicet a me literas in poſterum habebis. Vale interim, & me ut facis ama. Roma Kalend. Octobr. ɔIↃIↃCLXXI.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CCCCLXIX.

NIC. HEINSIUS

Oct. Falconerio.

Romam.

PErgratum mihi equidem, ſic ut nil magis, & longe acceptiſſimum eſt, memoriam noſtri ſenſibus tuis inhaerere etiamnum conſtanter, vir eximie. Metuebam enim, ne frigus illud, cum quo mihi tanto tempore luctandum fuit in ultimo ſeptemtrione, urbem etiam tentaret, meque parte meimet ipſius potiore, id eſt amicitia tua illa tam jucunda, excuteret ac fraudaret miſerum. Vitae privatae etſi nunc ex voto redditus, ac reſtitutus quodammodo mihi, tamen neque ob valetudinem minus confirmatam, neque ob domeſticas lites, quae me indignis occupant modis, & ab omni ſeria cogitatione avellunt, impetrare hactenus potui, ut ſtudiis ac Muſarum contubernio me totum darem. Pervelim quippe omnes animo moleſtias deterſas prius videre, ne male initiatus ad ſacra iſta accedam, quorum cultus, ut noſti, hominem requirit totum. Huic oneri tam odioſo ut humeros ſubducam, omni conatu jam nunc ago, neſcio an voti futurus aliquando compos. Atque utinam ſolus is querelis noſtris daretur locus, non eſſet profecto contentio nunc ſuſtinenda adverſus quam minime oportuit, quamque ego ſumma pietate praeſentiſſimiſque obſequiis ſemper maximum in modum ſum veneratus. Ea eſt *Chriſtina* Suecorum regina, quae cum abdicato ante annos hoſce plus minus duodeviginti regno florentiſſimo, in meo aere ſeſe eſſe chirographo ſollemni jam tum eſſet teſtata, ſimulque pollicita expenſas in rem ſuam toto quinquennio, quo clientelae me ſuae habuit addictum, a me factas cum uſuris, ut par fuit, ſolide reſtituendas fore, integratis ex illo identidem per litteras pollicitationibus, renovatoque, quadriennium nunc fere eſt, chirographo, tamen cum nuper admodum ante ultimam ex Suecia emigrationem inveniſſem viam, eamque illi ſcripto indicaſſem, qua ſine ullo redituum ſuorum diſpendio commodum maxime in modum ex aere meo tandem aliquando poſſet liberari, tertium monita ac obſecrata ſubmiſſis verbis, cum alias obviam ſemper familiaremque precibus meis ſim expertus, reſcripſit hactenus nihil. Cauſam ſilentii rerum intelligentes aliam non ſuggerunt, niſi eſſe apud illam auctoritatis praecipuae purpurati ordinis Principem virum, cujus ad nutum omnia regali in aula apud illam adminiſtrantur. Hunc animo ab litteris hominibuſque litteratis, praecipue tranſalpinis, mire eſſe alieno. Sed, ut demus illum, cujus nomini nunc parco, litteras & bonas artes odio proſequi pluſquam Vatiniano, vix perſuadeor tamen ut credam, adeo eundem oblitum eſſe & ſui ordinis & exiſtimationis Regiae, ut non ſolvenda eſſe contendat, aut non deberi, quae debeantur. Haec exponenda tibi eſſe duxi aliquanto verboſius, ut conſilio tuo mihi adeſſe ne graveris, Octavi, fidiſſimum caput. Evocavit me renitentem plus vice ſimplici magnis ad ſe pollicitationibus Regina anno ſaeculi hujus quadrageſimo nono.

Parui tandem, etsi a vita aulica multum ingenio alienus, meque clientelae ejus permisi, uti imuebam modo, totoque quinquennii tempore ita me gessi, ut aliorum haudquaquam fortunis inviderem, qui lauto apud illam fruerentur stipendio, ac luculentis praeter hoc affluerentur & assiduis muneribus. Nihil unquam horum ego aut ambivi aut tuli, solo favore regio contentus, ac obsequii mei cum fide, tum constantia inculpatissimus, quod Regina ultro & Livor ipse non gravate, credo, fatentur. Canonicatus aliaque emolumenta, cum dare posset, sperare jussit frequenter non rogantem, sed ut largiretur aliis. Sunt autem facultates meae haudquaquam amplae, ut si mea quadra, quo nunc adspiro, mihi sit vivendum, non e publico, vix eae sufficturae sint ad me alendum, sustentandumque, nisi fruar iis omnibus, quae mea sunt, ac in his quae a Regina debentur. Scribam illi denuo, etsi invitissimus, qui ab artibus mendicatoriis immane quantum abhorreo, petamque, ut quotannis bis mille aureos, vel milienos saltem annumerare mihi jubeat, dum erepat ex aere meo, quoniam lente festinat ipsa. Si tacere pergat, pro repulsa silentium interpretabor, ac vindictam optimae causae omnem Musis & Apollini mandabo plorare jussis. Tuum interim consilium, uti designabam modo, imploro, ut si potes docere, cujus praecipue mihi favore sit opus ad arcam Regiam illam longe tenacissimam perfringendam, ejus rei ignarum esse me ne sinas. Obtulit jam olim operam hîc mihi suam Princeps Paderbornensis, sed an multum ille possit inter hos, qui intimae apud Reginam sunt admissionis, haud scio. Quicquid sit, omnia experiri certum est, & si nil aliud, bona fide tandem aliquando desperare, ac sapere incipiam, quando nihil est sperandum. Alias laetioris argumenti litteras me daturum ad te reor. Cum *Theodoro Ryckio* de Historia Manichaeorum *Cyriaci Spanheimii* sermo fuit mihi: quem librum etsi frustra hactenus quaerimus, tamen quaerere non intermittemus. Holstenianas in Stephano Byzantio recensendo curas exquisitissima, ne edantur, moratur editio Leidensis ejusdem scriptoris, quae nunc sub praelo desudat typographico, additis *Berckelii* cujusdam commentariis. Ea vix est, ut ante annum seculi hujus septuagesimum tertium in lucem sit proditura. Opinatur autem *Ryckius* non esse pro dignitate lucubrationis Holstenianae, ut simul cum Berckelianis animadversis in lucem proferatur. Ego interim adhortari cunctabundum pergam ac polliciti admonere. *Elzevirium* quoque monui, ut modo quocumque Athleticas inscriptiones conquirat, ad *Graevium* nostrum munus tuo nomine ituras. Altum hic in litteris silentium, nondum enim fruuntur luce, aut *Gronovii* Tacitus, aut Suetonius *Graevii*. Tuas si ad *Elzevirium* mittes in posterum, non Hagam Comitum, ubi sedem nescio an fixurus sim stabilem, recte omnino ac tuto facies. Vale, Falconeri Nobilissime a. d. XIII. Nov. CIↃIↃCLXXI. Libris illis, quos *Datus* se missurum propediem spondet, misere metuo. Adeo ille optimus amicus noster, ex *Dato* Lentulus ac Cunctator factus videtur. Indicem librorum, quos desiderabas ante hoc biennium, hîc habes, sed ea lege, ut auctior mox ad me revertatur. Scribit hodie *Elzevirius* inscriptiones tuas Athleticas *Graevio* nostro, ut volebas, abs se esse traditas.

EPI-

EPISTOLA CCCCLXX.

OCT. FALCONERIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

SErius equidem, quam & ipſe volueram, & officiorum meorum ratio poſtulabat, reſpondeo literis tuis XIII. Novemb. datis, quod integrum fere menſem ſtomacho ſupra morem uſus imbecillo, & non ſemel etiam levi febricula tentatus, valetudini tantum curandae dare operam Medicorum juſſu ſim coactus. Tuas vero illas humanitatis atque amoris erga me plenas non ſine ſtomacho, ne dicam indignatione, legi V. Clar. *Chriſtinam* ſcilicet Reginam, quam inſtar Muſarum decimae quicquid eſt hominum literatorum hujus aetatis omni genere laudis ornavit, *Heinſium* Muſarum ocellum ludificari, atque indignis modis habere. Id ego ſane a regiae indolis fatemina, ac benevolo alioquin in viros literatos animo adeo alienum puto, ut non aliam ejus, quam ajebas, ſilentii cauſam eſſe mihi perſuadeam, quam quod cum in iis anguſtiis rem ſuam familiarem verſari intelligat, ut aeri, quo tibi obſtricta eſt, diſſolvendo imparem ſe agnoſcat, quidvis aliud maluerit, quam ſe minime ſolvendo eſſe, literis ultro fateri. Eo quippe res adducta erat, ut aut fidem ſuam chirographo & literis etiam non ſemel obligatam ſolvendo pecuniam liberaret, aut, quod reliquum erat, ſilentio ſibi conſuleret. Ceterum, quid ego conſilii afferam in re non modo difficili, verum, ſi quid judicii mei eſt, prope deplorata, equidem neſcio. Illud procul dubio eſt, ſi qua via ſuperſit hujus negocii conficiendi, eam poſitam eſſe in eo, quem tu innuis, quem ego quidem non alieno in literas, & viros literatos animo, ut tu exiſtimare videris, adductum exiſtimo, ut rebus tuis minime faveat, ſed iis ipſis anguſtiis regiae arcae, quas ab aliquot annis manifeſto produnt imminuti Regiae aulae ſumptus, vel circa ea, quae Reginae in primis oblectamento ſunt, ut Muſici, Hiſtriones, & alia ejuſmodi. Quod ſi ea, quae ipſi cum *Barberino* Cardinali arctiſſima olim intercedebat, neceſſitudo integra nunc quoque eſſet, non aliud magis ſuaderem, quam ut optimi Principis, ac tui amantiſſimi patrocinium implorares, ſed ita poſtremis Comitiis Pontificis mutata ſunt omnia ſtudio partium, ut nulli quam *Barberino* infenſior ſit Purpuratus ille, aliique ejuſdem factionis. Operam Principis Paderbornenſis in hujuſmodi negocio haud ſane multum profuturam tibi exiſtimo, verum ſi hujus quoque periculum facere lubeat, habes nunc ejus experiundae opportunam occaſionem; nam cum ejus frater nuper Romam reverſus intimis Pontificis cubiculariis ſit adſcriptus, habebit Princeps Paderbornenſis optimum adminiſtrum, cujus opera utatur in rebus tuis auctoritate ſua promovendis. Tu vero quando extremis malis extrema remedia ſint adhibenda, vide ſodes ac, caute dicam, diligenter, num antequam nomen non levis ſane momenti, ut conjicio, e tabulis expungas tuis, id quoque experiri praeſtet, quod unice ſupereſſe in prae-

ſentia judico, ut tute ſcilicet hac ipſa de re Romam venias. Ego ſane vix adduci poſſum, ut credam, id mihil profuturum ad rationem aliquam inveniendam, quo ſaltem Regina de parte aliqua pecuniae, quam tibi debet, ſolvenda tecum tranſigeret. Quantum ad me attinet, id unice cupio, ut hoc conſilium expeditum optimumque tibi videatur. Quid enim mihi ſuavius, quam Heinſium Romae amplecti, obſervare, colere? ſed de his tu videris. Inſcriptiones meas Athleticas *Graevio* noſtro curatas eſſe ab *Elzevirio* vehementer gaudeo, cui hoc nomine meis verbis gratias abs te peto. *Ryckium*, *Gudium*, *Gronovium* ſalvere a me plurimum jubeas. Indicem librorum, quos a te mihi comparari volo, reviſum auctumque quamprimum ad te mittam. Literas deinceps abs te crebriores vehementer poſtulo, ut de rerum veſtrarum ſtatu me identidem certiorem facias. Vale mi Heinſi, & me ut facis ama. Romae Idib. Februar. CIↃIↃCLXXII.

EPISTOLA CCCCLXXI.

NIC. HEINSIUS

Oct. Falconerio.

Romam.

NOvembri Menſe, Octavi jucundiſſime, litteras ad te dabam, in quibus cum alia, tum praeſertim negotii nonnihil exponebam tibi, quod mihi cum Regina jam ab annis compluribus diſpungendum reſtat. In eo ſi non gravarere conſiliis tuis adeſſe mihi, rem equidem percommodam mihi facturus videbare. Poenituit poſtea, fateor, inſtituti hujus, quod ex ſilentio tuo, aut ſaltem longius protracto reſponſo, ſatis colligebam rem cum difficultate conjunctam mandaſſe me tibi: certe quam cautius aliquanto tractari oporteret. Quapropter etiam atque etiam verbis enixiſſimis oro te quaeſoque, meae in ſpem gratiae, ne cui moleſtiae temet exponas. Alia enim via poterit tentari fortaſſis hoc negotium, quod omnium optime ex principe Paderbornio, a me, ſi per valetudinem licebit, ſub aeſtatem proximam conveniendo agnoſcam. De re litteraria quod rei privatae ſuperaddam, nuntiandum vix quicquam nunc occurrit, niſi ante Kalendas Januarias ereptum nobis *Gronovium*, cui hydrops fatalis fuit, non ſine praeſentiſſimo artium bonarum damno. Tacitum ejus propediem videbimus. Reliquit & alia complura per liberos in lucem proferenda. Editus hic eſt proxime *Marci Meibomii* de fabrica triremium antiqua commentarius. Niſi bella nos interpellant, exemplar ejus cum aliis libellis ad te mari aperto mittam. *Graevius* athleticas inſcriptiones ab *Elzevirio* accepit. In *Baccium* de thermis ac vinis cum incides, mihi vindices a librariis rogo, tum Papiae vocabularium. Sed de his alias, quando indicem mihi remittes. Eraſmi opera hîc terrarum venalia haberi, niſi pretio inſano, vix poſſunt. Libros ad me complures *Datus* jam miſit, atque in his nonnullos tuae munificentiae teſteram. Eos ubi accepero, non intermittam gratiarum actione debita defungi apud Eminentiſſimum *Barberinum*. Vale. Hagae Comitum Anno CIↃIↃCLXXII. a. d. XII. Februar.

EPI-

EPISTOLA CCCCLXXII.

NIC. HEINSIUS

Oct. Falconerio.

Romam.

DIes agitur nunc decimus quartus, quod paucis te compellabam, dum litterarum nonnihil paro ad utrique noſtrum amiciſſimum *Carolum Datum*, Falconeri optime. Eis ex epiſtolis didiciſſe potuiſti, turbatum non leviter mihi animum anxiumque, dum revolvo mecum, quae Novembri menſe tibi peragenda, conſilii tui atque opis indigus, exponebam. Eadem ſollicitudo etiamnum curas meas acriter exercet. Etſi teſtari perſancte poſſum, non aliam mihi tum fuiſſe mentem, cum aperiebam tibi rem de rationibus, quae cum Regina ſubducenda mihi reſtarent, quam ſententiam ut explorarem tuam, cenſereſne profecturum me quicquam, ſi nonnemini ex hiſce, qui gratia atque auctoritate apud ipſam Reginam inter proceres Romanos praecipue pollent, per litteras ſerium in modum res meas commendarem, ſin minus, aliamne compertam haberes viam, cui inſiſtendum hoc in negotio arbitrare. Nam ego, qui indolem magnae Principis quodammodo notam me habere opinabar olim, nunc re hac in omni coecutire prorſus agnoſco mihi animum:

Tantum aevi longinqua valet mutare vetuſtas.

Nolo igitur, cogitationes ad ſeria converſas, & commodis rei litterariae invigilantes, hiſce in frivolis quoquomodo teneas occupatas. Ego quidem deſideriis meis abunde te gratificatum rebor, ſi hoc abs te impetravero. *Gisbertus Cuperus*, cujus obſervationes, credo, vidiſti, Apotheoſin Homericam marmori antiquo inſcriptam, quam *Athanaſius Kircherus* Latio ſuo inſertum nuper ibat, commentario illuſtrandam ſibi proponit, uti per litteras ipſe ſignificavit mihi. Typographia Blaviana Amſtelaedami proximis diebus conflagravit tota cum vicinis aedibus nonnullis. Vale: Exarabam Hagae Comitum CIↃIↃCLXXII. a. d. XXV. Febr. Indicem codicum horum, qui deſiderantur in bibliotheca tua, velim quamprimum ad me redire.

EPISTOLA CCCCLXXIII.

NIC. HEINSIUS

Oct. Falconerio.

Romam.

PLurimum medius fidius ſollicitudinis exemptum mihi, perlatis nuper admodum meas in manus litteris tuis jucundiſſimis amiciſſimiſque, vir Eximie: per quas & valere te ſum edoctus, & meis rebus diligenter ſtudere. Metus quippe pectori huic obverſabatur haud perfunctorius, ſed tenaciſſimum adhaerens in modum, ne aut in partem interpretarere ſequiorem, quod conſilium

tuum imploratur a me ſuper negotio arduo inprimis ac perplexo: cujus propoſiti me poſtmodo poenituiſſe ex iis cognoſcere potuiſti, quas ultimas penultimaſque ad te dedi. De capeſſenda ad vos via, brevique excurſu moliendo, rem fore omnium tutiſſimam plane tecum ſentio: ſed adeo vires inſtaurare non eſt datum, poſt moleſtias in itinere Ruthenico & longe plurimas & perquam ingentes toleratas, ut ſine praeſentiſſimo vitae diſcrimine, maximaque illius invidia, quae hoc ipſum non ſemel quoque & ipſa a me flagitavit, quod tu ſuades, viae tam longinquae memet ſim commiſſurus. Cogitationes igitur iſtas ut valere jubeamus eſt omnino neceſſe, ingruente praeſertim finibus noſtris bello, quod immani molimine a vicinis in Belgas foederatos nunc apparatur. Quas inter patriae calamitates, quando procellam magis magiſque appropinquantem diſſipare aut amoliri non eſt meum, lacrimas tamen ac ſingultus ut dem publico animorum furori, pietatis lex ſacroſancta & boni civis officium videntur poſtulare. Ceterum, quod perſuaſum tibi ſedere quoammodo ex tuis licet colligere, Reginam debito, quod apud me jam olim contraxit, expungendo parem non eſſe, permitte, quaeſo, ut a te hac in re diſſentiam. Nam niſi certo conſtaret mihi, ipſis illis haud diffitentibus, qui reditus ejus omnes intime exploratos habere debent, minimum aeris alieni apud illam ſupereſſe, unde quotannis magis magiſque ſeſe expediat, minus acriter urgerem negotium. Annuum jam tempus eſt, quod Regni Suecani Cancellarius aliique magnates viri aſſeverarunt mihi religioſum in modum, intra biennium illam nullius aeri fore obnoxiam, ſi, ut proximis annis compluribus fecit, frugalitati ac parcimoniae ſtudere pergat. His adde *Guſtavum Kurckium* regni ejuſdem Senatorem, ac facultates regias adminiſtrantem, ingenue mihi confeſſum eſſe, poſſe illam ſine ullo ſuo incommodo ſatisfacere mihi, ſi velit, ſeque reperturum viam minime difficilem ſolutionis praeſtandae, ſi jubeatur a Regina. Quid quod alii ex miniſtris Regiis, quos nominare nolo, jam pacta mecum inire ſint parati, per quae utrimque conveniatur, ſi debitum expunxerit, alteram ejus partem ſibi ceſſuram renumerationis loco, pro exhibendis hanc in rem abs ſeſe officiis: Quod etſi pudendum ſit in primis tantae principi, quae litterarum tutelam inter paucos ſui ordinis ſuſcepit, nec obſideri a vulturibus id genus togatis debebat, amplectar tamen potius conditionem duram ac iniquam, quam perire mihi omne debitum ut ſinam. Obſervant interim illi, qui ſeſe videre nonnihil in rebus ejus arbitrantur, factam prorſus illiberalem ac ſui diſſimilem, ex quo in urbem eſt delata, remque domeſticam tractandam permiſit illi, quem ego ex fama, tu propius aliquanto, cognitum ac perſpectum habemus. Jamque in eo ſunt plerique, de Tranſalpinis noſtris hominibus loquor, ut quicquid laudibus ejus dederunt, jam olim retractent ac tenebris involutum velint. Ego, qui ferme ſolus ſuperſum conſtantiae infelicis exemplum, poenas fidei ac pietati parum conſentaneas luo. Et haec quidem haſtenus. Nam de eminentiſſimo *Barberino*, eſſe illum optimo, ut olim, apud Reginam loco, credebam mehercules, ſperabamque ejus interventu ad mitiora revocatum iam ac benigniora poſſe. Audivi certe merita viri Principis prae-

praestitaque sibi officia non semel praedicantem. Nunc quando hîc etiam fortuna me frustratur, reliquum est iis unum, quod dicebam modo, ut faeci Hebraeae aliisque id genus vulturiis, quos in domesticis suis illa numerat complures, expilandum me tradam. Libri tui, quos munus ad me pervenire voluisti, jam navigant, immo in fretum Gaditanum perveniisse salvi perhibentur, ut propediem nobis sint expectandi. Nam si diutius aliquanto commorantur in via, metus est, ne, infesto a Gallis Britannisve mari hostiliter, in praedae piraticae partem veniant, quod profecto nolim. Quicquid sit, Kalendas ante Majas proximas omnem rei eventum ex me cognosces. *Gronovium* intempestiva morte sublatum nobis jam puto significavi non semel. Tacitumque ejus luce publica propediem fore donandum, uti & Suetonium *Graevii*, & *Schultingii* Senecam. Monumenta Paderbornensia Celsissimi *Furstenbergii* lucem jam vident: quorum exemplar tibi sepono cum aliis libellis occasione prima mittendum. Voluit enim Princeps Optimus, ut *Elzevirii* typographi nomine praefationem de me huic operi adjungerem. *Gisbertus Cuperus*, cujus observationes videre potuisti, in illustranda Apotheosi Homerica nunc totus occupatur apud Daventrienses, ubi litteraturam humaniorem publice profitetur, teque verbis meis enixe rogatum cupit, ut qua ope propositum hoc foveri atque ornari abs te potest, ne sibi desis. *Meibomius*, non ignorus tibi credo per Musicorum veterum editionem, de triremium antiquarum fabrica commentarium anno proxime decurso apud nos luci permisit: in quo sibi prae aliis, qui jam ante id ipsum argumentum illustrandum suscepere, visus est uti oculis Lynceis. Quid vero de hac lucubratione sit judicaturus *Schefferus* noster, aut quam laturus sententiam, est enim ejus haec, ut scis, palaestra, propediem dabitur scire. *Theodorus Ryckius* peramanter te resalutat, quem ego *Gronovio* successorem dari vehementer velim, & spes adfulget fore, ut voto potiamur. Ego quod nunc abs te sedulus contendam hoc est, ut me viris Clarissimis, *Carolo Antonio Puteano*, *Nicolao Rondinino*, Abbati *Gradio*, *Augustino Favorito* commendes. Nam *Pollinum* ad plures abiisse sunt, qui ferant. Eminentissimi Principi *Francisco Barberino* gratias acturus sum per litteras, quamprimum munus ejus, quod nosti, litterarium ad me perferetur. Vale. Exarabam Hagae Comitum Anno CIↃIↃCLXXII. a. d. XXII. Martii. Virgilium meum typis suis describit *Elzevirius*. Catalecta cupiebam editioni huic addita, sed destitutus omni ferme praesidio, per quod libellus mendosissimus aliquanto castigatior prodiret in lucem; differam puto istas cogitationes, dum observata ad Maronem mea publico permittam. De quibus edendis a me cogitabitur, ut primum ex litium domesticarum pelago ingenti, quo premor, emergam. Sunt enim pleraque editioni parata, nec quicquam requirunt, nisi summam manum, per quam in mundum rediganturr. Iterum Vale.

EPI-

EPISTOLA CCCCLXXIV.

OCT. FALCONERIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

BInas tuas Februario menſe datas, quas mihi curavit *Datus* noſter, nuper accepi, Heinſi amicorum optime, ex quibus intellexi, te non levi ſollicitudine anxium ſuper iis, quae Novembri proximo ad me ſcripſeras de eo negotio, quod tibi eſt cum *Chriſtina* Regina, in quo equidem, quemadmodum ſingularem humanitatem tuam atque modeſtiam vehementer admiror, ita nimiam erga veterem amicum verecundiam atque, ut uno verbo dicam, ἀυζωνίαν probare minime poſſum. Doleo equidem, quod ſuperioribus litteris ad te ſcripſi, omnem mihi intercluſum eſſe aditum, quominus quicquam te in eo negotio adjuvare opera mea valeam, verum ſi quid ipſe videris, in quo ad ipſum explicandum, officiis meis, gratia atque auctoritate, ſi quidem ullam habeo, uti tibi opportunum fuerit, ita utaris, ut te mihi non modo moleſtiam ullam allaturum, ſed rem etiam gratiſſimam facturum, tibi perſuadeas. *Gronovium* nobis ereptum magno literarum damno, omnes lugent Muſarum alumni, neque ſane levem plagam bonis artibus injectam eſſe arbitror incendio officinae Blavianae, quod ego quidem acerbius tuli *Petri Blavii* cauſa, viri in re libraria promovenda induſtrii, ac ſtrenui. *Marci Meibomii* de fabrica triremium antiqua Commentarius ſalivam movit, jamdudum exoptanti mihi quempiam reperire, qui nodum hunc ſolvat, neque enim faciunt ſatis, quae ad Athenaei locum nuper adnotabat *Grentemeſnilius*, vir alioquin acris judicii, ac multae eruditionis, quamobrem rem mihi gratiſſimam feceris, ſi eum librum, cum primum per occaſionem licebit, ad me miſeris. *Baccium* de Thermis ac vinis tua cauſa ſedulo conquiram. Papiae vocabularium ipſe adhuc deſidero. Vale & me, ut facis, ama. Romae IV. Non. April. CIↃIↃCLXXII.

EPISTOLA CCCCLXXV.

NIC. HEINSIUS

Oct. Falconerio.

Romam.

BInis tuarum debeo jam pridem reſponſum, Falconeri Nobiliſſime: quarum priores IV. Nonas Apriles ſunt exaratae, poſteriores certum diem non habebant adſcriptum: ad compellationes tam amicas, quo minus reſcripſeram hactenus, cauſam accipe. Perlata ad nos jam ante menſes duos hac nave, quae libros abs te ac *Dato* noſtro complures mihi munus miſſos vehebat, totus in exſpectatione fui hactenus, ut horum ego conſpectu mox fruerer: ſed contra, ac opinatus eram, accidit omnino: neſcio quibus exortis rixis ac contentionibus mercatores inter, ad quos mercium pars ſpectabat potiſſima. Hiſce ne nunc

nunc quidem penitus finitis, ne debitae gratiarum actioni deeſſem, tamen aliquid dandum ad te litterarum duxi, quo ſcrupulum omnem eximerem animo tuo de libris ipſis, ac ſimul ſolenni gratiarum actione pro munere tam luculento defungerer apud te ſimul ac eminentiſſimum Principem *Franciſcum Barberinum*, quorum munificentia ſingulari arctiſſimo nexu mancipatum me profiteor, relaturus gratias fortaſſe tempore minus ſtudiis ac patriae noſtrae, ſi id ſperandum, iniquo. Premimur enim ac circumvenimur undique tempeſtatis atrociſſimae nube bellica, quae rei litterariae ornandae ac provehendae ſtudium in omnium animis videtur deletura, niſi profligatur mature. Quas ego moleſtias, cum praeviderim jam pridem, ac fortunas meas qualeſcumque tutiorem in portum ſubduxerim, quantum in me, quo liberior ac majori cum jure meus eſſem, quod mihi cum Regina ratiuncularum diſpungendum reſtat, confici equidem optaram, fateor: cujus incommodi in partem tamen te vocari minime oportuit. Audio juſſiſſe illam, ut ex reliquis neſcio quibus ſatisfiat mihi intra triennii proximi decurſum, ſic ut quotannis debito pars tertia decreſcat. Nec iniquam ego rerer conditionem aut aſpernandam, niſi eſſent ex familiaribus ejus Judaei & pejores Judaeis Chriſtiani, qui alteram debiti totius partem ſuam facerent, atque traherent ad ſeſe, imputantes hac lege mihi beneficium ſolutionis impetratae. Sed haec tantis cum ſordibus conjuncta, nec ego admiſerim facile, & ne tibi ſint audienda in poſterum, diligenter cavebo, Falconeri jucundiſſime. Non exſpectas, credo, ut de re litteraria nuntios ſecundos a me accipias inter res Patriae turbatiſſimas. Eſt tamen in eo *Graevius* poſt ſexennem procraſtinationem, ut Suetonium ſuis animadverſis, integriſque *Caſauboni* ac *Torrentii* commentariis illuſtratum publico permittat. Idem de *Gronovii* Tacito, deque Seneca variorum, cui obſervationes *Schultingii* hactenus ineditae accedunt, dictum accipias velim. deſudat & ſub praelo Amſtelaedamenſi Meurſianus de trium inſularum Cretae videlicet, Cypri ac Rhodi antiquitatibus commentarius, tum & agrimenſores antiqui animadverſis *Gulielmi Goeſii* additis. Ajunt in Germania prodiiſſe Valerium Maximum cum notis *Johannis Vorſtii*, hominis non ineruditi. *Marquardus Gudius*, ex quo in Holſatiam ad Paternum larem emigravit, animum matrimonio applicuit. An de litteris ornandis cogitare pergat non dixerim: eſt enim in compellandis per litteras amicis longe tardiſſimus. Virgilius meus jam ferme typis eſt deſcriptus, etiam majori ex parte Flaccus Valerius. Notas in utrumque ſcriptorem preſſurus tamen adhuc videar, dum tempora adfulgeant magis pacata. Vale. CIↃCIↃLXXII. a. d. XII. Junii.

P. S. Edoctus ſum per amicum, exſtitiſſe olim in bibliotheca V. C. *Lucae Holſtenii*, atque adeo etiamnum fortaſſis exſtare S^ti^ Euthalii in epiſtolas Paulinas commentarium, octava, quam vocant, forma Graece ac Latine Francofurti ad Oderam ante annos plus minus LX. typis deſcriptum. Hunc libellum cum illa in civitate, in qua fertur luce publica donatus, multo ſtudio curarim indagandum, nec inveniri poſſit: rogo te obſecroque vehementer, cum alia de cauſſa Holſtenianam, quam dixi, bibliothecam adeundam tibi proponas,

eum investigare ne graveris, meque certiorem facere, quo anno sit in lucem prolatus hujus seculi, tum Francofortine ad Oderam, an ad Moenum sit divulgatus. Potuit enim aberrasse amicus, qui de libello rem me docuit, in nomine civitatis. Quod si ita sese habet, Francofurti ad Moenum erui fortasse possit. Quamquam in civitatis nomine vix erratum esse opinor. Libellum *Sprangenbergii* de Manichaeis per nostratium forulos frustra quaesivi. Virgilius meus ubi prodierit in lucem, quod credo propediem fiet, nisi propositum interpellabit bellica haec tempestas, exemplar sum missurus cum ad alios viros in Italiam illustres, tum ad Eminentissimum Cardinalem *Barberinum*, ac simul gratias acturus meritissimas optimo Principi pro singulari munificentia, qua me cumulatum voluit, illi interim ac me de meliori, quod potes, nota commendes, tum equiti *Puteano*, ejusque genero *Nicolao Rondinino*, *Augustino Favorito*, *Stephano Gradio*, viris clarissimis salutem edicas meis verbis. *Alexandrum Pollinum* elegantissimi virum ingenii e vivis excessisse opinor, nec certus tamen id scio.

EPISTOLA CCCCLXXVI.

OCT. FALCONERIUS

Nic. Heinsio.

Hagae.

Mitto ad te, V. Cl. exemplum antiquae Inscriptionis, de qua fidem tibi meam obligaveram, digna quippe mihi visa est, quae inter praeclara id genus antiquitatis monumenta locum sibi vindicaret, quibus Mulaqum tuum refertum esse nullus dubito. Literas tuas vehementer expecto cum tua inprimis caussa, ut de tua valetudine certior fiam, qua quidem haud ita firma uti videbaris, tum vero etiam, ut ex iis cognoscam, quid mihi de MSS. Arabicis *Golii* statuendum sit, quos venales adhuc prostare haud ita magno pretio audieram, quamobrem abs te peto majorem in modum, ut de toto hoc negotio diligenter quamprimum ad me scribas. Illud etiam mihi erit gratissimum, si per te scire licuit, num inter Codd. MSS. Arabicos Academiae Lugduno-Batavae reperiatur Historia Haeresis Manichaeorum *Mahomed Ben-Isaack* auctore, is enim liber maximo mihi emolumento foret ad scribendam (quod animo jampridem agitabam) haeresεos ejus historiam, quam quidem, quantum per occupationes licebit, deinceps promovere non desinam. Biblia Hebraica sine punctis editionis Amstelodamensis, aut Antverpianae sicubi venalia reperias, ut spero, mihi compares velim, nec non librum aliquem Arabicum itidem sine punctis, e multis, qui Lugduni Batavorum prodierunt, qui quidem versionem Latinam columnatim adjectam, aut saltem e regione habeat. Vidi ipse olim historiam Mussulmanicam Arabis cujusdam scriptoris, cujus nomen memoria excidit, ab *Erpenio*, ni fallor, interprete Latine redditam, ac columnatim in folio, ut ajunt, impressam. Hunc librum, si quidem venalem nactus

ctus fueris una cum aliis, quos habebis ad me perferendos, Baroni *Dell' Iſola* tradere licebit, qui propediem iſthuc profecturus videbatur, brevique ad nos rediturus, ut Aquiſgranum, quo de pace ineunda legatus a Caeſare deſignatus eſt, quamprimum ſe conferat. Cum haec ſcripſiſſem, redditae mihi ſunt literae tuae a. d. IX. Maji datae, quibus vix habeo, quod reſcribam. *Cupero* viro docto ad illuſtrandum antiquum marmor Apotheoſeos Homericae ſymbolam quam conferam in praeſentia non habeo, caeterum ſi ectypum ejuſdem marmoris Romanis formis excuſum uſurpare oculis ipſi fuerit opportunum, ejus exemplum, quod penes me eſt, ſtatim ad te mittetur. De claſſe veſtra, quam ſe jam pelago commiſiſſe audio, ubi quidquam huc allatum fuerit, quod ſcitu dignum videatur, ad me ſcribere ne graveris. Vale interim V. Cl. & me ut facis ama. Bruxellis Idib. Maji CIↃIↃCLXXIII.

Biblia Hebraica aut ſaltem eorum partem aliquam ſi forte apud Judaeum quempiam eorum, qui iſthic degunt, reperiri contigerit majoribus caracteribus expreſſa, quam quae vulgo veneunt, editionis Amſtelodamenſis, erunt mihi multo gratiora, & oculorum meorum hebetudini magis accommodata. Antverpiana illa in 12°. ut ajunt, minutis apprime caracteribus exarata cave mihi compares, vix enim illis vel perfunctorie legendis ſufficiam.

EPISTOLA CCCCLXXVII.

OCT. FALCONERIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

COmmodum redditae mihi ſunt heri in ipſo Tabellarii Italici diſceſſu literae tuae XXVI. Mart. datae, ut, quod de alteris ad Sereniſſimam Reginam curandis dederas in mandatis, e veſtigio exequerer, quas quidem, ut deſiderio tuo facerem ſatis, ad *Franciſcum Commelium* miſi, hominem mihi omni officii genere devinctum, quo Regina ipſa utitur familiariter. (ipſi namque ab obitu *Benedicti Mellini* Bibliothecae Regiae cura eſt credita) neque vero dubito, quin ipſe operam diligentem ac fidelem in tradendis Reginae literis ſit praeſtiturus. Caeterum Reginae ipſius hortatu ſcripſerat nuperrimis ad me literis *Barberinus* Cardinalis, ut per te *Theodoro Ryckio* de Stephani editione iterum aurem vellerem, teque interprete ab eo diſcerem, ecquid ipſe cogitet de fide ſua, qua ſe ante ſexennium Reginae obſtrinxerat, liberanda. Elegia tua, cujus mihi copiam feciſti, mirifice ſum delectatus, nam praeterquam quod elegantiſſima eſt, ut tua omnia ſunt, diu eſt, cum mihi ejuſmodi elegantiarum compotem eſſe non licuit a moleſtis negociorum occupationibus, gratulorque interim Batuviae veſtrae poſt foedus initum cum Britannis, te auſpice in gratiam cum Muſis reditum tandem eſſe. Libellum Arabicum, & Catalogum Bibliothecae Hemmianae avide exſpecto; nam faſciculus, in quo utrumque una cum Athanaſio ad me perferendum nuncias, nondum mihi

est redditus. Pecuniam, quam tibi eo nomine debebam, a *Laurentio Magalotto* nostro curatam fuisse mihi persuadeo, quando per amicum Amstelaedamensem id assequi non licuit. Vale, Bataviae tuae decus, & me, ut facis, amare perge. Bruxellis 11. April. CIↃIↃCLXXIV.

EPISTOLA CCCCLXXVIII.

NIC. HEINSIUS

Oct. Falconerio.

Bruxellae.

QUando gravatus non es, litteras a me tibi concreditas curare perferendas ad Reginam per amicum tuum ejus familiarem, est profecto id beneficium majus, quam quod nudis verbis remunerari sese patiatur. Quod unum polliceri possum, grati animi testificationem in me desiderari abs te, permittam numquam. Etsi in meis ad Eminentissimum Principem *Franciscum Barberinum*, tua opera non ita nuper curatis litteris, aperueram causas, quae *Theodorum Ryckium* revocassent hactenus ab edendis in publicum Holstenianis lucubrationibus, hodierno tamen die repetivi scriptionem, ut intelligat hanc rem nobis esse in praecipuis curis. Calamitati temporum acceptum referri par est, quicquid hîc peccatur nimia procrastinatione. Unde & fit, ut in illa quoque Stephani Byzantii editione, quam *Berckelii* animadversis illustratam sub praelo Typographico totum jam quadriennium apud nos exerceri alias admonebam, minimum promoveatur hactenus, vix tertia totius operis profligata parte. Haerent fato non dissimili inter typographorum manus antiquitates Meursianae trium Graeciae Insularum nobiliorum, quas ego nondum in lucem publicam emissas ex Regia bibliotheca Holmiensi ante hoc quinquennium impetrarem, mea interposita atque adstricta proceribus Suecanis fide, mox publicandas fore. Queruntur tanquam ex compacto bibliopolae, propter infestos a milite praesidiario hostili fluvios, chartam editioni promovendae necessariam subvehi ex Germania ad nos haudquaquam posse. Nec memini sane quicquam prodire durante hoc bello, quod sit numeri alicujus praeter agrimensores antiquos *Wilhelmi Goesii* cura nuper emissos, & Antonium Liberalem publico proxime datum, cum *Berckelii* brevibus animadversis. Athanasii opera cum libello Arabico inter manus *Petri Francii* hactenus versantur, quod hiberna tempestas navibus ad vos iter intercluserit jampridem. Rem sedulo satis a me commendatam sibi hac una causa dilatam, ipse indignatur. Si per *Wolfgangum* bibliopolam mox expediri non potest, ut *Danielis Elzevirii* aut alterius cujuscumque opera utatur, auctor fui, ne quid traharis exspectatione irrita exoptati codicis. Nam de pretio & satisfactum sibi per *Laurentium Magalottum* fatetur ipse, & meae fidei adstrictus non uno nomine jampridem id egerat, ut librum omni mora procul habita ad te curaret perferendum. Catalogum Hemmianae bibliothecae *Daniel Elzevirius* misisse se scri-

ſcribit Bruxellas *Henrico Frixio* bibliopolae, ut ab illo tibi tradatur. Si quid ex iis libris coemptum cupis, ejus indiculum ad me mitte, addito ſingulis codicibus pretio, quo tuos velis. Mihi curae erit ut inveniatur homo fidus, qui rem ex ſententia tua det effectam. Vendetur & menſe proximo Hagae Comitum bibliotheca ſatis inſtructa libris rarioribus, quam typis deſcriptam proxime tui juris faciam. Quotidianae ferme ſunt apud nos hae auctiones, ſed exquiſitam mercem rarius prae ſe ferunt, quare & indicibus earum ad te mittendis ſuperſedeo, nec defuturus tamen officio, ſi id gratum habebis. Vale, virorum decus, & nobis favere perge. Ex *Frederico Spanhemio* bibliothecae Lugduno Batavae cuſtode intelligebam nuper, inventum ſibi illic inter libros Arabicos neſcio quid lucubrationis de ſecta Manichaea, quod tuae in ſpem gratiae deſcribendum curaret. Hagae Comitum Anno CIↃIↃCLXXIV. XI. Aprilis.

EPISTOLA CCCCLXXIX.

OCT. FALCONERIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

BEne eſt V. Cl. quod moras, quae nobis Stephanum Holſtenianae editionis hactenus inviderunt, non niſi calamitati temporum imputare liceat, ſpes enim eſt brevi fore, ut, priſtinae tranquillitati Republica prope reſtituta, otium quoque apud vos Typographis concilietur ad eruditos literatorum foetus in lucem aſſerendos. Athanaſium & libellum Arabicum adhuc deſidero, quibus, ſi per tempus adhuc licet, adjungas velim Antoninum Liberalem, & *Danielis* patris tui epiſtolas. Pecuniam, quam mihi eo nomine expenſam referes, curabit tibi *Joannes a Venazzano* Patricius Florentinus, qui Amſtelaedamii negociatur. Bibliothecae Hemmianae Catalogus nondum ad *Henricum Frixium* Bibliopolam Bruxellenſem eſt perlatus, quod ſane doleo, inſtat enim jam tempus auctionis. Indicem alterius Bibliothecae, cujus ipſe ſpem facis, avide expecto. Lucubrationis de ſecta Manichaea, quam inter Codices Arabicos Bibliothecae Lugduno-Batavae repertam nuper ſignificabas, auctorem eſſe auguror *Mahomed Ben-Iſaack*, cujus mentio apud *Hottingerum* in Bibliotheca Orientali. Quae ſi vera ſint, eſt plane ut a me μίνυτρον jure poſtules pro indicio ſcriptoris a me diu multumque quaeſiti. Caeterum *Frederico Spanhemio* V. Cl. multum erit, quod debeam, ſi ejus opera diuturni voti compotem eſſe licebit. De ea lucubratione cujuſcumque tandem illa ſit, plura a te, cum vacaverit, expecto. Vale. Bruxellis XXII. Aprilis CIↃIↃCLXXIV.

Digitized by Google

EPISTOLA CCCCLXXX.

NIC. HEINSIUS

Oct. Falconerio.

Bruxellas.

NEC Athanasium nec indicem Hemmianae bibliothecae ad te perlatos esse hactenus, equidem miror, cum uterque missi sint diversa via, nec aberrasse potuerint. Quapropter fit, ut nuntios propediem a te exspectem, qui scrupulum omnem mihi eximant, teque voti compotem esse factum testentur. In mittendo indice rem indigere festinationis, ac periculum in mora esse, cum plus satis *Elzevirium* docuerim, caute ab illo actum oportuit, sicut mihi erat pollicitus. Athanasium *Wolfgangus* Librarius ad te curavit. Index alter Mylianae bibliothecae tibi apud me paratus est cum Antonino Liberali editionis nuperrimae. Ea Lunae die proximo ad te mittentur per nautam, qui solet statis diebus hinc Antverpiam contendere. Spondet is curae sibi fore, ut fasciculus inde Bruxellas confestim feratur. Tabellarios hoc fasce oneratos nolui, ne te impensis parum necessariis gravarem; Epistolas parentis mei nullas junctim editas fuisse possum recordari: alioquin harum quoque copia tibi jam a me esset facta. Leidam proximis diebus me contuleram, ut cum *Frederico Spanhemio* agerem de libello Arabico, ad Manichaeam sectam spectante. Verum illo domi non reperto, dicebatur enim rusticari in villa suburbana, cum & ego reditum sub noctem maturarem, recepit in se *Theodorus Rykius* (a quo responsum exspecto propediem) acturum sese de hoc libello aut cum ipso *Spanhemio*, aut cum illo, cujus nomen mihi excidit, qui Catalogum codicum Arabicorum publica in bibliotheca apud Leidenses exstantium concinnare dicitur. *Berckelius*, qui Liberalem edidit, est is ipse, qui in Stephano Byzantio publici juris faciendo nunc occupatur. Fratrem tuum, vir illustrissime, natu maximum e vivis excessisse audio & indigne fero, cum nihil illarum rerum, quae ad te pertinent, alienum a me censeri oporteat. Quanquam iis sapientiae praeceptis abunde instructum te novi, ut doloris solatia omnium optime a temet ipso mutuari & possis & debeas, cupiam tamen cum maxime conferri a me in medium non nihil posse, quod justissimo maerori tuo vel ex parte mitigando, si non tollendo penitus, conducat, Vale. In Hemmiana vel Myliana auctione, si quos libros tibi addictos cupis, mihi negotium permitte quaeso, sed ea lege, ut cuique codici pretium certum adscribas, ultra quod licitatori non sit integrum se proferre. Circumspiciam hominem exploratae fidei, cui negotium omne mandetur, si mihimet ipsi interesse auctioni minime licebit. Hagae Comitum Anno CIↃIↃCLXXIV. IV. Maji.

EPI-

EPISTOLA CCCCLXXXI.

OCT. FALCONERIUS

Nic. Heinsio.

Nugam.

REdditus mihi tandem est a *Foppenio* Bruxellensi Bibliopola fasciculus, in quo Athanasii opera & libellus Arabicus. Indicem Hemmianae Bibliothecae adhuc desidero, eumque nescio quo fato alicubi, ut opinor, interceptum non possum non aegre ferre, quod occasionem adeo praeclaram Bibliothecam meam rarioribus libris instruendi elabi omnino videam. Et is mihi sane alicui solatio fuisset ad maerorem, quo jam dudum oppressus jaceo ob acerbissimum fratris casum, qui magnum cum mihi tum familiae universae luctum & vastitatem attulit. Verum, quando sic visum est superis, modice id ferendum est, ut hominem Christianum decet. Tu, si me amas, Indicem Mylianum quantocius ad me perferendum curato, ne hoc quoque voto frustremur. Codicibus, quos mihi comparandos seligam, certum adscribam pretium, quo illos mihi coemptos velim. Pecuniam, quae tibi a me non uno nomine debetur, quamque deinceps in meos usus erogabis, curabit tibi *Joannes a Venazzano* Patricius Florentinus, qui Amstelaedamii negotiatur, ad quem nuper ea de re dedi literas. Vale, amicorum optime, & in te amando colendoque me neminî concedere tibi persuadeas. Bruxellis XIV. Maji CIↃIↃCLXXIV.

EPISTOLA CCCCLXXXII.

NIC. HEINSIUS

Oct. Falconerio.

Bruxellas.

TRaditis mihi litteris tuis oppido jucundis ac gratis, nihil habui prius, quam agere cum *Plumeri* non ita nuper vivis subducti filio, uti libros in auctione Hemmianae bibliothecae vaenum expositos, cui illum interfuturum haud ignorabam, nobis adiceret. De iis loquor, quos scripto commissos mihi designare haud quaquam es gravatus, si haberi possent pretio non insano aut valde insalubri. In eo tamen haesitabam fateor, quod *Antonius Maliabechius* vir Clarissimus, & tibi perquam familiaris, eosdem poene omnes nomine Serenissimi Etruriae Magni Ducis jam ante coemendos mihi injunxerat. Sed neque desperandum est alias propediem in promtu occasiones fore, per quas comparari possint libri abs te designati, & persuasum habeo ut credam, desideriis tanti Principis haud gravatim te concessurum esse. Quanquam nec spondere possum, libros omnes hac auctione comparari posse, quod ex rumore cognoscam, pleroscque illic distrahi iniquum plane in modum. Utinam vero & tempestivius eos, quos desiderari abs te intelligo, & numero plures designasses. Rebus enim nostris non ita nuper in praesentissimum discrimen adductis, complures bibliothecae vili admodum pretio sunt distractae:

nunc

nunc cum respirare e periculo paulatim incipiamus, de die in diem pretium libris non minus quam fundis accrescit. Sed tamen cum auctiones tantum non quotidianae per civitates Batavicas bibliothecarum soleant institui ut minus celebrium, sic emptores parcius trahentium; tuis invigilare commodis non intermittam; ut, quod confieri in praesens per me nequit, id mea post opera consequaris. Utere igitur me in posterum tanquam eo, quem ingentibus meritis tuum omni ex parte feciſti. Post octiduum ad Amstelaedamios excurram, visurus, quid effectum in rem nostram a *Plumero* sit datum: idque ut cognoscas, opera a me dabitur. Descriptio veteris sepulchri plurimum sane voluptatis mihi tulit: parumque abest, quin felicitati vestrae invideam, quibus nihil non rerum prosperarum soleo apprecari; tamen, cum vobis quotidianae obtingant istae deliciae, vix annuae nobis longissime remotis, & in solo constitutis bonae frugis infaecundo plane; cum ea sit telluris vestrae ubertas, ut ex ipsis etiam sepulchris eruditae semper antiquitatis quid gignatur prodeatque. *Laurentium Magalottum*, tui nominis studiosissimum audio Hamburgum perveniſſe, sed minus valentem, quam velim. Auguror per litteras proximas non solum me intellecturum fausiora omnia de restituta in integrum sanitate: sed cognituram quoque, iter Suecanum ex voto processisse. Nunc ingentis beneficii loco nescio an ausim flagitare, ut Sereniſſimo Principi Cardinali ab Etruria obsequia mea, ubi opportunum videbitur, sistas. Nihil enim prosequor majore cultu, nihil impensius veneror. Vale. Hagae Com. A. CIↃIↃCLXXIV. XV. Maji.

Opera historica & poëtica Principis *Paderbornii* nondum perlata Florentiam miror equidem, cum Sereniſſimo Principi Cardinali ante menses jam multos per me sint missae.

EPISTOLA CCCCLXXXIII.

OCT. FALCONERIUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

SCripsi jam ad te superioribus literis Bibliothecae Mylianae Catalogum fuisse ad me perlatum, misique etiam nonnullorum librorum indicem, quorum possidendi desiderio teneor. De Hemmianis non adhuc conclamatum esse ex posterioribus literis tuis, quae mihi heri sunt redditae, lubens agnosco. *Laurentii Magalotti* nostri valetudo non est, cur te sollicitum habeat, jam pridem enim ipse nuntiabat, se a morbo, quo fuerat tentatus, convaluisse, jamque Stokolmium cogitare. Romae nihil in re literaria novi quod sciam. Geographiam Urbis Aeternae e marmoribus seu mavis fragmentis Farnesianis descriptam, atque observationibus *Joannis Petri Bellorii* illustratam, quae *Camilli Mancini* Cardinalis beneficio publici iuris est facta, propediem expecto, ejusque tibi copiam statim facere non omittam. Sereniſſimae Reginae literas Tabellario Italico proxime ad me adlatas hic adjunctas habes. Vale & me ama. Bruxellis XVII. Maji CIↃIↃCLXXIV.

EPI-

EPISTOLA CCCCLXXXIV.

NIC. HEINSIUS

Oct. Falconerio.

Bruxellas.

PErlatis ad me hoc ipso mane literis tuis plurimum equidem sum miratus Hemmianae bibliothecae catalogum tam nequiter fuisse curatum. Idque *Elzevirio* per epistolam exprobravi: quanquam idem quoque fatum videtur subiisse Catalogus Bibliothecae Mylianae, quem ipse nautae Antverpiensi tradideram. Sed hoc damnum jam nunc per me resarcitur, cum tempestive possit. De Hemmiano indice res non est integra: cum bibliotheca partem majorem jam distracta sit ac vaenum data. Pro solatio tamen minime vano queat esse, quod insano pretio codices illius bibliothecae plerique dicuntur ab emptoribus addici. Adeo quidem, ut exiguam partem illorum quoque, quos Magnus Etruriae Dux coemendos injunxerat mihi, sim consecutus; Inter quos Dionysium Halicarnassensem Sylburgii Joachimicis, seu pataconibus XI. Lucianum Bourdelotii VII. Unde de reliquis conjecturam facile feceris. Sed id genus auctores Graeco-Latini praestantium editionum nunquam non care, ut novisti, prostant. Fit tamen quandoque, ut distrahantur bibliothecae minus celebres; e quibus salubriore pretio libri comparantur, ut plurimum. Codices Chifletianos vetustos a te redemptos, & Florentiam missos fert rumor. An tota viri doctissimi bibliotheca aut distracta sit aut distrahenda cupio ex te rescire. Pro Athanasio, quod debebatur, pretium *Laurentius Magalottus* jam persolvit *Petro Francio*, ante suam ex hisce regionibus emigrationem. Mihi si deberi quicquam tuo arbitraris nomine, vir Illustrissime, fugit te ratio. Age tamen, occasionem praebe, sodes, qua debeas nonnihil illi, qui totus est tuo in aere jam pridem. Peracerbum funus Germani tui plurimum equidem moeroris mihi quoque attulit. Sed nolo vulnus intempestiva consolatione rescindere. Haec festinans, ne Mylianae bibliothecae Index serus ad te perveniret, Vale. Hagae Comitum Anno CIↃIↃCLXXIV. XIX. Maji.

EPISTOLA CCCCLXXXV.

OCT. FALCONERIUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

BIbliotheca Chifletiana jam ab Augusto mense superioris anni tota quanta erat distracta fuit, si Plinianum illum codicem aliosque MSS. Graecos excipias, quos heres secum Vesontionem comportavit. Bibliothecae Mylianae Catalogus una cum literis tuis mihi hoc ipso mane est redditus, ex quo libros

quos hîc descriptos habes, mihi coemptos velim. Pretium cujusque adnotavi, ut a me postulasti, ea tamen lege, ut si pro raritate librorum amplius quid censueris erogandum, penes te arbitrium sit. De libris, quos selegeram ex Hemmiana actum esse ex tuis cognosco, quod jam minus molestè feram, quandoquidem immani adeo pretio venduntur. Bruxellis XXI. Maji. CIↃIↃCLXXIV.

EPISTOLA CCCCLXXXVI.

NIC. HEINSIUS

Oct. Falconerio.

Bruxellas.

ALterum certe Mylianae bibliothecae Catalogum, quem proxime mittebam, ad te perlatum esse confido, quando prioris curam hominibus subsestae fidei demandatam fuisse cum nostro malo nunc experimur. Nauta, qui fasciculum susceperat curandum, compellatus super hac re asseverat, ante dies quatuordecim eum abs se traditum horum uni ex nuntiis, quos vocant, qui statis vicibus alternis Bruxellas Antverpia soleant commeare, nomen ejus non esse compertum sibi: nihilominus operam abs se dandam fore, quando Antverpiam eis paucos dies rursum cogitet, ut deprehendat illic hominem ac exploret causas, cur fidem in se claudicare sit passus. Si retrahi e fuga aut latibulis fasciculus non potest, Antonini Liberalis aliud exemplar ad te mittetur, una cum Stephani Byzantii fragmento & periplo Hannonis, quos libellos notis illustratos abs sese idem *Berkelius* in publicum propediem esse prodituros nudius quartus adfirmabat mihi. Post acceptas ultimas tuas confestim de coemendis, quos desiderari abs te testabare, libris rem *Plumero* dedi in mandatis. Saltem illos comparare conaretur, qui nondum essent distracti. Nam ad Geographicos codices die hesterno in ipsa auctione jam erat perventum. In Myliana bibliotheca, si quid jusseris, felicius me tuis commodis gratificari posse spes est, quando ipse auctioni sum interfuturus. Memini videre hoc in Catalogo nonnullos ex Germanicarum, Britannicarumque rerum scriptoribus, quos ex Hemmianis libris te cupere coemptos serus significasti. Roma si quid in re litteraria novi proxime allatum est, ejus quaeso ignarum ne me sine. Vale. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXXIV. XXIV. Maji.

De *Laurentio Magalotto* cum nihil audiam jampridem, habet ejus valetudo mire me sollicitum, quam nutare datis Hamburgo litteris sub initio mensis nunc vertentis testabar.

EPI-

EPISTOLA CCCCLXXXVII.

NIC. HEINSIUS

Oct. Falconerio.

Bruxellas.

QUid librorum bibliothecae tuae acceſſerit per auctionem nuperam ex hoc licet indice cognoſcas. Reliqui pretium, quod poſueras, cum exceſſerint, alium dominum ſunt nacti. In Hemmianae bibliothecae auctione animoſe ſatis, addo & ſtulte, res a licitatoribus geſta eſt. Nihil majoris unquam diſtractum inter nos iis libris. Unde fit, ut non niſi codices pauciſſimos ex quam plurimis, quos juſſeram comparari, meis uſibus addictos teneam, Tibi vix quicquam aſſertum ex tanta librorum copia; quos emendos deſignaras, niſi unus fortaſſe Sardus de nummis antiquis, quem inter meos video relatum. Nec magno Etruriae Duci gratificari, quod voluerat unice, nobis licuit, niſi in paucis. Alias, ubi commodi veſtri ratio a me habenda erit, fortunam magis annuentem ut experiar fore equidem confido. E binis rerum Britannicarum exemplaribus alterum, minus utcunque mundum, florenis x. venit & aſſibus quinis: alterum tibi aſſervo ſatis nitidum: opinor fore, ut plures bibliothecae hoc anno venum apud nos exponantur, quarum indices ſuo tempore ad te perferendos curabo. De Chiffletiana mature reſciviſſem velim: quam libris rarioribus fuiſſe ſatis inſtructam vix dubium eſt mihi. Et ſolent per Brabantiam minoris longe diſtrahi boni codices, quam hîc terrarum. Quadriennium jam agitur, quod *Ludovici Nonii* illius, qui *Huberti Goltzii* opera antiquaria animadverſis ſuis illuſtravit, ſupellex libraria Antverpiae diſtracta eſt pretio perquam vili; cum tamen ex rumore partim, partim experientia atque uſu edoctus habeam compertum, rariſſimis voluminibus bibliothecam eam conſpicuam fuiſſe: audio complura antiquitatis monumenta in agro ſuburbano recens eſſe effoſſa. Sed de iis plura proxime, uti & de *Santinii* litteris, cui reſponſum a me debetur, quo ab officio nunc me valetudo avocat parum firma. Mirari video Reginam, expungendi debiti negotium adhuc vacillare, cui tamen ipſa litteris ſuis ante hoc biennium in Sueciam datis caviſſe ſe profiteatur. Perſuaſus eſt *Santinius* ut credat, nuſquam terrarum inveniri me potuiſſe. Sed occaecavit illos, quibus id negotii erat demandatum, ne me viderent ſatis obvium, praepoſtera avaritia, & averſus a meis commodis animus. Vale, Virorum Nobiliſſime, & mihi, ut hactenus, velle quaeſo perge. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXIV. XIII. Junii.

EPISTOLA CCCCLXXXVIII.

OCT. FALCONERIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

MInus eſt quod doleam V. Cl. mhi auctionem Bibliothecae Hemmianae parum feliciter ſucceſſiſſe, quando & majoris faſtigii licitantibus res ad votum minime proceſſit. Multum interea debere me tibi ſentio, quod opera, ac diligentia tua ſpes noſtras omnino irritas eſſe non ſiveris. De auctione Bibliothecae Chifletianae, quae, ut monui, anno ſuperiore diſtracta eſt, eo te certiorem facere praetermiſi, quod crederem vobis in tanta librorum copia, quae paſſim vaenundantur, de iis, qui alibi terrarum venales exponuntur, non eſſe laborandum. Caeterum ſi qua ejuſmodi in poſterum occaſio ſe obtulerit, non committam a te deſiderari officium meum. Quae narras de antiquis monumentis iſthic recens effoſſis, mirifice ſalivam mihi moverunt; noſti enim quantus ſim ejuſmodi cimeliorum amator. Quamobrem cum primum vacaveris fac ut de tota re diligenter ad me ſcribas. Ego Ichnographiam urbis Romae ſtatim atque accepero ad te perferendam curabo. Vale, Bruxellis XVIII. CIↃIↃCLXXIV.

EPISTOLA CCCCLXXXIX.

NIC. HEINSIUS

Oct. Falconerio.

Bruxellas.

NON deſui ſane officiis tibi debitis in nupera illa Hemmianae Bibliothecae auctione, ſed praeter ſolitum morem tanta animorum contentione certatum eſt a licitatoribus prodigis & tantum non inſanientibus, ut ſimile apud nos nihil meminerimus geſtum. Ego certe ex plurimis, quos meos in uſus comparari juſſeram, non niſi pauciſſimos ſum nactus codices, & quidem vulgaris notae omnes, quos in bibliopoliis minoris longe proſtantes licuiſſet invenire. Pleroſque ex his, quos coemendos mihi injunxeras, jam ante *Antonius Magliabechius* noſter comparandos deſignarat: ſed neutri veſtrum hac occaſione licuit gratificari. Ipſe ut arbitreris pretio immodico diſtractos eſſe partem potiſſimam libros, ſpecimen ſubjeci horum codicum, quos emptos cupiebas, adſcripto eo pretio, quo aliis una licitantibus ſunt comparati. Multas auctiones promittit nobis autumnus proximus, ut bibliothecarum nimis celebrium, ſic ſpem facientes fore, ut libri minoris illic veneant. Quod ſi ſub illam tempeſtatem hîc terrarum mihi contigerit degere, tuis commodis deſideriiſque quin omni in id collata opera ſim invigilaturus, dubitare noli. Dum Amſtelodami diſtrahuntur hi codices, quorum Catalogum jam vidiſti, inſtituta fuit Hagae Comitumauctio Bibliothecae alterius, in quo libri ut pauciores nume-

ro,

ro, ſic ſelecti rarique partem maximam venales occurrebant. Sed nihil illic codicum abs te deſideratorum, praeter unum Dionyſium Halicarnaſſenſem Sylburgii, qui ſimili fere, quo Hemmianus, illic pretio diſtrahebatur, quod minimum mihi viſum, etſi decurſa hyeme Leidae diſtractum memini videre pataconibus XIII. utinam plures libri ex hiſce, qui abs te deſiderantur, deſignaſſes! Sic fieri poterit ut ex multis paucos tibi aſſertum iviſſem: idque ut facias etiamnum vehementer rogo: cum tui ſtudium, quod ſingulare prorſus prae me fero, non dubio argumento compertum tibi approbatumque cupiam unice. Monumentum illud ſepulchrale, cujus deſcriptionem ad me miſiſti, in via ſuburbana effoſſi nuper, eſt profecto quantivis pretii ducendum. Fore aliquando, ut aeri incidatur, ac publici juris fiat, vix dubito. Nos, ex quo tempeſtas bellica nonnihil detonare coepit, tarde ſic ſatis ad intermiſſa ſtudia redimus, paulatim tamen. *Andream Boſium* in Germania ſuperiore vitam ſubductum audio. Vale, vir R. praeſtantiſſime, & me in numero veſtrorum habere conſtanter perge. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXIV. XVIII. Junii.

P. S. Chifletianam mihi ignaro elapſam nolim. Ejus Catalogum tuo beneficio ſi dabitur nanciſci, exoſculabor mei demerendi ſingulare in te ſtudium. Sollemne enim mihi eſt indices praeſtantium bibliothecarum aſſervare in ſcriniis, quorum copia ingenti ſum inſtructus. *Santinii* literis reſcribere nondum datur mihi, quod Hamburgo nonnihil reſponſi exſpectem a *Langermanno* & ab amicis e Suecia, unde cognoſcam, quis in culpa ſit, quod regii mandati notitia tamdiu ſim fruſtratus. *Texeiram* mihi hîc offuiſſe ſuſpicor, quanquam ille omnem facti invidiam a ſe conatur amoliri.

EPISTOLA CCCCXC.

OCT. FALCONERIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

HAec ſunt V. Cl. quae de antiquo, quod innuis, monumento in agro ſuburbano nuper reperto perſcripta ad me ſunt ab amico rerum quidem antiquarum parum perito, ſed ejuſmodi elegantiarum non incurioſo. Effoſſam ſcilicet ſecus viam Flaminiam ad ſecundum ab urbe lapidem prope prata Quintii ſepulchralem cellam e vivo ſilice excavatam, in qua urnae neſcio quot e Tiburtino lapide cadaveribus condendis, quorum unum aut alterum in ipſis urnis integrum repertum, ſtatim ac lucem viderunt, prae nimia vetuſtate in cineres protinus diffluxere. Cella ipſa affabre concamerata atque egregiis picturis ornata, quae Ovidianas Metamorphoſes exhibebant, pavimento etiam teſſellato ex opere muſivo. Inſcriptiones binas ibidem repertas infra deſcriptas habes

D. M.
Q. NASONIUS AMBROSI
US SIBI ET SUIS FECIT LI
BERTIS LIBERTATIBUSQUE

NASONIAE URBICE ET ...
UCI SUAE ET COL ... CONLI
BERTIS SUIS E ... LI ..
POSTIRISQUE EOR .....

D. M.

L. VOLUSIO VALENTINO
FECIT SCARIA FORTU
NATA COJUX QUAE
VIXIT CUM JUM ANN
IS x. M. III. COJUGI BE
NEMERENTI QUI VI
XIT AN XI. M. III. DIE
BUS VI. BENE MEREN
TI FECIT

Libros ex Miliana Bibliotheca tua opera mihi comparatos, nisi eos ad me mittendi occasio sit in promptu, proximum erit, ut *Petro Blaeu* tradas ad me perferendos una cum volumine tabularum Geographicarum, quod propediem ad me missurus est. De Catalogo Bibliothecae Chifletianae faciam tibi latis, ut primum hominem nactus fuero, cui isthuc proficiscenti fasciculum tuto credere possim. *Andream Bosium* virum doctum, & de re literaria bene merentem, fato cessisse tecum doleo. Ceterum de nova Josephi editione non est, cur adeo sis sollicitus. Edico namque tibi, si nescis, hanc ipsam spartam adornari ab Oxonienſibus, quorum in usum, me procurante, describuntur jam variae lectiones ex Codicibus Vaticanis. *Laurentius Magalottus* noster jam incunti mense Junio Stokholmium appulit, ubi integram aestatem peracturus videbatur. Vale Bruxellis 11. Jul. CIↃIↃCLXXIV.

EPISTOLA CCCCXCI.

NIC. HEINSIUS

Oct. Falconerio.

Bruxellae.

Ltes privatae, de quibus & alias conquerentem me audisti, totum me caligine quadam mentis occaecatae involutum habuere; idque eo magis, quod rebus forensibus mox proferendis, ob ferias aestivas jam nunc ingruentes, Judex quotidiana prece fuit conveniendus, ut rem daret expeditam ante Kalendas Sextiles. Jam intelligis credo, quid in causa fuerit diuturnioris silentii, cum nil majori sit in voluptate mihi quam tecum loqui, tibique operam qualemcunque vel in minimis negotiis approbare. Cis dies paucos Amstelodamum cogito, laturus mecum libros, quos designabam nuper, ut aut *Blavio* tradantur ad te mittendi, aut alia quacunque via tui juris mox fiant. Retardavit, fateor, me nonnihil expectatio Hannonis in publicum prodituri apud Leidenses, cujus exemplar tamen suis destinatum usibus ab editore nondum accepi.

cepi. Quae mecum communicata voluisti super monumento sepulchrali recens in via Flaminiana effosso, plane respondent iis, quae ejusdem argumenti *Panciatichus* & *Antonius Magliabechius* complura ad me non ita nuper perscripsere. Addebat *Carolus Datus*, alibi quoque reperta nonnulla vivis expressa coloribus faberrimo, quae aeri incudenda ac publico permittenda mox forent. De *Andrea Bosio*, quem e vivis sublatum volebant nuper, an res sic sese habeat, nondum satis est exploratum. Vidi enim, qui huic rumori obloquerentur. Rem totam aut ex *Graevio*, aut aliunde rescisçam propediem, nec te sinam ignorare. Habes hîc responsi nonnihil ad Abbatem *Santinium*. Id aequo longius proferendum fuit, quod certiores a Suecia nuncios opperibar, quid super mandato Regiae Majestatis *D. Kurkius* sibi faciendum proposuisset. Sed cum sim edoctus, utrumque horum, ad quos Holmiam ea de re scripseram, inde profectos pedem moviſſe, tertius amicorum super re eadem a me proximis diebus est compellatus. Interim *Santinio*, ne quid sequius interpretetur silentium meum, gratias in antecessum agendas existimavi, dum praestolor certiores a D. *Kurckio* nuntios, qui ante Septembres Kalendas vix apparebunt hîc terrarum. Vale, Decus & Ornamentum artium bonarum singulare. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXIV. XXX. Julii.

EPISTOLA CCCCXCII.

NIC. HEINSIUS

Oct. Falconerio.

Bruxellas.

Dies nunc agitur, quantum meminisse datur, vicesimus tertius, cum libros, quos in auctione Mylianae bibliothecae tibi addictos penes me asservabam hactenus, *De Venazzano* negotiatori apud Amstelodamios Etrusco tradendas curavi, sic suadente *Blavio*: qui asserebat, ejus opera sese solere uti, quoties supellectilis librariae nonnihil aut rei alterius mittendum ad te sibi foret. Reliquum est, ut sperem, ipsum officio non indiligenter esse perfunctum. Ceterum e re utriusque nostrum erit fortasse, si designes nonneminem ex amicis tuis Antverpianis, ad quem curari a me possit, si quid in posterum ad te perferri velim. Ita enim nimiae hujus procrastinationis compendia, uti opinor, fient; cum naves ex hoc oppido Antverpiam versus bis terve statis per hebdomadem diebus, nautae Bruxellas recta contendant. Septembri mense post res Academicas & forenses prolatas, ab auctionibus bibliothecarum apud nos instituendis, denuo initium fiet. Quando operam dabo, ut illos, quos jam indicasti, & si quos porro indicabis, codices nanciscar. Solent enim Catalogi ut plurimum, non nisi paucis ante ipsam auctionem diebus in publicum proferri, ut ad te tempestive satis vix queant mitti. Conabor tamen & hîc desideriis tuis gratificari pro virili, si jusseris. Hannonis Periplus cum Stephani Byzantini fragmento, *Berckelii* opera, jam prodiisset in lucem, nisi quod monumentum *Adulitanum* hisce libellis editor adjectum velit, cujus exemplar a me impetravit. Plura de studiis communibus nuntianda non occurrunt.

De

De *Boſio* vivis nuper admodum ſubducto nimium veros fuiſſe rumores audio perquam invitus. Vale, Reverendiſſime & Illuſtriſſime Domine. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXIV. XXVII. Auguſti.

EPISTOLA CCCCXCIII.

OCT. FALCONERIUS

Nic. Heinſio.

Magam.

REdditus heri tandem mihi eſt faſciculus librorum, quem *Joanni Blaeu* tradideras ad me perferendum. Hujus ut me compotem fuiſſe nunciarem diſtuli hactenus reſcribere poſterioribus literis tuis, quibus alligatae erant alterae ad *Santinium*, quas quidem *Paulo* fratri ſtatim miſi, ut earum curandarum negotium in ſe ſuſcipiat. Jam enim ab obitu communis fratris ille Romae egit, ut negotia domeſtica procuret. Ichnographiam urbis Romae adhuc deſidero. Eram in his ipſis ſcribendis, cum redditae mihi ſunt literae tuae XXVII. Aug. datae, quibus nihil habeo quod reſcribam, niſi me tibi plurimum debere ob ea, quae de re libraria nuncias, in quo agnoſco humanitatem tuam, meque tibi vel hoc nomine maxime obſtrictum ſentio, quod operam tuam in auctionibus Bibliothecarum, quae proxime fient, ultro pollicearis. Hannonis periplum Monumenti Adulitani acceſſione tuo benificio fuiſſe locupletatum vehementer gaudeo gratulorque antiquitatis amantibus. Tu vero ejus exemplum, ſtatim atque in lucem prodierit, fac ad me mittas. Vale V. Cl. & pro tua humanitate praeproperae ſcriptioni ignoſce. Bruxellis VI. Septemb. CIↃIↃCLXXIV.

EPISTOLA CCCCXCIV.

NIC. HEINSIUS

Oct. Falconerio.

Bruxellas.

DIutius fateor, reſponſum ad tuas jucundiſſimas diſtuli, quam obſequii mei, tibi jam pridem devoti, rationes poſtulabant. Sed dum *Abrahamus Berckelius* ſpondet mox fore, ut ipſe Stephani Byzantii, abs ſe nuper editum fragmentum ad te mittat, quod a me exſpectabas, nec tamen is promiſſa praeſtet hactenus, inter hanc hominis lenti procraſtinationem video invitus temporis non parum effluxiſſe. Cis paucos tamen dies, cum denuo mihi ad Lugdunenſes noſtros ſit excurrendum, opera tunc a me dabitur, ut aut per *Berckelium*, aut, ſi is pollicitis deeſſe pergit, per memet ipſum libelli hujus exemplar nanciſcare. Illa enim via in agrum Ultrajectinum iter meditor, quo Bibliothecam ex Suecia recens allatam curavi devehendam in villam ſuburbanam, ut a turbis remotus, eam tempeſtate hiberna uſurpare oculis dudum non inſpectam, & excutere majore cum otio poſſim. Sed ſunt prae-

praeter litem incommodam & diuturnam, nunc tamen in extremis agentem, alia complura, quae nondum permittunt me ab hac aula abeſſe. Ea propter non niſi dierum paucorum hunc excurſum mihi inſtituendum propoſui. Caeterum, vir illuſtriſſime, perlatos tandem ad te libros, quos in auctione Mylianae bibliothecae tuis uſibus compararam, id equidem impenſe gaudeo. Reliquos abs te deſideratos, ut nanciſcar quoque, curae inprimis mihi erit. Fore nimirum opinor, ut hyems proxima copiam bibliothecarum uberrimam nobis venalem proponat. In editione Monumenti Aduli-tani *Berckelius* ſecutus eſt apographum *Leonis Allatii*, typis Romanis olim deſcriptum, cum ſatius omnino foret, expreſſum id fuiſſe ſecundum *Indopleuſtae* a Theveneto editi ſcripturam, aliquanto emendatiorem, ut puto. Negotium meum quod fratri tuo voluiſti commendatum, exoſculor profuſam tuam humanitatem. Vale, rei Romanae decus eximium. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXIV. VIII. Octobr.

EPISTOLA CCCCXCV.

NIC. HEINSIUS

Oct. Falconerio.

Bruxellas.

Berckelium apud Leidenſes meos cum nuper in tranſcurſu viderem, dum in villam Trajectini agri contendo, ſignificavit is mihi, fragmentum Stephani Byzantii tibi deſtinatum una cum litteris in promptu eſſe, quod ego in reditu me oblaturum pollicebar. Sed oppreſſus in ipſa via a valetudine promiſſum praeſtare non potui. Nunc nuntio, Annales Eccleſiaſticos Saliani venales me inveniſſe Amſtelodami, quos tu in auctione bibliothecae Hemmianae comparatos cupiebas, pretio iis poſito, ſi recordor probe, ſcutatorum XII, ſed fruſtra. Alterum exemplar quod *Plumerus* bibliopola penes ſe extare mihi aſſeveravit, haberi poterit ſcutatis VIII, ita enim cum illo convenit mihi, ſi tu emptionem haberes ratam. Poſſe enim fieri, ut librum aliunde jam ſis nactus. Quapropter ſcribe quaeſo quamprimum, quid ſtatuas ipſe. Nactus ſum quoque Saxonem Grammaticum editionis Danicae Trajecti. De reliquis ſuo tempore videbitur. Et haec quidem hactenus. Hamburgo nuper perlatus eſt ad me Hyginus *Scheffери*. Sed frivolis intempeſtivis occupationes tuas interpellare religio eſt mihi. Vale, vir ſumme. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXIV. XXV. Octobr.

EPISTOLA CCCCXCVI.

OCT. FALCONERIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

ASſiduis amicorum precibus, atque amicorum hortatu adduci tandem ſum paſſus, ut plagam nuper familiae meae inflictam ab obitu fratris praeſentia mea refarcirem, quamobrem impetrata venia e Belgio diſcedendi propediem me in viam dabo, ut ante Brumam urbe aeterna potiri liceat, ubi pro veteri noſtra familiaritate habebis me ad omnia officia paratiſſimum. Saliani Annales, dummodo ſint editionis Pariſienſis, ſcutatis VIII. libens mihi comparatos velim. Quamobrem emptionem a te factam ultro ratam habeo. Sed cave ne pro ipſo Annalium corpore, quod ſex voluminibus conſtat, Epitomem tibi obtrudat Bibliopola. Vix enim credere audeo tam vili pretio illud tibi ſtetiſſe. De Saxone Grammatico gratias tibi habeo permagnas. Pecuniam in utrumque erogatam curabit tibi *Joannes de Venazzano*, cui etiam libros ipſos ac Stephani fragmentum quam primum trades, in Italiam cum farcinis mari devehendos. Ichnographiam veteris Romae tandem a *Spanhemio* accepi, quam ante diſceſſum *Foppenio* Bibliopolae Bruxellenſi tradam, ut cum primum occaſio ſe obtulerit ad *Elzevirium* mittat. Vale, mi Heinſi, & tanquam in procinctu properanti ignoſce. Bruxellis XXIX. Octobr. CIↃIↃCLXXIV.

EPISTOLA CCCCXCVII.

NIC. HEINSIUS

Oct. Falconerio.

Bruxellis.

NON opinabar fore equidem, ut tantum vulneris acerba mors fratris tui, praeſtantiſſimi viri, inflictura mihi eſſet, quantum infligi nunc intelligo, perlectis litteris tuis, quae tuum conſilium de deſerendo ante brumam Belgio hoc noſtro mihi aperiunt. Fluxa nimirum & caduca ſpe ratio mortalitatis tota conſtat: cum ego vere proximo excurſum mihi Bruxellas moliendum pridem propoſuiſſem, ut te illic complecterer tuiſque ſatiarer alloquiis, quorum fructus brevillimus contigiſſet mihi anno proxime decurſo, quando ab urbe ad nos recens adventabas. Sed cum utilitatis tuae pars praecipua me tangat haud modice, quem multis beneficiis obrutum jamdudum habes, oportet, ut dolori temperem, ac ſolitudinem aequo animo feram, quam mihi diſceſſus tuus minatur: obteſtatus te & benignitatis tuae genium unice, ne immenſa locorum intercapedine memoriam mei tuo in animo patiaris oblitterari. Ad *Plumerum* bibliopolam hodie ſcribo, ut Saliani Annales, eo, quo inter nos convenit, pretio ſeponat mihi ceſſuros, ubi Amſtelodamum venero, quod fiet eis dies pauculos. Ea tamen lege, ut editionem praeſtet Pariſinam in ſenos

dige-

digeſtam tomos, ſed tribus voluminibus collectam, eamque munde habitam, qualis notae eſſe exemplar illud ſuum mihi eſt profeſſus. Saxo Grammaticus haeret apud *Graevium* adhuc Trajecti, quem Saliano addendum curabo, ut & Stephani fragmentum, & ſi quid praeterea occurret tuis uſibus utcumque profuturum. Quid quod Eadmeri Seldeniani, & Hiſtoricorum Germaniae a *Scardio* editorum ſpes eſt facta, quos ſi nanciſcar, reliquis tibi a me deſtinatis adjungam. Indiculum pretii expenſarum ad te propediem Romam miſſurus ſum, ut horum vice, alios codices, in urbe nuper editos, ad me perferendos cures, quos deſignabo. Columnam Trajani imprimis, & ſi quid praeterea, quo res antiquaria illuſtretur, in lucem apud vos ſit prolatum. Ichnographiam Romae veteris, & Catalogum Bibliothecae Chiſletianae, ſi habes Antverpiae, qui res tuas curet, illa ex urbe per nautas, qui bis ſingulis hebdomadis inde ad nos recta contendunt, Hagam Comitum deferri velim, per viarum compendia, ne exſpectatione libri deſideratiſſimi (de Ichnographia loquor) diu multumque macerer nequicquam. Typographus Leidenſis, qui Stephanum Byzantium *Berckelii* Commentariis illuſtratum ſub praelo habet, agebat diebus proximis mecum, de conferendis in tomum ſecundum Holſtenianis ad eundem ſcriptorem obſervatis. Significabat praeterea doctum ſeſe a neſcio quibus, exſtare Romae collectionem non unam Geographorum veterum maximam partem Graecorum, ab *Holſtenio* partim, partim ab *Allatio* congeſtam, quam eidem tomo ſecundo, ſi daretur copia, inſertam cuperet. Proinde ſe rogare, ne quid gravarer, litteras ea de re dare ad Eminentiſſimum Principem *Franciſcum Barberinum*. Quod facturum me negavi, niſi viderem priori tomo, hoc eſt ipſi Stephano, manum ſupremam impoſitum. Haec in anteceſſum tecum communicanda duxi, quamquam tempore parum opportuno, dum in publicis totus occuparis, & viam hac anni tempeſtate moleſtam cura praecipis. Vale, flos dignitatis Romanae. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXIV. IV. Novembr.

EPISTOLA CCCCXCVIII.

NIC. HEINSIUS

Oct. Falconerio.

Romam.

QUI haſce ad te perferet *Conradus Ruiſchius*, nonnullo conſanguinitatis jure conjunctus mihi, patrem habuit *Nicolaum*, foederati Belgii, dum vixit, patribus ab actis & epiſtolis miniſtrum primarium. Hunc peregrinationis ſtudium in Italiam evocavit. Caeterum cum jure arbitretur majorem fructum ex hoc itinere haudquaquam ſperari abs ſe poſſe, quam ſi viris eruditionis ac virtutum laude conſpectis ubique innoteſcat, ego, qui Juveni, majorum veſtigiis gnaviter inſiſtenti, deeſſe opera mea multis nominibus haudquaquam poſſum, auctor praecipue fui, ut Romam aditurus te ſibi conciliare maximum in modum contenderet. Promitto enim mihi, a toties perſpecta

illa comitate tua fore, ut ne fores tuas in caſſum accedat. Quo officio lueulentum equidem in modum me tibi, ſi unquam, vir Illuſtriſſime, es demeriturus. Neque arduum tibi opinor fore, per nonneminem e regiis familiaribus ſeu miniſtris effectum dare, ut ad Sereniſſimam *Chriſtinam* admittatur, tum & ad viros in urbe aeterna celebriores. Ignoſce, quaeſo, confidentiae, quam ego quovis officii genere in poſterum excuſare ſatagam, tuis viciſſim commodis pro communi invigilaturus. Decurſum jampridem iter omne inoffenſis pedibus, ac larem Romanum a te ſalutatum ſalvo atque incolumi, ſpe tacita praeſumo; Quod utinam ex te ipſo propediem ſim edocendus! Saliani Annales ex editione Gallicana apud *Plumerum* adſervantur tibi, quibus & alios libellos ſum additurus, ſimul atque Amſtelodamum pervenero, in his novum Leidenſis bibliothecae Catalogum, cum indice Arabicorum codicum ex Legato Werneriano, tum Stephani Byzantii fragmentum Berckelianum, ac Saxonem Grammaticum. Sed de his, ubi habebo compertum, perveniſſe te ſalvum in patriam. Vale, Falconeri illuſtriſſime. Exarabam praepopere. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXIV. XII. Decembr. Sprangenbergiani de Manichaeis Commentarii ſpes mihi ab amico facta eſt, utinam non vana.

EPISTOLA CCCCXCIX.

OCT. FALCONERIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

EGO vero jam ante Brumam, ut fuerat in votis, Romam ſoſpes veneram, verum ne quid adhuc uſque ad te literarum dederim, fecerunt occupationes permultae, quibus & vehementer antea diſtractus ſum, & adhuc non modice diſtineor. Noſti enim in patriam reduci quantum negotii confletur a civilibus officiis, ab amicorum ſalutationibus, quibus acceſſit cura rei familiaris, quae me diu abſentem dominum profecto deſiderabat. Haec, ut ceſſationem meam apud te purgem. Caeterum ut ad tuas veniam XII. Decemb. datas, quas mihi ſuperioribus diebus reddidit *Conradus Ruiſchius* vir ornatiſſimus, ego illi, quamdiu Romae fuerit, ita in omnibus praeſto ero, ut intelligat tanti apud me ipſum fuiſſe, quanti eum par eſt, qui tibi ſit non modo amicitia, ſed etiam neceſſitudine conjunctus. Interea quod a me ut nunc poſtulare videbatur, ut per me aditus ipſi pateret ad Sereniſſimam Reginam, diligenter praeſtabo. De Saliani Annalibus, quos jam mihi apud *Plumerum* aſſertos ſcribis, valde te amo. Sprangenbergianum vero Commentarium de Haereſi Manicheorum ſi, quemadmodum ſpem facis, oculis uſurpare tandem licuerit, plane me beabis. Quamvis enim is mihi deinceps vitae curſus ſit tenendus, ut conſilium, quod inieram ejus ſpartae adornandae, abjiciendum aut ſaltem deponendum mihi eſſe videam, erit tamen gratiſſimum voto, quod me diu anxium habuerat, beneficio tuo potiri. Vale, Bataviae decus & me amare perge. Romae II. Februar. CIↃIↃCLXXV.

EPI-

EPISTOLA D.

NIC. HEINSIUS

Q. Falconerio.

Romam.

MUlta equidem ſollicitudo animum meum ſuper tuo itinere exercuit & diſcruciavit hactenus: quam omnem diſcuſſere ſuaviſſimae litterae, proximis diebus huc abs te per tabellarium ex urbe allatae. Ad haec *Conradus Ruiſchius*, neceſſarius meus, verbis ampliſſimis apud me profeſſus eſt ſingularem plane comitatem, qua abs te ac fratre tuo eſt exceptus. Unde colligi datur, tanquam argumento indubitato, favorem veſtrum, quo triumphabam hactenus unice, perennaturum mihi. Id quod faxit ille, a cujus nutu mortales pendemus. Poſt tuum e Belgica diſceſſum, forenſibus aulicisque turbis confeſtim me ſubduxi, fomenta valetudini a ſucceſſu ſolitario quaeſiturus; ſed, quod nollem, ſucceſſus propemodum omnis defuit huic propoſito, adeo ut ne bibliothecam quidem ordinare ex ſententia aut totam excutere licuerit. Spes tamen adfulget fore, ut ante decurſum hujuſce menſis me expediam ex laqueis tricarum forenſium, ac rus recurram. Ubi libellos nonnullos tuis uſibus ſepoſitos adſervo, praeter Saxonem Grammaticum, & rerum Germanicarum ſcriptores a *Simone Scardio* editos, nec non Eadmerum *Seldeni*. De *Saliani* Annalibus ſcripſerat *Plumerus*, in adventum meum eos abs ſe fore ſeponendos. Non datum eſt quidem mihi ab illo tempore Amſtelaedamum excurrere ob valetudinem ac vires dejectas, ſpero nihilominus vel ſic promiſſis ſtaturum *Plumerum*, quorum cras aut perendie litteris meis admonebitur. Sub vernam tempeſtatem erit, puto, ut librorum nonnihil per me mittatur ad V. Cl. *Carolum Datum*; eadem opera & tui hi ad te commodum, ni fallor, perferentur. De Manichaea-*Sprangenbergii* Hiſtoria error fuit amici cujuſdam mei, qui librum hunc una cum Saracenica *Curionis* abs ſe redemptum in auctione neſcio qua volebat credi. Sed poſt accuratam inquiſitionem comperit Huſſiticam fuiſſe Hiſtoriam, eamque non hujus auctoris. Invigilabo tamen hic porro commodis ac deſideriis tuis. Quamquam ſi rumores non fallunt, fore praevideo, ut mittendus a te ſit nuntius hiſce ſtudiis, quae praeſidium in tuis lucubrationibus nuper collocabant, cum dicaris adſcriptus eſſe in familiam ſummi Pontificis honorato loco: quamquam nec tu, quae tua eſt modeſtia, nec ipſe *Ruiſchius* hac de re quicquam ad me perſcribatis. Nos vana hactenus ſpe pacis propediem adfuturae lactamur. Ita fit, ut univerſum artium bonarum nomen apud nos jacere pergat, ne typographis quidem quicquam rei majoris molientibus. Ego, ſi vires reſpondebunt ſatis propoſito, in Germaniam excurſum meditor, ſub aeſtatem proximam. Si quid & illic tuos in uſus indagatum per me cupis aut effectum, tui ut erit laboris, id quale ſit non diſſimulare, ſic mei obſequii, deſideriis tuis ſubſcribere ac gratificari pro facultate. Vale, vir ſumme, meque, ni moleſtum eſt, & fratri tuo, & aliis,

quos olim in urbe notos habui, viris praeſtantibus commenda. Hagae Comit. CIↃIↃCLXXV. VI. Mart. Stephano Byzantio *Berckelii* typographus nunc denuo manum admovere coepit, poſt longam operis intermiſſionem. Spero editionem voluminis hoc anno profligari poſſe, quando tutum ac tempeſtivum erit, de Holſteniano ad eundem ſcriptorem commentario in lucem proferendo cogitare. Opinor ſignificatum jam per me tibi, egiſſe mecum typographum de adjiciendis huic lucubrationi ſcriptoribus Geographicis hactenus ineditis, quos idem *Holſtenius* complures per varias Italiae bibliothecas hinc inde dicitur collegiſſe, ac ſupremis tabulis Eminentiſſimo *Barberino* legaſſe. Tu, cum aliis de cauſis virum Principem accedes, ſententiam ejus ſuper re omni poteris indagare, meique obſequii conſtantiam illi teſtatam relinquere. Nec tamen auctor ſum vobis, ut typographo ſcriptores Geographi ab *Holſtenio* collecti permittantur, niſi animadverſis viri illius eximii in Stephanum jam praelo ſubjectis. Iterum vale. Ichnographiam urbis antiquae laudabili diligentia *Bellorii* erutam e ruderibus & publico donatam, quam munus ad me pervenire voluiſti, diu eſt quod accepi ab *Elzevirio*: tibique plus, quam quod verbis poſſit exprimi, me debere, ob donum longe praeſtantiſſimum, lubens agnoſco.

EPISTOLA DI.

OCT. FALCONERIUS

Nic. Heinſio.

Hagae.

ILlud primum omnium a te peto, vir amiciſſime, ut ceſſationem meam aequi bonique conſulas, tibique ita perſuadeas, me quavis alia de cauſſa officio huic defuiſſe, quam aut oblivione tuorum in me meritorum, aut quod te minus amem, quam quod te a me amari, ni fallor, certum perſpectumque eſt. Et vero ante hunc menſem Aprilem adeo incommoda valetudine ſum uſus, ut praeter moleſtiam, quam tuſſis aſſidua non ſine magna pituitae copia afferebat, fuerim etiam levibus febriculis tentatus, quae res me alioquin, ut quod eſt, ingenue fatear, in ſcribendo ſegnem inhibuit, ne poſterioribus tuis literis reſcriberem VI. Mart. datis. Acceſſit etiam quod cum inter ea, quae his ipſis literis tuis ad me ſcripſeras, ad id praecipue reſpondendum a me tibi eſſe viderem, quod eſt de indaganda Eminentiſſimi *Barberini* ſententia ſuper ſcriptoribus Geographicis Stephano Byzantio mantiſſae loco addendis, mihi eo convento opus erat, quem noſti non adeo facile ſui copiam facere. Egi tandem hac ipſa de re cum humaniſſimo Cardinali, iſque quantum ex ſermone mecum habito augurari licet, non gravabitur eorum ſcriptorum exemplum ad te mittere, ſi modo, quod ultro offerre videris, in te recipias, te non antea ejus Codicis Typographo poteſtatem facturum, quam de Stephani Holſteniani editione fidem ſuam liberaverit. Caeterum id quoque mihi ab adverſa valetudine incommodi accidit, ut *Conrado Raiſchio*, viro omnium numerorum praeſto eſſe, ut equidem optabam, minime licuerit. Quamvis ea ille eſt humanita-

nitate, ut, quemadmodum ex literis tuis cognovi, tantum ſtudio & voluntati meae tribuerit, quantum vix ego re ipſa aſſequi potuiſſem, ut ejus teſtimonio tibi liqueret, quo loco te tuoſque habeam. De libris, quos in meos uſus comparatos penes te adſervas ad nos mittendis in Cl. *Dati* faſciculo ſummopere te amo, eorum quippe non mediocri deſiderio teneor. Saliani Annales eorum e numero vehementer opto, nam ex epiſtola tua adhuc ambigo, ſintne illi mihi a *Plumero* adſerti an ſecus. Suavioribus hiſce ſtudiis ac prope Muſarum contubernio valedicendum mihi eſſe recte conjicis, & ipſe invitus ſentio. Ad forenſia quippe negotia, quibus pro magiſtratu, quem gero, non poſſum, quin ſim addictus: accedit cura rei familiaris, quae, quod magis diſplicet, minimis de rebus identidem habet occupatum. Verum enitar, quantum potero, ut ſi minus de hiſce literis curis & vigiliis meis bene mereri liceat, in eo ſaltem curſum a nobis inſtitutum teneamus, ut tibi aliiſque viris doctis, in ejuſmodi ſtudiis magno Reipublicae bono deſudantibus, ſtrenuam diligentemque operam praeſtemus, ſi quid e Bibliothecis noſtratibus conatibus veſtris promovendis arriſerit. Id ſane tibi ſerio ac perſancte pollicemur. Quod me in Pontificiam domum adſcriptum gratuleris, agnoſco amorem in me tuum, agoque ut debeo, gratias quam plurimas. Vale. Roma IV. Maji CIↃIↃCLXXV.

EPISTOLA DII.

NIC. HEINSIUS

Oct. Falconerio.

Romam.

VAletudinis omne crimen eſt, graviſſimum nuper in modum adfectae, quod ſcribendi officio jam pridem deſim. Ea toto Quinctili menſe permoleſta lecto me adfixum inclementer exercuit, unde & fit, ut Graeviana epiſtola tarde ad te perferatur. Nunc reſpiro nonnihil, & ad me paulatim redeo. Meritis tuis eam, quam par erat, ab aula Romana haberi rationem, equidem ſumma animi cum voluptate accipio: ſed nolim tamen occupationes aut forenſes aut aulicas adeo te totum ſibi vindicare, ut, ab litteris humanioribus exornandis, in quibus plurimum potes, avellare in poſterum. *Sprangenbergii* de Manichaeis commentarium nequicquam inveſtigari a nobis video invitus, fortaſſis publico hactenus non commiſſum: ſed quicquid hujus eſt jacturae, id Voſſianus ejuſdem argumenti liber poſtumus, quem ab *Iſaaco* filio inter alios paternos edendum nuper *Elzevirius* impetravit, abunde puto compenſabit. In Stephano Byzantio, poſt longam intermiſſionem nunc aſſiduae ſunt operae typographicae: ut ante Januarias Kalendas editio voluminis videatur poſſe ſperari: praeſertim cum Judaeus nonnemo eundem ſcriptorem ſuis illuſtratum commentariis juris quoque publici anno proximo apud Amſtelaedamenſes ſit facturus. Leidenſes Harpocrationem *Mauſaci* praelo commiſere, cui notarum nonnihil ſit additurus *Nicolaus Blanckardus*. Antonini Liberalis Metamorphoſes animadverſis *Thomae Munckeri* illuſtratas in publico propediem vide-

videbimus, ut & dissertationem *Gisberti Cuperi* super sigillo Harpocrationis aeneo. Quod si pax optata nos respexerit, plura id genus in publicum mox erunt proferenda. Ad Clarissimum *Datum* ante hos tres menses cum librorum nonnihil esset mittendum, in eandem cistam codices tibi promissos, etiam *Saliani* Annales, conjeci; quos in Etruriam jam delatos aut mox deferendos fore auguror. De negotio pecuniario, quod mihi cum Regina conficiendum restat, alias tecum egi. Fecit mihi copiam anno proxime decurso Regiarum litterarum *Santinius*, quas illa ante hoc triennium ad *Gustavum Kurckium* regni Suecici Senatorem dederat (is enim facultates Reginae per id regnum administrabat) quibus litteris serium in modum jubebatur rationes antiquas mecum dispungere, sic ut intra proximum triennium, quod jam effluxit, ex aere meo penitus liberaretur ipsa, cum tamen nihil omnino hactenus sit actum. Nam & *Kurckius* apud me fraudulenter dissimulavit id sibi in mandatis a Regina datum, & cum aliorum is criminum post convinceretur, a Regina loco motus est, substituto alio. Si per valetudinem & haec bella, quae itinera per Germaniam omnia intervertunt plane, liceret, jam ad vos advolassem, supremam illi negotio impositurus manum ante fatalem diem, quod quia non datur, sororis filium ante tempestatem hibernam hac de causa ad vos ablegare cogito. Si in *Santinium* interim forte incides, rogo obsecroque, ne graveris indagare, quid mihi tandem sit exspectandum. Neque enim unius *Kurckii* haec culpa est. Nam & *Texeira* Judaeus, qui Reginae res apud Hamburgenses agit, & qui solutiones debiti in se receperat, tantum praemii loco pro solutione flagitat pecuniae, ut dimidia summae debitae pars ad me non sit perventura, si avaritiae hominis sordidissimae subscribam. Vale, vir Eximie, & si quid tuam in rem videbor posse, impera pro arbitrio. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXV. a. d. IX. August.

EPISTOLA DIII.

NIC. HEINSIUS

Oct. Falconerio.

Romae.

QUas Augusti mensis decursu nuper ad te dabam litteras satis copiosas, eas recte omnino redditas tibi fuisse augurari licet. Nunc commendo tibi *Robertum Goesium*, qui hasce est oblaturus, sororis meae filium, non alio nomine ad vos contendentem, quam ut rationes antiquas, quae mihi intercedunt, ut nosti, cum Regia Majestate, si fieri possit, dispungat. Habet a me in mandatis, ut ad consilia tua, tanquam ad sacram anchoram unice confugiat, teque adjutorem prae ceteris imploret; cum & gratia & auctoritate in aula vestra possis longe plurimum. Operosius anxiumque magis in modum hac in commendatione me nunc exercerem, nisi perspectum omni ex parte haberem singulare illud studium, quo ferris in demerends iis omnibus, qui tibi se tradunt. Hisce ex oris quod nuntietur, nihil omnino nunc occurrit. De

Ste-

Stephano Byzantio lentum pergit esse negotium, etsi promovetur nonnihil. *Gisbertus Cuperus*, qui commentarios luculentos in Apotheosin Homericam praelo typographico paratos habet, nuper edidit dissertatiunculam de sigillo Harpocratis argenteo, apud Neomagenses invento. Ejus exemplar tibi tradendum mitto ad Clarisſ. *Datum*. Auguror ita componi atque ordinari rem familiarem a me posse, ut propediem defungar omni cura molestiaque, qua premor per annos complures, nihil aut prius tum aut antiquius habiturus, quam ut Maroni pridem intermisso manus a me denuo admoveatur. Quod si tantum otii fortasse adspiravit tibi inter occupationes assiduas, ut tuorum nonnemini jubeas, ne quid gravetur e Bembino Catalectorum, qui in Vaticana asservatur Bibliotheca, codice, specimen breve variantis scripturae meos in usus excerpere, unde conjecturam faciam, quid de exemplaris istius praestantia in reliquis sit arbitrandum, immane quantum equidem me demerearis. Sed hac de re pluribus fortasse post mihi exploratum *Goesii* in urbem adventum. Vale, virorum praestantissime, & me, quod supra meritum meum abs te sit hactenus, amare perge. Hagae Comitum 4. Decemb. CIↃIↃCLXXV.

1 Non reddita haec *Falconerio* fuit epistola, oblerat enim jam ante hanc scriptam, ut ex Epistola *Caroli Antonii de Puteo* ad *Heinsium* data XXII. Novemb. hujus anni didici: nimirum nocte inter diem Sabbati & Dominicam, ante diem istius epistolae scriptae. Ita ut hinc error *H. Wittii* appareat, qui in Diario suo biographico *Falconerii* mortem sequenti anno, incertus quo mense, adscripserat. Ex Epistolis etiam ad *Graevium* CCCXVIII. & seq. hoc anno obiisse constat. adjecimus etiam epistolam *Heinsii* ad *Octavii* Fratrem *Paullum*, qua mortem amici sibi luctuosam accidisse testatur.

EPISTOLA DIV.

NIC. HEINSIUS

Paulo Falconerio.

Romam.

QUantum moerorem conceperim ex peracerba morte *Octavii*, fratris tui, viri omnibus numeris absoluti, meque adfectu tenerrimo supra meritum meum complexi, nec est, ut verbis satis adsequar, & si detur adsequi, ut vulnus tuum nunc rescindam importunis querimoniis, post tantum ab excessu ejus intervallum temporis, prorsus incongruum videri possit. Nec defuissem consolationis officio tempestiviori, si habuissem exploratum, in qua Italiae parte mihi ventres compellandus. Id unum testari nunc licet, sacrosanctam viri longe peramantissimi memoriam numquam non apud me fore. Cumulavit vero ingentem jacturam, quam mihi casus funestus tulit, subsecutus excessus *Caroli Dati*, nec multo post *Laurentii Panciatichi*: ut intra decursum unius anni amicis fere omnibus, iis certe qui vinculo artiore mihi jungebantur, in Italia sim orbatus, nisi tu supereſſes, & ut diu superſis Deum unice veneror. Quod si partem vel exiguam illius benevolentiae, qua frater tuus complectebatur hunc hominem, in me derivare non gravaberis, fomentum maximo do-

lori meo non omnino vanum admoveri ſentiam. Ne deſperem facit ſingularis illa comitas, quam Sororis meae filio in Urbe peregrinanti non ita nuper exhibebas, quamque is verbis apud me ampliſſimis praedicare non intermiſit. *Mureti* in Ciceronem adnotata ubi ad me perferentur (nondum enim advenere) ut *Joh. Georgio Graevio*, veſtri nominis mecum ſtudioſiſſimo tradantur, cui ea deſtinaverat Frater tuus, novam Tullianorum operum editionem molienti, curabo, tibique plurimum pro hac opera debere profitebor. Ceterum anno proximae decurſo miſi Liburnum ciſtam libris compluribus repletam, quos partim a *Carolo Dato*, partim a Fratre tuo deſideratos, in uſum utriuſque eorum collegeram hic terrarum. Navi Chriſtinae erat nomen, Nauta natione Britannus, qui Decembri menſe Liburnum appuliſſe certo mihi dictus eſt. Ipſa ciſta inſcripta erat a *Daniele Elzevirio*, *Carolo Dato*, quam tutius Liburni mercatorum nonnemini commendaſſet. Erepto nobis non multo poſt *Dato* ad *Laurentium Panciatbicum* bis dedi literas, ut reſcirem ecquid ciſta ipſis in manus *Dati* perveniſſet, ſed reſponſum non tuli. Nunc cum ſuperſit nemo, ad quem hîc confugiam, praeter te, ne graveris rogo, ciſtam illam, fortaſſis Liburni adhuc haeremtem, ab interitu vindicare, aut ſi ſaltem pervenit ad *Datum*, libros inde, qui fratri tuo deſtinabantur, Tibi vindicare. Vale, Illuſtriſſime Domine, & me in tuis nonnullo loco habere ne dedignare. Hagae Comitum XXVIII. Octob. CIↃIↃCLXXVI.

EPISTOLA DV.

GUIDO PATINUS

Nic. Heinſio.

Romam.

VIR Clariſſime, eas revera accepi, quas Florentia miſeras, & ad eas reſponſum miſi Venetias, ad eos mercatores, quos mihi deſignaveras. Nunc vero alias accipio, Romae datas, ex quibus diſco Te nunc illic agere, inibique moraturum ad minimum adhuc tres menſes. Servet Te Deus ſalvum & incolumem per totum illud ſpatium, quo Te detinebit tota tua peregrinatio Italica, ut ad nos tandem vegetus firmuſque redeas. Grates ago quam poſſum maximas, quod mei crebro memineris, & de tua valetudine dubitantem, nova ſcriptione certiorem me feceris. Beneficiorum in Te meorum commemorationem puto Tibi riſum movere, ut me ad indignationem provocat, & infortunium meum mihi objicit, qui, ſi paucos quoidam aegros excipias, nulli unquam beneficus eſſe potui, adeo ſum infelix, & ſiniſtro natus omine. Sed ſic eſt natura mortalium, & multi inter eos infortunati: plurimi inutiles aut pravi: *pauci, quos aequus amavit Jupiter, aut ardens evexit ad aethera virtus*, de genere bonorum, aut Reip. utiles naſcuntur, & in iis, Tu, vir Clariſſ. magnum locum occupas, quem utinam diutiſſime bonis tuis & Reip. rebus, ut mereris, feliciter retineas: ut in Te vigeat, citoque ad poſteros tranſeat eximia illa & nobilis indoles a Clariſſ. Parente Tibi tradita. Quod ſpectat ad li-

Digitized by Google

libros ex Italia, quia ſuper iis toties & tantopere me urges, ut aliquid per Te requiram, ecce perfrico frontem, Teque rogo ut mihi emas, (pretium refundam qualecumque fuerit) *Fabii Pacii Vicetini commentarios in ſex priores Galeni libros methodi medendi, ut & comm. in 7. ejuſdem operis:* duo ſunt mediocres tomi, Vicetiae editi 1598. & 1608. in folio. Romam tuam, Romam illam, *ſpurcum cadaver priſtinae venuſtatis, & turpem imaginem puritatis antiquae*, non eſt ſane quod mihi offeras: quid enim mihi cum Roma? quid viro bono & occupato *cum negotioſa illa tot otioſorum matre, corrupta, conſtuprata, contaminata*? ſane abeat illa a me, habeatque ſibi res ſuas. *Ocellus ille quondam, nunc lacuna Fortunae:* quae, ut ſcite ait Petrarcha, nihil eſt aliud, *quam impura illa officina, in qua cuditur quidquid ſcelerum, fraudum & impoſturarum ſpargitur per univerſum Orbem terrarum*; imo, ni bene Te noſſem, amicorum ſuaviſſime, lubens monerem Te, ut ab ejus illecebris & inſidiis Tibi caveas, dum illa Te detinet: rogaremque, ut ſaltem Tibi renovares in memoriam elegantiſſimam epiſtolam I. Lipſii *ad Phil. Lanoyum* nobilem adoleſcentem Belgam, *Cent. 1. epiſtola 22.* cui funeſta fuit iſta expeditio tranſmarina. Precor tamen, amicorum mellitiſſime, da veniam, quod Te moneam, quamvis monitorum non indigeas: hoc facit amor in Te meus, & gravis ille metus, per quem manu tremula iſta ad Te ſcribo. Sed faceſſat ille timor meus, neque enim de Te tam male ſentio: & amotis ſeris, jocorum aliquantulum. Princeps Condaeus, ſummus olim Lojolitarum patronus, anno aetatis 38. hic obiit abiitque εἰς τὴν χώρην τῶν πολλῶν: ibi agnoſcet fidem Sociorum illorum, quibus antehac tantopere favit, non ſine dolore bonorum. *Sponius* noſter officioſe Te ſalutat. *Naudaeus* aliquot Germaniae urbes inviſit, quarum ſolitudinem deplorat, praeſertim vero virorum eruditorum pene nullos deprehendit, praeter *Buxtorfium* Baſiliae: tandemque media hyeme ſanus & incolumis ad nos reverſus eſt, cum multis librorum hîc illic collectorum faſcibus. *Frater Ludovicus* in variis librorum nomenclaturis totus eſt: & hoc unum agit, quia aliud quidquam agere non eſt idoneus. Meminiſti quid Bataviae veſtrae decus immortale, *Deſ. Eraſmus*, dicat de Monachis: & Alciatus *in Embl.* ubi de Eſſenis.

Segnities ſpecie rectî velata cucullo,
Non ſe, non alios utilitate juvat.

Dum autem Roma Te habet, vide quaeſo eximium virum *Fam. Stradam*, & ab eo diſce quandonam hiſtoriae ſuae partem 2. nobis non invidebit. O utinam cito fiat iſtud! Multa hîc circumferuntur de Pace, quae naris emunctae homines, & viri πολιτικώτατοι, non aliter habent, quam pro artibus Imperatoriis, quibus decipitur populus, & pecunia emungitur. Eheu! quam bene nobiſcum ageretur, ſi coeleſtis illa Virgo Catholica, jure poſtliminii ad nos rediret. In re libraria nihil hîc novi. Vive & vale, meque quod facis, ama, Vir Clariſſ. Dabam Pariſiis, die 8. Januar. CIↃIↃCXLVII.

EPISTOLA DVI.

GUIDO PATINUS

Nic. Heinſio.

Florentiam.

GRatias Tibi ago ampliſſimas, Vir Clariſſ. quod ab oris noſtris adeo remotus, & quaſi in alieno orbe poſitus, mei plane immerentis tam benigne memineris. Et ſane, ut verum dicam, quod ſoleo, mentem meam affecit non leviter iſthaec tua recordatio, quam vidi in tua ad *Aegid. Huylenbrock*, & *Maeſtertium*, Dendermondanum, optimum virum epiſtola data Neapoli, 12. Junii. hujus anni: honeſtus enim ille vir a Te monitus, ſtatim me convenit, iterumque ſe ad me rediturum promiſit, priuſquam revertatur in Belgium, ſperoque fore, ut Te paranympho vel, mediatore, quamvis Hiſpanus affectu ſit, eum tamen amicum in ſuo Belgio habeam, talemque per aliquot literarum tandem connubium aliquando experiar: de quo amore in me tuo gratias officioſiſſime ago. Antehac memini me per literas rogaſſe Te *Fabii Pacii comment. in Gal. Methodum*: nunc vero rogo Te, ne ſuper eo mihi comparando labores: cum enim tandem in hac Urbe deprehendi. De libris nihil hîc aliud novi, quam quod *Balzacius* ſelectarum Epiſtolarum Gallicarum tomos duos nuper edidit: in quorum ſecundo una ad Te ſcripta legitur, in qua Tibi gratias agit de carminibus tuis Latinis. Omnes amici tui literati hîc bene habent, *Puteani*, *Menagius*, *Colletetus*, *Naudaeus* & alii: tu vero Vir Clariſſ. cura ut valeas, ut ſanus & incolumis ad nos cito revertaris. Hîc indies expectatur *Pars 2. Hiſtoriae de bello Belgico Fam. Stradae*, quae tamen diu haeret in via: dicitur eam retinere, & inhibere quo minus prodeat in lucem, Rex Hiſpaniae: & hoc, quamvis non unum, doleo, quod iſtius Principis graviſſima illa & tyrannica potentia etiam ad libros uſque ſe extendat. Dii meliora. In ipſo, de quo magnus hîc rumor eſt, Neapolitano tumultu, ſervet Te Deus ab omni injuria ſartum tectum atque incolumem. Ego & *Sponius*, Medicus Lugdunenſis, invicem Te ſalutamus: utrumque Te medullitus amantem redamare quaeſo non pigeat. Vale, vir clariſſime. Datum Pariſiis 16. Aug. CIↃIↃCXLVII.

EPISTOLA DVII.

GUIDO PATINUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

ELegantem tuam pro more Epiſtolam accepi per *Menagium* noſtrum, vir Clariſſ. cui paucis ſic reſpondeo. Revera Tui ſaepius memini, nec immerito, ut agnoſcis per *Utenbogardum* noſtrum, & per alium illum popularem apud *Elzevirios* commorantem: ſed longe aliter iſtud officium meum agnoviſſes, ſi antehac a me Tibi ſcriptam epiſtolam accepiſſes, qua tibi gratias age-

Digitized by Google

agebam pro duplici munere, tuo nempe Claudiano, & Panegyrico carmine Sereniſſimae Sueonum reginae. Eam ideo ſcripſeram, ut de iis gratias Tibi agerem, quod iterum facio ex animo, eamque tradideram Philiatro cuidam Germano, Anhaltino, Leidam proficiſcenti, ut inde pedem referret in patriam: abeuntem quoque viatico fueram proſequutus: ſed levis eſt jactura pecuniarum, imo & iterum pereant, modo ex tali epiſtola a Te non accepta, (quam tamen periiſſe graviter doleo) oblivionis & ingratitudinis notam, a qua procul abſum, mihi non impreſſeris. Amicos tuos & noſtros nomine tuo nuper ſalutavi, praeſertim vero *Colletetum*, *Fr. Jacobum* & mellitiſſimum *Naudaeum* in pago ſuo Gentiliano, ubi nos opiparo convivio excipiebat, cum ſumma jucunditate & hilaritate; ubi quoque gratiſſima Tui mentio facta eſt, poſtquam ſingulis illis ſpem novam feci, Te iterum hoc anno Pariſios venturum, quod mihi tunc nuper innotuerat, per epiſtolas *Iſ. Voſſii* datas *Bidalio* mercatori, ejus ante annum hoſpiti, qui eas mihi oſtendebat. Sed utinam venias tandem, & iterum Te videam, & erudito illo fruar aſpectu, a quo nonniſi melior & eruditior fiam. O felicem & fortunatum diem, quam ardenter Te videre cupio! qui ubi mihi illuxerit, Quanti complexus, quae gaudia, quanta futura! ſi iterum mihi videre datum fuerit docti patris doctam ſobolem, principis eruditorum D. *Dan. Heinſii* eruditiſſimum filium *Nic. Heinſium*, in nova mea domo, ab anno mihi empta, 30. millib. libr. Turon. clara, pellucida, commodiſſima & elegantiſſima. Sed, dum ſeſe offeret laetus ille dies, ecce quod voluiſti facio, & mitto, ut petiiſti, quaecumque in libro tuo Pataviis edito, & a Te in patriam revertenti mihi relicto, latebant: ſubjungo quoque correctiones quaſdam tuas, ut per me nihil Tibi deſit ad integram & omnibus numeris perfectam tuorum Poëmatum editionem, in quibus certa aeternitate donantur eorum nomina, quibus illa inſcripſiſti. Sed heus, amicorum gemma & ocelle, quia epiſtola non erubeſcit, patere ut Tibi Cynthius aurem vellat: fac ut in aliquo angulo tertiae illius editionis, novo hexaſticho vel tetraſticho, imo ſi volueris, brevi diſticho, elegantiſſimus Poëta ſui *Guidonis* meminerit: hanc olim gratiam Plinius junior, aeternandi nominis cupidiſſimus, ambiebat & petebat a ſuo Tacito: ego tamen, qui Plinius non ſum, eadem poſtulo, nec tacite, nec impudenter: ea tamen lege, ſi Tibi probetur, nec diſpliceat votum meum, tot eruditis & elegantiſſimis viris accenſeri. Quod ſi feceris, certe Rex ero, & triumphabo: ſin minus, conſilium tuum laudabo, & in tuas partes tranſibo. Nihil hîc novi geritur quod ſcribi debeat: adeo inter bellicos tumultus ſunt attritae noſtrorum Bibliopolarum facultates, ut nullam pene editionem auſint aggredi. Ab exceſſu praeſtantiſſimi viri D. *Sarravii*, quem duo bipedes nequiſſimi, & teterrimi nebulones caco-Chymici ſtibio ſuo miſere necarunt, nullus hîc obiit de familia eruditorum. Tu vero, Vir Clariſſime, ſalve, vive atque vale, cum eximio viro Dom. Parente tuo, quem meo nomine, ſi placet, ſalutabis. Vale, inquam, & me ama. Pariſiis die Veneris 14. Julii. CIↃIↃCLI.

EPISTOLA DVIII.

CAR. ANN. FABROTUS

Nic. Heinſio.

Romam.

Litterae tuae nudius tertius mihi redditae ſunt. ex quibus cognovi te Romae agere magis, ut veteres Ovidii codices conquiras, quam ut S. P. pedes deoſculeris: Libet enim heic tecum jocari. Plures autem iſtic invenies: non enim Auguſtus efficere potuit, ut libri cum auctore exularent. An autem eruditis pateat Vaticana bibliotheca, ſic ut Marciana & Florentina, valde ambigo: nam ea de re conqueſtus eſt *Jacobus Sirmondus*. Verſione Baſilici defunctus ſerio cogitare coepi de edenda replicatione noſtra adverſus refutationem *Claudii Salmaſii*, eruditorum tyranni: idque juſſu D. Cancellarii: eamque edendam *Sebaſtianus Cramoiſy* in ſe recepit. Ago tamen Tibi gratias, quod in me tam pronus ſis, ut dudum pollicitus ſis operam affinis tui, qui editionem ejus cura ſua faceret, ſi typographum heic non invenirem. Cedrenus pene abſolutus eſt auctior Gloſſario noſtro mixo-barbaro & notis. Sed & bene multas lacunas ſupplebimus ex Joannis Curopalatae hiſtoria manu exarata. *Heraldi* amici noſtri Apologia ad finem perducta eſt, & primo quoque tempore in lucem exibit. *Salmaſius*, qui maledictis certavit, ea quoque ipſe audiet. Si Lutetiam redieris, rem longe mihi gratiſſimam feceris, ſi aedibus noſtris uteris hoſpitii jure: nam cum heic eſſes, tam ſpatioſae non erant, ut hoſpitem recipere liceret. Cum primum parenti tuo eruditorum principi ſcribes, ſalutem verbis meis ei dicas. Vale Cl. V. Lutet. III. Januar. CIↃIↃCXLVII.

EPISTOLA DIX.

CAR. ANN. FABROTUS

Nic. Heinſio.

Venetias.

Queri non immerito potes Cl. v. quod a ſcribendi officio hactenus temperaverim. Sed ſpes adventus tui in rependendis tibi litteris me paulo ſegniorem effecit. Licet autem infrequentiam litterarum incuſes, nolim tamen ut aſſidua ſcriptione amicitiam aeſtimes. Etiam qui procul agunt affectum retinent, ſi verus, non ſimulatus fuit: nec longa peregrinatione vel ſilentio quidquam ex non fucata amicitia deteritur. Tuae tamen abſentiae damna ferre diutius non poſſumus ego & *Menagius* potiſſimus amicorum: quippe dum veteres codices poetae exulis quaeris, exilium tibi quodammodo a Laribus tuis & ab amicorum conſortio videris indixiſſe. Omnes, opinor, bibliothecarum forulos excuſſiſti. Macrocola omnia perlegiſti, & hoc ſine dubio effeciſti, ut ſi Ovidius ipſe ſuperas ad auras evaderet, omnino manum ſuam agnituus eſſet. Quamquam autem ſumma voluptas ſit, quod in me interdum experior, ex

ex veterum Librorum collatione veram auctoris ſcripturam plerumque indagare: non tamen infitior viros eruditos ſagaci mente ſua ad verum collineare. Quam autem plurimi in Italia ſint, me non praeterit, cum quibus de locis dubiae ſanitatis communicare potuiſti. Inter quos merito poſuerim eruditiſſimum virum *Joannem Baptiſtam Doniam*, cujus amicitiam expeto, vel eo nomine quod honoris plurimum ex ejus teſtimonio mihi acceſſiſſet, ſi verſus elegantiſſimos, quos tranſmiſerat, editioni Baſilicorum inſerere potuiſſem: ſed jam abſolutae quicquam addere non licuit. Nec tamen velim exiſtimet, me tantae gratiae unquam debitorem immemorem futurum. Quin imo ſi vita ſuppeditet, editioni novae ornamentum adferent. Si reditum tuum nondum impetrare poſſimus, curabo equidem ſedulo, ut accuſare ſilentium meum deſinas. Interim, dum nuntium aceto Italico remittas, & doctiſſimo viro *Donio* ſalutem meis verbis dicas. Pariſiis XII. Januarii A. S. CIↃIↃXLVII.

EPISTOLA DX.

CAR. ANN. FABROTUS

Nic. Heinſio.

Mediolanum.

REddidere mihi litteras tuas praeſtantiſſimi fratres *Puteani*, ex quibus cognovi te reditum in patriam adornare. Hoc igitur tantum expeto, ut ſecunda navigatione Maſſiliam pervenias, πόλιν μεγάλην, Φωκαιῶν ἀποικίαν, ut eam Marcianus vocat in Periegeſi. De Aquis Sextiis quidquam dicere verecundia prohibeor: ibi natus ſum, ibi educatus, ibi litteris imbutus, ibi amici, quibus ut te commendem petis: quanquam nomenclatore magis eges, quam commendatitiis. Nominis enim tui fama doctorum animos facilius tibi conciliare poteſt, quam commendatio. Mitto tamen eas juſſu tuo ad amicos, quibus curae erit, ut Rectorem Provinciae ſalutes, Principem non Latine modo, ſed etiam Graece doctum, qui te perquam humaniter excipiet, ut erga eruditos omnes bene affectus eſt. Caeterum agnoſco errorem in nomine *Donii* ὃ μακαρίτου, hunc ut emendes etiam atque etiam rogo, hoc eſt ut meo nomine *Paganino Gaudentio* V. Cl. ſalutem dicas, cujus ἐν τοῖς ζῶσιν ἔτι amicitiam non minus expeto, quam olim *Donii*, qui e rebus abiit. ipſi autem cum primum ſeſe occaſio offeret, vicem laudis exſolvam. Vale, vir Cl. & me tui amantiſſimum redama. Pariſiis CIↃIↃCXLVIII. Maji VIII.

EPISTOLA DXI.

CLAUD. SARRAVIUS

Nic. Heinſio.

Romam.

NE prioribus tuis literis, ſtatim atque illas accepi, reſponderim, vir Eximie, obſtitit iter Aquitanicum, in cujus procinctu me deprehenderunt,

Poſt

Poſt quadrimeſtrem fere abſentiam tandem, Deo favente, non ſine magnis, ab hieme & parum firma valetudine, difficultatibus, in urbem redii. De te quid factum eſſet & ubi gentium degeres ſollicite ſubcunctatus, intellexi valere te & in Urbe Aeterna vigere, in qua Theſauros eruditionis & gloriae inaeſtimabiles labore improbo & induſtria pari ſolertiaque comparares. Non mediocri voluptate nuntio iſto affectus ſum. Sed quod jam ab alteris tuis me abs te ſemper amari etiam cognoſco, mentiar, ni dixero me totum ſuaviſſima laetitia perfundi. Utinam vero poſſem inſigni aliquo officio teſtari, quanti virtutes tuas faciam! Nulli rei parcerem, ut affectus meos tibi paratiſſime recluderem. Aliquando forſan ſeſe dabit id praeſtandi commoda occaſio. Interea hoc animo meo contentus eſto: & ad nos redi gazis illis onuſtus, quas ab iniquis poſſeſſoribus extorſeris: verae enim & ſolidae eruditionis cara dudum iſtic eſt annona. Sed pauciſſimos Romae reperiri, qui ſaltem elegantiores & humaniores literas religioſe colant, niſi affirmares, vix credibile. Atqui ipſum coelum, ipſae illae, quas merito laudas, ſtatuae, quam multa ſolo ſui aſpectu docere poſſunt, quae in libris fruſtra ſaepe quaerimus? A mutis iſtis Magiſtris, nec faſtidioſis diſce, quae poſtea toti orbi explicabis. Nec illis invidebimus tanta decora, ubi eorum verum uſum chartis mandaveris. Quin invidebunt Rerum Domini Batavis tam eruditum ſuarum divitiarum diſpenſatorem, tamque ſolertem myſteriorum ſuorum interpretem. Certe tu, *Gronovius* & *Voſſius* ſequuturos deinceps caeteros docueritis, quid in Italia iter facientes praecipue conquirere oporteat. Ex hujus peregrinatione Ignatius jam terſus & nitidus, ſine ullis offuciis, omnium manibus teritur: qualis ſcilicet Theodoreto, Athanaſio & Antiocho legebatur. Ex alterius diſcurſationibus, poſt Livium mille locis meliorem, tres Senecas docto pumice expolitos brevi habebimus. Quin tertius illis accedas & amplam ſymbolam Muſarum conviviis conferas dubitare nefas. Ego, qui de meo nihil poſſum, de alieno liberalis eſſe cogor. Magnam enim copiam collegi Epiſtolarum Magni *Hugonis*, qui ſicut in omni ſcientiarum genere vir fuit ſui nominis, ita, ſi quid mei judicii, in iſto ſicuti & in carminibus, omnino incomparabilis & divinus. Quod autem ſponte offeras e divite tuo penu, & quod oſtentas e *Galilaei* haereditate, auctarium non recuſo. Hanc quaeſo veteri Parentis tui amico, & bonis omnibus impende. Mihi ſane rem feceris gratiſſimam. Te cum diſcederes rogaveram, & ſi pateris iterum rogo, ut ſedulo exquiras an in MSS. exemplaribus Anaſtaſii Bibliothecarii reperiatur, ſuo ordine inter Leonem IV. & Benedictum III. vita Johannae Papiſſae. Retulit ad me olim Amicus, cui idem mandaveram, laceros eſſe omnes, quos vidiſſet, codices, eo loco ubi ea narratio eſſe deberet. Vidiſſe ſe tamen in Ambroſiana unum non in membranis ſed in charta exaratum, qui eam haberet; ſed deſcribendi copiam factam non fuiſſe. Si per te compos eſſe potuero iſtius hiſtoriae fragmenti, plurimum tibi debebo, vir Praeſtantiſſime, quin in tuorum numero habere me velis, fortem bonumque quaeſo precorque. Lutetiae Pariſiorum v. Martii ipſo Hilariorum die CIↃIↃCXLVII. Prohibet has obſignare *Priceus*, donec te ſuo nomine ſalutarem.

Idem

Idem num Mediolani *Bernardinum Ferrarium* conveneris, eique literas ſuas tradideris, ſcire deſiderat: quamque officioſe te proſequutus fuerit.

EPISTOLA DXII.

DESID. HERALDUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

TArdius ad tuas reſpondeo amantiſſime ſcriptas, quia de quodam ſpes mihi erat facta, qui literas meas tibi in manus traditurus eſſet. Id quia adhuc incertum eſt, eas malui fidei publicae permittere, quam diutius ceſſare. Acceperam egregium ſpecimen *Salmaſii* ἐκ πάνυ, quum tuae mihi redditae ſunt: quin & quanquam variis occupationibus, & praeter ſolitum avocatus, librum ſeptimum animadverſionibus meis adjicere jam coeperam, qui erit pro reſponſione; is ſub praelo eſt. Nihil aliud exſpectaram ab homine perdito, qui cum innata petulantia, & impudentia, quoſlibet ſine ullo diſcrimine, probris & conviciis appetere in deliciis habeat, nihil fecit contra jus, quod unum novit, ſi in eum, qui ceſſantibus aliis multo doctioribus, φενάκην illam, qua tamdiu hominibus illuſit, & terrorem ac formidinem literatorum vulgo injecit, detrahere ei eſt auſus, toto furoris impetu inſurgere, ac debacchari, eumque maledictis, & mendaciis, quae ſola ſunt ejus tela, obruere conatus eſt. Sane furere ei per me licet, & rugitu, qualem effingere potuit, omnia complere, modo cuti ſuae redditus, & exuviis Leonis nudatus ſeculo noſtro qualis eſt per me, quando alii hac opera ſuperſedere malunt quam cum furioſo luctari, innoteſcere incipiat. καλὸς μὲν πίθων ἐξῆ παισὶν ἀεὶ καλός. Quando opus meum proditurum ſit, recte dicere non poſſim: quin libri tres rerum, & quaeſtionum juris quotidianarum, quos adjicere animo deſtinavi, nondum ſunt parati, nec fere delineati. feriis tamen paſchalibus rem omnem confectum iri ξὺν Θεῷ ſpero. Clariſſ. virum patrem tuum, florem eruditorum delibatum, ſi nomine meo ſalutaveris, rem gratiſſimam mihi feceris. Vale, tanto patre digniſſime fili, & me ama. Lutetiae Pariſiorum a. d. VIII. Kalendas Januar. exeunte Anno CIↃIↃCXLVIII.

EPISTOLA DXIII.

DESID. HERALDUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

LIteras tuas VIII. Junii ſcriptas accepi, quibus nullam mentionem facis, neque literarum a me ad te datarum menſe Decembre anni ſuperioris, neque primi ternionis Libri VII. Animadverſionum mearum in *Salmaſii* obſervationes, quem bibliopola mihi dixit Leidam a ſe miſſum eodem tempore, ut tu & viri docti, qui iſtic eſtis, quid ſpecimen confutationis continuerit, ex eo con-

jicere poſſetis. Mendacia hominis impudentiſſimi, quae ſalutis deſperatio ei dictavit, legi lubenti animo; de literis, & rebus ad literas pertinentibus quae obſervavit, non item, quippe quae ad infamiam ſeculi redundent. Itane eſſe adverſa hominum noſtrorum judicia, ſi ad tantam, tam ſtupendam, tam manifeſtam hominis nihili impoſturam non excitentur tandem, neque ἀ ἔνεχ' ἀ ἐπὶ κεφαλὴν tamdiu ſibi illudere patiantur? de illuſtriſſimatu ejus quod ſcribis, proſpexi mihi, atque deſperatae homini dementiae nihil adjici, neque eós, qui veſaniae iſti ancillantur, magis ſanos puto. Sed valeat tota illa fatuitas. Statim atque bellum illud mendaciorum ſpecimen ad me allatum eſt, (allatum autem, quum ad decimum, ut ego quidem exiſtimabam, operis mei terniorem perventum eſſet) ei manum admovi jamque paginae aliquot excuſae erant, quum tumultus domeſticus pacem publicam interpellare coepit, & typographorum operas alio avocare, quo ex malo tamen hoc accepi commodum, quod meditationibus iſtis, a quibus quotidianae, & ἐγκύκλιοι occupationes me identidem revocabant, ſerio vacare licuit. Libris igitur animadverſionum ſex, quem intra numerum opus meum concludere deſtinaram, ſeptimum adjeci, quem in duos ſecuſſem, ſi quum eum inchoavi, quo uſque progreſſurum eſſet, providiſſem. Erit igitur liber hic ſeptimus, quolibet aliorum longe ſpiſſior; jamque ad finem typographus properat, ſuperſunt autem rerum, & quaeſtionum quotidianarum libri alii tres, inchoati ſane illi tantum, ſed quos, rebus prolatis ad umbilicum producturum me, ξὺν θεῷ δ' ἐφήσεται, pene confidam, atque exeunte anno opus integrum in lucem proditurum. Vale, vir eruditiſſime, & Clariſſ. virum patrem tuum, meo nomine plurimum ſalvere jube. Lutetiae Pariſiorum Kalend. Jul. CIↃIↃCXLIX.

EPISTOLA DXIV.

ISM. BULLIALDUS

Nic. Heinſio.

Pariſiis.

VIR Clariſſime, pluribus jam menſibus Illuſtriſſimi *Puteani* fratres, quos mecum pari affectu colis, hoc mihi objecerunt, quod ad te a reditu meo ex orientalibus regionibus litterarum nihil ſcripſerim. Negligentiae, fateor, craſſioris merito me inſimulabant, quae tamen ad fraudem amicitiae tecum contractae factam accedere dici jure nequeat. Alio equidem avocatum animum curae aliquot & occupationes diſtinuerunt, & me officio, quod benivolentia & amor, quibus me proſequeris, exigebant, deeſſe coegerunt. Te accuratum ac diligentem reſcivi in ſciſcitando ab amicis noſtris, quo loci res meae, dum abeſſem, eſſent, num viverem? num valerem? quam promptus futurus eſſet reditus? Quid ſuis ac neceſſariis amantius quiſquam praeſtare poteſt? Quare eum me eſſe puta, qui tanti erga me amoris memoriam tenaciſſime retenturus ſim; nec apud te locum poenitentiae feceris, quaſi in ſolo ingrato excolendo operam perdideris. Sancte polliceor, & ubique fuco omni deterſo cultorem ingenuum amicitiae cum tui ſimilibus ſociatae cunctis me approbabo. Id mihi con-

concedi ſolummodo velim, ut, ſi quando viribus impar ero, ingratus non inducar. Solum natura ſua non infelix fidere infauſto ſi tabuerit, nec agricolae votis reſponderit, deſerendum illico non eſt, & tribulis ac lappis infeliciibuſque herbis tradendum. Te ea indole aequitatis adeo amante eſſe novi, ut hoc a te mihi praeſtandum ſtipulari prorſus ſupervacuum ſit. Sed hactenus fortaſſe in ejuſmodi officioſis verbis prolixior ſucum facere videri poſſum, a quo me longe abeſſe aſſerui. illa itaque miſſa faciamus. Tibi gratulor fortunatam proſperamque ad hancce diem peregrinationem, ejus quod reliqui eſt feliciter tibi ceſſurum opto. Maximam inde tui voluptatem percepturi ſunt, & Reſp. literaria dives emolumentum reportatura. At vero quî te in hacce expeditione tua ex omni parte beatum praedicem? cum tot tantorumque virorum, qui Italiae praecipua ornamenta erant ac elegantiora, efferri funera videris, & tantum non proſecutus ſis. Alte in animum iſta adverſantis omnibus literatis fortunae tela penetrarunt: omnium deſiderio crucior: verum, qui mihi noti erant *Bonaventura Cavalerius*, *Joh. Bapt. Donius*, *Euangeliſta Toricellius* & *Vicentius Renerius*, eos tam acerbo ac immaturo fato e vivis exemptos ac nobis praereptos eſſe gravius ac iniquius fero, Deos rectos ac magis propitios experiri caeteros ſuperſtites cupio. Tuam porro poſtremam epiſtolam Illuſtriſſimis *Puteanis* ſcriptam, ut & alias tuas priores, vir clariſſime, legi. Video te ſtrenuum ac acrem adhortatorem: ſerio quippe me excitas, ut Piſanam Matheſeos provinciam, praetecto ſuo optimo, ac eruditiſſimo *Renerio* orbatam, ambiam. Illam profecto vires meas longo intervallo ſuperare mihi conſcius ſum, & innata mihi familiariſque a puero timiditas a tali propoſito me retrahit. In Sereniſſimi Magni HetruriaeDucis ditione plures ſunt, qui hoc munere applaudente corona fungi poſſint. Inadſuetus ego illi arenae, in qua viri praeſtantiſſimi tanta laude deſudarunt & ſtipendiis ac militiae tempore exactis rude donati fuerunt, in illam ſi deſcendam, quid niſi me ridendum propino, & confoſſus pereo? Praeterea hoc te latere minime volo, rerum Italiae ſtatum adeo fluxum & in praecipiti eſſe mihi videri, ut caſum aliquem horrendum, vel a ſuis vel a Turcis, ruinamque iis impendere reformidem. Quis ita de futuro ſecurus ſpe firma animum ſuſtentare poteſt, ut aeſtate etiam proxima Othmanicum exercitum Calabriae & Apuliae oris non appulſurum ſibi polliceri queat? Venetus Senatus Secretarii ſui *Ballarini* CPolim deſtinatione, de pacis ineundae conditionibus cum Imp. CPolitano conveniſſe, vel ſaltem, quaſcumque ille tulerit, accepturi eſſe videntur. Quae ſi componatur, quid de Neapolitano regno decernendum ac ſtatuendum? Turcos has turbas rerumque confuſionem latere, ne tibi perſuaſum habeas; Orbem Chriſtianum ſymptomatico morbo laborare & compertum habent & jactant. bellum internecivum exitum haud invenire poſſe Muſulmani probe ſciunt. Cum vel fata urgeant, reſque noſtras praecipites dare feſtinent, ſive hominum, vel, ut cum *Deſiderio* veſtrate loquar, duorum vel trium &c. nequitia publicae tranquillitati conſtituendae obſtet. Gens illa barbara ſi reſumptis bellicis ſpiritibus in Italiam per haecce tempora irruperit, de Hiſpani, de ſummi Pontificis caeterorum-

que Italiae Regulorum rebus actum est. Ubi exercitus, ubi pecuniae & commeatus? ubi triremium classis, Reip. Venetae pace cum illo Imperatore Othmanico sancita, caeteraque ad hostem acriter ac valide repellendum necessaria? Si discordibus belloque intestino se mutuo lacessentibus Hispaniae Regi plebique ac Nobilitati Neapolitanae supervenerit potentissimus hostis, rebus eorum hac seditione domestica fractis & accisis utrosque debellabit. faxit Deus ut insomnia ista mea per portas eburneas avolent, si tamen quae cervicibus imminere oculis cernimus, insomnia appellare aequum fuerit. Gratias nihilominus quam maximas possum tibi habeo; eoque nomine, quamdiu vixero, in aere tuo me habebis. Meo quoque nomine Illustrissimo *Dato* gratias ingentes age, qui me tanti facit, tamque humane invitat, viamque commonstrat, qua ad illud publicum munus perveniendum sit. Optime mecum agi crederem, & fortuna propitia me uti, si huic obeundo aliquatenus parem me agnoscerem, alacri tum demum animo, prompta manu ac lingua Reip. inservirem. Nunc versor in notis Historiae Byzantinae propediem edendae attexendis, cujus versionem ante mensem absolvi, non penitus inutilem fore operam meam spero. Cum hanc epistolam acceperis, te etiam atque etiam rogo, ut Illustrissimum ac Reverendissimum *Thomasinum* Aemonienſem Praesulem, Illustrissimos *Joh. Rhodium*, *Vesslingium*, *Ferrarium*, *Berigardum* & caeteros Patavii commorantes mihi notos nostro nomine salutes. Tibi fausta ac prospera omnia precor. Vale, vir Clarissime & amicissime. Parisiis E. A. D. V. Nonis Mart. CIↃIↃCXLVIII.

EPISTOLA DXV.

ISM. BULLIALDUS

Nic. Heinsio.

Venetias.

JAM diu est, vir clarissime & amicissime, cum debueram tibi testificari animo me esse erga te memori, qui litteris ad Illustrissimum *Jacobum Puteanum* scriptis salutationibus crebris me compellare voluisti. toto equidem pectore te tuasque litteras, quas *Puteani* humanitate indulgente legere semper licuit, amplexatus sum; isque, quem nosti, perduro. Optarem equidem occasionem aliquando concedi, qua affectus in te meos non verbis inanibus, sed reipsa approbare possem, nusquam melius locatam operam meam putarem, quam in stabilienda tecum amicitia, arctioribusque vinculis constringenda. Vereor tamen ne in contrarias partes discedere videar; & alia verbis exprimere, alia mente volvere: cum tibi operam meam paratam scribam, tuam interea exigam. Obnoxium me magis ut habeas, hoc ago. itaque qua tu indole optima praeditus es, Musarum tenellus alumnus, & χαείτων γλυκὺ τέκνον, sustine me etsi importunum; Quanta cum voluptate in memoriam revocem amoenos illos dies, jucundissimaque colloquia, quibus in Sereniſſimi Magni Hetruriae Ducis Bibliotheca aliquot, imo plures, hebdomadas transegimus; haud satis ex-

explicare verbis queo. ante paucos vero dies dum chartas meas revolvo, in quaedam excerpta ex Bibliothecae illius volumine incidi, & relegi. inter caetera vero occurrit Christianorum Syrorum Kalendarium, quod num integrum descripserim addubito; cum autem ex usu meo aliquando futurum sit, integrum illud penes me habere, quantis possum animi viribus a te flagito, ut ea in re mihi subvenias. Utque minimo negotio hoc officium valde mihi gratum praestes, rem totam indicabo. Kalendarium illud extat in Codice Graeco, qui Syntaxim Astronomicam Persicam continet, & alia insuper varia complectitur. in papyro exaratus est manu non eleganti, at non torpenti, ferrea catena, ut & caeteri, alligatus est pluteo XXVIII. aut alicui proximo, in ordine videlicet qui Bibliothecam ingredientibus ad sinistram procedit. In illo itaque volumine post Syntaxim Persicam habentur Kalendaria Musulmanorum, Persarum, & Syrorum Christianorum. Hujus titulus est Διαίρεσις ἰβοδομὴ εἰς τὰς πασχαλίας τ̃ χειστιανῶν. αἱ μεγάλαι ἡμέραι. τὰ ὀνόματα τ̃ μηνῶν. Mensium nomina sunt Τασιρὶν ἀκάλ. Τασιρὶν ἀλλάχαρ, Κανοῦν ἀκάλ, πασχαλία δ̃ Ζαμουί. ἡ εἶναι μυστήρια κατάδδιτ. ὅτ@ ὁ μὲν λε ἡμέραι, ὁ δὲ εἰς τ̃ χρόνον δ̃ Καπισᾶ ἡμέραι λϛ. Sequitur in meis excerptis, Συνμπατ. cum tamen, si nulla in Codice Florentino lacuna extat, sequi debuit Κανῶν ἀλλάχαρ, id est *Canun posterior*, qui Decembri nostro respondet. Consule itaque, humanissime vir, volumen illud, & illum mensem Canum posteriorem & πασχαλίας ipsi affixas, id est festos dies, transcribe & ad me mitte. ad tres vel quatuor versus scriptura tantum excurret. Gaudeo admodum Clarissimum *Langermannum* Manethonis apotelesmatica descripsisse, illius authoris primos versus & ultimos transcripsi. hisce postremis auctoris γενεθλιακὸν θέμα describitur. In pluteo XXXI. locatum est aliud volumen, quod Euripidis, Sophoclis & Aeschyli Tragoedias continet; in calce legitur alicujus recentioris Graeci Tragici δρᾶμα, cujus argumentum Xerxis clades fuit. imperfectum opus est & ab his versibus incipit, Τὰ δὲ μὲν Περσῶν τ̃ εἰχομένων, Ἑλλὰς δ' ἐς αἶαν πεζὰ καλεῖται. Si mihi otium ac tempus suppetisset, id poëma libentissime transcripsissem, ut, quam bene ad poësim Graeci recentiores sint nati, barbaris nobis constaret. an *Langermanni* animum hoc ineditum opus, ut ipse describeret, non invitavit? illum tuis verbis meoque nomine ut salutes rogo. Nuncium porro gravem cum ultimis tuis accepi, in Hollandiam quippe per Germaniae provincias te recipere cogitas, ut superstites ex rapinis & incendiis bellicis Bibliothecas evolvas. Si per Helvetios iter capessiveris, Tigurinam adi, multa illic optimae notae volumina adservantur. At vero si ad Germaniae intima penetrare tibi libuerit, Juvaviam, hodie Salisburgum, te confer. habet illa Bibliotheca, ut ex *Gronovio* intellexi, poëtas plures antiqua manu scriptos. Ingolstadiensis aliquot spolia ex Heidelbergensi retulit. Viennensem optime instructam audio, sed situ operti & oblivioni demandati miselli libri jacent, nec ullus hodie ex illis quicquam profert. Tecum coram colloqui in votis praecipue habebam. Verum spe frustratus hoc unum precibus ad deum Opt. Max. fusis toto animo precor, ut sanus sospesque ad tuos redeas, & ad Serenissimam Reginam, novum arctoae plagae Sydus, illinc revertaris, &

gratia apud ipſam, ut hactenus res ex animo ceſſit, valeas. ex tuis literis percipio, Sereniſſimo Principi *Leopoldo* te innotuiſſe, hac de re tibi gratulor; tales ſiquidem Principes adire, & ab illis noſci honorificum duco, qui de hominum pretio ac meritis rite judicare poſſunt; ſi ita inciderit, ut de me apud illum mentionem obiter facias, te rogo. ab ipſo ante paucos dies literas accepi humaniſſimas, quibus ad meas reſpondet, & obſervationem meam ultimi defectus Lunaris ſe accepiſſe ſignificat. Vale, vir Clariſſime, & me, tui amantiſſimum, ſemper ama. Scribebam Lutetiae Pariſiorum E. A. D. III. Kal. Decembr. Anno CIↃIↃCLII.

EPISTOLA DXVI.

NIC. HEINSIUS

Iſm. Bullialdo.

Pariſios.

Chriſtophorum Puteanum cum ob ſingularem probitatem ac raras animi dotes veneratione magna complectar, tum hoc praeſertim nomine laudandus & diligendus mihi venit, quod illo tanquam internuncio, quid amici Pariſienſes moliamini ſubinde intelligam, nec rerum viciſſim mearum ignaros omnino vos eſſe patiatur. In curandis utrimque literis mira certe ejus eſt diligentia, nec unquam ſatis commendari poteſt. Quae ſenis optimi officia cum perquam mihi grata ſint, tum nuperum illud longe prae ceteris gratiſſimum, quia inſolens & inexpectatum, quod tuis, vir Eximie, literis ac ſuaviſſimo alloquio me bearit. Dolebam fatum meum non leviter, qui facto jam bis aut ter per Galliam veſtram itinere, complexu tuo ſemper fraudarer; nec illud tamen tam me macerabat, quod ipſe domo abeſſem, dum tu in Bataviam noſtram non ita nuper excurriſſes: nam & praevidebam fore, qui gentis noſtrae mos eſt non nimium urbanus ac Gallicae comitati multum impar, ne pro meritis illic tuis excipereris: & ardenter optabam mei erga te affectus monumentum aliquod extare. Ex quo enim haec civitas nos conjunxit olim & Mediceae bibliothecae ſacrarium, nullum majorem fructum ex continuis, quibus tum exercebar, lucubrationibus viſus retuliſſe, quam quod virtutes tuas propius contemplari, & quantus eſſes, non prorſus ignorare contigiſſet. Nunc quoque pluteos illos nunquam excutio, excutio autem frequentiſſime, quin tu ſuccurras mihi recordatione jucundiſſima. Haec cum ita ſe habeant, teque in oculis feram aſſidue, vide quam iniquus ſis in illam, quae tecum interceſſit mihi, neceſſitudinem, qui anxie roges multa verborum ambage, quod imperare confidenter debebas, ſi pro tuo mecum jure ac antiqua illa neceſſitudine ageres. Mediceam non acceſſi feſtis hiſce diebus, quod feriarum cupidiſſimos eſſe S^ti *Laurentii* canonicos probe ſciam. Tentabo hodie an admitti poſſim, ut deferibam, quae petis; ſin minus, cum proxime literarum aliquid dabo, ad nobiliſſimum *Puteanum* noſtrum, curae mihi erit, ut voti fias compos: Velim in rebus magis arduis operam meam explorares. Sereniſſimo Hetruriae Principi

Leo-

Leopolilo nunciavi, quae jusseras. Est is tui amantissimus. Expecta brevi ab illo luculentam descriptionem Phaenomeni illius, quod nuper apparuit. Manethonem descripsit *Langermannus*. Dramatis illius oblitus eram, & si meminissem, non putassem tamen consultum inglorio labori juvenem amicissimum objicere, cum valetudine sit dubia ac infirma. Romae nunc conflictatur cum custode Vaticanae bibliothecae, homine difficili admodum ac rerum imperito. Bibliothecas Germanicas cum cura perlustrare cupiam: nec deerit, ut augur, aliquando opportunior occasio. Nunc in parentis gratiam fore festinandum praesagio. Vale. Kalend. Januar. CIↃIↃCLIII.

EPISTOLA DXVII.

ISM. BULLIALDUS

Nic. Heinsio.

Amstelodamum.

NON dubito, quin alte in animum tuum descenderit dolor, quem ex erepto nobis Illustriss. *Jacobo Puteano* concepisti. cum omnibus honestis probisque viris commune damnum sensisti; quin etiam ad te propius, quam ad caeteros spectat: arctiori quippe vinculo amicitiae eum ipso conjunctus eras, & apud eum auctoritate ac gratia omnino valebas. Illum enim plurimi te semper fecisse animadverti, famaeque tuae & virtutum tuarum studiosum fuisse, illasque omnibus commendasse. Rationem quoque mei rerumque mearum, hunc casum dum defles, te habuisse penitus persuasus sum; jacturam enim gravem me feciſſe probe intelligis, cum ob amissum, cujus imago meis quotidie obversatur oculis, desideriumque defuncti facit: tum etiam ob memoriam anteactae cum ipso vitae, quae me inofficiosi testamenti querelam instituere cogit. In contrarias sane partes abriperer, si commodi rerum mearum privatarum diligentior essem, quam juris amicitiae, cujus me prae caeteris studiosum esse mecum constitui. Ab Ampliss. *Wiquefortio* multa de his, quae testamento jussit *Jacobus* ille *Puteanus*, audire potuisti; unum tamen aliquis ipsi perperam significavit, Veteres nempe Manuscriptos Codices Illustriss. *Thuano* ab ipso fuisse legatos, quos Regiae Bibliothecae consecravit, eo etiam casu, si Rex excusorum librorum Bibliothecam accipere recusaret. Ovidianos propterea Codices, quos videre cupis, in Illustriss. *Thuani* potestate amplius non sunt, nec illos ad te ferri, cum in Hollandiam proficiscetur, possibile est. Alios tibi non visos, si penes illum aut me essent, alacriter mecum ferrem. Neque diligentissime curare omittam, quicquid Dominus *Philibertus de la Mare* Senator Divionensis ad te perferendum fidei meae crediturus est. Ex Bibliotheca Memmiana aut Cardinalitia parum te sperare jubeo. Illa cum blattis, araneis, muribus ac soricibus luctatur, literatis paucis vel nullis olim permissa, nunc penitus apud viduam abscondita. Eminentiss. Cardinalis Bibliothecae usus aliquomodo conceditur, & si Parisiis degeres, illam tibi patere aliquis ex amicis curaret. Habet equidem Illustriss. *Thuanus* pluresi Parenti suo & *Puteanis* a

Patre

Patre tuo viro Clariſſ. ſcriptas epiſtolas; cum ipſo tuam epiſtolam communicabo, ut quid velis ac cupias ipſe intelligat, utque tibi perficiat, quantum penes me erit, adlaborabo. De die vel tempore, quo hinc ad vos abiturus eſt Illuſtriſſ. *Thuanus*, certi quicquam affirmare non auſim. Quamvis plura ut hîc remaneam, ſuadeant, abeuntemque retineant, gratiſſimum mihi erit & Illuſtriſſ. *Thuano* morem gerere, & operam ei, quam potero, diligentiſſimam navare. Jucundiſſimum etiam erit moeroris levamen te alloqui, tecum amicitiae foedera renovare, & de literis humanioribus caeteriſque ad artes liberales ſpectantibus argumentis inter nos confabulari. Reipub. etenim curiſque gravioribus aliquid detrahendum eſt, & ſolatium in levioribus eſt quaerendum. Si pluribus epiſtolae tuae, ut par eſt, non reſpondeo, aliis, quibus occupatus ſum, negotiis culpam tranſcribe. Omnes amicos nomine tuo ſalutabo. Interim vale, & me amare perge. Scrib. Lutetiae Pariſiorum Die 13. Februarii CIↃIↃCLVII.

EPISTOLA DXVIII.

ISM. BULLIALDUS

Nic. Heinſio.

Amſtelodamum.

GElu aſperrimo, a die ἑπτακαιδεκάτης τοῦ ζελήνης, ſeu plenilunio proxime peracto ad ultimum quadrantem, non ſolum aquae concretae ac induratae ſteterunt: ſed & animalium artus innato calore vix renitente fere diriguerunt. Scribenti manus digitique frigore torpentes & adſtricti officium conſuetum maligne praebebant, converſumque in glaciem atramentum literas pingere vetabat. Nihil propterea ad poſtremam tuam epiſtolam ſuperiore hebdomade reponere potui, ut me tuas ad *Capellanum* noſtrum, *Mariumque* in Divionenſi Senatu conſiliarium ſtatim curaviſſe ſignificarem: ac deinde Academias novas hac in urbe Pariſiorum hominum frequentia celebres nunc ſpectari ea de cauſa narrarem, quod intra ipſius muros ingeniorum ac eruditionis regnum eſſe ſcribas. Ad Regem noſtrum Orator Venetus e gente Juſtinianea ortus Academiae novae apud nos author, ſingulis Saturni diebus eruditorum, non qui ſitu pulveris Bibliothecarum aut Manuſcriptorum librorum ſquallent, ſed lepidiſſimorum, comatulorum ac delicatulorum hominum coetum in aedes ſuas admittit: ibique ad inſtar aliarum per Italiam Academiarum quaeſtiones tractandae proponuntur. Inter caetera argumenta haec fuerunt, quibus vinculis, ex quove metallo aut materia factis, Aeolus ventos in ſpantro compeſceret & comprimeret. Alterum feſtivum equidem jucundumque, an remo, an velis cymbam animas trajiciendo Charon ageret. Unum ex illis Academicis monui, controverſiae ſtatum non plene ac integre propoſitum fuiſſe: dubitari etenim poſſe, an illa cymba fune in utraque rixa alligato, ut hippago ſolet, ageretur. Aliam diverſi longe a Veneta illa inſtituti Academiam Illuſtriſſimus Domin. *Mommorius* libellorum ſupplicum Magiſter apud ſe etiam inſtituit. In

ea

ea namque de rebus Mathematicis & Phyſicis tantummodo diſſeritur. Venetos Academicos rident, vanitatiſque & ἀδολεσχίας, ne dicam futilitatis, hi νεοπυθαγορεῖοι inſimulant, inque eos invectus eſt quidam *Petitus* dictus militaris Architectus, qui ludum Academicum habita apud *Mommorium* oratione inaugurali aperuit. Neutri ſum adſcriptus: non priori, quia lepos & ornatus illi ad aures & oculos ſaeculi accommodati me prorſus deficiunt, aliis ſtudiis ſeveris magis ac auſteris aſſuetum. Non etiam alteri, cui intereſſe mihi non licet: quod longiſſimo itinere Illuſtriſſimi Domini *Thuani* aedes a Mommorianis diſſitae ſint; cum etiam die Veneris, quo plures mihi epiſtolae neceſſario exarandae ſunt, Academici illi conveniant. A quibuſdam intellexi Venetos ſuaviores, magis expolitos, urbanioreſque eſſe, ac inter colloquendum officioſis verbis uti. Mommoriani acriores ſunt, atque vehementius, ut pote qui de veritate adſequenda decertant, inter ſe diſſerunt: quandoque etiam ſeſe libentius carpunt, ac inveſtigare profiteantur, ſinguli inventae authores eſſe volunt; nec in partem praedae, ſi quis illam veritatem venatus comprehenderit, ſponte libentique animo caeteri venerint: cum famae ſuae ac gloriae detractum unuſquiſque putet, ſi victori cuipiam herbam dederit, inventoremque agnoverit. Gratiſſimum nuncium de *Gronovii* ac *Voſſii* operibus mox edendis tuae mihi attulerunt. Illum virum probum ſincerumque & vere eruditum meo nomine ut ſalutes, impenſe rogo. *Voſſium*, etſi omnino me neglexerit, inſalutatum dimittere nolo. Hoc igitur a te impetrare percupio, ut meis eum verbis ſalutes: moneaſque nihil a me in ipſum admiſſum eſſe, quod ejus a me animum alienare debuerit. De Hyantis ſidere ad te quae ſcribam, pauciſſima mihi occurrunt. Scis Ovidium tuum non longe ab initio libri 5. Faſtor. de Hyante fabulam ſeu hiſtoriam perſequi: ſororumque in fratrem a lea occiſum pietatem ipſas inter ſidera collocaſſe, deque fratris Hyantis nomine Hyadas fuiſſe appellatas.

Victus uterque parens tamen eſt pietate ſororum:
Illa dedit coelum, nomina fecit Hyas.

Inter varias appellationis cauſas & origines eandem recenſet Poet. Aſtron. lib. 2. Hyginus, atque etiam fabula 192. Dicit Pherecydes Athenaeus nutrices Liberi patris Hyadas fuiſſe, quae Dodonides nymphae appellabantur, cumque captivitatem a Lycurgo timerent, Thebas fugiſſe; ne vero a Junone aliquid paterentur, a Jove coelo illatas, & ſiderum honore affectas. Hyadas autem Jupiter appellavit, quod naſcente Libero eas invenerit, quas in ſignum temporis poſuit. Quibus adjungere oportet, Theonem ad Arati phaenomena notare, quod Liber ὗς etiam vocetur: cujus ratio talis reddi poteſt, quia vindemiae tempore, e vite amputato Baccho, & in dolia infuſo ſub ortum veſpertinum Hyadum, copioſe ineunte in Graecia autumno pluebat. & Bacchus ὗς dicetur ad innuendum vindemiarum tempore pluvias cadere. Plura a me nunc non habebis. Vale & me ama. Scribeb. Lutet. Pariſior. Kalend. Febr. CIↃIↃCLVIII.

Impreſſo, jam priori folio, vidi hanc epiſtolam debuiſſe poſtponi ſequenti.

EPISTOLA DXIX.

ISM. BULLIALDU

Nic. Heinſio.

Amſtelodamum.

TAnti vel tibi, vir Clariſſime, vel veſtratibus meam in provinciis veſtris praeſentiam aeſtimari non credo, ut dolore vel leviſſimo ob diſceſſum meum quemquam affici debuiſſe putem. pauciſſimis innotui, quique plures me norunt Pariſiis olim me convenerunt, aut ad eos ipſe hîc acceſſi. Unum equidem, dum in Batavia veſtra egi, graviſſimum mihi fuit, quod alloquiis tuis tam raro frui licuerit; cujus profecto culpam in te tranſcribere iniquum foret: Sed negotiis, quibus eras tunc implicitus totus, illorumque temporum conditioni caſum iſtum tribuo. Coelo autem veſtro injuriam facerem, ac praeter fas & aequum in aëris Bataviae κρᾶσιν, ſeu conſtitutionem inveherer, ſi inclementiorem fuiſſe quererer. ex ea ſiquidem, qua navi exſcendimus, die Aprilis 22. ad Auguſti menſis diem 5. qua Haga diſceſſi, nullis pluviis fere, nullis ventis vexati fuimus: verum grata continuaque ſerenitas, intenſiuſque per Julium menſem calor perſeverarunt. Negotiorum cauſa Illuſtriſſimus Excellentiſſimuſque *Thuanus* huc me remiſit, ad vos itaque, ſi res tempuſque ita tulerint, proximo vere χιλιδόνων ευπάρδῳ remeare ac reverti forſan potero, & ibi aliquandiu morabor. Epiſtolam tuam officioſiſſimam ac perhumanam die 5. decurrentis menſis ſcriptam, atque una, quam ad me dedit Clariſſ. *Medonius*, accepi. *Capellano* celebri illi viro, Muſarum delicato alumno, ſuaviſſimo amico noſtro, quas ad ipſum *Medonium* deſtinaſti, illico reddi, ut juſſiſti, curavi. Quare vero tam ſollicite apud me excuſes, quod reſignatam *Medonii* epiſtolam ad me tranſmiſeris cauſam non video; id a te commiſſum non eſſe ſcio: juris quippe gentium peritiorem te ac magis obſervantem novi, quam ut ullam amicis inferre animus tibi unquam fuerit, nulla itaque ſuſpicione perſtringendus mihi venies. Operam porro tuam apud vos, ſi ex uſu meo aliquando fuerit, quod tam officioſe ſincereque pollicearis, gratiam maximam tibi habeo: utque referre queam, ad praecepta tua me agere paratum viciſſim tibi ſignifico. Impera igitur, gratius aliquid, quam ſi rebus tuis inſervire queam, votiſque obſequi, vix contingere mihi poteſt. Illuſtriſſimo *Thuano*, ſi me inter colloquendum commendaveris, maximum momentum amicitiae ac benevolentiae, qua me proſequitur, te adjeciſſe, perſuaſum habeas velim; cum te maximi ſemper fecerit, Parentiſque tui viri ſummi nomen ac reliquias amore ac veneratione amplectatur. Salutant te amici. Te tuoſque amplector ac veneror. Vale & vive diu ac foelix, meque, quod hactenus feciſti, redama. Scribebam Lutetiae Pariſior. 21. Decembris die Brumae CIↃIↃCLVII.

Heri nubes Eclipſis Lunaris gratum jucundumque ſpectaculum mihi eripuerunt, parataque ad obſervandum illuſerunt.

EPI-

EPISTOLA DXX.

ISM. BULLIALDUS

Nic. Heinſio.

Amſtelodamum.

EX eo, quem erga me ſemper geſſiſti, animo, quemque perſpectum ſatis habeo, perſuaſus firmiter ſum, jucundum tibi fuiſſe ac gratum nuntium de deſignatione nuper ab Eminentiſſimo Cardinali *Mazzarino* facta, qua ad Bibliothecae ſuae curam me admovere velle demonſtravit. Haec profecto, quam abunde mihi demonſtras, benevolentia tua, ut me tibi addictiorem jure merito habeas, teque ut diligam magis, magiſque obſervem, facit. Reditum in Hollandiam intercipit equidem hic novus fortunae meae ſtatus; verum ab officiis meis tibi exhibendis operaque praebenda non abſtrahet aut avertet; magnam quoque mihi voluptatem animi perire ſentio, quod, prout ſperaveram, coram colloqui & ſermones conſerere tecum mihi non conceditur; literarum commercio hoc damnum reſarciendum propterea erit. Cum nullo autem amicorum hoc negotium communicare, antequam perfectum foret, ſtatueram: cum moribus, eoque ſim ingenio, ut de me quicquam praedicare, vel famam de iis rebus adhuc infectis praecipere non poſſim, atque a jactantia & vanitate omnino ſim alienus. Illuſtriſſimo *Thuano* Regis ad vos Legato totum, pro ut geſtum fuit, ſoli perſcripſi, cum id ex officio meo eſſet, eoque inſcio aut invito ab aedibus ipſius ad Mazzarinianas tranſire indecorum adeoque impoſſibile fuiſſet. Quod probe cum intelligeret Eminentiſſimus Card. *Mazzarinus*, ut ad Illuſtriſſimum *Thuanum* rem totam referrem, quaeque decreviſſet ac mihi aperuiſſet, ut ſcriberem, me juſſit. Quae intervenerunt negotia, quaeque Eminentiſſimi Cardinalis pedes invaſit podagra, quo minus ipſum adierim, ab eo tempore obſtiterunt. vacuas enim ab occupationibus graviſſimis pauciſſimas horas habuit. Ejus mandata quietus expecto: cujus familiae cum poſtea adſcriptus fuero, procul ab omni ſollicitudine praepoſteraque feſtinatione eventus caſuſque rerum praeſtolabor. Plures dignitatibus Eccleſiaſticis inhiantes, pinguiaque ſacerdotia appetentes diu multumque honorem illum ambierunt: fruſtraque amicorum officiis, artibuſque quibuſlibet adhibitis repulſam paſſi ſunt. Mihi ne cogitanti quidem ultro oblatus eſt: quo nomine obnoxium me ſibi magis Eminentiſſimus Cardinalis fecit. Cujus judicio & conſilio cum id debeam ſoli, ea praerogativa fretus tranquillior ſecuriorque de rebus meis vivam. Quodque dignitatis aut fortunarum augmentum acceſſerit, mihi non diſſimilis factus, nec demiſſiori ſcilicet nec elatiori animo accipiam. Si minus vero externa illa incrementa, votiſque ab omnibus expetita commoda mihi obtigerint, immutatus nihilominus permanebo. Rei literariae operam procul dubio non inutilem praeſtabo, ſi Catalogum librorum, quibus Bibliotheca conſtat, perficere mihi liceat; abſque enim ejuſmodi vehiculo per librorum tam ingentem multitudinem recta ferri, viam ſibi facere, eoſque noſcere poſſi-

bile non eſt. Ad Illuſtriſſ. *Montoſerium*, ut & ad *Capellanum* epiſtolas tuas omnes curavi, famuloque ad ipſos perferendas tradidi: moleſtiam aegritudinemque animi acerrimam mihi crearet famuli negligentia, ſi eas non reddiderit, quod tamen in animum inducere facile haud poſſum. Poſtremae tuae, quibus nunc reſcribo, *Capellano* noſtro redditae ſunt, eademque ſemper ſedulitate ac diligentia caeterae curabuntur: cum jucundius quicquam accidere mihi nequeat, quam ſi rebus tuis inſervire utcumque valeam. De Melae editione, quam egregiam luculentamque Cl. *Voſſii* opera habituri ſumus, laetis nunciis me beaſti. adornati a Cl. eruditiſſimoque *Gronovio* Senecae ambo non minori me gaudio perfundent; Tragicus imprimis, quem in Bibliotheca San-Laurentiana Florentiae cum MSS. ut bene meminiſſe potes, olim contuli. *Menagius* noſter optimus verſus ſuos & opera poëtica praelo iterum ſubjicit. *Valeſiique* Euſebius ab operis typographicis ad umbilicum paulatim perducitur. Caeterum apud nos Philologiae ac critices ſtudia ceſſarunt. Quapropter quidam concivis, ut mihi retulit optimus *Gronovius*, recte dixit ſaeculum Philologicum ac criticum abiiſſe, Philoſophicum vero ac Mathematicum ſucceſſiſſe. Claudii Ptolemaei opuſculum, quod me tibi jam ſignificaſſe puto, περὶ κριτηρίου καὶ ἡγεμονικοῦ cum commentariis meis editioni paratum habeo: cui monumentum etiam ab eodem Ptolemaeo Canobi, cujus ipſe incola fuit, olim conſecratum adjunxi. Utrumque hactenus ineditum cum in lucem prodierit, a viris doctis benevole ſuſcipiendum fore ſpero. Vale, vir Clariſſime, meque, qui te amplector ac veneror, ſemper redama. Scribebam Lutetiae Pariſiorum die April. 12. Anno CIↃIↃCLVII.

EPISTOLA DXXI.

ISM. BULLIALDUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

RUre redeunti epiſtola tua officioſiſſima, vir egregie, ſeptimana ſuperiori mihi reddita eſt. Si per temporis anguſtiam contractamque ex profectione, etſi non longinqua, laſſitudinem licuiſſet, ſtatim tibi reſcripſiſſem, ut quantopere tuo erga me reſque meas animo ac benevolentia ad te amandum obſervandumque moveas ac ſuaviſſime trahar, verbis meis, etſi tenuibus, declararem ac exprimerem. Officio nunc fungi, gratiaſque ingentes agere tibi libet de illo, quo rationes meas ac commoda proſequeris, affectu. Mihi viciſſim te tuaque cariſſima eſſe credas velim, nihilque gratius jucundiuſque contingere poſſe, quam ſi meritis tuis debita praemia rependi audiam. Cum itaque ex Illuſtriſſimi Domini *Thuani* Regis apud vos legati epiſtolis te honore auctum intellexerim, de illo tibi, & in Republ. veſtra munere publico a Celſiſſimis Praepotentibuſque Ordinibus tibi delato gratulabor. Ornarunt te equidem illi ad majora provehentes, ſed & ipſi multum decoris ac gloriae ſibi quaeſierunt, cum te, virum tot virtutibus clarum, tam recto judicio, & ad re-

rerum ſuarum utilitatem ac claritudinem egregie accommodato, ad munus illud gerendum elegerunt. Quem enim eloquentiorem, inque ſcribendis Latino ſermone epiſtolis elegantiorem nanciſci poterant? Habebunt te mentis ſuae conſiliorumque ſuorum peritiſſimum prudentiſſimumque interpretem: imperii ſui Majeſtatem, cum tuenda erit, grandi ſublimique eloquio, ſpirantibuſque minas verbis hoſtibus oſtentantem: amiciſque aut in amicitiam rationumque ſocietatem pertrahendis Suadae ipſius voces fundentem. Fruantur itaque veſtri diutiſſime opera tua, teque deinceps ad altiora evehant. Ad mea quod attinet, eo loci ſunt, ac ante ſermones ab Eminentiſſimo Cardinali de Bibliotheca ſua mihi committenda agitatos fuerant; negotium totum interturbatum abruptumque reor. Cum enim apud Eminentiſſimum me excuſarim munuſque, quia *Naudaei* olim famulum adjungere mihi decreverat Eminentiſſ. propterea detrectarim, noſtri amborum neutrum ſententia ac propoſito diſcedere velle certus ſum. Id Eminentiſſ. Cardinalis conſilio, non aliena ſuggeſtione factum; quod ab aequitate nec alienum cenſeo, nec quempiam aliter ſentire vellem. familiae quippe patroni ab annis quatuordecim adſcriptus gratuſque ſatis eſt ei *Poterius* (ſic enim *Naudaei* famulus iſte appellatur.) Mihi vero turpe ac indecorum foret, cum eo inerudito ac imperito ſocietatem inire, etſi illam maculam attributo mihi magiſterii nomine ac magiſtri titulo eluere Eminentiſſimo viſum ſit. Invidis, ſi juverit eos hic caſus, laetique recedentem me adſpexerint, ſuccenſebo nunquam: iſta voluptate potiantur, in ſinu interea gaudebo, & tranquillitate ac ſanitate fruar, quas incompoſita indigeſtaque librorum multitudo manibus tractanda procul dubio corrupiſſet, moleſtiaque affeciſſet non prorſus indignum, qui majoris momenti rebus admovear. De Ptolemaei opuſculis, quae ad edendum parata habeo, nihil aliud ſignificare tibi poſſum, quam typographum huc uſque me non inveniſſe, qui ſumptibus ſuis illa typis mandare velit. nec penitus miror, cum tales libri paucorum ſint hominum, nec ſe ab omnibus tractari patiantur. De re literaria apud Italos plura ex tuis cognovi, quam ex noſtris, quibus non ita frequenter ex Italia libri hodie apportantur. Euclidem reſtitutum libenter viderem ac conſiderarem, ſi deperditos libros tanti Geometrae, aut argumenta ſaltem illorum *Joh. Alphonſus* ille *Borellus* reſtituit. *Toricellii* quoque ſcripta avide cupio, nota quippe mihi fuit hominis, dum viveret, in Matheſi ſagacitas. Caetera quoque opera & illas antiquitatum collectiones maximi facio, & ad nos perferri opto. De ducum Urbinenſium Bibliotheca in Vaticanam tranſlata ad me jam te ſcripſiſſe memini: literatorum uſibus facilius forſan Romae quam Urbini patebit. Laetor admodum *Voſſii* Melam tandem in lucem proditurum, ipſum hîc ſalutare per te mihi liceat. Fortunam tibi propitiam in omnibus faventemque precor. Vale, vir Clariſſime, & me ama. Scribebam Lutetiae Pariſiorum die 12. Julii Anno CIↃIↃCLVIII. Epiſtolam tuam ad *Capellanum* noſtrum curavimus.

EPISTOLA DXXII.

ISM. BULLIALDUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

AD maritum Illuſtriſſimum Legatum Dominn Thuana proficiſci hactenus, vir Clariſſ. non potuit, cum per aeſtatem negotia domeſtica non levis momenti expedienda fuerint. Imparatam adhuc ad iter ingruente autumno plures rationes eaeque graves, in quibus valetudinis anceps ſtatus praecipue cenſendus eſt, ne capeſſeret illud, interceſſerunt. eam deinde invaſit morbus, natorumque majorem natu ac tertium; hic quinquennis abſumptus eſt; primogenitus ex febri quotidiana, quam tertianam duplicem vocant, poſt dies ſexaginta convaluit. Ipſa vero, quae gravius periculoſiuſque aegrotavit, pro corporis tenui macilentaque habitudine, paulatim vires, adſpirante numine, reſumit. In veris itaque adventum profectio illa neceſſario differenda fuit. Valetudinem interea, qua fere dubia ab annis aliquot utitur, quam recte poterit, curabit, caeteriſque rebus ſuis providebit. Ipſi me comitem fore puto, & ad vos iterum acceſſurum; non longam tamen in regionibus veſtris moram facturum me exiſtimo. Quod munus in Republica veſtra Tibi delatum, ut ex nunciis intellexeram, poſtremis literis gratulatus fuerim, non me poenitet; gaudio namque perfuſus, perſuaſuſque rem ita eſſe, ſcribebam, & erga te ut ſum affectus, ſignificabam. at non ſucceſſiſſe negotium, quod ad me pertulerant nuncii, ingratum valde ac permoleſtum mihi eſt. Brevi tamen a vita privata ad obeundum aliquod munus publicum, quod virtutes tuas ac merita cohoneſtet, ac exerendi ſe occaſionem eis praebeat, tranſcribendum te eſſe ſpero. Res meae apud Eminentiſſimum *Mazzarinum* eo loci ſunt, ut de Bibliotheca aliave de re non agatur; ex quo enim ab onere iſto me excuſavi, ob ſocium, quem adjungere mihi voluerat, aliae ſubierunt animum cogitationes rationeſque, cum aetatis tum virium mearum valetudiniſque, quae ad conficiendum Catalogum, tamque ingentem librorum acervum tractandum non ſufficiunt; eaſque quibuſdam cum viris communicavi, ut per hos reſcirent, qui negotium illud geſſerant, & Eminentiſſimo Cardinali *Mazzarino*, ſi forte inter tot negotiorum ambages de me incidiſſet mentio, referrent. De me itaque aut de rebus meis nunquam cogitabit. Qui, res ut primo ſeſe offerunt, acceſſu aeſtimant, earumque ſpecie capiuntur, in culpa deprehendere me volent. Verum de meis rebus nemo, quam ipſe ego, qui me optime novi, judicare rectius poteſt. Ovidium tuum tam maligne ab operis typographicis haberi aegerrime fero, utque tu longiores moras nectere nolis, impenſe rogo. *Voſſii* Melam ad nos attulerunt Bibliopolae, illum evolvam, & quae mihi obſcuriora erunt, ab eo ut elucidentur, petam. Ante duos menſes Sereniſſimus Princeps *Leopoldus* ab Hetruria Apollonii Pergaei libros 5. 6. & 7. in Medicaeis gazis repertos, ex Arabico ſermone in Latinum verſos publici juris fieri, per Magni He-

Hetruriae Ducis Prolegatum nunciari mihi fecit. Illos videre peropto, ut & Archimedis, ſi tamen hujus viri inventa ſint, lemmata. Quamvis e memoria Eminentiſſimi *Mazarini* exciderim, ut quales erga ipſum animos geram, teſtificer, Ptolemaei, quae penes me habeo, opuſcula ipſi nuncupare, utque in Typographia Regia excudi jubeat, rogare decrevi. Ad *Voſſium* recurrit ſermo, quem vellem vivum potius *Salmaſium*, quam mortuum laceſſiviſſe; modeſte dummodo, ac veritatis ſtudio id fuit, nullus improbare poterit. Vir enim ille ſummus in multis lapſus eſt, & quae explicanda ſuſcipit, obſcuriora aliquoties quam lucidiora reddit. *Capellano* literum tuam reddidi, cujus reſponſum hactenus non miſit, ubi accepero ad te tranſmittetur. Vale, Vir Clariſſime & me redama. Scribebam Lutetiae Pariſiorum die 13. Decembr. CIↃIↃCLVIII.

EPISTOLA DXXIII.

ISM. BULLIALDUS

Nic. Heinſio.

Negem.

NON is ſum, vir praeſtantiſſime, qui tantum mihi adrogem, ut te mihi quicquam debere exiſtimem: aut qui te rebus ſeriis gravibuſque vacantem, vel otio liberali fruentem, Muſiſque operam dantem ab illis avocandum abſtrahendumque credam, ut per literas frequentiores, tanquam ex officio id facere tenearis, me adeas. Beatum me putabo, beneque mecum agi, cum epiſtolam ad me obiter καὶ ὡς παίζων quandoque ſcripſeris, ita ut tibi temporis nihil pereat. Ex damno quippe tuo, quin potius ex Reipubl. literariae detrimento, voluptatem commodumque percipere ac compendium facere praeter aequum faſque omne fuerit. Quod porro mei memor vivas, recte facis, mutuaſque vices rependis, frequentem namque de te mentionem facio; ſingulareſque morum tuorum probitatem ac ſinceritatem, eruditionemque tuam laudibus, ut par eſt, omnibus commendo ac praedico. Nec minori affectu omnes amici tui, qui in haſce Thuanas aedes quotidie ventitant, te complectuntur. Quod porro ſcribis te aſſiduum eſſe mei laudatorem, vereor, ne parum decore ac minus convenienter facias, illaeque laudes nimiae tibi vitio vertant, mihi vero, quod eas non convenire cuncti merito judicabunt, invidiam creent ac concilient. Si parcius in me congeſſeris, eo beneficio obnoxium me tibi feceris, & melius utriuſque noſtri famae & veritati conſulueris. Proderunt illae mihi apud Illuſtriſſimum dominum *Thuanum*, & apud caeteros, quibus notus ſum, quibuſque in poſterum innoteſcam, ſi mediocres fuerint, & meritis meis congruant, nec a vero longius diſcedant. Illuſtriſſimo Excellentiſſimoque Domino *Thuano* & tibi familiarem illam conſuetudinem, quae ex amicitia ab utriuſque parente olim contracta inter vos coaluit, gratulor. Tuis ſiquidem colloquiis adeo eruditis ſuavibus jocundiſque, contractum ab eo ex aſſidua negotiorum tractatione taedium multum levari ſcio; animumque ipſius curis ac ſolli-

ſollicitudinibus aſperis edacibuſque confectum recreari & exhilarari. Teque viciſſim viri tam eximii omnibuſque bonis artibus, ac doctrina inſtructi voluptatem fructumque non ſine aliqua honoris ſpecie percipere. Optarem profecto vobis adeſſe, & familiaribus eruditiſque veſtris diſſertationibus intereſſe; Sed plura cupientis voto obſtant, & aetas, quae ſenectutis limen ſupergreſſa, ut tranquilliorem minuſque deſultoriam vitam degam, nunc interpellat ac monet; & opera qualiſcumque mea Illuſtriſſimo *Thuano* ex ipſius magis uſu hîc, quam apud vos erit. De Dominae Thuanae in Bataviam abitu nihil ad te ſcribere poſſum. Clariſſimo conjugi ſuo quid de ſe ſtatuat, ſignificare poterit; dubia admodum valetudine ipſa utitur, etſi medicorum uſa conſilio & arte, eam quam diligentiſſime curet. De *Voſſii* in Melam commentariis brevi aliquid ad te ſcribam, & de diſſertatione de Mundi exordio, ubi fuero illam nactus. Retulit mihi *Bigotius* noſter ejus ſententiam a Theologis veſtris exagitari. Apollonii Pergaei Canicorum libros v. vi. & vii. brevi nos viſuros ſpero, urget opus Sereniſſimus Princeps *Leopoldus*. Quod *Voſſius* & *Gronovius Salmaſium* carpant, vel etiam diſcerpant, nullus miror; ipſe quippe vivus nec mortuis nec vivis pepercit. Sed qui caeteros redarguere ſibi ſemper propoſuit, in plura ζφάλματα erroreſque imprudens incidit; dumque gladium in latus alterius intendit, nudum ipſe latus, quod adverſarii ictibus petant, oſtendit. Nomini tamen eruditiſſimi viri ſi non amicitiae legibus, juris ſaltem naturalibus ac humanis coerciti, injuriam facere non debemus; quis enim ab errore tutus & immunis. Clariſſ. Viros *Chriſtianum Hugenium Zulichemium*, *Golium*, *Schotten*, *Gronovium* & ipſum *Voſſium* ac caeteros veſtrates eruditos meis verbis ut ſalutes, te etiam atque etiam rogo. Vale, vir Clariſſ. & me redama. Scribam Lutetiae Pariſior in aedib. Thuanis die 25. April. CIↃIↃCLIX. Salutant te omnes amici. literas tuas *Bigotio* reddidi, ad *Capellanum* & *Marium* quas ipſis deſtinaſti, curavi.

EPISTOLA DXXIV.

ISM. BULLIALDUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

NOllem ſane, vir Clariſſime, ut, quas ad me frequentius ſcriberes, a ſeriis tuis occupationibus ſtudiiſque, epiſtolae te averterent; neque etiam hoc a te flagitare aequum eſſet, & honeſtum, cum mihi quicquam ejuſmodi adrogare non debeam, quo tuis ex incommodis aliquid lucro apponam. Cum ex uſu tuo fuerit, vel tibi libuerit, beatum me ac honore affectum acceptis a te literis putabo. Si me oblivioni traderes, aut initam inter nos amicitiam mihi renunciares, quod tecum jure expoſtularem, haberem: ſed de tua fide & aequitate ita ſum ſecurus, ut immutari animum erga me tuum, mihi amicitiam tuam conſtanter colenti perſuaderi nunquam ſinam. Te igitur in me quicquam admittere aut errare, ſi rarius ſcribas, dicere noli, cum obnoxium me potius ac

tibi

ubi nexum habeas, quod apud Illuſtriſſimum Dominum Legatum tam officioſus commendationibus tuis erga me ſis, tamque frequentem de me mentionem facias. Felicem illum praedico, quod animum negotiis aſſiduis feſſum familiaribus colloquiis tuis, eruditis quidem & amoenis, recreare queat ac reficere. Optarem equidem, ut noſtri homines, ſaeculi praeteriti memores, literarum ſtudia diligentius colerent; ſed ad ea tempora devenimus, quibus pauciſſimi illis ſerio incumbunt. Aevum illud doctorum virorum abiit, ſucceditque pejor aetas: avaritia namque, luxu & nugis corrupta ingenia & obruta ad meliorem ac exquiſitiorem eruditionem ſeſe vix erigunt; hac de cauſa bonae notae opera valde infrequentia, quae tibi indicare queam, hodie apud nos extant. *Andreae a Quercu*, Hiſtoriae Francicae noſtrae olim peritiſſimi, Filius Gallorum Cardinalium Hiſtoriam proximis hiſce diebus edidit. *Launoius* opuſcula varia ſua cum *Jacobi Sirmondi* quibuſdam recudi, aliaque inedita juris publici fieri curavit. Sacra Biblia voluminibus octodecim, magna commentariorum gloſſarumque mole aſſurgentibus, brevi proſtabunt. Hujus editionis author eſt quidam Divi Franciſci familiae Religioſus Pariſienſis, qui vocatur R. P. *de la Haye*. Ediderunt *Valeſii*, *Henricus* ſcilicet Euſebii hiſtoriam Eccleſiaſticam, & *Adrianus* Hiſtoriae Franciae volumina II & III. Euſebii verſionem Latinam ſunt, qui multis in locis carpant, nec ab erroribus immunem eſſe contendant. *Auberius*, qui Cardinalis Jouſae vitam antea ſcripſit, Richelii Cardinalis vitam quoque prolixe a ſe deſcriptam in lucem emittit, opuſque ad finem operae typographicae brevi perducent. *Menagius* noſter in Diogenis Laertii vitas Philoſophorum notas congerit, quodque miraberis, amanuenſi in illis deſcribendis non uſus ſingula folia typis proprio ſumptu expreſſa, nec ex ſingulis formis uno plura, in Angliam, ubi denuo liber ille adornatur, tranſmittit. Nollem equidem famam hamis aureis ejuſmodi piſcari: ſed bonus amicus noſter, ut literariam Rempublicam augeat, nec ſibi, nec pecunae ſuae parcit. Fabulas alii amatorias contexunt: epigrammata alii conſuunt. Quae argumenta ſibi tractanda quidam ſumpſerunt, epiſtolis mandavere, ex quorum numero ſunt *Sorbierius* & *Motha Vayerius*; quorum ille ante tres menſes ſuas Latine edidit; hic vero in publicandis idiomate Gallico ſuis occupatus eſt. Alii virorum Illuſtrium potentiorumque gratiam atque etiam pecunias ſcriptis encomiis & elogiis captant. R. P. *de Billi* e Societate Jeſu quaedam in Diophantum, quae ad Algebram pertinent, cum Mathematicis juris publici facta communicavit. Ex Arabico ſermone converſos Apollonii Pergaei de Sectionibus conicis libros jam diu eſt cum publicare debuiſſet Clariſſ. *Golius*, hanc palmam Florentini ipſi praeripuerunt: neque illis iraſci jure poteſt, cum ſpatium temporis ad edendum, caeteriſque praevertendum abunde ipſi ſuppetierit. Opera illa Clariſſimor. Virorum *Schelii* & *Gronovii* abſoluta & perfecta quam ociſſime cupio. Ovidium imprimis tuum, quem nativo nitori, quantum ingenii humani ſolertiae ac induſtriae licitum eſt, reddidiſti, videre magnopere deſidero. Quantum ad me ſpectat, plura ſunt, quae ab edendo illo Ptolemaei libello, de quo olim per epiſtolas tecum egi, hunc retrahunt, cum mihi com-

modum magis fuerit id praestabo. Ad Clariss. celeberrimumque *Hevelium*, ut de rebus Astronomicis cum eo communicem, ejusque magnifice ac exquisitissime elaborata organa Astronomica intuear, me conferre Polonia pacata meditor. Hipparcho ac Tychone minorem illum ne credis; neque meam profectionem, si eam susceperо, inculpes. Adierunt Pythagoras, Plato aliique multi Aegyptios, Babylonios, Indos. Navigavit in Daniam *Jacobus* Scotiae Rex, & Tychonem ejusque arcem Vraniburgicam invisit. *Christianum Hugenium* officiosissime resaluto, Virum in Mathematicis admirandum. Quod porro de Sereniss. Principis *Leopoldi* ab Hetruria in respondendo ad illius epistolas longiori mora allegas, cum litteris, quas ab Illustrissimo Domino Legato accepi, non concordant, quibus *Hugenium* nostrum a Sereniss. Principe responsum tandem accepisse mihi significavit. Ipsum Pisis aliquandiu aegrotasse nuntii ad nos pertulerunt; morbusque dilati tamdiu responsi, quam quae in mentem amico nostro subierunt, potior causa fuerit. Clarissimos *Jac. Golium* & *Is. Vossium* omnesque eruditos viros vestros amplector, tibique & ipsis omnia laeta ac prospera voveo. Vale, & me ama. Scribebam Parisiis die 5. Martii Anno CIↃIↃCLX.

EPISTOLA DXXV.

ISM. BULLIALDUS

Nic. Heinsio.

Hagam.

Ante tres septimanas priori epistolae tuae, vir Clarissime, Junii die 26. ad me datae respondissem, nisi quaedam interveniissent, quae animum distraxerunt, negotia. Citius quoque profectionis nostrae in Batavium diem cessurum, meque praesentem tuis desideriis obtemperaturum sperayeram. Etsi vero sarcinulae meae leves sint, curtaque suppellex; nec ad illas convasandas, ut me itineri accingam, grandibus machinis & longa mora sit opus, quibusdam tamen fuit mihi attendendum, quae me etiam occuparunt. Cum vero abitionis nostrae tempus hactenus fuerit ob maximi momenti rationes protractum, officium meum diutius deserere, tuamque expectationem commorari minime civile & honestum foret, & nimiae negligentiae culpandus merito venirem; qua propter ad utramque epistolam tuam, praenotatam nempe, ac postremam 22. Julii decurrentis scriptam, sum hacce mea quam potero diligentissime responsurus; pluribus autem, ut spero, cum vestras regiones adiero, tecum acturus. Mecum saepius agitavi ac expendi, quid causae subesse posset, quamobrem a Sereniss. Principe *Leopoldo* ab Hetruria noster Clariss. *Christianus Hugenius* solitis comitate & humanitate illi innatis virtutibus exceptus non fuerit, nihilque propterea responsi acceperit; ita ut exhibiti ab amico nostro obsequiosi officii & dedicati operis nulla sit gratia. Ob parcius laudatum summum virum *Galilaeum*, vel assertam terrae mobilitatem, & ob retentum systema mundi Pythagoricum a *Copernico* reductum, id factum vix persuadeor, nec favorabili responso suo concep-

tas.

tas de purpurae adipiſcendae honore ſpes ſuas imminuturum Principem illum putaſſe exiſtimo. Conjicerem potius, Principes illos Sereniſſimos noſtrum *Hugenium* de plagiatu ſuſpectum habere, adque ipſum caeca quadam & ignota via inventum a *Galileo* pendulum, & Horologio adaptatum, manaſſe fere perſuaſos, quod poſtea tanquam ſuum toti orbi venditarit. De illis *Hugenium* monui, & apud illos Principes ipſum excuſavi non ſolum, ſed etiam ipſius, ut pote viri probi, ingenui, & ſinceri, cauſam egi; quorum tamen ſuſpiciones amoliri penitus aut diluere me non potuiſſe deprehendi. Optimi ac eruditi *Bigotii* ad *Menagium* literis *Hugenii* ſyſtema Saturnium ab Italis exagitari cognovi. Quid ipſi opponere, praeter illa, quae a me ſunt antea objecta, poſſint non video. Infra quadriennium Saturnus ipſe, quam eſt in Sagittarii dodecatemorio oſtenſurus, facie ſua ac forma litem dirimet. *Schotenum* obiiſſe ſcripto carmine elegiaco optimus juvenis *Samuel Tennullius*, Clariſſ. *Gronovii* ſororius, nobis Pariſienſibus ſignificavit. Artes mathematicae earumque cultores virum illum deſiderabunt, qui multa ſane pulchra & utilia jam ediderat. Illuſtriſſimos viros *Petrum* & *Jacobum Puteanos*, ſine laudum titulis mihi nunquam nominandos, in concedenda Hiſtoriae concilii Florentini e Regio Codice tranſcriptione minus faciles ac indulgentes optaſſem; illam enim vulgari & publici juris fieri nec regni nec Reip. litterariae multum intererat. Tantas tamen turbas inde excitandas non praevideo, neque ad *Leonis Allatii* revincendam erroneam aſſertionem illa hiſtoria opus erat, aut unquam erit; cum tentata aliquoties nec tamen feliciter, Eccleſiarum occidentalis & Orientalis reconciliatio libri ipſius titulum futilem, ejuſque probationes omnes infirmas manifeſtiſſime arguat. Jamdiu eſt cum Clariſſimi *Gronovii* in Senecae tragoedias lucubrationes videre cupio. Tacitus vero cunctorum politicorum & criticorum manibus contrectatus, deterſus, expolitus, quid ſplendoris & claritatis a quoquam referre queat? niſi a bipede illo γελαστικῷ, ζώῳ, ὃ πάντες καταγελῶσιν, ut Arriani Stoici verbis utar, *Peiraredio* Aquitano critico; qui hunc Hiſtoricum ſolus ſe intelligere, nulloſque ante ſe intellexiſſe credit, jactat, praedicat. Militiam Romanam divite meſſe, fortaſſe etiam ſpicilegio, *Schelio* non relictis, felicioribus avibus tractaſſet ſummus noſter *Salmaſius*, quam uſuras, nauticum foenus, mutuum, dies criticos verſavit & computavit. Opera & *Gronovii* & *Schelii* aliquando inſpiciemus, & ad ſtudia juvenilia, ubi tuus totus mihi legendus Ovidius prodierit, redibo. Superiori hebdomade faſciculum a Sereniſſimo Principe *Leopoldo*, quo *Vincentii Viviani* de Maximis & Minimis opus incluſum erat, per curſores huc ad me miſſum accepi. Recte judicarunt, in quorum ſane numero Clariſſ. *Hugenius* reponendus, qui tantum opus feliciter abſolutum pronunciavere. In eo ſane raptim a me, & obiter hactenus pervoluto multa profundae meditationis ac ſubtiliſſimae induſtriae in rebus Geometricis tractandis certiſſima indicia ſeſe mihi obtulerunt. Reſponſum hodie ad Sereniſſimum Principem *Leopoldum* dedi, & de tanta in me benevolentia grates ipſi egi. Ad *Carolum* etiam *Renaldinum*, in Piſana Univerſitate Philoſophiae profeſſorem, ſuper duobus Problematibus Geometricis ab ipſo mihi propoſitis re-

reſcripſi. Idem quoque Sereniſſ. Princeps Apollonii editionem ſtrenue promoveri mihi benigne ac comiter ſignificavit. De Clariſſ. ac Doctiſſ. *Golio*, ejuſque in publicandis Apollonii libris ſtudio & opera collatis me tibi antea ſcribere memini: debuerat, cum ipſi tempus ſuppetierit longiſſimum, caeteris praevertere; Ipſius tamen laboribus, ſi integrum Apollonium penes ſe habeat, Compendii editio Florentina non officiet, famamve obſcurabit. Dominum *Gudium* Holſatum ſemel aut bis ante ſex menſes vidi, deinceps vero quicquam de illo aut quid ipſi contigerit, a nullo audivi. Ad ultimam epiſtolae tuae prioris partem nunc reſpondeo. *Labbaei* Gloſſaria nondum abſoluta ſunt, teſtudineo greſſu typographicae operae gradientes intra unum menſem ſex vel octo folia excudunt; neque hoc anno vacuum proſtiturum ſpem faciunt. De Themiſtii orationum editione nova, non eſt etiam quod citius expectes. *Tanaquillus Faber* in Aelianum quaedam commentari inceperat, ſed illa omiſit; & Anacreontis Sapphuſque poëmatum, quae ſuperſunt, editio elegans ſatis, ab ipſo notis eruditis additis curata eſt; & Salmurio Pariſios ante menſes aliquot advecta, cujus unum exemplar ad te perferam. Laertio *Menagius* quotidie incumbit, interim vero a Londinenſi Typographo nuntios nullos literaſve a longo tempore ſe habuiſſe queritur. Ipſe ad Cl. *Medonium* epiſtolam tuam curavit. Ad alteram tuam eamque poſtremam epiſtolam tandem reſponſum hîc dabo. Quam recte, quam te dignam rem agis, cum Sereniſſimi Principis Electoris Palatini deſideriis, ut foetum tam nobilem, Lucani emendatiſſimam editionem in lucem emittant, manus tuas obſtetrices porrigis. Opera tua raritate principum, qui ſimili utantur, non vileſcet. Quo pauciores literis eruditiſque hominibus favent, eorum nomen famaque, virorum etiam doctorum operam ſuam ipſis commodantium, majorem in modum celebrabuntur. Juſſit me illuſtriſſimus Dominus *Thuanus*, Regius ad PP. Foed. Belgii Ordd. Legatus, ut in omnibus morem tibi geram ac obtemperem, & libros per te indicatos MSS. celeberrimae Bibliothecae ſuae, cum hinc diſcedam, ad te perferri cum caeteris ſarcinis curem. Ex familiari conſuetudine, quam cum ipſo jamdiu habes, ejus recta ac generoſa indoles, & ad omnes res eximias honeſtaſque diſciplinas propenſio notiſſimae tibi erant; Hinc etiam, quod ſe tam facilem praebeat, tamque libenter librorum ſuorum tranſlationem concedat, cum eruditis Viris ſummo ſtudio ac generoſa magnanimitate genti ſuae ingenitis favere; & quiſnam ſit librorum legitimus uſus, quos tineis & blattis corrodendos avare ac invide non occultat, nec quos inter luxus inſtrumenta, ſicut hodie more peſſimo ac depravatiſſimo apud nos vivitur, ut ignarae hominum oſtentet turbae, poſſidet, ipſum apprime etiam doctum probe tenere quivis cognoſcere poteſt. Monaſterii S^ti Germani Bibliothecarium adibo, & Illuſtriſſimi Domini *Thuani* nomine rogabo, ut votis tuis & precibus annuere velit. Apud Illuſtriſſimum Senatus Praeſidem *Memmium* per amicos ſum acturus, ut, quid ab illo ſperandum ſit, exploratum habeam. nec omittam praeterea ad S^ti Victoris Bibliothecam me conferre, ut cum illis de hoc quoque negotio colloquar; verum aliquid apud hos omnes me perfecturum eſſe

esse tibi non recipio. Prolixiori epistolae, salutatis amicis *Hugenio*, *Golio*, *Vossio*, *Gronovio* caeterisque, finem imponam. fausta tibi omnia, prosperosque ac faciles rerum successus precor. Vale, vir eruditissime ac celeberrime, & me semper ama. Dabam Parisiis die 30. Julii Anno CIↃIↃCLX.

EPISTOLA DXXVI.

NIC. HEINSIUS

Roland. Maresio.

Parisiis.

POtissima aestatis hujus pars foris exacta mihi, vir Clarissime. Domum reversus, post Flandriam vicinasque perlustratas provincias, epistolam tuam offendi, gratam sane illam & acceptam, sic ut nihil magis. In ea quod antiquarios nostros & obsoleta passim verba capantes reprehendis, placet miris modis argumentum. Afflavit jampridem labes illa, ceu pestilenti sidere, non solum eruditorum vulgus, sed plurimos etiam praecipuosque rei litterariae antistites. Quorum a te numero *Justus Lipsius* recte accensetur, vir, ut subacti limatique in caeteris judicii & vere magnus, ita indulgens hic nimium sibi & existimationis suae plus aequo securus. Nec defuerunt tamen illi suae Veneres. Habet nescio quid, quo lectorem trahat, & quod prorsus improbare non possis. Ut non tam illi succenseam, quam ineptissimis mortalibus, qui imitandum sibi illum proponunt. idque tam praepostere, ut vitia ejus exprimant plerumque, virtutes non assequantur. Neminem imitatur *Lipsius*, ac proinde nemini imitandus. Hanc ipse legem servis istis animalibus videtur posuisse. Exprimunt tamen obluctantem, & sequuntur quodammodo invitum. quasi desint inter antiquos, quos sequi possis, & quidem longe tutius. Ita existimo, Maresi politissime, Genium esse quendam, sive bonum illum, sive malum, sine quo victura non scribantur. Multos aeternitati nugae nequitiaeque consecrarunt, cum ex seriis scriptoribus plurimi nobis erepti sint. Multos etiam perversum dicendi genus, & quod sani nemo judicii velit imitari. quam multi temporis injuria interciderunt, qui supersse merebantur! quam multi supersunt, quos intercidisse praestaret! Pressit premetque semper hoc fatum miseros scriptores, ut cum lectorum captu conflictentur, quid quod judicia illa ne constant quidem sibi, ut in humanis rebus diuturni nihil est, & quasi cum hoc universo circumvolvuntur. Floret quandoque orationis nitor, & in pretio est, quandoque jacet ac contemnitur. Julii & Augusti aevo laxum fluidumque dictionis probatum genus, post arguta abruptaque scriptione capi ceperunt. & si dicendum quod sentio, primi declamatores eloquentiam Romanam, masculam illam vividamque, perdiderunt, dum non tam bene quidvis, quam succincte acuteque proferre conantur. Cogor igitur hic

1 responsio ad editam *Maresii* epistolam lib. 1. 49. quam unicam reperi, licet plures ad *Heinsium* editae fuerint.

hîc a te dissentire, mi Maresi, qui ad Trajani Imperatoris usque tempora Latini eloquii limites protendas. Tam paucos invenire est post Augusti mortem, qui terse nitideque scripserint, si juniorem Plinium excipiamus. Sed ne tam alte haec repetantur, Apulejum pessimum sane Latinitatis auctorem quis legebat superiori saeculo? nunc in omnium manibus est. Erit, cum rursus negligetur. Unum Ciceronem non sequi flagitii loco inter Italos habebatur; qui nullos aut pauciſſimos imitatores nunc inveniat. Caeterum ut illos non ferendos existimo, qui malos imitantur scriptores, cum bonos possint: ita praeter ordinem fieri contendo, ut bonis etiam nonnunquam quantumvis auctoribus servilem prorsus quidam in modum adhaereant, in illorum verba jurent, nihil ausint promere, quod ab illis ante dictum non sit, illorum denique ore loqui malint, quam suo. Formandus quidem mihi videtur dictionis character ex aevi optimi scriptoribus tribus quatuorve, quos ubi in succum sanguinemque convertisti, naturae tuae, non alienae instinctum sequaris necesse est. Ita tamen, ut neque nimis luxurieris, nec abruptae isti brevitati plus aequo studeas, sed illum consistas intra terminum, quem non unus ex optimis, sed optimi simul omnes sibi praescripserunt. Quis tam abjectae indolis est, ut servire velit, cum libertate possit frui? Si serviendum tamen, nec eae domi facultates tibi sint, ut juris tui queas esse, abjecti animi notam haud evades, si infimis quam summis servire malis. Vilis mediocrium scriptorum imitatio est, cum nunquam supra illum possis insurgeret, quem imitandum proposuisti. Sic ab ingeniis quibusdam non contemnendis sui desperatio expressit, ut Claudianum quam Virgilium aemulari mallent. Habes hîc sententiam meam, vir praestantissime, non quam secutus ipse sum, sed quam sequerer, si eloquentiae studerem, & cujus leges omnes felicissime tu expressisti in eleganti illa epistola, cui nunc respondeo. A *Lipsio* quod dissentis, nihil periculi est. Modeste enim id facis, ut offendi non posset ipse, si viveret. Memoriam ego tanti viri sancte veneror. Non negarim tamen magna illi ex parte labem eam deberi, quam tu Belgis nostris non immerito adscribis. Quod nisi ὁ θαυμάσιος *Scaliger* juventuti nostrae pessum eunti, succurrisset salubribus monitis, in *Lipsii* locum ab ampliss. hujus academiae curatoribus oportune subrogatus, futurum vix erat, ut tantam tot praeclarorum ingeniorum messem, quae annis quinquaginta proximis in Batavia nostra eluxerunt, mirarentur exteri: Nec labes tamen ea solos Belgas aut Germanos occupavit, sed vos ipsos etiam infecisse videri possit: Novi virum doctum, popularem vestrum, quem nonnulli ex vobis solem Galliae appellatis, tam impolite, sordide, negligenter scribentem, ut voces non modo Accianas pro gemmis & unionibus passim ostentet, sed Tertulliani, Arnobii, caeteraſque infimi aevi faeces cum iis tam frequenter consundat commisceatque, ut dictiones ejus chaos quoddam omnium saeculorum appellari possint. Accedunt huc verbos a & non ferenda loquacitas continuaeque illorum, quae jam abunde dicta erant, repetitiones, quae lectorem obtundunt enecantque potius, quam fatigant, ut Echo sui ipsius mera videatur. Atque hunc tandem toties iteratae πολυλογίας fructum fert, dum nimis anxie cupit intelligi,

ut

ut ne intelligatur, dumque omnia exacte feciſſe ſibi viſus eſt, mera faciat mapalia. Hoc felicior certe *Lipſius*, quod Genium aeternitatis propitium expertus eſt, etiam cum male ſcriberet. Alterum tota cura id credas agere, ut vix nata pereant, quae ſcribat, tam negligens eſt omnis elegantiae. Sed nimius jam ſum, & alienae garrulitatis notam mihi inuro. Ferendum tamen hoc tibi, quia provocaſti. Satis ſuperque hac epiſtola expertus es, quam non impune ad ſcribendas litteras invites. Vale, Clariſſime Mareſi, cum fratre tuo, illibato illo flore Gallicae poëſios. Lugduni Batavorum A. D. XIV. Kalend. Septemb. Anno CIↃIↃCXLIX.

EPISTOLA DXXVII.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinſio.

Lutetiam.

ERubuiſſem profecto, vir Illuſtriſſime, te meis non fuiſſe exceptum epiſtolis, ſi te Lutetiam attigiſſe, aliunde quam abs te reſcire potuiſſem; ſed quandoquidem tua voluit Generoſitas, me ſuis officiis cumulatum prius, non graviter feram, me abs te humanitate vinci, quod licet cuique moleſtum, tamen nequaquam mihi ingratum eſſe poteſt, quod honeſtum tibi. Communicavit liberaliter Nobilis *Rellincus*, quam facis de me honorabilem mentionem, quae mihi eo gratior jucundiorque acceſſit, quo a te laudari aliquid majus eſt, atque honorificentius, quam ab viro alio: ſi enim ut verum, tantum habeat laudatio ponderis, quantum eſt meritorum laudanti, aequo jure dicere poſſum & abſque ulla animi dubitatione pronunciare, neminem unquam tam nobilem Panegyriſtem nactum, qui unica periodo tam de me praedicat honorificentime: hocque unum addam verius omni fide, nihil mihi in votis charius fore & antiquius, quam me tuis haberi in leporibus, ut ajebas, ſed quam ſui temeraria atque inverecunda exiſtimatio haec eſt? quaſi vero, qui totus barbarus, totus inconcinnus, ineruditus totus eſt, viro perquam Litterato, atque omni genere virtutum ornatiſſimo, poſſit eſſe in deliciis. Heinſianum deberem aliquid habere in me, ut Heinſii benevolentia dignus eſſem, ſpirantis divinitatis illius veſtrae (Paternam complector) ineſſe mihi aliquid neceſſum foret, ut incomparabilis humanitatis tuae dulce, ut ita dicam, pondus valerem ſuſtinere. Verum quia tanta tua eſt generoſitas, vir clariſſime, ut unquam nullo modo poſſit eſſe exhauſta, pergat quaeſo me deliciis cumulatum velle, efficiatque inpoſterum, ut quod in me non eſt commendatione tuarum Epiſtolarum famae meae accedat. Triumphabo, ſi hoc me beas munere, nec eas minori cum gaudio accipiam, quam ſi dignitate aut munere aliquo regio onerarentur, ſat eſt, ſi tua benevolentia onerentur, ut mihi regiae. Caeterum quamdiu expectatione Claudiani languebimus? quem non lacerum, non mendoſum, ſed priſtino reſtitutum nitori intuebimur induſtriae tuae beneficio, non amplius etiam Ovidium vitiatum viſuri ſumus, nullus naevus apparebit illius in vultu, ſed totus concinnus, totus

totus ornatus, totus denique elegans incedet, nunquam magis Corinnae dignus concubitu. Perge ergo, heros illustrissime, Giganteo ut ajunt passu, quo graderis solito, totamque rem litterariam restitue; interim dum curabo majori qua potero industria me a te dignum reperiri. Tolosae Id. Septembrib. CIↃIↃCXLVIII.

EPISTOLA DXXVIII.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

QUam innocens meum esset istud peccatum, vir illustrissime, si grave tantum quod humanum nimis, paeniteret me sane ab hoc usquam absolvi crimine, unde tam ampla mihi seges triumphi veniret. aliis injuriosum scelus, mihi glorioſum ducerem ornamentum; nec minus esset quod exundarem gaudio, ob meam hanc, quam in me reprehendis, urbanam inhumanitatem, quam si a quibuscumque aliis illustribus licet viris, abs virtutum vel maxima commendarer: voluisti absque dubio non vulgari hac industria, neque minus sagaci, quam ingenioso strategemate, tuam in me omnem manu prodiga humanitatem rependere: quae si cum omnibus sic se haberet, exhaustura procul dubio foret, nisi ab incomparabili meo Heinsio duceret originem, sed quis humanitate adaequare te, ne dicam superare unquam posset, qui tam honeste tamque glorioſe humaniores literas excolis, ut non modo humanum te dixero, sed in sinu tuo gestare fotamque servare ipsam & humanitatem. Inhumanum te tamen dixero, ne dicam crudelem, quod fidelissimum meum in te amorem dissimulatione arguas. Sane nunquam tecum superstitioſe velim videri egisse, quam cum meritis tuis longe infra titulos aliquomodo accommodatos aut idoneos, non ut ajebas inanes, addere contenderim. Male, testor ipsum numen, meam omnem interpretatus es sententiam, in causa fuit tua modestia, quam totis animi affectibus veneror, ut minus te dignum iis titulis reputares, quod & majoribus, & nobiliori praecone dignus fores. Quam divinum tuum istud temperamen? aegre molesteque fers laudari, quod supra omnem sis laudem, & quandoquidem mihi quoque censuram permisisti, pollicituſque, hanc lubens amplexurum ne mirere, si tam audax & temerarius sim, qui tuos mores, quos mihi perspectos voluisti, minus honeste reprehendero, uno scilicet peccantes, quod me tecum parum amanter egisse reprehenderint, injuria sane non levi affecerunt me, qui te unice diligo, quique tui semper impressam altius in animo imaginem intueor: in dubium sane revocare istud poteras tunc, cum Illustrissimus *Monjehallus* meum in te amorem verbis suis significarat, sed in praesentiarum haud potes, nec debes: nam quam mihi dulce sit atque volupe, tui recordari, te somniare, te desiderare, tibi animum vovere, ipse scio. Sentio profecto, quod antea dixerat facundus & bene moratus Isocrates de Demonici parente; ἡγοῦνο γὰρ εἶναι σοὶ παιδείαν πολλῷ κρείττω φύσεως νόμου, καὶ τέχνας γένους, καὶ προαιρέσεις ἀναγκῆς.

Expe-

experior id ipſe ex quo mihi fortuna obtulit, optanti, amplexari te, totque amoris excitatos ignes, ut pene languidum & parum firma valetudine me tui refocillet memoria. Memoriam appellem faeliciſſimam, quam amanter ſic tuae epiſtolae corroborarunt, memoriam gratiſſimam, quam altius tua beneficia in animis incuſſere, ô nunquam abolituram Memoriam! quamdiu mihi Deus optimus Maximus ſervabit mentem. Verum quod ad iter Hollandicum me impellis amanter facis ut omnia, ſuper quo quid reſponſurus ſim haud ipſe ſcio: aureis hic arctor compedibus, nec minus duris quia aureis, cathenae, quibus aſtringor, non ob id tolerabiles magis quod Paternae Maternaeque ſint, quin imo atrociores mihi videntur, quod non infringendae. Parentibus unigenitus ſum, qui ſic me in oculis ferunt, ut iis ſeſe captos facile crediderint, ſi non ante ipſos continuo obverſarer. Hanc ergo copiam, licentiamque, a morte mihi tantum ſperandum eſt; quam conditionem avertat D. OP. M. vel meae vitae diſpendio, & licet te viſendi maxima tenear cupiditate, eorum tamen gratia hunc omnem animum libere deponerem, hoc unum meae huic ſolitudini meiſque incommodis ſolatium adhibens, quod cum inſit rebus quidam velut orbis, & ſicut temporum viciſſitudines, ita mores hominum volvantur, ſuſtentabo hac ſpe, nimirum fretus forſan mutatione temporum eorum animum immutatum iri. Quam optarem veſtras Athenas propius cum reverentia demirari ob hoc unum illuſtres, quod ab Heroibus Heinſiis lumen, & ornamentum ſuum omne deſumant atque derivent, non unquam perituras, ut veteres, quamdiu vobis Atlantibus erunt ſuffultae. Faelix Batavia ſupra omnem reliquam Europam, quae ſola Heroum ferax es! Sane quum veſtram eruditionem omnigenam intueor, caelum reliquiſſe Muſas credere cogor, ut una vobiſcum habitarent, una viverent, veſtris denique amplexibus luxuriarent. Sed quam male ipſis res ceſſit, Per Deos! haud enim quiete aut amanter, ut antea vitam vivunt, ſed omnino tumultuoſe pugnant atrociter, & decertant, nullo diſcrimine, non in legitima tamen cauſa pugnae, quae tota in hoc conſiſtit, utra earum magis induſtriae in efformando te, pluſque operis, officiique contulerit, grave ſane iſtud diſcidium, ſi ſeſe ad victoriam offirment, nec poteſt aliter eſſe quam calamitoſus exitus pugnae, in re tam dubia atque difficili. Deponant iram totis viribus. Illas compello, faedus iterum ineant, totumque jurgium eo deveniat, ut unaquaeque ad ſolatium te ſimillimum ſibi feciſſe triumphet. Sed quo me rapit tecum confabulandi impetus, ſiſtendum eſt atque ardorem cohibendum, ne te obruat barbara mea Latinitas. Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines. Ne ergo illos hac in epiſtola praetergrediar, & ne videar laudationem affectare voluiſſe potius quam epiſtolium, colophonem appono, non niſi invito tamen: nam abſtrahor, dum vale dicere meditor. Vale ergo raptiſſime, ſed amantiſſime, ne metire quaeſo amorem meum ab inelegantia ſcriptionis: qui per quadriennium totus ſeptem variis linguis fuit, haud potuit uni Latinitati invigilare. Patere demum, vir amantiſſime, Parenti tuo vere divino, ſalutis meae copiam facere, nec ideo Thraſonem dixeris me, qui tantum Herum affari auſim, totus enim Pamphilus.

Musteum *Samblacati* mei de rebus Gallicis opus ad te mittam: jacturam, quam de Thesauro fecisti, facile est resarcire, habeo illum penes me Hollandiam meditantem. Tolosae 9. Dec. CIↃIↃCXLVIII. Commendant se tibi omnes Amici, in primis meus *Casanova* & meus *Rullaeus*.

EPISTOLA DXXIX.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

SCripsi ad te bis, aut ter, Heinsi mi, ex quo ab illustrissimo Archiepiscopo Tolosano tuo nomine salutatus plurimum fui: Nescio tamen, an ulla ad te pervenerit; dolerem profecto periisse omnes, non quod eas tanti faciam, ut vel mihi ipsi dolendas putem, sed quod verear, harum si nullas acceperis, ne me tui parum memorem fuisse credideris, quod tam impium, absit de tuo Medonio judicium tuleris, etenim non minus falsus esses, quam si innocentissimum quemque damnasses. Haesisti hercle & tenacius haesisti menti meae, nec ulla res se se magis ante oculos offert, quam tui veneranda imago; illam certe, Heinsi mi, nullum tempus haedet, nulla vetustas obliterabit, nulla denique locorum minuent intervalla. Sed vicissim tu literatorum amor, par pari velter & simillimam meae rependet benevolentiam. Audio a Clarissimo *Menagio* te in Sueciam brevi iter paraturum esse: ô si tecum geras mei memoriam, si illius inquam memoriam serves, qui tui solum causa Hollandiam visurus erat, beabis me adeo, ut beatior esse nequeam. Ergo te sospitet D. Op. M. tuas res mirum in modum fortunet, tuis studiis vigiliisque faveat teque mihi diu servet, vehementer precor. Scias interim me ad uxorem animum appulisse, & praeterea Senatoris mihi asciviisse provinciam. Quid est, anime mi, horres, audito uxoris nomine? uxorem duxi, uxori non nupsi, unde de Musis nihil est, quod timeas, Uxor te ignotum salutat, tamquam nobilissimum ex animi puriori affectu. Vale & nos ama. Plura nequeo neque addere, neque scripta relegere. Tol. VII. Kalend. Junii CIↃIↃCL.

Salutant te amantissime *P. Poussinus*, qui gesta Dei per Francos meditatus. D. *Casanova*, qui origines linguae Gallicae in lucem brevi daturus est.

EPISTOLA DXXX.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

CUrarunt ad me nuper viri clarissimi, fratres *Puteani*, quas a te IX. Kalend. Decem. A. D. M. DCL. accepi epistolas, quibus subito respondi: non quidem eadem elegantia, qua tuae, sed pari saltem amoris vehementia. Quam dole-

dolerem eas intercidiſſe, ſi hinc adduci potueris, ut me lentum credares, aut indiligentem? verum haec ita eſſe, in animum meum nunquam inducam, nec ſi inducerem, non poſſem hanc tui partem non laedere, qua melior ſum pars mei: nec illud etiam ſuſpicari de me potes, ſi me habes partem aliquam tui, conſtantiſſima voluntate ut amavi, amabo te. O ſi coram contingat amplecti meum Heinſium, illum ad pectus premere, meque illo oblectari; quis me viveret unquam fortunatior? ſed retinetis me durae compedes, roſeae compedes, amantem me retinetis, ne te meum teneam: quare qua parte tecum eſſe poſſum, meaeque ſimul *Armidae* non deeſſe, ea certe ſum: non enim cum hac praeſens ut omnino ſim, poſtulat tuus amor, nec mea patitur ζυζυγία. Quid ſi redires ad nos, ut te non deſperare inquis, agroſque Tectoſagum inviſeres? mirum quanto exultarem gaudio? non ſic Suecia laetatur ſua *Chriſtina*, quam gauderet mea domus ſuo *Heinſio*: illa mihi reddita eſt IV. Eidus Junii hujuſce anni, cum omnis literaturae me pene ſatias haberet, diſputabam tunc fere mecum non ſecus ac alter Phedria ad Thaidem rediturus, maeſtus ac cunctabundus, an ad Muſas ſuſceptum iter pergerem: horrebat animus exantlandorum laborum, quos praevidebam, anguſtas pene fracta valetudo ſpes deturbabat omneis meas, ingenii praeterea vires tanto labori impares non parum a deſtinato curſu revocabant, cum ecce illa *Chriſtina*, tua inquam *Chriſtina*, optimum amoris in me tui μνημεῖον, corporis, ingeniique vires ſuſcitat, plenos animos confidentiae addit, tuaque tutela & aeſtimatione adverſus me optima, nil non audendum ſuadet. Quid ergo non agam? aut quid a Muſis non impetrabo, quando non ſolum ab iis tibi nihil negari poteſt, ſed nec ob incomparabili illa *Chriſtina*, quam mirum in modum tua effingunt carmina, quamque totus Orbis Muſarum Principem veneratur. Atque illa eſt, cujus majeſtate ſimul & gratia divino quodam velut afflatu in tam elegantia carmina caleſcit animus tuus, quippe in iis nil niſi regium eſt, nil niſi dignitatis plenum, adeoque ἀμίχανόν τι κάλλος, ut praeter ſolita, in quibus tamen nil non Heinſianum elucet, ſapiant iſta magis aliquid grande, & prae ſe ferant numen aliquod egregium. Plane dicam Chriſtinam ubique ſpirent, ut in manus ſumpſi, ſenſi totum me oppleri Deo, & licet tua omnia confidentius tractem, ad haec nihilominus, inſolens adeo reverentia animum meum perſtringebat, ut tanquam de gente profana, atque haud ſecus ac in tuam Dianam ſaltantem ſpicula furtim figere tremebat amor, non niſi perterritus acceſſi: videbatur quidem illa gracili agilique poplite ad molles numeros tuos deſilire, meis votis innuere, nulliuſque non voluptati dicaſſe ludos, ſed feſtivitati tanta majeſtas accedebat, ut quod illa ſuaderet, diſſuaderet haec, hortabaris me etiam tu, herentemque compellabas, cum factus ſubito paulo audacior ſecuriorque, coepi ego quoque choreas agere, atque e ſymbolis vobiſcum eſſe, & haec omnia, amantiſſime *Heinſi*, tua in me benevolentia facta ſunt, meque tam magnificis ludis adeſſe voluiſti tuorum carminum beneficio, quae mihi ita rem omnem ob oculos poſuere, ut dubius ipſe ſim, an a tanto ſpectaculo abfuerim, qui me Toloſa haud egreſſum fuiſſe

probe sciam. Vides quanto plus, quam forsan putabas, gratiae in me contuleris, quam volueris non inquio, qui te meu amantiorem neminem arbitror, quod abunde declarat novum istud φιλοφίλημα, & supra merita ultro a te delatum mihi. Quo prae omnibus, quibus plus oculis charior es, erga te eminet amor meus, is certe a nullo vinci potest, tum quia nemo plus quam ego ex animo te diligit, tum quod me tibi beneficiis devincto magis nullus est. Haec dum scribo, ecce ultro ad me venit noster *Pouſſinus*, rogitans si quae de te acceperim, sibi impertiret, tum ego in manus sumens tuam *Christinam*, en inquio, omnium admiratione opus dignissimum, subito ille sane, nihil a tanto viro consignari potest, quod eximium non sit, lectisque aliquot carminibus, nam secum parans deferre, plura noluit, ô monstrum inquit, ô Musarum operae pretium. Quam bene agnosco manum Heinsianam, verum nescis, subjunxit, quid mihi scribat *Cramoysinus* noster? Heinsium Lugdunum Batavorum appulisse, ibidemque typis Elzevirianis Cinnamum ante hac ineditum cum sua metaphrasi Latina non ita nuper mandasse, ad haec inquio, est quod tibi gratuler, mi Pouſſine; quod rivalem habes praeter morem tui amantissimum, adde quod ambo Typographi certatim studentes Cinnamum elegantiorem reddere, curas adhibebunt diligentiores, haec ubi dixi, abiit is suo nomine salvere jubens, quod ut diutius sit deum optimum precor: interim fac Ovidium hyemi proximae destinatum cito habeamus. Claudianum tuum legi, Deus bone, quam castigatum! interim si scire vis, quid agat tuus Medonius? plane feriatur, tamen Suetonium brevi dabit, notis illustratum, si quid ab illo illustrari potest, qui in obscuro est, porro, quod studium me magis habet, linguarum Orientalium est, quod postquam absolvero, me totum Mathematicis dabo. salutat te maximus clarissimusque *Fermatus*, quid agat Parens tuus comitatis & elegantiarum Parens unicus, fac sciam, & an prospera valetudine utatur. *Gassanova*, qui te salutat quam potest humanissime, edendum parat, *les Origines de la Langue Francoise*: vidisti quid magnus *Menagius* praestiterit, videbis alterius portentosae operae opus. *Sambiancatus* emisit Elogia Illustrium virorum nostrae Galliae, exterorum noluit, ne quidquid praestiturus esset, in vestras laudes minus semper esset pro vestris meritis.

Illustrissimus Archiepiscopus *Monscallus* te mirum quantum diligit, numquam de republica literaria incidit sermo, quin te ejus nominet tutorem. Vale, vir Clarissime. Tolosae ex Musaeo VIII. Kalend. Jul. CIↃIↃCLI.

EPISTOLA DXXXI.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinsio.

Lutetiam.

CArptim ad te scribo, Heinsi mi, quando aliter non sinit acerbissimus dolor, quo ob fatum nostri quondam *Monscalli* Archiepiscopi Tolosani, vehementissime excrucior. Abiit is x. Kal. Septembr. hujus anni intra triduum dira

dira exuſtus ſebri, cum Carcaſſonae alter a primo Occitaniae provinciae, comitiis praeeſſet. Tantum Heroem ſatis lugere nequeo, nec ipſe totus orbis lugebit ſatis. Interim mihi videor non leviter meis verbis perculſum te videre, quare dolco multum, quod non nunquam laetari poſſis, praeſertim meo miniſterio: Sed aequiſſimum eſt tuis hunc lacrymis proſequaris defunctum, qui dum vixit toto animo proſequutus eſt te; hujus rei quoties fidiſſimus teſtis fui? quoties quos de te ſermones habebat excepi; quoties dixit. ô Si Heinſium iterum ad pectus uſque premerem. ôduram legem! hunc amiſi, Heinſi, qui me ſuis oculis chariorem habuit, quique me ſic amavit, ac ſi Heinſius fuiſſet. Tu interim fac tanto funeri cum ſuis neniis tua non deſit Muſa: curabimus ejus monumentum ego & meus *Caſaubon*, cui ſi tuum anathema appenderis, tantae animae abunde erit ſatisfactum, plura non patitur lacrymarum vis. te ſolum moneo bene valeas, ſi me vis bene valere. Toloſae IX. Kalend. Septemb. Anno CIↃIↃCLI. Noſter *Rellacus* poenitus exanimatus eſt, ſolamque prae ſe fert imaginem viventis mortui, horreres, ſi intereſſes, videre domum oppletam ululatibus & lamentis. Mea Chariclia te mirum in modum ſalutat, teque videre exoptat, ex quo ei tuum animum ſignificavi. Hanc obſignabam, cum ecce ad me tuas detulit noſter *Pouſſinus*, quibus ut primum erit copia abunde reſpondebo. Nunc tecum uno verbo, curabo tibi, quos potero, manuſcriptos codices. habeo unum de Ponto jam penes me manu ſatis antiqua exaratum, quem mittam, quo volueris, & ſi quos aliunde nactus fuero. Scribam viro mei amantiſſimo *Thomae* Montalbanum, a quo omnia certius impetrabo. modo, quae ſperas, habeat: vale iterum.

EPISTOLA DXXXII.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinſio.

Lugdunum in Gallia.

EX quo tuas ad me tempore curavit *Cramoſinus* noſter, per quas mihi ſignificabas, pleroſque & omnes bonos fato Clariſſimi *Moncballi* adeo fuiſſe perculſos, adeoque quaſi exanimatos, non ſecus, ac ſi jactura illa cuique fuiſſet peculiaris, tres Ovidii Codices, quos ſatis antiquos exiſtimo, tibi, quando me monueris conceptis verbis, mittendos, felici fato nactus ſum. an alios hinc inde eximere poſſim neſcio, hoc certe ſcio, me omnem curam, ſtudium, & diligentiam adhibiturum. *Petiti* praeterea membranae ut vel qualibet re redimantur, nam una cum Bibliotheca venditae ſunt, plane omnem dabo operam, nulliſque precibus, pretio, & amicis parcam. Sed, ô mi Heinſi, quid volebas cum de impenſis mecum egiſti? Scito, inquis, pretium apud me paratum fore. Scito, inquio, non ſolum vilem pecuniam, quantamcumque praeſtare poſſum, remque omnem domeſticam & familiarem tua cauſſa me velle effundere: ſed & ipſam vitam, quae, fateor, aliquo nec vulgari pretio apud

me eſt, ex quo in illam tam blanda, tam faventia vota facis perge? per te felix & diuturna ſit, ut experiare melius quam tota tua ſit, namque Heinſii melius quam Medonii. Vale & memor ſis mei, noſtrique *Moncballi*, cujus Manes tua expectant carmina: de Claudiani Codice maximi *Mauſſaci* quid factum ſit neſcio. D. *Thomas* Montalbanenſis ille mihi ultro aliquando obtulit Aldinum Codicem manu illuſtris *Thomae* ejus, qui conſilio Tridentino interfuit, perpetuo notatum, ſi quid ſit, quo uti poſſis, bene erit, ubi miſerit illum, mittam ad te: ſalutat te Ampliſſimus *Fermatus*, a quo circa Mathematicas ſcientias, quas melius quam quiſquam mortalium poſſidet, nil extorqueri unquam poterit, niſi Reginarum praeſtantiſſima *Chriſtina*, velit aliquando poſt hujus aevi Literatorum omnium vota, poſt Franciae Cancellarii preces, ſua etiam juſſa adjungere; quibus, ut puto non ſurdus eſſet. Si tua cura poſſet id fieri, faceres toti Europae rem pergratiſſimam. Vale, iterum, & quod facis, me conſtanter ama. Tol. VII. Kalend. Octob. CIↃIↃCLI.

EPISTOLA DXXXIII.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinſio.

Florentiam.

QUas ad me Lugduno diſceſſurus miſiſti, equidem recepi, iiſque non ter aut quater tantum meis epiſtolis reſpondi ſed & quinquies, eiſque verboſiſſimis. Quatuor D. *Rigolio* Lugdunum, quintam una cum Manuſcriptis Ovidianis D. *Vander Straeten* Genuam miſi, doleo quod harum adhuc nullae tibi redditae ſint, ego vero non ita nuper certior factus ſum, manuſcriptorum faſciculum mercatori *Vander Straeten*, ſumma tum fide, cum diligentia de manu in manum, ut ajunt, traditum fuiſſe; cujus ſi cura ſtudioque nunc ad te pervenerit, quamprimum, rogo, fac intelligam. Enecor, ſi perierit, non tam Membranarum jactura, quam quia nolim te tua fruſtratum expectatione; quae ſi meis omnibus fortunis expleri poſſet, nunquam certo certius, mi Heinſi, ſtaret aut per me, vel per animum, quin cumulatiſſima foret: Nil enim mihi eſſe poteſt antiquius, quam aliquo ſaltem nomine, quamvis fere inani, tuis rebus non omnino eſſe inutilem. Interim non male opinatus es circa noſtrum *Poſſinum*; ſcripſit enim ad hunc *Iſaacus Voſſius*, cujus epiſtolam non quidem vidi; ſed tamen acceptam fuiſſe a P. *Poſſino* aliunde, quam ab illo compertum habeo, an Divinae *Chriſtinae* gratias ferat nec ne, non minus quam quod de *Anna* ſub herba latuit, neſcio. Quis enim Societatis perſcrutari ſecreta valet? Quaenam vero me habeat ſuſpicio vis plane dicam? profecto puto de Reginae nomini inſcribenda *Anna* noluiſſe cogitare, non tam forſan ex ingenio, quam ne cum hujus Religione, ut ita dicam, habuiſſe commercium videretur. Sed ô quam hominis irreligioſa Religio, ô arcana Loyoliſmi Myſteria & plus quam cereolia ſacra! Bene oblivicebar te monere, me tibi miſiſſe *Poſſinu* unicam epiſtolam, quae, ut quidem tunc dixit, tibi abunde ſatisfe-

feciſſe putabat: an illam unquam meminem habuerit, ipſe ſcit, conſtat tandem D. *Seguerio* ſuam operam dicaſſe. Vale, meum decus III. Eid. Februar. A. D. CIↃIↃCLII. Toloſae noctu inter cruciatus laborantis Matris, has quidem ego, ut vides, tumultuaria opera effudi. Utinam eadem, qua tu tuas, effudiſſe urbane magis quam vere, dicis, non enim unquam facti poeniteret. Iterum vale, & me ama tui nominis ſtudioſiſſimum.

EPISTOLA DXXXIV.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinſio.

Florentiam.

Mitto tibi, Heinſi praeſtantiſſime, quam in obitum magni *Petri Puteani* ſubito calore, ut quidem agnoſces, luctuoſam plane [1] orationem effudi: quae ſi nullas habet veneres, aut lepores, quibus concinna ſit & decora; habet certe lacrymas, & ſuſpiria, quibus dolorem, quem de tanta jactura percepi, ſaltem ſignificet. Tibi ſoli datum eſt magnarum Animarum, quae cum corpore non extinguuntur (qualis illa *P. Puteani*) poſſe explere vota, tantoque Heroe dignas inferias adhibere. Quare non nega haec extrema illi officia, qui dum vixit nihil habuit prius, aut antiquius, quam tuus amor. Mitto praeterea *P. Poſſini* noſtri epiſtolam, ex qua, ut quidem puto, omnia de Anna Comnena intelliges, quae ex ejuſdem altera, quam Dom. *Rigolio* Lugdunum jamdiu miſi (neſcio an illam acceperis,) poteras abunde intellexiſſe. jurat per Muſas, & Apollinem, juraret forſan & per Ignatium, etiam conceptis verbis, nullam ibi latere fallaciam: ei tamen tuam epiſtolam, quam Venetiis ad me miſiſti, cuique reſpondi verboſius, non ſolum non legendam praebui, ſed ne quidem oſtendi. Scio enim optime qua lege, aut quibus moribus, cum hujuſmodi Societatis viris vivendum ſit. adde quod, ô mi Heinſi, ita laetor me interiori neceſſitudine tecum eſſe conjunctum, ut abſit cujuſquam alterius fidei tantum theſaurum committam; Quin etiam mihi ipſi vix fidam. Interim omnia hic vaſtantur armis Condaeanorum, nemoque eſt, qui, ad inſaniam uſque, partium ſtudio non laboret: Hi Condaeani, iſti Mazariniani appellantur; Quodque peſſimum eſt, ſilent leges & Muſae noſtrae inter arma. Silebo nunquam tamen de tuis laudibus. Vale III. Eid. Martii CIↃIↃCLII.

Scripſi miſiſſe me tibi Codices Ovidii Manuſcriptos Genuam, reſponde quaeſo diligentius, an illos acceperis. Iterum Vale & nos ama. Salutem tibi plurimam dicit Dom. *Caſanova.* & Dom. de *Samblancat*, quiſque ſuam ſpartam ornat, hic hiſtoriam Galſicam, & Elogia magnorum virorum, quos tulit Gallia; iſte vero origines Linguae Gallicae & Hiſtoriam Occitaniae noſtrae. Pater *Poſſinus*, parat Hiſtoriam terrae Sanctae, brevi daturus in lucem Codicem manu-

1 Edita eſt cum vita *Petri Putaani* a *Nic. Rigaltio* ſcripta, & multis carminibus in obitum viri illuſtriſ. ſubjecto etiam Tumulo *Claudiani Puteani.* Paris 1652.

manuſcriptum ex Hiſtoria Byſantina, quem Nomini Divinae veſtrae *Chriſtinae* ſine dubio inſcribet. Quid acceperis ab Hollandis tuis quaeſo impertire, praecipue quid agat Hollandiae decus unicum maxime *Daniel* Parens tuus, numquamne dabit Ariſtotelem?

EPISTOLA DXXXV.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinſio.

Romam.

QUI tuas nunc ad me curavit epiſtolas, *Anthonius Martinus* mercator Lugdunenſis, ipſiſſimus eſt, qui Manuſcriptorum faſciculum Dom. *Strateno* Genuam fideliſſime certo certius miſit. huic conceptis verbis ſcribebat meo nomine clariſſimus *Bernardus*, ne cujuſque operae committeretur farcinula haec; niſi probatae fidei viri, qui illam de manu in manum, ut ajunt, *Strateno* traderet. nequaquam puto illam periiſſe, tandem, ut ſpero, ad te perveniet. Scribe interim *Strateno*, ubi pedem fixeris, ne, quo farcinam mittat, ignoret. Nebulonem impudentiſſimum *Rigolium* diris devoveo, quippe hanc, qua te dicit nunciaſſe mihi *Stratenum* aliquot menſibus Genua abfuiſſe, non accepi. nil inhumanum magis in vita mihi accidit iſtorum hominum perfidia, quid enim crudelius Medonio eſſe poteſt? quam quod, Heinſi mi, tua fruſtreris expectatione. Moriar niſi te plus oculis diligo. Clariſſimo *Petro Puteano* utraque oratione utcunque potui pro tempore parentavi, aliquam inferiarum partem ad te mittere non puduit. Poëmata tua anhelans expecto, ſperoque horum veneribus caleſcere mirum in modum. Vale, mea vita & vive diu. Toloſae Eidibus Aprilis CIↃIↃCLII. Gregor. Scribo *Martino* noſtro, de Manuſcriptis quid factum: de *Poſſino* & *Kircherio* quod addis, non miror, novi enim Kappadoces.

EPISTOLA DXXXVI.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinſio.

Romam.

DE manuſcriptis Codicibus ad te, & ad *Martinum* mercatorum illum Lugdunenſem, ſcripſi eidibus Aprilis proxime elapſis, quid factum erit vehementer ab illo renunciari mihi expecto, quave via, aut per quas manus mittendos ad te, ut multo ante monuerat, curavit. Dabit procul dubio omnem operam, ſi reſciverit ubi ubi ſint quovis pretio, meliori in poſterum excipiantur fortuna. Ego vero viri liberalioris curae committendos eſſe non putavi: tum quod ejus humanitatem expertus ſit abunde *Bernardus* Senator, quo cum arctioribus neceſſitudinis vinculis conjunctus ſum, quique te, tuamque eruditionem mirum quantum diligit, cum quia tunc temporis, quo illi haec provincia demandata fuit, *Bernardi* ſumma egeret authoritate & gratia. Sane me quaedam

dam in tam saeva sorte solatur spes, fore ut salvi ad te aliquando perveniant: at, proh. dolor! tempori non aderunt, si sint tandem salvi. Plane ego mortalium infeliciſſimus si interciderint, qui quo nomine me tuis usibus inservire posse primum sperem; eodem nunc tibi, mihique, molestiam creari contingat. ô quam praeter omnem expectationem toleranda mihi haec esset intolerabilis jactura! mitto interim ad te elegiam, quam in obitum Clariſſimi *Moncalvi* Archiepiscopi Tolosani precibus fratris post longum tempus, ut vides, victus edidi. Elegans erit, si tibi flebilis videatur, non enim alterius ornamenti capax, quam ejus, quod luctum deceat. misi praeterea orationem funebrem, qua Maximo *Petro Puteano* parentavi. At poteris tu Apotheosim mei *Moncalvi*, toties pollicitam hactenus mihi negare? noli Heinsi mi, Heroem, qualem non saecla tulerunt, hoc ultimo officio frustrari, obstrinxi meam fidem *Petro Moncalvo* fratri, quae ne inanis sit per te, rogo effice. Vale, mea vita & meum decus. Tolosae XIII. Kalend. Maii A. D. CIↃIↃCLII. Salvere jubent, *Casanova*, *Samblancatus*, *Possinus*, & mea *Glycerium*. Sacratiſſimae Reginae tuae, mores, habitum, elegantiam, doctrinam, caeteraque tum corporis, cum animi dotes, si vacat, describe mihi. Iterum vale.

EPISTOLA DXXXVII.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinsio.

Romam.

PRaedicas liberalem me, Heinsi clariſſime, non minus liberaliter, quam venuste; non enim mihi adeo fortunam indulsisse video, ut aliqua in te beneficia conferre unquam potuerim, unde me glorioso illo nomine, quo Heroibus de te bene mereri solum datur, cohonestare debueris. Rationem quidem habuisti liberalitatis tuae, non meae; idque gratiae addidisti mihi ex tuo, quod ego, fateor, non sine summa animi verecundia, tibi de meo non potui rependere: quamvis una haec me semper habuerit ambitio. Praeterea orationis meae non solum meministi, sed etiam illam ab elegantia laudas; idque adeo delicatulis, & exquisitis verbis, ut non quae sit illa, sed qualis esse debuerit manifesto ostendas. Egone tibi fidam, mi Heinsi, qui plenus ruris sim, & inficetiarum? egone delitias illas sermonis in medio luctu habuisse confidam? ubi nisi lacrymis, & gemitibus locus fuit. fugit moerentes nos omnis ornatus atque orationis lepos, neque non abhorrere animus potest ab iis pigmentis; cum ei omnes deficiunt vires. Quis enim illas retinere potuisset in tanta sui consternatione? non ego saltem. Quare orationis meae duplici nomine, imbecillitatis uno, angustiarum altero, asperitatem praetexo; mihique nihilominus gratulor, & meo conatui, quod si non jure tuas laudes meruerim, bene tamen meritus sim de tua humanitate. Verum ne ea in praesentiarum abutar, de manuscriptis Ovidianis quid innotuerit mihi, breviter expono. Scripsit ad me *Vander Straeten* incolu-

mes illos tandem ad se perveniſſe, atque eodem fere tempore, quo ei animus erat de re me certiorem facere. Faſciculum ad te Romam ſubito coraſſe, puto: illumque jam tuis prae manibus eſſe. Non ſunt tanti illi codices, ut miſere hinc inde a fortuna jactari debuerint, ſed & illud in fatis erat, noſque ob illos animo angi. Reſcribe quamprimum, an illos habeas, nam ſi aliter eſt quam puto, *Straceni* mittam ad te literas, ut de mea erga te voluntate optima, cura & diligentia, tibi per ejuſdem literas abunde conſtet. Doctiſſimi *Petri Poſſini* in manus tuas literas, ſalutemque iis omnibus, quibus jubebas dare; dedi. *Perrinus* adhuc vivit, quamquam ejus vita potius aliquod mortis, quam vitae ſit genus: non enim ambulat, ſed repit, non videt, ſed caecutit, non loquitur, ſed balbutit, vixque etiam audit, denique imaginem ferè ſpirantis mortui: ſalutem tamen mittit homo nullius ſalutis. Gratulor tecum de bona Parentis tui valetudine, at quaeſo, pro ea qua es apud illum authoritate, & gratia, Ariſtoteli lucem; nobis vero inſignem gratiam largiatur, effice. Vale mea vita. Ex Muſaeo Eidibus Maii X CIↃIↃCLII. *Gronovium* vita functum putabam; gaudeo tanto viro rempublicam litterariam non carere, de *Carolo Moncalvo*, quondam tuo, noli filere. Elegia mea in ejus funus edita neſcio an ad te pervenerit. *Martino* Lugdunenſi Mercatore ſemper utere. Salutem tibi dicunt *Samblancatus*, *Caſanova*, *Fermatus*, *Reilhacus*. & Doctiſſimus *Poſſinus*.

EPISTOLA DXXXVIII.

NIC. HEINSIUS

Bernardo Medonio.

Teloſae.

FLorentiae menſe toto jam ago, mi Medoni: quam in urbem advenienti tuae eidibus exaratae Maiis ſunt redditae ab *Ehertzio* negotiatore. Reſponſionem cur traxerim praeter morem meum hactenus, duplex eſt cauſa. Morbus primum paternus, qui ſupremam neceſſitatem illi videtur minari maximo meo cum dolore. Deinde, praeter ordinem facturus videbar, ſi quicquam ad te literarum darem, niſi primo copia mihi codicum Ovidianorum eſſet facta. Liburnum eos advenisſe ſalvos cum ex amico intellexiſſem, gemina epiſtola *Petrum Stratenum*, Genuenſis illius fratrem, rogavi, ut eos ad me mitteret. Poſt moram longam heſterno demum die voto potitus ſum, partim quod Genuam profectus eſſet *Petrus*, partim quod fida & amica manu eos ad me pulatos cupiebat. Quas vero gratias nunc agam tibi, mi Medoni? Non poſſum dignas, fateor: nec tu, qua es benignitate, expectas. Libris ipſis ubi uſus ero; tibi & Ampliſſimo *Thomae* reſtituentur, cujus nomen codex unus praeferet. Tu perge conatus meos porro fovere, & quicquid conferre potes ad illuſtrem praeſtantiſſimum illuſtrandum, ſedulus imperti. Multos *Gaffarellus* poſſidet, olim Venetiis a ſe emptos, quos ſe communicaturum mecum

ſpem

ſpem facit. Suos etiam *Naudaeus* offert. Tantis praeſidiis inſtructus, nullam in me diligentiam deſiderari patiar, faciamque, ut ingenii atque eruditionis defectum magna ſedulitate compenſem. *Petro Puteano* parentavi nuper prolixa[1] Elegia, ita petente literis continuis ejus fratre *Jacobo*. Proxima de *Monſchallo* debebat cura eſſe. Sed hoc agentem nuncius de fratre funeſtus interpellavit. Differri promiſſa poſſunt, mi Medoni; non poſſunt fallere. Veniet aut illius aut alterius argumenti aliquando ad te carmen. Volo enim omnino aliquod mei erga te cultus documentum publice extare. Quas Romae ad te dedi omnes an acceperis ignoro. Scripſeram ad *Huguetanum* Lugdunenſem librarium, petieramque, ut inquireres in epiſtolas mihi inſcriptas, quas perire paſſus eſſet nequiſſimus mercator. Eidem faſciculo unam tibi, alteram nobiliſſimo *Boiſacio* Viennenſi tradendas inſerueram. Sed cum nec *Huguetanus*, nec *Boiſſacius*, vir humaniſſimus, reſpondeant, facile colligo faſciculum interceptum in via. Scriptorum tuorum in maximi *Monſchalli* exequias nihil vidi, praeter Orationem. Vale, mi Medoni, cum tuis omnibus. Amici communes ſalveant! Has effundebam aliud agens, adeo cogitationes omnes avocavit aegrotus pater. Tu ignoſce, mi Medoni. Nam niſi fallor, eſt & tibi talis Anchiſes genitor. Florentiae Anno P. X. CIↃIↃCLII. XII. Aug. Reliquam aeſtatem huic civitati dabo.

[1] ea legitur lib. II. Eleg. 3. & in obitum *Monſchalli*, quem & *Moncalvum* vocant, ad Medonium ibid. Eleg. 6.

EPISTOLA DXXXIX.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinſio.

Florentiam.

ADhucne poſt tot & tantas miſerias, quibus oppreſſus fui, curae vobis ſum, Dii immortales, qui inter medios ſolitudinis horrores jucundiſſimis Heinſii literis recreor? Tholoſa diſceſſeram, vir amantiſſime, a tribus jam menſibus, vitandae luis cauſſa, qua lugendum in modum florens civitas depaſcebatur: perque inamaena rura miſerae Aquitaniae Condeanorum furore vaſtatae, fugae ſalutem credebam, nihil aliud auribus meis excipiens funeſtiſſima praeter nuntia audiebam, inquam, quotidie amicorum extinctum aliquem, & lugebam, nullam eis opem, aut officium tuliſſe pudebat, *Cuſſinovium*, atque *Samblancatum* (ſcis tu quam utrumque amavi) perhorrebam meminiſſe defunctos, tantis viris orbatum me ferre. Sane non poteram, atque adeo magnus animum meum invaſit dolor, ut niſi tempeſtive tunc in meam ſalutem redditae mihi fuiſſent tuae epiſtolae, actum erat de me, conclamatum penitus de tuo Medonio. Accedebat ad meas illud adhuc maeroris, quod aderat nullus neceſſarius, quocum lugere familiariter poſſem, nemo aderat, qui verbo aut ſcripto meis opitularetur malis, aut vulnus leniret, mihi mihi canebam. Muſae praeter quid eriſſe, cum Manibus ſolenne res erat, deque libris vix, ac ne vix quidem

cogitabatur. Solus tu, amicorum princeps, noſtri nunquam immemor per mille mortium genera ſalutem mihi miſiſti: gaviſus ſubito ſum & ſolide gaviſus, unum hoc mea turbavit gaudia: cum intellexi divinum hominem parentem tuum gravi morbo laborare, haeſi ſubito maeſtus, proque ejus valetudine non ſecus ac mea numini vota feci, atque in has erupi voces, aeternum vivat neceſſe eſt, qui ſua virtute effecit, ut nunquam ſit moriturus. Tu vero interim noli dolori habenas permittere teque nimium macerare. non eſt gemendus virtute quiſquis abſtulit fatis iter. habes de contemnenda morte domeſtica praecepta; quibus haereditario jure uti debes; nec potes vulgarium hominum conditione lugere, quando tua te virtus ſupra hominum conditionem evexit, Heroumque in oculis honeſtae minime ſint lacrymae. Ovidium tuum Galliae omnes expectant Literati, nemoque eſt, qui divinum authorem felicem non putet, quod in tuas manus inciderit, qui ei ſolus potes contaminatas injuria temporum veneres, aut omiſſas cum dignitate reſtituere. Unum eſt, de quo te certiorem velim, & ad quod animum, puto, hactenus non advertiſti, per te ſcilicet non levi injuria ipſummet Ovidium offici; quod in inquirendis, diſcutiendiſque ejus operum manuſcriptis totus ſis, quum honeſtius putet ſibique decorum magis tuo ingenio reſtitui, quam vilium ope membranorum, quas blattae tineaeque turpiter faedarunt. & amabo quis non malit ſequi quae reſtituerit Heinſius (Ovidio ingenio par) quam quae ſuggeſſerit inficeta cujuſdam Monachi ſcriptura? quaerit Ovidius ſalvas apud te ſuas reliquias, tuumque ingenium agnoſcit pro ſuo. Ego vero dum vivam, agnoſcam te decus meum unicum, & Reipublicae literariae lumen atque ornamentum. Salutem tibi plurimum dicit Nobilis *Rellacus* de multis, quos habuit Tholoſa, literatis unus ſuperſtes, tertianis fere exuſtus, cui vix ſatis ſpiritus ſupereſt, quo te jubeat ſalvere. Quae ſcripſiſti in obitum *Petri Puteani*, modo fiat tuo ſine incommodo, ad me mittas velim, nequeo ego ſcriptorum tuorum aliquo carere, cum aliqua dignitatis meae pars imminui videatur. adhuc eſt, quod a te petam, non ſine verecundia, munus quippe regium, Effigiem tui: temeritatem tamen meam hoc praetexam nomine, quod ſi ſine te tranſigenda mihi vita ſit, ſaltem aequum eſt tabellam habere me, quae te mihi fideliter referat, hoc ſolatii impertiaris mihi, rogo enixe per animorum noſtrorum communionem, per Muſas & Apollinem, per denique ipſum te, & me. Salutem tibi plurimam dicit mea Glycerium. Vale. ex Agro Auſiliano Anno Dec. CIↃIↃCLII. VI. Kalend. Decemb.

EPISTOLA DXL.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinſio.

Florentiam,

TRes a te, fere intra duos menſes, accepi epiſtolas; Florentiae omnes datas: primam nempe XII. Auguſt. alteram, VII. Novemb. tertiam, una

una cum clariſſimi *Caroli Monſchalli* epicedio, Nonis Decembr. eundem characterem referunt omnes; liberalem plane, & nobilem: teque mirum in modum ſpirant; hoc eſt, humanitatem ipſam, & lepores. De mea valetudine te valde eſſe ſollicitum, etiam omnes indicant; & quid agam, te neſcire moleſtum inquis: Quod de me nullas praeter ſolitum a longo tempore reſponſorias acceperis. male curantur, dubio procul, meae ad te epiſtolae, cum menſe Auguſto, antequam vitandae luis cauſſa Tholoſa diſcederem, verboſiſſimam miſerim; quam tamen redditam tibi, non video. Eſt quod iraſcar adverſae fortunae meae; quam tamen mihi meliorem fore aliquando exiſtimo, ubi apud tuos reverſus fueris. parum fideles indies experior Italos, ſperandum melius de fide Germanica. Jam ad tuas redeo. Duabus menſe proxime elapſo, plena ſatis, & ampla charta reſpondi: uſus ſemper opera *Martinii* mercatoris Lugdunenſis; viri ſane expectatae fidei. alterius, non ejus negligentia, noſtrae intercidunt: Quare iiſdem inſiſte veſtigiis. Tertiis nunc reſpondeo: adhibita prius cum bona venia Ciceronis noſtri ſolenni illa formula: *Si vales bene eſt, ego quidem bene valeo.* Nam tum, cum ob morbum Parentis tui graviter laborare te nuntiabas; graviter ego quoque laborabam; ob interitum *Samblancati*, & *Caſanovae*. Orbari me tantis viris, & mei ſtudioſis, ſine maerore ſummo pati non potui: ex quo magno vitae periculo ſaevum, ac fere inauditum morbum contraxeram. Verum ſavente Deo optimo, rediit priſtina valetudo, cujus impoſterum, ne de ea ſis tu, multum ero ſollicitus. Interim tuum omnes Ovidium exſpectant, ſed me nemo magis. Promiſſus a Magno *Daniele* Ariſtoteles ſperandus igitur non eſt? igitur haec te cura manet: nec Parentem tuum deſiderabit ille; modo ſui curam velis ſuſcipere. Alienis manibus quam veſtris tractari ſe non pateretur Naturae Genius; noli ideo per te ſua illum fraudari gloria. Gratias ago tibi magnas & ingenteis pro Epicedio. Elegantes Lacrymae, Deus immortalis! quae duras Parcarum Leges mollire quaſi valeant: ſed lacrymis, lacrymis paſcuntur Parcae. cum primum acceſſus ad Typographos liber a Peſte fuerit, Elegiam tuam, ipſo dignam Ovidio, *Monchalli* Piis Manibus dicabo; quibus gratulor tantum decus, & mihi gloriam non vulgarem, tam grande a te munus accepiſſe. Debent ſe tibi omnia mea ſtudia, labores, & vigiliae, debent tandem quaecunque moliar tuo inſcribi momini: Sed quid tam debeo! quam de tua benevolentia bene mereri. Vale meum decus. Tholoſae IV. Non Januar. A. X CIↃIↃCLIII. Mone me, rogo, cuinam inſcribendae erunt meae, poſtquam Florentia diſceſſeris. Cura valetudinem tuam in Germanico itinere, & interdum certiorem fac me de rebus tuis, ſalutem tibi plurimam dicit mea *Glycerium*. Saevit adhuc lues in hac miſera urbe furitque adhuc, in tota fere Gallia inpius Mars. Vale iterum.

EPISTOLA DXLI.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinsio.

Florentiam.

RESpirabamus aliquantulum, Heinsi amantissime, a publica illa calamitate, qua nihil horribilius ante visum; cum hujus anni tuae Epistolae, Florentiae, Kalend. Januar. datae, ad me redditae fuerunt. Tempori oppido advenere mihi in solatium, quamvis jam praeteritum malum, & meas jacturas quasi refricarent; quippe erat eorum recordationis gratia, quae cum aliqua securitate spectari posse videbantur: sed non diu tale nobis illuxit sydus, rediit enim solito saevior Pestilentia; tantoque illa, quam evasisse laeti putabamus, intolerabilior, quanto a misera isthac urbe, quod foris undique militibus obsessa sint omnia, tuto, & sine summo vitae periculo, egredi non liceat. En quo redacti sumus miseri, ut ultima aut a Peste, aut a Milite, mors immineat; nec vel sperare, quod extremum miseriae est, nobis liceat meliora, cum Bellum Pesti sit, malum malo aptissimum. Utinam! hinc, in tuum sinum evolare possem, ubi immortalitatem, non venena spirat Apollo. Parceret forsan capiti meo, si me tuo praesidio cinctum videret: Sed

Nec spes Libertatis erit, nec cura Salutis.

Interim, haud ideo minus literis incumbam; quin potius magis, ac magis animum intendam: quod illae mihi solum videantur esse, quae lenire meas molestias possint, interrumpant mea studia durae Praeficae, Bellique horrendi apparatus, animum certe non frangent. Inter mille Mortium genera, quae quasi aperto Marte vitam nostram oppugnant, [1] *Casanovae*, ac *Samblancati*, vitas, quas tuo inscribam nomini cum edi poterunt, consignavi. potero forsan & alia, modo perstet valetudo: quam veluti palpo. Pro Epicedio magni *Monthalii* Archiepiscopi Tholosani quam potui magnas gratias ago; quando quas debeam nequeo.

Qua celebrem mea vota lyra, quas solvere grates
Sufficiam? non si pariter mihi vertice laeto
Nectat odoratas, & Smyrna & Mantua lauros
Digna loquar.

Aurea tua illa carmina, quibus famosissimum funus prosequeris,

Arduaque voce
Ad sylvis grandibus Sepulchra,

quot

1 Hanc vitam Latine edidisse natrat Simon Val-Hebertus in praefatione ad Origines Linguae Gallicae per *Casanovam*, editas simul cum *Menagii* originibus Paris 1694. & unde Praefationem suam instruxit. *Longus* vero in Biblioth. Histor. Francic pag. 870. memorat Gallice, & prodisse simul cum libro de origine Iudorum Floralium. Tholosae 1669. nuper vero Anno 1711. edita Uratislavia in vitis selectis pag. 170. unde vidi *Nic. Heinsio* hanc inscriptam. *Samblancati* vitam non reperi.

quod erunt, defunctorum honoris aeterna monimenta, tot eorum mihi amicitiae tuae, qua nihil antiquius, pretiosissima documenta: quibus addidisti tu compendiario velut, plus gloriae meae, quam ab omni diligentia, & solertia sperandum videbatur. Qui enim obscurus fieri verear apud posteros, quem non obscure amaveris? perge ergo, quando sic vis augere ex tuo meum decus, meque tua existimatione commendatissimum facere. De Ovidio ope Manuscriptorum restituendo, idem quod ante sentio etiam nunc: minori opera, & certius ex tuo ingenio emendari posse, quam ab istis rancidis membranis. Quis enim literatorum est, qui quod ex Ovidio pronunties, non aequius amplectatur (cum in te omnes Ovidii ingenium agnoscant) quam quod infidae saepius membranae suggerunt. Alii, quibus minus ingenii est, hujusmodi diligentiam sectentur; tu vero cui inest ardua vis animi, cuique solito benignior natura suas omnes dotes largita est, te solum consule: Liberaberis sic a maximis aerumnis; nec ideo minus prudenter rem promovebis, curabo tibi tamen, ut spero, alios codices, nisi deludar ab homine, a quo illos exspecto. *Philippi Bervinii* Pithanoeum Florentiam, ut vis, mittam, cum primum sese dabit occasio, & erunt obsessa minus militibus itinera, mittam praeterea *Emanuelis Magnani* Philosophiae, quae tota constat experimentis, tria volumina. Scriptorum nunc apud nos nullus reditus, nemoque hic est, qui *Berterii* nitorem, aut elegantias assequi valeat: scis quanti illum fecerit divinus *Scaliger?* de *Possino*, deque *Fermatio*, nostris, quod ubi, & an viverent nescirem, nihil ad te scripseram. quare, quod olim Vitellii apud Livium, nunc de Peste dicam, rem surdam esse, & inexorabilem: haec nunc scripsi, miraberis, inter ululatus jam jam parturientis uxoris, quae te ex animo salutat, Gratulaberis spero novo Nato, meque aeternum amabis. Vale. Tolosae Kalendas Februar. A. D. CIↃIↃCLIII. cum ex Italia discedes mone, cuinam meae ad te inscribendae erunt.

EPISTOLA DXLII.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

QUas a te postremum accepi binas, has quidem Kalend. Januar. hujus anni Florentiae, Illas XVIII. Februar. Bononiae erant datae. Superioribus fuse respondi, ultimis respondendi tempus ad hunc usque diem distuli (quamvis nihil quidquam ex animo magis, & diligentius agere soleam) verebar scilicet, ne eo deferrentur illae unde discessisses, uti monueras, ante quam tibi reddi potuissent. Quare visum est mihi non male me esse facturum, si sic earum, ut ita dicam, saluti consulerem: etsi scio non ejus esse elegantiae, aut ponderis, ut ea diligentia, vel animi solicitudine curari debuerint. Nam cum Epistolae fideles animi imagines sint, quod per illas cum amicis liberaliter agamus, ideoque nihil eximi ex me praeter summum amorem in te candoremque

que referre valeant; qui meae mihi tenuitatis probe ſim conſcius, cur huic inſaniae indulgerem, ut ſi inficetae & inamaenae illae tibi periiſſent, aliquid periiſſe putem. Equidem non eo dementiae adducor, ſuaviſſime *Heinſi*, nec etiam vereor tibi meum iſtud diſpliceat factum; qui tot luculentis mutuae benivolentiae tuae argumentis dives ſim. Solide quippe experior ego illud in te, quod in pleriſque non tam verae, quam decantatae paroemiae eſt, Coelum non animum mutant qui trans mare currunt, cum verius iſtud Senecae, peregrinantibus hoc evenit, ut multa hoſpitia habeant; nullas amicitias: Nam homines magno cum pudore ſapientiae, ut diverſi aëris, ſic diverſorum hominum intemperiem imbibunt; adeoque diverſe cum illis vivendum eſt, quod ſincerae pati nequeunt amicitiae, ac ſi cum totidem populis, cum quibus vixere, agendum foret, hinc verſutum magis Ulyſſem evaſiſſe certum, non quidem ſapientiae capaciorem, aut amicum magis. Quare cum attentius in te animum applico, teque altae meditationis opus contemplor, te tot maria; tot urbes tot populos vidiſſe, πολλὰ δ' ἄνεστα, κάτεστα, πάεφυτά τε δέχμια percurriſſe, atque etiam cum tam variis hominum moribus rem intimam habuiſſe, nec de te quidquam immutatum videam, eſt quod arbitrer, iſtud ſolum de te ex omni parte veriſſimum oraculum eſſe dictum, Caelum non animum mutant, qui trans mare currant. Non mutaſti propenſionem illam in me tuam, quamvis, ſi mihi liceat hoc uſurpare, plurimos caelos mutaveris, & uſu venit in paucis, quod innatum tibi, in amicitiis aeternum perſtare. Mirum adhibuiſſe ſaltem animo tui ſemper itineris comitem me, qui adeo inaequabili paſſu tecum incedam, cum impar ſit congreſſus Achilli. Verum metiris ab ortu abſolutiſſimum conſummatae vitae curſum, non lubricas, & ambiguas hujus aevi hominum vias, cum nihil virtutis ab exteris mutuandum tibi ſit, quia optima quaeque, atque elegantia copioſius habes penes te, quam ab aliis ſperare poteras. Sufficis tibi ipſi, nec eſt quod aliis invideas, cum unus poſſideas cuncta, quae tibi invidere omneis poſſent, ſi tua valerent tam noſcere, quam demirari. Invidia Heroum comes, inquit parens tuus, tecum ſim aſſidue, tecum habitem dea! ſed fruſtra vota haec cum ſuperetis invidiae ipſius, atque hominum captum. Virtutem illam etiam, quae major vulgo eſt, laceſſere certe ſolet invidia; ſummam qualis veſtra, ne quidem pertingere. Quemadmodum enim miſſi e coelo ignes montium cacuminima, quae excelſe ſolo eminent, ſaepe deprimunt, portentoſas tamen illas ſummitates, tanquam ſacras, inlaeſas ſinunt; quia minime ipſis ſubjacent, ſed ultra inſurgunt, Sic vos, veſtramque virtutem illibatam. Livor ſinit, ſint licet ceteri omnes, vel eximii ſuae expoſiti audaciae, aut inclementiae. Certe ſic eſt, ſuaviſſime mortalium, nec me mea perverſum habet opinio; cum ea ſit orbis univerſi confeſſio, nihil ſupra veſtra merita majus quidquam poſſe concipi: Quare cum in te Reipublicae literariae poſita ſit omnis dignitas, atque gloria, veneres, atque elegantiae; cures valetudinem, poſtulant omneis Muſae, poſtulant amici quotquot ſunt, qui virtutem colunt, poſtulant hoc omneis, penes quos cura aliqua eſt ſapientiae. Magnis itineribus ſi tuus erga me amor laedi non potuit, quod ego nun-

nunquam veritus, certe poteſt valetudo quae noſtri non eſt, ſed temporis, & dubiae ſortis, cui nulla rationis lege moderamur. Statue melius, tutiuſque de te, ut par ingenio ſit tibi valetudo. hoc enixe rogo, pro hoc quotidie numini vota facio, ne vivam ſine te, ἐν ζοι τὰ ἐμὰ ζώζεσθ, τὰ δ μὴ: quando in te totus honor meus, & gloria, quibus ſolum vivo. Vides praeclaram confidentiam? & ut mei cauſſa etiam hortari te non pudeat? quaſi vero tanti debeam eſſe apud te: ſed vide, quid non faciant amicitiae, quibus inſanire uſque amem? at equidem inſanirem altero nomine, ſi te diutius morarer verboſa nimis epiſtola, peccaremque in Muſas, & Apollinem, ſi te ab illis abſtraherem. Sed quid pertimeſcam ab iratis Muſis favitore te? me tamen teneo, quippe jam —— atris nox incubat alis, quam, quia barathrum adeo ipſum, & loca Ditis horrida ſub hoc peſtifero caelo redolet, delitiarum mearum nolim conſciam, di talem terris avertite peſtem. Vale igitur meum decus. XI. Kalend. Maii. CIↃIↃCLIII. Toloſae. Miſi ad Clariſſimum *Jacobum Puteanum P. Berterii* Pithanôn libros, quos una cum aliquot membranis, quae vetulam Ovidii ajunt prae ſe ferre, falſo ſuſpicor ex proſpectu, non etenim legi, tibi ille deferendos curabit. undique Ovidianos codices conquiro, adhucque ſpero promiſſos mihi ab amico. Interim ſine te vincam meis precibus, & me tui effigie beatum efficе, ſalveat, amabo, quidquid eſt virtutis, & meriti in ſene illo Divino parente tuo, & me in album ſuorum adſcribe, nemo me magis ex animo illum veneratur. Salutem tibi plurimam dicit mea Glycerium cum noſtris amoribus Maria, & Dominico noſtris. Fato functus eſt maximus *Fermatius*, & *Thomas* Montalbanenſis ille, cujus erat codex Ovidianus, quem penes te habes: feſtinae huic ſcriptioni ignoſce, afflictum ſapit.

EPISTOLA DXLIII.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

SCripſi non ita nuper ad te Lugdunum Batavorum, vir amantiſſime, & ſi diei bene memini, XI. Kal. Maj. meas jam ad te perveniſſe nullus dubito: cum earum curam ſuſceperit diligens, aeque ac probus amicus noſter *Jacobus Puteanus*. Ergo caſus omneis evaſiſti? & tandem poſt errores bene multos, multaque pericula, quibus tandiu patuiſti, redditus es dulciſſimae Patriae? cum ſacris penatibus in gratiam rediiſti? Divinoque demum ſeni, cujus vita es, & medulla ſenectutis ſuae ſolatium unicum, optato adveniſti? tuum ergo tam felicem adventum gratulor: laetorque, ſi faſciculus iſte in tuas manus pervenerit. Alios *Berterii* libros ſi nanciſci potuiſſem, una etiam cum hoc mitterem; ſed apud librarios noſtros nullum extat exemplar: eoque raritatis ventum eſt, ut paullo ante quam *Philippi* filius, princeps Senatus Tholoſani, diem ultimum clauderet ex duobus exemplaribus, quorum iſte unus, quos habebam in Bibliotheca, rogarit ipſe ter, & amplius me, unum ſibi darem: aſſeverans nullum exemplar

habere penes se, seque paternae haereditatis hac parte etiamnum carere. tanto amico eo lubentius tunc morem gessi, quod de nova eorum editione cogitabat, verum extincto illo frustra hanc sperabimus. de Membranis Ovidianis quidquid sit aequi bonique consule; vereor quippe ne omnino alia res sit postquam legeris, quam quae titulo indicatur: festinante enim veredario, quo tempore datae sunt mihi, eas legere non potui: solum licuit eas confarcinare, si quid habent, quo uti possis, gaudebo: si nihil, minus dolebo, quod praeter opinionem non evenerit istud. Interim si quid est in Gallia, quo egeas, quaeso, significa: quid non ego pro te? plura tecum inposterum, modo sensero istas ad te perveniisse, eaque etiam utar libertate, ut meas cogitationes circa rem literariam, dubia, atque difficultates tibi, modo sit tuo sine incommodo, aperiam. Salutat te ex animo mea Glycerium, amores nostri Maria, & Dominicus mutuo adhuc habent ex me quam tibi salutem mittunt. Vale amantissime. Kalend. Mai. CIↃIↃCLIII. priori monueram te de morte *Fermatii*, vivit adhuc, nec desperatur de ejus salute, quamvis paulo ante conclamata. Pestis non amplius furit apud nos, utinam non esset majus malum Bellum! festinato scriptioni ignosce.

EPISTOLA DXLIV.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinsio.

Genevam.

TOtus eram in respondendo, viro humanissimo *Jacobo Puteano* nostro, cum tuae ad me Venetiis XXIII. Martii datae, optato offeruntur literae. Illas, subito eo diligentius, ac magis avide arripui legique; quo, hoc pacto liberari me a magno valetudinis tuae metu sperabam vehementius. Ergo uti optabam, omnia tibi evenerunt laeta? placidaque fortuna usus es, qualem tibi inposterum etiam, atque etiam precor adfuturam. Ab urbe Veneta praeter hanc nulla alia, de qua in praesenti mentionem facis, innotuit mihi epistola: doleo igitur tanto me fraudari ornamento: adde quod sic tuas amplector; atque exosculor, ac si ipsum te, adeo venustae sunt, teque mirum quantum referunt, ad pectus meum premerem. Quod celebriores Italiae Musagetae, quibus ferax est illa delicata orbis pars, encomiis, & poematis incomparabilem *Christinam* prosequuti sint; teque ejus eximium alumnum, pretiosa gaza onerarint, certe gratulor, quamvis non ideo spectandus magis ad illam redibis, cum per te sit illi spectatissimus. Sic pronuntio debere omnes affici, ut Naturae, aut potius Dei operae pretium istud, nemo non ex animo debeat venerari. Ego certe, mi Heinsi, si mihi tantum indulsisset numen, ut in ejus splendorem, dignitatemque ex ingenio conferre aliquid valerem, vigilias omnes, labores, & contentiones tantae Divae consecrarem: sed mihi iratas esse experior Musas & favere licet; non adeo insanio, ut post divinum panegyricum tuum, cujus dignitas Regiae ipsi par est dignitati, disperdam miserum carmen.

Nam

Nam neque adhuc Varo videor, nec dicere Cinna
Digna, sed argutos inter strepere anser Olores.

Verum quod a *Samblancato* meo, paulo ante, quam occumberet, praestitum est, quodque de *Christina Augusta* carmen magnificum meae commendavit fidei, cito suo Numini inscribam: Nunquam enim ista Taciti a meo animo excident; *Non hoc praecipuum amicorum munus est prosequi defunctum ignavo quaestu; sed quae voluerit, meminisse, quae mandaverit exequi.* Tandem deo favente pestis desiit furere, afflictosque cives a miseriis patitur respirare, sed seditiosis semper furor arma ministrat: nec spes libertatis erit, nec cura peculi: quippe omnia foris vastantur a militibus insanis: En queis consevimus agros? *Berterii* Pithanôn libros una cum aliquot Ovidianis membranis, misi ad *Jacobum Puteanum*, optime ille pro sua sapientia rem omnem curabit, efficietque dubio procul ne tibi pereant, scribit ille ad me te aliquot dies Genevae commoraturum, quare quos habeat literatos viros haec urbs, lubentissime a te intelligam: nullius enim praeter clarum illud *Gotofredi* nomen ad nos pervenit. Basileae vivitne adhuc *Buxtorfius*, Linguae sanctae Thesaurus ille? de literatis etiam viris, quos in Italia familiares habueris, modo tuo cum commodo, mecum opto confabuleris. *Fermatius* ab Elysiis gradum revocavit, superasque rediit ad auras, praeter spem omnium: cum esset conclamatum de sua salute. Adorno quotidie volumen Graecum hactenus ineditum, de officiis Ecclesiae Constantinopolitanae, quod suum in historiae Byzantinae collectione Luparica habebit locum. Vidisti Annam nostri *Possini*, & amasti? hactenus injuria temporum oculis meis subducebatur, ut vidi, ut perii. Novam editionem meditatur cum magis plenum codicem nactus sit, cujus beneficio ornatior in lucem denuo prodeat. Valete, vos omneis, quas in delicatissimo meo Heinsio suspicio veneres, a vobis enim me jam media nox avocat. Valeat quoque parens tuus. Salutat te ex animo conjux mea, aliter enim non potest, quae mea est: festinatae scriptioni ignosce.

Tolosae IV. Eid. Junii Anno $\overset{D}{X}$ CIↃIↃCLIII.

EPISTOLA DXLV.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinsio.

Lugdunum Batavorum.

QUam Nonis Junii Genevae mihi abs te scriptam, accepisse nondum nunciaram; elegans plane illa, a *Puteano* nostro demum reddita est: cui continuo respondi: idque, ni fallor, sub initium mensis Septembris: cujus epistolae magis memini; quod cum illa variantes aliquot lectiones, ex Ovidii MS. Cod. de Remedio amoris, una mitterem. omnia nobilissimi *Puteani* fidei commendavi, Sic, ut quin ad te tandem deferatur fasciculus hic, minime dubitem: & forsan jam delatus est. Certe bis ante ad te scripseram: quas periisse tibi non multum doleo: non enim erant tanti, ut suo pon-

dere meliorem fortunam ſperare deberent. Ultimis VI. Eid. Junii exaratis nunc reſpondeo. gratulabar tibi antea paternos tandem lares, poſt tot, & tanta pericula ſanum, & incolumem attigiſſe te: Nuncias enim de tuo adventu epiſtolas *Puteanus* miſerat, ecce iterum, atque iterum, gratulor. Sed quod audiam te tam cito in Sueciam difficillimum iter facere, principue hac horrida tempeſtate, eo durior tibi futura; quod ex clementiſſimo coelo, ſuaviſſimoque Italiae ſolo jam jam redux venis, laetari nequeo vehementer. Quid fiet de divino viro Parente tuo, annis fatiſcenti, & vigiliis, laboribuſque exhauſto? quid fiet, inquam, de illo, abſente te, cum non aderis ejus vita, in cujus ſuaviſſimum ſinum, ſenii maerorum partem ille aliquam deponat? Subibit ſaepe ſaepius, ſubibit cari Genitoris imago, quae tibi omnem voluptatem adimet; teque taedebit, mihi crede, ab illo toto orbe diviſum eſſe; cujus ut adhaererem lateri, ſi mihi tantum indulgerent meae fortunae, totum terrarum orbem excurrerem. Tua, & ϑ μακαρίτου *Rutgerſii* poëmatia videre geſtio: quae ni cito viderim, Muſas mihi iratas putem. Deus bone quot lepores, & veneres ipſas, conjunctas ſimul, videbimus! tuto auguror ex factis. De bello, quo nunc veſtrae Athenae infeſtantur, quaeſo, quoties erunt de quibus me certiorem facere poſſis, ſedulo ad nos ſcribe: tui quippe amore, meas cum Batavorum conjunctas eſſe fortunas ſcito. *Samblancati* carmen incomparabili Reginae *Chriſtinae* dicatum brevi accipies. De rebus a te in Italia geſtis ſiles omnino? quamque Manuſcriptorum onuſtus gaza redieris, ne γεύ quidem. Mortem doleo *Gothofredi* noſtri. *Claudium Salmaſium* audio ſubito extinctum: cum per biduum tantum laboraſſet: iterum cum *Petavio* in coelis bellum? iterum ad arma? verum non illa regio eſt; in qua tam inutiles curae nos exerceant. Salutem tibi plurimam dicunt mea *Glycerium*, noſtrique amores, *Maria*, & *Dominicus*. raptim haec, uti vides, Bacchanalia feſta colimus: Muſteae igitur ſcriptioni ignoſce: ex qua laurum non quaerimus. Vale, anime mi: ex Albiniano meo III. Non. Octobr. Anno $\overset{p}{X}$ CIↃIↃCLIII.

EPISTOLA DXLVI.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

VErboſiſſimas dedi tibi epiſtolas, ſuaviſſime Heinſi, pro tuis, quas Dordraci, Nonis ſemptembribus ſcriptas ad me miſeras. Praeiverant aliquot aliae; omneiſque fidei, & diligentiae humaniſſimi noſtri *Puteani* commendatae: quae an ad te pervenerint, eſt quod vehementer ſcire deſiderem. Multum enim vereor, ne bello, & diſcordiis, perturbatae res veſtrae in cauſa fuerint, quo minus proſpera fortuna uti potuerint. Utinam eo demum res deveniat, ut ſola literarum mearum jactura, quam aliunde penſarem, non vero periculorum imminentium metu diutius affligar! Sed audiuntur heic tam ſiniſtri de bello rumores; ut quin in illo nomine, ob unum te, qui mihi es inſtar om-

omnium, totus expalleſcam fieri nullo modo poſſit. Avertat Deus immortalis a finibus veſtris infanda mala haec & ſtrages, fidos belli comites! Quid non tum perpetratur? quod jus ſanctum media in indomabili armorum licentia non violatur? quod ſacrum, & religioſum non polluitur? Belluarum arbitrio, non hominum judicio vivitur: Quod nimium heu! nos non ita nuper in Aquitania noſtra, miſera, & calamitoſa experti ſumus, nec adhuc, puto, nobis magna libertatis ſpes eſt habenda; dum hinc inde omnia miſcentur. Lugent interim lacerae Muſae: & totus maerore conficitur bonus Daphnis; cum ſua, quae amat, ocia armorum fragore ac ſtrepitu ſentit perturbari. Sane hiſce temporibus nemo non toto eget Petrarcha, cum ejus de remediis utriuſque fortunae. Ego vero me quandiu amaveris egere nullis videbor. Vale, meum decus, Toloſae die Natal. Domini Anno CIↃIↃCLIII. Proximas foelices tibi opto Kalendas. Salvere te jubet mea *Glycerium* cum amoribus noſtris *Maria*, & *Dominico:* interim dum nova expectatur proles, mea de officiis Aulae Conſtantinopolitanae commentaria ſub praelo eſſe renunciant mihi: quum primum prodibunt in lucem, tuum ad te exemplar cito advolabit. Vitas Heroum meorum non ſine legitima cauſa, ad hunc uſque diem publicare diſtuli: ſed perendie ad illarum editionem me comparabo. deſunt Panegyrico Reginae *Chriſtinae* ultima edenda verba; alioquin nunc ad te exemplaria mitterentur. Iterum Vale, qui mihi vere & ſolide amicus es. feſtinae ſcriptioni ignoſce.

EPISTOLA DXLVII.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinſio.

Upſaliam.

AB eo, quo tuas Dordraci datas ad me miſiſti tempore, plures ad te reſponſorias Holmiam miſi: Non tamen adhuc perſpectum habeo, earum aliquam ad te perveniſſe, quamvis humaniſſimi viri *Jacobi Puteani* fidei, ac diligentiae, quam ſemper expertus ſum ſingularem, ac maximam, eas commendaſſem. Quam ob rem illum, ad quem audio te ſaepius ſcribere, quotidie de te percunctor, perinde quippe mihi eſt, hac, an iſthac via quid agas intelligam, quanquam abs te ipſo audire multo jucundiſſimum, modo te certo certius valere ſciam. Quam ſis rebus magnis intentus ſane non me latet, quo minus hujuſmodi literario commercio, plerumque otii pleno, poſſis indulgere. Alio te avocant divinae *Chriſtinae* juſſa, atque Aulica officia, quam ut obſcurum me media in ſolitudine degentem inviſas: ac tanto Reipublicae damno cum homine privato feriari debeas. Frequentiores a te quidem epiſtolas optem: modo ne iſtud gratiae, quod a te efflagito, melioribus rebus officiat. Amicitiae tuae, quam ſemper oculis chariorem habui, ac habebo, dum vivam, nolim injurius eſſe importuna iſthac petitione; qua vereor ne plus dignitati, ac gloriae meae, quam tuis commodis videar conſuluiſſe. Certe nil mihi eſt antiquius, quam de te bene mereri: nec magis Heinſii eruditionem, ac ingenium divinum ſuſpicio, quam amo ejus optimos mores, ac exquiſitam

indolem. Extitere multi, quos nobis ipsa proponunt saecula, rerum omnium cognitione illustres, industria commendabiles, & magnis nominibus decorati; paucos tamen videre est, qui summam eruditionem, cum eximio animi candore, integritateque conjunctam habeant. Talis vero ipse es, qualem te omnibus hisce dotibus ornatum veneremur omnes, mirentur posteri. Verum inter tot, & tantos virtutum tuarum aestimatores, a nullis finam me officiis erga te vinci: qui benevolentia, studio, atque observantia, omnibus superior sim. infra tamen affectus meos in te sunt verba magis significantia: nec minus difficile est, quae animo sentio dictis exprimere; quam caeli immensos orbes digito metiri: rudi penicillo, uti vides, amoris mei quandam imaginem veluti delineare enitor, quam si suis coloribus valerem depingere, fieri nullo modo posset, quin mirum in modum tibi arrideret. quamquam non sum nescius, me a te vicissim redamari, cum tot illustribus testimoniis mutuam tuam benevolentiam exploratissimam habeam, enimvero pudet me aliquando tantam esse tuam in me propensionem, quanta satis esset ad illustriores aevi nostri viros demerendos. perge tamen me sic beare. Rogasti me saepius ut circumspicerem, qua in re mihi gratificari posses: plurimis, sane & infinitis potes, sed nusquam magis, quam si mihi tui absentiam Imaginis tui praesentia liceat tolerabiliorem reddere, noli unquam sperare fore, ut cessem rogare te, rogo te igitur per quidquid sacrum, sanctumque est, sinas te exorem. Quid statuerit Regina de *Vossio*, cui iratus erat ob *Salmasium*, & quinam sint viri literati, qui ejus Aulam frequentant, fac subinde intelligam. Vale Eid. April. Anno P X CIↃIↃCLIV. Hanc dum parabam obsignare, ecce tuae a *Puteano* nostro ad me deferuntur, Deus immortalis quo gaudio perfusus fui! centies exosculatus sum tam jucundas literas, saepiusque iterata lectione earum brevitatem pensando, hac arte voluptati meae consului, quo major esset, ac diuturnior. Sed nondum plane depulsi a te morbi, Parentisque adversae valetudinis commemoratio mihi multum abstulit voluptatis. Magnanimae Reginae mentem mirari satis nequeo. temperamen istud animi vires humanas excedit, verum frustra quaerit *Christina* sceptrum deponere, ac Regno cedere: cum omnium hominum animis moderetur, ac imperet. Supellectilem, quam ex Italia tibi comparaveras, ab Anglis doleo ereptam fuisse. reddetur illa tibi mortalium urbanissimo, nisi illi urbanitatem omnem aeque exuerint ac Regis legitimi Principatum. *Samblancati* panegyricum carmen accipies a *Puteano* nostro, ad quem exemplaria mitto. Interim quaeso te, cum omnia apud nos *Adolfi* Suecorum Regis panegyrici exemplaria divendita sint, unum ad me mitte, ne Parentis tui divino hoc opere carear. Vale iterum, salvere jubet mea *Glycerium*. gaudeo nunc Jure trium liberorum: & haec quae geruntur apud me. Parenti optimo salutem ex animo diuturnam precor: festinatae scriptioni ignosce, non vacat relegere. Quod inaudisti ex *Puteano* de Ovidianis quibusdam codicibus nescio quid sit.

EPI-

EPISTOLA DXLVIII.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinſio.

Upſaliam.

QUas VI. Kalend. Mart. Upſaliae datas miſiſti ad me, accepiſſe jam verboſiſſima nunciavi epiſtola. poſtremis IV. Non. ejuſdem menſis exaratis, reſponſi id ſolum, quod vix licet, nunc do: quo tibi conſtet, a *Puteano* noſtro diligentiſſime mihi redditas fuiſſe. Inaudieram aliquid de tuis Poëmatiis ab ipſo *Puteano*: & ut, quod rei eſt ingenue fatear, non ſperabam tantum, ſed & expectabam morae impatiens, deſtinatum mihi unum exemplar. de illis libere quod ſentiam, & ut amicum decet, brevi, ubi aderint, intelliges. de *Auguſta* incomparabili illa Regina, qualem orbis non vidit, quid dicam mi Heinſi, tantam animi magnitudinem, quantam non habuere ipſi Heroës, in fœmina potuiſſe contingere ventura ſaecula vix credent. Male ſit Muſis noſtris, ſi tantum, tamque ſtupendum facinus poſteritati non commendent, haec certe manet te provincia, atque hoc a te ipſa expectat *Chriſtina*. Solus potes dignitatem facti tuo aequare ingenio. Panegyricum *Samblancati* carmen cito, ſi nondum accepiſti, ad te perveniet: ejus enim aliquot exemplaria ſunt penes *Puteanum* noſtrum: Divinae *Chriſtinae* ut illud offeras te etiam atque etiam rogo. Te confirmatae nondum eſſe valetudinis doleo multum. Quaeſo te, amiciſſime Heinſi, ſi me vis ſalvum, noli te nimiis literis macerare. de Magno Daniele parente tuo fac aliquid intelligam: metuo enim, ne quid ei ſiniſtri accidat. Vale VII. Kalend. Maji CIↃIↃCLIV. Toloſae. Salutem tibi mellitiſſima indicit mea *Glycerium*, quae tibi aliquando ſubirata eſt, quod timeat, ne te magis amem quam ſe. feſtinatae ſcriptioni ignoſce.

EPISTOLA DXLIX.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinſio.

Upſaliam.

EX tuis ultimis, quas ut ab hominum humaniſſimo *Puteano* noſtro mihi redditae ſunt, nullas, ex quo ad ſeptemtrionem appuliſti, periiſſe mihi lubentiſſimo animo intelligo: tres quippe uti indicas ad me miſſas accepi. Mearum tamen quaſdam ad te, periiſſe certiſſimum eſt: qua de re ab tuo ſuper mea aliqua rogatione ſilentio conjecturam mirifice capio. Quidnam iſtud rei fuerit, rogas? pudet dicere, cum, quia ſiles, repulſam videor pati. Pudorem tamen meum, amor erga te, Hercle quam maximus, frangit: meque ut te exorare coner, ſi non facundum, ut alterum, certe audacem facit. Amantiſſimi mei Heinſii effigiem a te tunc petebam: idem nunc efflagito: nec ceſſabo, ſi ſic obdurueris, dum vivam, Heinſium objurgare. Quod, inquam, ita amicitiae noſtrae

noſtrae injurius fueris, ut cum tui tabella praeſens, a te minus abſens viderer, nolueris. Quaeſo te, virorum exoptatiſſime, ore, & ſcriptis hunc popularibus meis liceat ſpectandum praebere, cujus benevolentia, & commendatione quotidie me inclareſcere ſentio. Jure amicitiae noſtrae nolui hactenus tecum agere, ut id a te gratiae impetrarem; cum mihi tui effigiem negare nequeat; quae in me ſuos omnes affectus effudit. Nunc me tuae epiſtolae monent, ut reſpondeam: xv. Kalend. Maji. Muſae, Muſae, inquam, ipſae venerunt ad me. Nunquam, Deos, Deaſque teſtor, pari lepore ac venuſtate loquutas memini. Verum quanta cum voluptate eas exceperim, quove gaudio ingenioſiſſimam earum poëſim audierim, facundiae quidem meae non eſt dicere: niſi & ipſae Deae, quae elegantiſſima Elegia blandiri mihi viſae ſunt, divinam artem inſpirent. At tute ipſe collige, qui me intime noris: cum tantam ab illis gratiam inſanum ſit ſperare. Praeterea poſtquam in earum conſuetudinem me magis familiariter inſinuavi; profecto nihil ſeſe meis obtulit oculis, quod admiratione dignum non eſſet: quodque hinc elegantias, inde gratias ipſas non ſpiraret. Ita me Deus amet, non Heinſium, ſed Ovidium ipſum mihi viſus ſum legere: adeo ſunt omnia omnibus numeris abſoluta. In primis ſatiabor nunquam tuis Italicis, quae meo & aliorum virorum quorundam, quibus non eſt cornea fibra, judicio, natiuum illud, & elegiacum decus mirandum in modum referunt. hoc certe aſſentationis omnis purus affirmare ſancte poſſum, prae te nihili facere me Tranſalpinos Politianos, ac Bembos; quibus, quod nemo non debet fateri, & ipſa Italia, non tam facilis & amoena, quam tibi vena fuit. De tuis vero Praefationibus vis dicam quid ſentio? Elucet in illis cum putiſſima Latinitate exquiſitiſſimum judicium, ac divinum plane ingenium in demerendis illuſtrium virorum amicitiis, & in reddendis officiis humanitas, & diligentia ſingularis. me vero quod inter heroës collocaveris, loco certe nimis invidioſo, eſt quod ſerio mea gaudeam gaudia, tantamque gratiam mihi palmarium ducam. Abite livor, & invidia, peſtes generis humani abite: ſecurus ſum de nominis mei immortalitate. *P. Poſſino* noſtro quod ad eum tuorum Poëmatum exemplar miſeras, ſtatim dedi: qui humaniſſime tuum munus excepit: tibique ſic habet gratias; ut majores nunquum ſit redditurus. Vale, meum decus. IV. Eid. Maji Anno CIↃCIↃLIV.

EPISTOLA DL.

BERNARDUS MEDONIUS

Nis. Heinſio.

Helmiam.

HOlmiam quas ad te poſtremum miſi, quibus tua Poëmata me tandem cum ſummo gaudio accepiſſe nunciabam, tibi jam perlatas eſſe, *Puteani* noſtri diligentia fretus, confido, qui cum ſtudio ſingulari, ut quotidie experior, noſtras utrinque curat. Ego vero quas Upſaliae VII. Junii ad me exaraſti, ultimas etiam accepi: unde eſt quod mihi plurimum gratuler, tanta ſecuritate,

tate, tantos theſauros ad me aſportari: cum plerunque hîc in Gallia ſuos etiam hoſtes infenſiſſimos habeant epiſtolae, quos non minus metuam tuarum cauſſa, quam ſi bonis meis, ac fortunis inſidiarentur. & amabo, cur amoris tui erga me ſignificationes prae bonis omnibus non aeſtimem, cum tot addunt mihi honoris, ac dignitatis titulos, quibus nomen meum, alioquin obſcurum & ignobile, poſteritati tranſmittatur? quanquam non ſum adeo aeternitatis cupidus, qui quidquam aliud praeter tuam benevolentiam, de qua ſemper meis officiis bene mereri conabor, ambiam. Miſſa prae iſthaec ſint, Heinſi amantiſſime, tamquam ſolennis formula mearum omnium epiſtolarum; nunc ad tuarum omnia capita. Poëmatis tuis nihil unquam memini me legere elegantius, nihil certe quod ſpiraret magis ipſas Veneres: & quod, ut uno dicam verbo, Heinſium melius referret. De erratis ut te moneam etiam, atque etiam me adhortaris; per Deum, atque hominum fidem, quid tibi vis? errata in hominum politiſſimo ſuſpicer? errem ipſe, ſi errata quaeram. Legi librum integrum, iterum, atque iterum, amicis etiam legendum praebui: nuſquam tamen comparuit quod me, aut ipſos offenderet. Solum [1] *Servitus*, qua voce pro Dactylo uteris Ital. lib. II. Eleg. I.

Maxima libertas haec Servitus, ite Batavi,

aliquantiſper dubitavi: non tamen eo adduci potui, ut crederem carere te auctoritate. Ingenue tecum ago ac libere, ut quidem vides, qui vel meos ſcrupulos in ſinum tuum effundam. Incomparabilem *Chriſtinam* ad portum tandem appuliſſe, ſciunt omneis, nollem tamen apud Hiſpanos commoraturam: vereor enim ne gens illa non humana multum ejus deſideriis ac libertati ipſi officiat. Secure certe magis in Gallia aut Italia viveret, quam ibi, ubi nunc eſt. Lucubrationes aliquot meae, quibus corpus hiſtoriae Byzantinae auctum jam jam ſperabam, haerent adhuc in ſcriniis Bibliopolae, earum editioni adverſante Cardinale *Mazarino*, qui praela omnia Regia hiſtoriae, neſcio cui, noſtrorum temporum, miſere addixit. brevi tamen, ut quidem me & *Poſſinum Cramoiſius* monuit, liberabimur ab hac tyrannide. *Poſſinus* intra menſem Romam contendet, allectus ſine dubio *Holſtenii* pollicitationibus, qui Bibliothecae Vaticanae jam jam praefectus eſt. Audio Holmiae te adhuc manere: ad Eburones tamen Reginam debebas comitari, quid cauſſae ſit, quo minus haec facta fuerint libentiſſime abs te intelligam. Succeſſus adhuc tuos a *Puteano*, ut quidem voluiſti, expecto: a quo tantum accepi, tibi non deeſſe cauſſas de Regina conquerendi. de omnibus certiorem me facias etiam atque etiam rogo.

1 Hoc viderat etiam vitium *Janus Vlitius*, & *Heinſium* monet Epiſt. XXXVII. tom. III. hujus Sylloges. pag. 752. quid reſponderit *Heinſius* neſcio, ſed correxiſſe in ſecunda editione patet hoc modo,

Liberius nexu nihil hoc datur, ite Batavi.

Sunt qui tueri ſyllabae brevitatem voluerunt, ſed vide, quae diximus ad Ovid. I. Metam. 121. Naevi vero hi minime deformant pulcherrimam ſummi Poëtae venam. talia exciderunt *Scaligeris*, *Douſae*, D. *Heinſio*, & quibus non?

rogo. Imaginem tuam rurſus doleo negatam mihi, illam tamen impetraturum me tandem ſpero. effice quaeſo me hoc munere beatum. Quod aſpiret ad ocium *Voſſius*, eſt quod Reipublicae literariae gratulentur omnes, quibus haec cura eſt; quando ſic eſt perpaucorum hominum, qui decorare illam ſcriptis mirifice valeat. Panegyricum *Guſtavo* magno a Parente tuo conſecratum nactus ſum, de eo noli amplius laborare. Vale, meus feſtus dies: cum divino Parente tuo. Uxor mea tibi ſalutem plurimam impertit. Toloſae x. Kalend. Septembr. CIↃIↃCLIV. curabit ad te *Puteanus* noſter Orationum volumen *Poſſini* jam jam editarum, judicium a te tuum de iis ſcire velim, mihi nimiae eruditionis affectator videtur, alioquin eloquentiſſimus.

EPISTOLA DLI.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinſio.

Helmiam.

NON is profecto ſum, amicorum praeſtantiſſime, qui ut quidem amice magis tu, quam vere dicis, ad gloriam nominis tui conferre aliquid valeam mea commendatione. Nam etſi, apud populares meos ullam occaſionem ornandi te meis laudibus non praetermittam; tamen certo certius ſcio, nihil hoc extendi poſſe tuam famam, quae ubique gentium jam jam propagata eſt: aut augeri tuum nomen, quod abunde propriis titulis inclareſcit. Ecquid ego in ſolitudine degens obſcurus, nobiliſſimo notiſſimoque Heinſio affulgere praeſumam? Non ſum adeo ambitioſus, ne dicam bonae mentis expers, ut me hujuſmodi ludat inſania. Si laudavi tua poëmatia, egi, quod me agere decebat, quodque veneres, leporeſque, quibus plena ſunt, ipſa denique ratio poſtulabat. Neminem certe ſcio, Deos atque homines teſtor, qui tua legerit, qui illa non veneretur. Ego quidem, quo magis illa repeto, eo in dies novas veneres, quas non praevideram, agnoſco. Imaginem tuam non amplius petam, donec te Lugdunum Batavorum contuleris, illa tandem carere nequeo, niſi me tua benevolentia indignum cenſeas. de Auguſta veſtra plura heic circumferuntur. Lutetiam, puto, non amplius cogitat, ex quo Hiſpanicis partibus favet. de Panegyrico quod addis, miror unicum ad te tantum exemplar perveniſſe, cum plura miſerim. *Miltoni* librum in *Salmaſium* ſcriptum alias legeram, novum iſtum in *Alexandrum Morum* exſpectabo. Non dubito, quin ingenioſiſſimus vir ille ſit, & qui meliora etiam iſtis poſſit praeſtare, verum a Natura ita conſtitutus ſum, ut hujuſmodi maledictis non faveam. Ovidium tuum expectant omnes, ſed me nemo magis, qui tuis mirifice capior, ac delector. Vale, meum decus. Salutem tibi plurimam dicit mea Glycerium; ſcriptioni feſtinae ut ignoſcas te etiam atque etiam rogo. Dabam Toloſae v. Eid. Novemb. CIↃIↃCLIV.

EPI-

EPISTOLA DLII.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

HEus tu, mortalium ſuaviſſime, cur miraris, ſi te longiſſimis a me remotum intervallis, ac fere toto orbe diviſum, cum non nunquam egregia tua indoles, optimi mores, ingenium exquiſitum, totus denique totus qualis quantuſque es animo meo obverſeris? Quid, inquam, meum iſtud facti adeo praedicas, quaſi vero glaciali oceano nobis interpoſito meae quodammodo deterreri potuerint epiſtolae, quominus crebrae te inviſere feſtinarent? miraris earum audaciam? mirari deſine: ſumma quippe mea erga te benevolentia, qua pleniſſimae ſunt, non ſolum id obtinet; ſed & efficit paene, ut ego ipſe ad te advolem. Maria certe quantumvis ferocia, atque ipſas tempeſtates, tui cauſſa obeundas, non reformidarem. Haec autem tam animo, quam ore a me eſſe dicta velim exiſtimes: utroque hercle fidiſſimo. Mores meos, opinor, ſatis perſpectos habes; ut fidere mihi ſine ullo periculo poſſis: eoſdem ſaltem, quos hactenus, aeternum experturus. Amicitias contrahere paucas ſoleo: contractas medullitus foveo: dirimo nunquam. Sicque ſum; vel erga vulgares illos, quia ſanctiſſimum mihi ſemper viſum eſt amicitiae nomen: quod violare nemo, niſi qui impius, poteſt. Qualis vero erga tuam haberi velim ex ſingulari virtute, qua alios anteis, tute exiſtima: quod ut ego ſemper, ita nunc maxime Illuſtriſſimi Foederati Ordines de te judicium fecere, cum te Reſidentis apud Suecos pleniſſimo dignitatis munere auxerunt. Illorum ſapientiae praeclarius ſpecimen nunquam habuimus; quam cum tibi ſapientiſſimo provinciam iſtam demandarunt. Sic enim abunde Reipublicae ſaluti, & meritis tuis utcumque conſultum eſt. Ita me Deus amet, ut ſolide tua gaviſus ſum gaudia! ut Ordinum prudentiam laudavi! ut parenti optimo tacitus gratulatus ſum! ut *Puteano* denique noſtro *Menagioque*, ac caeteris amicis omnibus, tantam laetitiam, quantam antea nunquam acceperam, communicavi! Interim mihi hinc augurari liceat, clariſſime Heinſi, te, ad ſumma natum mediocribus iſtis conſiſtere non poſſe: foreque aliquando, ut ipſum Reipublicae clavum teneas, qui literarum Principatum jam jam occupaſti. Quod de *Chriſtina* tua, idem antea ad me *Puteanus* ſcripſit: ad nos enim citius, puto, quam ad vos perveniunt, quae Bruxellis peraguntur. Hiſtrioniam mihi agere videtur, quae ſceptrum cum hujuſmodi vita deſultoria & inſtabili commutarit. Θρηϊκὸς δὲ βίος ἐπὶ τοῖς θρήιξιν ἐχέλασσεν: Utinam Phrygia non ſit, de quibus, *Sero ſapiunt*. Quod familiae tuae debitam a Regno pecuniam maximam intra quinquennium, quo ipſi tua officia fide praeſtitiſti, dum Regno potiretur, non ſolverit; totus horreo. ô indignum facinus, praecipue Pallade! melius proſpectum erit dubio procul cum illius Regni Senatu, quam fuit hactenus cum illa proniore, ut quidem video, erga homunciones, & quibus non

eſt mica ſalis, quam heroës & magnates, plerunque ob nimiam virtutem contemptos. Laudo mirum quantum te, quod Regiae huic ſervituti vale dixeris, qui mereres aliis imperare, ſi meritis Imperia decernerentur. Uni tibi imperare perge, nobiliorem certe principatum tenes: ſapienti enim imperas dum placrique alii ſtultis. [1] Pantomimum e Burgundia perbelle novi: virum elegantem narras: ô infelicem & infauſtum, qui in ſe ſuam ipſe artem non exerceat! poſt lolliginis plenum caput & ΚΟΥΦΟΝ ΣΠΕΡΜΑ! Quas ſemper intellexti in me ſitas fidem, & taciturnitatem deſiderabis nunquam: Amicorum enim res ſacramento obſigno. Verum tu per quos reddendae tuae mihi ſint epiſtolae ſerio circumſpice, hae ipſae, quibus nunc reſpondeo, ſuſpecta admodum manu mihi redditae ſunt: non tamen erant reſeratae. Uni *Puteano* fide, quandiu nobis illo uti fata dabunt. Senio quippe in dies, ut inaudio, conficitur. Imaginem tuam confidentius expecto, & jubes ſperari? Salutem tibi plurimam impertit mea vita Glycerium. Vale Toloſae Tectoſag. III. Non. Februar. Anno Gregor. CIↃIↃCLV. Haec dum ſcribo continuo deferuntur ad me, quas Non. Januar. exaraſti, quibus nunc reſpondere media jam nox non patitur: ubi primum nactus ero aliquid otii, huic officio non deero. Unum interim te monitum velim, *Poſſini* orationes a tribus menſibus *Puteani* noſtri via ad te miſſas. Quo tanto infortunio exceptae ſint, ut ad te non pervenerint neſcio. Iterum vale & me conſtanter ama. Somno certe obruor, indigner licet multum illi e meis domeſticis, qui ad hanc horam iſtas ſibi imprudens ſervaverit, vigilando dormienti aut dormiendo vigilanti erroris & invenuſtam orationem imputes velim.

1 *Bourdelotium* Medicum Chriſtinae.

EPISTOLA DLIV.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

NUdius tertius dedi ad te Epiſtolam longiorem, quam ut mihi nunc aliquid ſuperſit, unde novam concinnem. Nam ſi de mea erga te benevolentia, qua te intime proſequor, aut de tuis, quibus me beneficiis innumeris devicisti, tecum colloquor, neutrum plane legitimum videtur argumentum epiſtolae: tum quod utrumque tam auguſtae ſcriptionis limites excedat; quum quod nullis ſignificationibus te putem egere, quibus exploratior tibi ſit animus meus. Nam quam te amem, nec tu ignoras, nec ipſe ego ulla verborum copia exprimam. Verus ac ſincerus affectus aurcam, quam caeteris in rebus non ſatis laudes, mediocritatem, neſcire ſe jactat excelſitatis amans, ac intemperantiae. Sane de tuis in me collatis beneficiis nimis etiam operoſum dicere: novaeque id tuae gratiae tribuero, ſi optimae Amici conſcientiae ſis ſecurus: quando Medonii non eſt tecum beneficiis contendere, etſi benevolentia non cedat. Perge ergo me ſic beare, ſuaviſſime Heinſi, noſque illa ami-

amicitia invicem complectamur, quae Laelianam, perilluſtrem, quidem & nulli non notam, apud poſteros noſtros obſcuret. Proxime eſt, ut te participem faciam meae voluptatis, qui mea te ſciam ſolide gaviſurum gaudia. Abierat ad ſuperos, jam menſes duo ſunt aut plus eo, mira elegantia puerorum meorum alter: Ecce mirae parcimoniae Mulier maſcula iterum prole damnum ſubito reſarcit: atque ita factum eſt, ut triſtitiam omnem, quam ex illius abitione perceperam, namque homo ſum, iſtius laeta acceſſione depulerim. Refer interim vagientem ſervulum in album tuorum: dabo enim operam, ut quantum ego, tantum ille aliquando te colat, atque obſervet. licet liberos probae indolis tam parentum amicitiarum, quam bonorum haeredes fieri. Haec dum ſcribo continuo afferuntur ad me *Sarravii* adhuc e praelo madidae Epiſtolae, non invenuſtae omnino, aut illepidae, verum paullo inſuaves & amarulentae. auctor, *Salmaſio* ut maxime faveat, aliorum illuſtrium virorum gloriae parum aequus eſt judex & aeſtimator. Certe *Danielis* obtrectator peſſimus, tuae favitor inſignis: unde ipſi peſſime hinc; inde vero optime velim. Barbarus ſim, ni illum amem, qui praeclarum de te judicium ſcriptis reliquit! *Aliquando adeſt mihi Nicolaus Heinſius vir eruditus, cujus virtus multas habet ἰύγλας, quae me ad ſe trahent.* aurea verba non potui non hîc referre; alata velim, qualia apud Homerum, & in remotiſſimas orbis partes advolent. Verum id abunde meritorum tuorum fama jam praeſtitit; noſceriſque, ubicumque virtutis nomen pervenit. Vale, mea lux. Toloſae VI. Eid. Februar. CIↃIↃCLV. *Menagius* noſter miris pollicitationibus a Regina Chriſtina vocatur, ut iter Italicum ſecum ſuſcipiat: non tamen ire vult in hanc ſententiam: *Puteanus* certe non probat.

EPISTOLA DLV.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

DUas a te epiſtolas brevi intervallo temporis, Holmia accepi, eaſque luctum, maeroremque juſtiſſimum, ob duram *Danielis Heinſii* parentis tui abitionem, ſpirantes. Uni ſtatim reſpondi; alteri, in qua praeter hoc funeſtum nuncium, de his, quae Bruxellis agerentur, quanquam fama ad nos advolante, inaudieram, nonnihil etiam loquebaris, jam nunc reſpondeo. Sed quid pro tantis venuſtatibus, gratiis, leporibuſque tuis, quibus omnia ſparſa referta omnia rudis & impolitae ſcriptionis meae reponam, Nae plane inſanirem, ſi tecum in hanc paleſtram deſcendero; non illam quidem, periculoſae aleae plenam, ſed meae pleniſſimam impudentiae, ac dementiſſimae temeritatis. Uni tibi hominum politiſſimo, elegantiſſimoque, egregie a Muſis datum eſt, facere omnia arbitrio tuo politiſſima, atque elegantiſſima. Meae certe partes erunt, quando non ita indulſere Divae, tuis maximam praeſtare reverentiam. Quare cunctas tibi elegantias iſtas, & humanitatis ſales relinquo. Nam quid tam al-

Digitized by Google

tis consiliis minorem animum fatigem? Venio ad epistolae reliquum: ô rem indignam & praeter omnium expectationem ac mentem; Lesbia nostra, Lesbia illa, illa Lesbia Heinsi! impudentissimum facinus, haud ideo turpe minus quod tam veteribus quam hodiernis exemplis praejudicatum est. Nihil quippe sua natura faedum ulla quantumvis potentum virorum depravata auctoritate potest comprobari. Nemini virtutis limites praetergredi aut honesti leges violare licet: & quamvis haec aut illa aetas proclivior sit ad vitia, neutra tamen si decidat, a culpa vacat. Ille mihi Monarcha, ille Rex & omnia, qui vitii integer & sceleris purus, sua decore vivit contentus sorte. Vale igitur, tu meum decus, quod sic vivas. Tolosae Tector. raptim XIII. Kal. Jun. CIↃIↃCLV. Uxor te jubet salvere. De Ovidio quid factum?

EPISTOLA DLVI.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinsio.

Halmiam.

Ergo [1] *Senem nostrum perpetuus sopor*
Urget? cui pudor & Justitiae soror
Incorrupta fides, nudaque veritas
Quando ullum invenient parem?

Occidit ergo nobis vir tantus, atque una tot bona, ad quorum jacturam resarciendam, nisi supereresses, tu vir eximie, alium Hercle non haberet aetas nostra, quantumvis magno literatorum numero abundare videatur.

Multis ille bonis flebilis occidit:
Nulli flebilior, quam mihi.

Venerabar enim egregie virtutem illius singularem; judicium solidum, & excelsum; doctrinam longe lateque amplissimam; divinum denique ingenium adorabam. Quibus animi dotibus cumulate praeditum esse, singulare Deorum beneficium est, pauciissimis concessum: atque hinc tibi, mihique, in tam magno maerore haud inanis solatii causa exoritur; quod moriendo tantam sine dubio, quantam vivendo Numinum charitatem senserit. Quanquam non aliae desunt rationes, mi Heinsi, quae jubent lacrymis modum ponere: longa enim senectus, quae plaerumque vitae taedium parit, amaro gravis pondere: pleni dignitate dies transacti: necessarius cunctis vitae exitus, ad id quasi voce edita hortantur. Me vero mirum in modum solatur jucundissima tui recordatio, atque aegrum animum una spes reficit; fore ut nutanti literariae Reipublicae, ac jam jam ruinam minitanti, tua opera, tuisve curis subvenias. nec dubito, quin ita mecum omnes sentiant, cum nemo suis meritis melius, quam tu, omnium oculos in se convertat, nemoque illam aestimationem, quam de tua vir-

1 *Danielem Heinsium.* Vide Heinsii Epist. ad Gronov. CCLXXVII. tom III. Syll.

virtute concepere ſummam, dignius poſſit ſuſtinere: implere, atque ſuperare. Haec una te cogitatio ſollicitum debet reddere

Cum nec tricenis, quotquot eunt dies,
Amice, places illacrymabilem
Plutona tauris:

Caeterum adeo eximii Manes debitis a me ſuis inferiis non fraudabuntur: mihique videbor magnum honorem conſequi, ſi tecum una funus curavero, quod ſi nequeam aliquot ſaltem triſtes cupreſſus ſpargam. Vive diu, mi Heinſi, & me conſtanter ama, qui te viciſſim amo medullitus. Toloſae Tector. XI. Kal. Jun. CIↃIↃCLV.

EPISTOLA DLVI.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

S*Arravium* antea non amabam; nunc ejus nomen vix patior: indignus enim ſim tua benevolentia, de qua ſi meis aliquando officiis bene mereri poſſim; mortalium ero feliciſſimus, niſi hujuſmodi Nebulonis mores, quos equidem non noram, penitus abhorream. Salmaſiani levitatem ingenii perſpectam habebam: In eoque ſemper plurimum judicii deſideravi, unde merito illo gloriatur Gallia noſtra. Quanquam acerrimi acuminis nunquam mihi viſus eſt fuiſſe. Et lectio illa immanis ac ingens auctorum omnium hominem vere eruditum, aut ſapientem plaerumque non efficit, ſaepe quidem importunum reddit. *Sarravium* vero neque magna rerum copia divitem, neque multo ingenio fuiſſe praeditum, etſi nominis aliquid ſibi apud Pariſienſes comparaſſet, facile credam. Elapſa hebdomada bis ad te ſcripſi, quas a *Puteano* accipies. Hagam ait profecturum te: faciliori igitur commodiorique via meae illic pervenient. Tibi interim tranquillum mare opto dieſque laetos, ac vitam longaevam. Scribam ſaepe, ut jubes, & ego vehementer cupio: quid enim amabo mihi ſuavius tuis alloquiis? Vale, plura in praeſens nequeo. XI. Kalend. Jul. CIↃIↃCLV. Toloſae Tectoſagum. raptim.

EPISTOLA DLVII.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

TUas epiſtolas, una cum Epithalamio accepi, vir Clariſſime, hoc eſt, meros amores, ac Veneres accepi. ô divinum carmen, quod tenera ipſa baſia, molleſ-

leſque amplexus ſpirat! habent profecto in illo celſiſſimi [1] Principes, quo ſuaviſſimarum noctium voluptates in diem uſque protrahant, & tam eorum ingenia, quam corpora delicias faciant. At quid ſibi volunt iſthaec tua, Muſas non reſpicio? fieri ne poſſunt adeo polita, adeo elegantia ſine Muſarum ope & auxilio? Ovidium tuum ſine notis, *Chriſtinae* inſcriptum vidi, verum majoribus characteribus velim, certe notas tuas legere pervelim, in illis enim maximam eruditionem fore certo certius habeo. ab hujuſmodi autem lucubratione, occupationibus aulicis te totum divelli laetor: malo quippe Heinſium meum in dirimendis Regum controverſiis intentum, quam in membranis vetuſtate corruptis excutiendis; pulchrius, crede mihi, caſtrorum quam librorum pulvere oppleri. Et magis decorum ex Rerumpublicarum cura, quam ex literarum ſtudio lauros meminiſſe. Quanquam tu alios, quibus par incumbit provincia, longe ſuperas, qui utraque Pallade maxime polles. Ecquis enim, praeter te, medio in bello, inter difficillimarum partium ſtudia, armorum ſtrepitus, ac fragores, nuptialia condat, ac gratos canat Hymenaeos? Vale, meum decus, memorque ſis a me morae impatienti tui effigiem in dies expectari. Orationem in obitum Divi *Danielis* parentis tui an acceperis, fac intelligam. *Puteani* diligentiae nihil non debeo, Vale iterum. plura ſcribere nequeo; & forſan plura tibi legenda quam per occupationes liceat. Toloſae Tectoſagum.

XI. Kalend. Septembr. Anno $\overset{P}{X}$ CIↃIↃCLV.

[1] Credo intelligi Epithalamium in nuptias *Guſtavi Adolphi* Mecklenburgici, & *Magdalenae Sibyllae* Holſatae, quod legitur lib. Silvar. pag. 159. inter Poëmata *Nic. Heinſii.*

EPISTOLA DLVIII.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

CUM me non ita nuper de afflictae valetudinis tuae ſtatu certiorem feciſſet *Puteanus* noſter; graviſſimum maerorem, quo ſubito affectus fui, atque etiam nunc afficior, tumultuario epiſtolio, tibi; clariſſime Heinſi, teſtatus ſum meum. Non quidem uti totus in te defixus animus voluiſſet; verum ut per acerbiſſimum dolorem licuit, qui effecit magis, ut ſibi, quam ſcriptioni indulgerem. Dum in ea ſum calamitate, ecce tuae ſuccurrunt epiſtolae, quae ſin minus adferunt eſſe te valetudine integra, ex quo ſolide exultem; ſaltem adferunt magnam ſpem, fore ut brevi eam recuperes, ex quo non inclementius ſaeviat dolor. Quanquam horreo; Imbres, Nimbos, Procellas, Turbines, animoſas denique, ac pertinaces Tempeſtates, tam charo capiti, integros octo dies, incubuiſſe! Quaeſo te, quando te nobis ſalvum reddidere Di boni, noli tam infidum iter amplius remetiri. Cole Muſas Batavas, atque inficetum ſaeculum politiſſimis ſcriptis ditare perge. De Oratione mea quod addis, amanter facis, ut omnia. Verum ego ipſe nunc quod nuper ad te, autor eſſem, ut eam Laribus potius, quam eximiis magni *Danielis* Manibus dica-

dicares. De locis, de quibus mones me, tuum erit pro ſententia ſtatuere, nam ego id praeſtare nequeo, cum Archetypi vix aliae pagellae apud me ſuperſint. Quo fato aliae perierint neſcio. Id ſolum quod a te mutatum videbo, habebo optimum; quando integram opellam nullius eſſe momenti exiſtimarim, etſi mihi tu plus aequo ſoles favere. Caeterum laudo ſtudium conquirendi antiqua numiſmata, quae mirum quantum ad Hiſtoriam pertinent. Dabo impoſterum omnem operam, ut in his diligentiam meam ſentias: de mea enim benevolentia ſecurum te eſſe facile mihi perſuadeo. Haec dum ſcribo, altera tua mihi redditur epiſtola Holmiae ſcripta XXIII. Julii nempe, antequam adverſam adeo experireris fortunam, in ea de *Berterii* diatribis: quas ne mihi remittas te etiam atque etiam rogo. Aliud exemplar nactus ſum, non ideo tamen quia abundo, ut illas retineas jubeo. Sed ô inofficioſum *Bidalium*? is eſt nempe, qui *Puteani* noſtri diligentiam, ac meam expectationem fefellit, penes quem diutius delituere. Vale, ſuaviſſimum meum pectus, plura tecum vellem, ſed me jam media nox revocat. Vale iterum atque iterum. Toloſae Non. Januar. CIↃIↃCLVI. Gregoriani. feſtinae ſcriptioni ignoſce. mittam *Petri Caſanovae* vitam nomini tuo inſcriptam.

EPISTOLA DLIX.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

QUanquam mihi ſemper pergratae ſunt tuae epiſtolae, hae certe, quibus convaluiſſe ſignificaſti, multo jocundiſſimae fuere. Valetudo quippe tua adeo ad me pertinet, ut non magis mea. Cura igitur illam, ſi me amas, quam poteris diligenter, nec patere, dulcibus hiſce Muſarum curis, reduces vires tuas corrumpi iterum, atque iterum labefactari. heu! fuge Parnaſſi crudeles terras, etſi floribus pictas, latet anguis in herba, atque hic, ut ſcis, ac nimium forſan expertus, Pallor, & Macies ſedem ſuam fixere, te totum jocis, ac vitae amoenitatibus da, quibus florentiſſimi dies, color vividus, denique lacerti ſucci pleni comparantur. Sed ſurdo loquor, & literarum irretito; cui vitae tantulum, ſine illarum commercio degere, piaculum eſt! Quare, quaeſo te, ſaltem animum relaxa; donec te priſtinum robur, tanti laboris tolerantiſſimum fecerit. Adeone faves *Mazarino*, ut valetudini tuae parum conſulas? at inquies, hujuſmodi munificentiae inſolentem συνεχῶς laudari oportuit. bona verba, ſed timeo Danaos & dona ferentes. *Caſanovae* vita jam, puto, ad te pervenerit. Caeterum de mea Oratione, quam eximiis Parentis Manibus luctuoſam conſecravi, utere tuo arbitrio, & quae in Italos ſcripſi, aut tute dele, aut corrige. vix enim illius pagellas aliquot habeo, atque ea ipſae, in quibus de Italis, fato periere. Ego interim ſic tui effigiem ſpero, atque etiam expecto, ut hujus deſiderio penitus langueam. hic magna eſt literarum calamitas, nullus librorum reditus, denique ſolitudo. Autorum

rei veterinariae editionem Graecolatinam adornabo intra paucos menſes, quare ſi quid penes te eſt, unde auctior, nitidiorque prodire poſſit, impertire amico. Suetonium adhuc premo, cui curas ſecundas adhibeo. Vela contraho ſcriptionis meae, ne ſi altum metiar, huic, tanquam ſcopulo imbecillis ἐς ἄσκελε ἐν εἰρήνῃ σαλεύσασα, tua allidat valetudo. Vale, meum Suavium. Uxor mea te viciſſim reſalutat. Toloſae III. Eidus Martii CIↃIↃCLVI.

EPISTOLA DLX.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

NUnquam antea, per Deûm atque hominum fidem majori, quam nunc, voluptate tuae me affecerunt epiſtolae. eram enim jam victus animi, timens ſummopere, ne mihi mortalium clariſſimo *Heinſio*, a febri illa ſcelerata & impia, ſiniſtri quid accidiſſet. Sed me tandem ab hac calamitate liberaſti, duplicique nomine expleſti animum gaudio, tum quod tibi auctae vires, tum quod ipſe nova ac egregia auctus es dignitae. Tibi ergo mihique atque Reipublicae Literariae utrumque etiam atque etiam gratulor. Sane non potuit digniori dari tantum munus, nec in dando ſapientior haberi unquam potentiſſima Reſpublica, cui illud acceptum debes. Non ſic Principes, proh dolor! non ſic, eximios virtute viros excipiunt. Quaerunt illi tantum homines ad ſervitutem natos, & ad quodlibet audendum ſcelus idoneos, me teneo: longa enim eſt & publica querela, & me alio vocant urgentiſſima aliquot negotia. De tui effigie ſperata tamdiu ne γεὺ quidem tu. ne tamen putes ceſſare me unquam pulſare oſtium. Vale, decus amicorum, & me ama ut ego te. Toloſae Tectoſagum IV. Eidus Septemb. CIↃIↃCLVI.

EPISTOLA DLXI.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

TUae a *Menagio* noſtro die heſterna redditae mihi fuerunt epiſtolae, vir ſumme, deſideratiſſimae illae quidem & expectatiſſimae; quod ipſe facile credideris, ſi me tantum ames, quantum ego te. Dii veſtram fidem! quid in amicitia durius ſilentio diuturno? quo quidquid habet jocunditatis aut ſolatii vita noſtra, alioquin per ſe miſerrima, vel aufertur penitus, vel certe ſubducitur. Mihi Hercle, ut nihil amici alloquio ſuavius, tuo praecipue, quo quantum capiar dicere, nullius eſt facundiae; ita eo carere crudelius nihil eſſe poteſt. Quare ſi tuo Medonio cupias, mi Heinſi, ſi illum ames, ſi te illo oblectes, majorem in poſterum in mittendis epiſtolis diligentiam, quam jubes expectare, adhibebis. Sic fiet, ut omnia litterarum taedia, quibus fere confi-

cior,

cior, facillime diluantur, aut certe mitius in me saeviant. Quem enim hîc non taedebit litterarum, ubi non secus ac in media Turcia tenellae & delicatulae frigent musae nostrae? nostrorum hominum capita loliginis succo sunt penitus infecta: nullus bonarum artium gustus: litterarum commercium nullum: omnia solitudo & vastitas. Felicem te, qui in illis oris positus es, in quibus & litteris & litteratis indulget coelum, habesque bene multos virtutis tuae aemulos; invidos nullos. His ergo deliciis fruere longum & aeternum, & mei aliquando recordare tui nunquam immemoris, inque uno te Musas omneis, Gratias, venustates, leporesque venerantis. Caeterum de Aristotele paterno vellem scire quid statueris deque Ovidio tuo. *Gaeti* In Terentium notas posthumas nondum vidi: salutem tibi plurimam precatur uxor mea: de Tabella sis quaeso memor, eamque curam adhibe, in curanda valetudine reficiendisque viribus, ut cito te mihi succi plenum referat expectata effigies. de edendis epistolis paternis num cogitas? habeo quasdam ad *Mauslacum* praesidem nostratem. Vale & me ama, si tui observantissimos amasti VII. Kalend. Novembr. CIↃIↃCLVII.

EPISTOLA DLXII.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinsio.

Amstelodamum.

ME sane multum taedet expectare diutius tui effigiem, Clarissime Heinsi; jam enim biennium agimus, ex quo illam toties promissam, adhuc etiam desidero. ô, te parum sollicitum delitiarum mearum! qui unicum absenti Amico solatiolum neges. Ego te medullitus amo, eoque animo sum erga te affectus, eroque aeternum, ut nullam non occasionem tibi gratificandi velim arripere: quae si defuit, infoelicitati meae, non negligentiae tribui certe debet: Tu vero habes in te ipso facilem, atque idoneam oportunitatem beandi me, nec ulla propterea te rerum mearum cura tangit, precesque omneis amici, non ficti, sed synceri, obstinatam queunt mollire mentem, fregissem medius fidius, fregissem, ex quo tuam imaginem expeto, vel intractabilioris puellae durum pectus, ipsaque forsan pudicitia votis amantis succubuisset. Quam enim non annuae curae funditus evertere? Pertinacior rigidiorque tu, qui tui animosius tueris umbram corporis, quam puella ipsummet corpus! Sine ergo te tandem expugnem; non enim decet virum, quem Veneres, & Gratiae delicatulis suis finxere manibus, derogare amico gratiam roganti. Non desunt, vobis praecipue liberalium artium amantissimis hujusmodi artifices, qui formas hominum penicillo mire exprimant: non dees ipse tibi: deeritne igitur animus, quo Medonium tuum singulari beneficio velis cumulare? Apage Stoicam severitatem: illam enim vera amicitia respuit; quae quidem remissior esse debet, & ad omnem comitatem facultatemque proclivior. Haec jam satis ad objurgandum: acturus olim magnas & ingenteis gratias; cum expectatissimam ta-

bellam nactus ero. Vale interim, & me aeternum amare perge, quod etiam atque etiam rogo. Uxor plurimam tibi salutem precatur. Tolosae Non. Maji CIↃIↃCLVIII. Scripsi ad te non ita nuper epistolam, quam Clar. *Menagii* nostri diligentiae commisi. de Musis Batavis fac quaeso aliquid intelligam, nostrae enim penitus squallent. Vale iterum & iterum vale.

EPISTOLA DLXIII.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinsio.

Amstelodamum.

SIC est, uti conjeceras, Heinsi clarissime; quas ad te & ad Cl. *Bullialdum* postremas scripseram, eodem plane involucro tegebantur. Verum praedonem, qui has dilaniavit, esse illum, cui erant commissae, suspicari, fides ejus, quae jam dudum mihi perspecta est, nisi sim inhumanus, ac ferreus, pati non potest. Caeterum quisquis ille fuerit, non ego quoque moleste fero: quando hujusmodi testimonia meae erga te observantiae, nec truces invidorum hominum manus, nec malevolos Sycophantarum oculos reformidant. Thesmophoria non sunt haec, quorum varia superstitio prodire in volgus metuat; sed verissimae amicitiae innocua sacra; in quibus omnia sic pure syncereque peraguntur, ut lucem potius, atque ipsum solem, quam umbram & solitudinem affectent. Tales aeternum simus, quales decet Musarum Sacerdotes: non sicuti sunt, quibus continuo placet, partium studio laborare. gratiorem profecto nobis litterarum materiam praebebit semper venustus Ovidius tuus, per te venustissimus; quam bella, & strages, quae funestas solum narrationes pariunt. Equidem, mi Heinsi, malim potius luxata Ovidii carmina, quibus Dioscuri cum Lynceo pugnant, a te restituta legere, quam ipsos pugnantes videre. Sed ὦ Ζεῦ καὶ Θεοί, quam beasti ipsum poëtam! dum tot versibus desperatae, ut ita dicam, salutis, tam felici successu, medicam manum adhibuisti. beasti & Hecaten, cui, cum illa antea nisi vili [1] *Menta* pasceretur, nunc Haleces quadragesimariorum nostrorum βεώματα reddidisti. ô factum bene! beasses & nos, si tam illa quadragesimam nostram, quam mox ingressuri sumus, quam piscículos hosce esset voratura. Verum proh dolor! ad tantam rem, mi Heinsi, nulla tua est ars, nulli sunt Codices, neque Ἐνάτης quantacunque sit fames. De membranis Ovidianis agam propediem cum *Maussaco* filio: quanquam non magna est spes quidquam ab illo recuperandi. Parentis enim litterariam omnem supellectilem jam dudum Librariis nostris vendidit. Etsi ejus est dignitatis & muneris, ut libros & litteras colere debeat. Uxor mea tibi mirum quantum salutem precatur. Vale, meum decus. Tolosae 10. Kalend. Mart. CIↃIↃCLVIII. at, at, pene memoria exciderat: cum Epistolas

1 Respicit locum Ovid. 11. Fast. 578. egregie ab Heinsio emendatum, *obsutum mantae terret in igne caput.*

las aut quidvis aliud mihi inposterum inscribes, qua solebas formula, *Senatori Tolosano* quanquam nec has phaleras amo, perge uti: nullos quippe alios titulos admitto, essetque gratius, si apponeres tantum, Romanorum more, *Heinsius Medonio.* de deferendo Senatorio ordine, ut me totum Musis dem, sedulo cogito. Quid parturiant Athenae vestrae, quid *Gronovius*, quid *Vossius*, viri clarissimi, moliantur, fac quaeso sciam. De edendis posthumis paternis cogitabisne unquam? Tabellam, quae te mirum referat, jam diu expecto. Haec pede stans in uno, verum animo mirum quantum in te defixo. Iterum Vale, vale & me ama.

EPISTOLA DLXIV.

BERNARDUS MEDONIUS.

Nic. Heinsio.

Amstelodamum.

SUavissimis litteris tuis orbari jamdiu aegre molesteque ferebam, vir praestantissime, tuisque amaenissimis alloquiis carere, dudum erat intolerabile. Nescius interim quam in partem me verterem, quave arte solitudinis taedia & molestias fallerem, in me severi Judicis personam sustinens, tanti & tam gravis infortunii causas diligentius inquirebam. Sed cum nullam meam culpam agnoscerem, aut laesae amicitiae, aut violati foederis antiqui, aut imminutae existimationis, quam de te semper habui maximam, tanto tunc augebatur dolor meus, quanto durum erat cogi, totum istud crimen oblivionis in ipsum te transferre. Quod si me tantum amas, quantum amare significas, amas autem vehementer, cogita perturbati animi curarum aestus. Sic eram, vir Amantissime, tu tamen interim de me, deque meo ornando nomine cogitabas. ô me silentii tui infaelicem interpretem! Tum enim conquerebar, cum egregium usque adeo specimen affectus omnis in me tui ubique terrarum editurus eras, ut majus desiderare bonae mentis non fuerit, cum minori abunde cumulateque cupidissimus expleri potuisset. Nam quid tam honestum tamque magnificum mihi obscuro homini, quam nullius juris nomen meum exquisitissimis lucubrationibus tuis praeposuisse? ingens profecto & inauditum benevolentiae argumentum! Ergo inclarescet nomen meum splendore tui, quique antea ignotus omnibus fui, per omnium hominum ora volitabo? compendiosa fane via isthaec ad immortalitatem; quippe sic sine ullo labore multorum laborum gloria facile comparatur. Equidem expectabam leves tantum aliquot notas haud extincti amoris; ingenteis tu intimae necessitudinis profers: diluere maerorem poterat litterarum aliquid tuarum; depellit penitus omnem omnium litterarum venustissima: satis erat denique, vel tuo nomine salutari, ut bearer; Tu vero, ô faelicitatem insperatam! divini ingenii tui non degeneres factus in sinum meum deposuisti. Hos igitur blandulos, horrido licet sinu, tenerrime tamen excipiam, suavissime Heinsi, fidemque do, fore mihi semper oculis ipsis cariores. Enimvero ut adversus illos ita sim affectus, postulat natalium splendor,

ſingularis humanitas tua, & meum in te ſtudium & obſervantia nunquam defutura. Verum nae tibi ipſe injurius es? qui ut amicum egregium te praeſtes, rerum iniquum aeſtimatorem te praebeas. Nam dic ſodes, quid eſt in me meriti, quo adduci potueris, ut me tanto honore dignareris? non certe nominis ſplendor, non magni ingenii laus, non ubertas venae, aut oris facundia, quid ergo? fingis profecto, fingis tibi cauſſas mortalium ingenioſiſſimas. Quas ſi quidem amor non reſpuit, dedignabuntur tamen omnes, qui meam norint tenuitatem, & tuae dignitati conſultum vellent. Quod uſque adeo verum eſt, ut & ipſe verear, cujus tamen gratia peccatur, ne tibi iratas Muſas reddideris, quod tam imprudenter earum bona & theſauros prodiga manu in immerentem profuderis. Sed quid pro tanto munere rependam tibi, vir praeſtantiſſime, quando vel agendarum gratiarum impar ſum? bonam mentem medius fidius & bonum animum in te, quod unum Diis ipſis ſemper placuit, cum nihil aliunde pro dignitate ſuppetat, praeſtabo. Vale III. Eidus Aug. A. D. CIↃIↃCLX. Toloſae Tectos. De Muſis noſtratibus nihil eſt, quod te deceat audire: ita plenae ſunt ruris omnis & inficetiarum. Nam quae olim Palladem Artesque omnes liberales ſummo ſtudio venerata eſt Toloſa, nunc tantum Palladis nudum nomen vix retinet, Gotthorumque barbarie miſere iterum laborat, & quod olim illi odio litterarum fecere, faciunt jam noſtri bonarum artium neglectu. Clariſſ. *Gronovii* Melam nondum vidi, non tamen dubito, quin opus eximium non ſit: quam in ſententiam facile adducor aliorum ejus operum praejudicio. Hic ingens terrae motus factus eſt, ſeſeque ultra L leucas extendit, luctuoſus imprimis urbi, cui nomen *Banieres*, a balneis ſic dictae, cum multarum domorum ruina, tum plurimorum hominum nece. Ignis ex ſulphure in viſceribus Pyrenaeorum montium conceptus tantam nobis jacturam intulit, unde qui a voce graeca πῦρ nomen ipſis inditum volunt, argumentum habeant certe maximum conjecturae. Vale iterum atque iterum. Si ſeptentrionem reviſas, incolumem quaeſo reduc mihi meum Heinſium. Tabellae quae te egregie referat expectatione interim non poſſum non excruciari. quare quamprimum illam a te expecto. Salutem tibi plurimam dicit mea Glycerium.

EPISTOLA DLXV.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinſio.

Amſtelodamum.

ENimvero, clariſſime Heinſi, ſi benevolentiam tantum meam ſpectarem, ſique tuam in exarandis ad me epiſtolis diligentiam ad amoris & deſiderii mei normam, ut ita dicam, exigerem, te quidem ingentis negligentiae reum peragerem. Sed quia rationem habeo dignitatis tuae, teque graviſſimarum rerum unda jactatum ſcio, modum adhibeo cupiditatis meae, in eaque literarum tuarum orbitate, quando ita reſpublica poſtulat, tui me cauſſa lubens ma-

macero. Scio namque florentissimam Amstelodamensem Rempublicam, cujus fines ad extremas usque mundi partes extenduntur, te sibi a Secretis virum tantum in illo otio versari, quo literae nostrae egerent, nullo modo pati posse. At Hercle faciliſſimum te, qui Reipublicae causſa otium amittas, & hoc est quod olim merito laudabat Tacitus, *Privatas necessitudines publicis esse anteponendas.* De te igitur amplius minime conquerar; quod si hac in re mei aliquando minus compos sim, id certe fit amoris quodam impetu, quo invitus rapior. Cujus tamen minime me pudet, quum nusquam meliori damno frons poni possit. Verum etsi hac parte finem posui meis querelis, non ideo tibi non succenseam, quod saepe promissam mihi tui effigiem hactenus non miseris. Deberes certe tu hoc solatii absentibus nobis indulgere, non vero inanibus promissis amici spem toties ludere. Quare demum te quantum possum enixe rogo, sinas te exorem, & noli quaeso inclementi Succiae caelo te prius dedere, quam mihi pignus tam charum, tam expectatum fueris impertitus. Atenim dices, num tibi vividior spirat imago nostri in iis lucubrationibus, quibus jam jam nomen tuum decoravi, quam quae corporis illa arte effingi possit? fateor, sed & istthaec magis ac magis alterius auget desiderium. tantoque minus istam mihi negare potes, quanto lubentius illam ultro mihi detulisti. Caeterum de Ovidio nostro est quod te moneam; me scilicet tandem nactum codicem Manuscriptum Clariss. olim *Samuelis Petiti.* Verum ex illo varias tantum lectiones excerpere, non ipsum codicem mittere, puto, licebit. Attamen persuasissimum habe, debere te multum humanitati Amplissimi *Ranchini* Camerae ex edicto Castris constitutae Consiliarii, cujus est liber. Is enim statim ac sensit hoc nomine promovere rem tuam posse, dici non potest, quibus officiis & quanta comitate preces meas exceperit, quamque vellet aditum hinc sibi muniisse ad amicitiam tuam. me certe si audias, ipsum in album tuorum adscribes: sane vir est magni nominis in Republica literaria, tum suis tum Avorum praeclaris meritis, & quod summum, ut ipse verbis disertissimis mihi significavit, gloriae tuae ac famae studiosissimus: expecto igitur Codicem, quem statim atque accepero singulari diligentia illum excutiam. a negligentia autem aut oscitatione mea securus esto, res oppido bene peragetur. Sed amabo, quid vis tibi cum tanta tua illa manuscriptorum indagine? desperas, inquis, desperas infinitis locis mutilatum Ovidium pristino nitori restitui posse sine magna & nova Manuscriptorum copia! di vostram fidem! tequaeso respice, mi Heinsi, tuamque supellectilem, quippe habes in te uno veneres omneis & lepores, qui in Ovidio desiderantur. Et quis non malit luculentissimo delicatissimoque ingenio tuo lucem istam & nitorem debere, quam inficetis membranis Monachorum olim plurima barbarie corruptis. Quam ob rem inter te & ingenium tuum mitius imposterum agatur: alioquin tibi concinam;

Faelix tua si bona noris.

In mittendis Epistolis inibo viam, quam aperuisti, quare jam jam ad Ill. *Capellanum* scribam, ut istud officii tuo nomine impetrem. Noli alteri vicissim tu tuas credere; nam ultima, quae ad me pervenit, inter infidas manus diu multum-

tumque versata est, parumque abfuit, quin omnino interciderit, & quamquam in iis de eversione Rerumpublicarum aut regnorum a nobis non agatur, necessitudinem tamen nostram infestis oculis profanari molestum est. Nobil. *Christiani Hugenii* Systema Saturnium ego & *Fermatius* in dies expectamus; nondum illud videre contigit, non proinde amici tui ingenium & eruditionem maximis laudibus non prosequimur, quidquid obganniant Cucullati nostri, gens, paucis exceptis, plena ruris & inficetiarum: gaudeo igitur & gratulor tibi ipsique, quod eos perbelle exceperit, atque usserit. Neque pati certe possum illorum impudentiam, qui quidquid in eorum cucullo non cuditur adulterinum ubique praedicant. Modicum adhuc: quidam amicus meus rei antiquariae studiosissimus non ita nuper nactus est fictilem urnam tanta industria fictam, ut huic parem nescio an habeat totus orbis. Illius circa collum jacet inscriptio isthaec, quae cum me plane fugiat, a praestantissimo *Golio* quid prae se ferat scire pervelim, putem fuisse quondam *Onuphri Panvini*, huicque creditos Neronis Imperatoris cineres. Quidquid sit videbitur.

A clariss. autem *Golio*, quem suspicio ac summe veneror, id gratiae veritus sim postulare per Epistolas, confisus nempe rem melius tua commendatione obtineri. si me in tanti viri amicitiam insinues, tam mihi id erit gratum quam quod gratissimum. Reliquum est quod te etiam atque etiam enixe rogo, in tam longinqua tamque aspera peregrinatione serva te mihi incolumem, meque de rebus tuis certiorem fac. vale, meum decus, salutem tibi plurimam impertit mea Glycerium. Si Clar. *Hugenium* hic aliquando videre contingat, dabo operam, ut pro suis meritis & dignitate excipiatur. habes epistolam verbosiorem fortasse quam velles, quod tibi ita videri putabo, nisi mihi longiorem remiseris, quae me recreet. Vale, Non. Januar. A. D. CIↃIↃCLXI. amplius neque animi neque oculorum neque manus plane sum compos, quare si quid perperam scriptum ignosce. Iterum, Vale mea vita.

EPISTOLA DLXVI.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinsio.

Amstelodamum.

SCripsi non ita nuper ad te, amicorum princeps, jamque meas Epistolas. Sin manus tuas perveniisse cura & diligentia clariss. viri D. *Capellani* persuasissimum habeo. attamen an tibi fuerint redditae, velim quamprimum renunties. His ego tibi significabam Manuscriptum codicem Ovidianum *Samuelis* olim *Petiti*, nunc Nob. *Ranchini*, Senatoris in Curia Castris ex edicto constituta, in dies expectare me; nunc vero addo perveniisse illum in manus nostras. Quare mi Heinsi, mihi fidem omnem adhibe, me moram nullam facturum in excutiendo illo. Notabuntur omnia vel vitiosa: scio quippe non parum interesse, ne vel literula mutetur: saepe namque vel mendosa lectio mendum ipsum tollit. Illum autem codicem cum edito a te Ovidio confero, quo facilius

Digitized by Google

lius variantia agnoſcas & locus libri recurrat. Reliqua meae, epiſtolae ad tabellam, quam ſcis, ſpectabant. Ego, mi Heinſi, diutius deludi non patiar, illam cito mitte, meque de rerum tuarum ſtatu certiorem fac. haec pede ſtans in uno & negotiis valde inficetis totus implicitus. Vale, meum decus. Tol. III. Non. Mar. CIↃIↃCLXI.

EPISTOLA DLXVII.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinſio.

Amſtelodamum.

MItto ad te, mortalium ſuaviſſime, MS. Codicis Ovidiani Clar. *Ranchini* ab edito a te diſcrepantes lectiones, quas quidem tanta religione excerpſi, ut piaculum duxerim vel manifeſtos errores, atque ipſas ineptias (in quas incidere ſaepe ſaepius contigit) diligenti manu non annotare. Atque ad hanc nimis anxiam & ſcrupuloſam indaginem eo magis adductus fui, quod alias non ſemel expertus fuerim ex hujuſmodi turpiſſimo caeno exoriri aliquando non inelegantes floſculos, atque etiam interdum gemmas. Quidquid ſit aequi bonique conſules: ſcis enim nihil niſi minimum in te a me conferri unquam poſſe. Inſaniam medius fidius, ſi ſperem divitias illas tuas ingenteis augeri aliquando mea tenuitate. Ectypi Arabici enodationem Golianam miſit ad me humaniſſimus *Johannes Capellanus*, ultroque obtulit, uſurum ſe ea, qua valet, apud *Vatierum*, Linguae iſtius profeſſorem eximium, authoritate & gratia, quo res iterum excutiatur; unde mireris viri egregii liberalem animum, & officioſam urbanitatem. Ego vero quidquid eluxerit, mittam ſtatim, etſi non dubito, quin plane & oppido rem attigerit praeſtantiſſimus *Golius*. Et hoc ipſum antea ſuſpicatus fueram, quidquid imperitorum quorundam Loyoliſtarum jactaſſet audacia ad Romanos pertinere. Nam quid Arabica inſcriptio iſthaec cum cineribus Neronianis? in mittendis autem Epiſtolis *Johanne Capellano* noſtro ſemper, uti vis, utar: quanquam me monet deſperare, cum in Suecia fueris, meas ad te ſuaſque ſe tuto curaturum. Quamobrem, quaeſo te, vel Leydae vel Amſtelodami portum nobis beneficum ſtatuas, in quo noſtrae, hinc vero in Sueciam mittendae, ſumma ſecuritate excipiantur. De Polyaeno cogitavit nunquam *Fermatius:* verum tu cogita de imagine tua, quam jampridem expecto. Confirmatur in dies ſenſim valetudo mea, quam ſedulus curabo, quo diutius ſim tuus. Vale, meum decus, & te incolumem mihi, Reipublicae, & literis ſerva. Toloſae Tectos. Pridie April. Anno CIↃIↃCLXI.

Cl. *Ranchino* Codicem MS. non prius remittam, quam ad me reſcripſeris. Mitte ad me pagellas Ovidianarum notarum, quaſcumque habueris editas. Vale iterum.

EPISTOLA DLXVIII.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

DIU multumque maceravit me adeo tam altum tamque diuturnum tuum ſilentium, vir Amantiſſime, ut ſi moerorem, ac taedium, quo ſum hinc affectus, tibi penitus vellem exponere, non aliqua certe verba, quibus pede ſtans in uno vix mihi nunc licet indulgere, ſed nec quidem bene longa ſufficeret oratio mea. Humaniſſimo *Capellano* noſtro gratias ſemper agam non leves, ſed ingenteis, quod huic malo, verborum ſuo lenocinio meliorem praeſentioremque quam potuit ſaepius adhibuerit medelam. At potuit id utcumque praeſtare, nunquam certe callum obducere. Iſtud ſolum a te expectatur, niſi te forte nativae illius urbanitatis taedeat, Suecorumque malis induere inclementiam. Averruncent ab hominum venuſtiſſimo luem iſtam Numina, nobiſque te cito talem e Suecia eximant, qualem te elegiacis Paternis Livia olim exoptavit. Gaudeo interim, quod a *Capellano* accepi, perveniſſe ad te variantes lectiones e MS. Cod. D. *Ranchini:* beabor ſi inde ornatior aliquando in lucem prodeat Ovidius tuus. Monent etiam ille & honeſtus vir Dom. *Chaſſanius* ſcripſiſſe te ad me uberem epiſtolam; eſt quod humanitatem exoſculer tuam, & quod cum fortuna expoſtulem, quod perierit. Salutem tibi plurimam dicit mea Glycerium. Vale, pridie Kalend. Januar. CIↃIↃCLXII. hac tranſiit honeſtiſſimus vir *Marquardus Gudius* Romam proficiſcens, apud illum me mirum quantum commendavit meus erga te amor. Vale iterum, feſtinae ſcriptioni ignoſce.

EPISTOLA DLXIX.

NIC. HEINSIUS

Bernardo. Medonio.

Teloſam.

STabam in procinctu itineris Septentrionem jam jam aditurus, jucundiſſime Medoni, cum ecce faſciculus a te mihi traditur, qui diverſas lectiones ex vetuſtis Naſonis membranis ſumma diligentia induſtriaque congeſtas complectebatur. Non ferebant quidem res tunc meae, ut gratias tibi, quas debebam, pro ſingulari officio agerem; ſed defunctus itineris longinqui moleſtia, ac fixo hic terrarum pede, nihil prius habui aut antiquius, quam ut animum tibi gratum per literas indices teſtarer. Invidit tamen fati malignitas tibi earum conſpectum, ut nuper admodum ex utriuſque noſtrum ſtudioſiſſimo *Capelano* licuit cognoſcere, ad quem epiſtola erat miſſa. Verboſam fuiſſe fatis memini, nec recordor tamen quid praeter luculentam gratiarum actionem contineret: niſi quod anxie rogabam, ut ampliſſimo *Ranchino* pro membranis tam obvia comitate

tate ſuppeditatis ſignificares obſtrictum me nexu arctiſſimo teneri. Quod & ipſum ut nunc quoque facias, quando literis iſtis fraudatus es, vehementer a te contendo. Agit in hac aula res Regis Chriſtianiſſimi *Chaſſanius*, domo Tholoſas, Ampliſſimo *Fermatio* cognationis jure conjunctus, vir mihi perquam amicus, qui & fratrem, ni fallor, habet in civitate veſtra viventem, cujus opera in curandis literis poſſis uti, quoties impoſterum ad me ſcribes: niſi tutius tu opinaris opera *Capelani*, ut jam coeperas, uti. Labor iſte, quem excutiendis Ampl. *Ranchini* membranis dediſti, altiſſimum ruborem mihi expreſſit: quod unum poſſum, cavebo diligenter, ne cum ingrato rem fuiſſe tibi dicas. Naſonem curis ſecundis exornare jam coepi: nam priores illae nequaquam mihi ſatisfaciunt. Tum editio ipſa, quam *Capelani* noſtri opera te jam conſecutum eſſe auguror, parum elegantiae aut nitoris prae ſe fert. Quae ad me miſiſti mox examinabo, & cum cura perpendam. Si qui impoſterum codices vetuſti in manus tuas pervenient, auctor tibi ſum, ut & alias fui, ne iis ad vulgatas editiones excutiendis te accingas, ſed paucis pagellis evolutis guſtum eorum mihi praebeas, unde arbitrari poſſim, operaene pretium ſis facturus, ſi totos percenſeas ac percurras. Ex multis enim, qui per veteres Bibliothecas paſſim occurruut, paucos oppido eſt invenire caſtigatos, aut magno mihi futuros uſui. De inſcriptione Arabica an feliciter *Golio* conatus ceſſerit, & quid viri apud vos eruditi de ea cenſeant, doceri exopto. In Claudiano recenſendo nunc occupor, quem *Elzevirii* flagitare non deſinunt. Interpellor tamen frequenter, & identidem ab iſtis cogitationibus avocor per publica negotia. Nativitati Delphini Gallici [1] duo epigrammata nuper aliud agens conſecrabam; quae rumor fert popularibus tuis non diſplicuiſſe. Mitterem nunc ea, niſi ſubvererer ne & hae in via periturae ſint. Habet *Capelanus* tamen epigrammatia, a quo peti poſſint & impetrari, ſi tanti ea ducas, quae a te legantur. Scribam pluribus, cum intellexero has non aberraſſe. Literae tuae qua via curandae ſint jam indicavi. faſciculorum ſi quid ad me perlatum cupis majoris rei aut molis, id Amſtelaedamum ſuadeo deſtinari cures ad *Ludovicum* & *Danielem Elzevirios*, aut Lutetiam quoque ad Illuſtriſſimum *Beuningium*, unum ex Oratoribus noſtris, quem tamen diu illic moraturum eſſe vix opinor. Vale, delicium Muſarum, vir Ampliſſime. Exarabam manu praepropera Holmiae Suecorum. Anno CIↃIↃCLXII. a. d. III. Februar.

1 leguntur lib. IV. Eleg. 4. lib. III. Silvar. pag. 205.

EPISTOLA DLXX.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

EPiſtolam tuam, quam modo optatiſſimam accepi, centies exoſculatus ſum, ſuaviſſime Heinſi, a quo enim Amſtelodamo abes, fere autem annus eſt, nullam aliam accepi. Tolerabam, utcunque poteram, meam iſtam orbita-

tem, eque Republica esse mecum ut omnino sileres, aegre minus ferebam; non tamen non aegre multum & anxie; cum erga te ita semper animatus sim, qui si jucundissimo tuo alloquio caream, vitam mihi acerbam putem. Agnosco igitur singularem tuam diligentiam, quod foederatorum Ordinum curis deesse volueris, ut ignobili & obscurae amicitiae, non sine publico damno, indulgeres. Minus certe fuit, nec vereor pronuntiare, lucubrationes nuper tuas, quamvis eximias, medio in otio literarum nomini meo inscribere, quam e continuis magnarum rerum fluctibus, mei desiderio & ornandi caussa emergere: non, inquam, tantum beare me isto munere, quanquam maximum, quippe quod omnibus me ζηλωτὸν καὶ σεβάσμιον facit, quam sempiternam mei memoriam servare, & in aspero ultimi septentrionis frigore ineffabilem amorem in me tuum non, ut ita dicam, deferbuisse. Enimvero, in ἀφθόνοις θησαυροῖς ut es egregie; Ingenii divitias tui temere ubique & imprudenter non decebat profundere; at ipsum te non aeque licet: adde quod facilius est viro liberalissimo divitias quam animum largiri. Utrumque tamen mirum in modum praestas; cum enim me pretioso auxisti dono, tum constanti prosequeris benevolentia. His ergo auxiliis aeternitatem nominis & gloriam mihi jam jam videor consecutus, nihilque amplius esset, quod cuperem, unum si ingenti non obesset felicitati, taedium scilicet tenuitatis meae & male meritae famae, quam mihi fecisti. Sustinebo illam nihilominus omni arte, omni industria atque conamine non tam meae, quam ut tuae consulam dignitati, cujus multum oppido interest, integra ut sit, ne mei nimio studio malus animorum spectator audias. Id autem si accidat tuo malo, te certe poenitebit saltem nunquam, animum si meum non meritum spectes, male collati beneficii. Atque id unum tibi pro me summa fide spondeo, suavissime Heinsi, dum proh dolor! sperare non licet, tuorum erga me meritorum magnitudinem meis quibuscumque officiis assequi. Iterum ago tibi ingenteis gratias pro Regio plane munere, quo me decorasti, testorque Numina, mihi semper ipsis oculis carius gratiusque futurum. Attamen illo licet penitus expleri potuerit cupiditas omnis mea, adhuc maxima mihi supereſt imaginem tuam exosculandi. Quare quamprimum quaeso illam mitte, sed quae te mihi perbelle referat ipsissimum, ὁ μετρίως μὲ ἀποκτάσης σεβάζων me. Vale, Amicorum Princeps. mea Glycerium *Janus* inprimis & *Dominicus* salvere jubent. Scribam *Ranchino*, plurimisque verbis meis sentiet tuam erga se humanitatem. Vale iterum, & te mihi incolumem serva. Tolosae pridie Kalend. Martii Anno Gregor. CIↃIↃCLXII. barbarae scriptioni ignosce.

EPI-

EPISTOLA DLXXI.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

BInas jam jam a te literas & eodem tempore, eaſque ſummi tui in me amoris, & omnium elegantiarum pleniſſimas accepi. Quae quanta me voluptate totum perfuderint, ſi velim exprimere ipſa eadem voluptas efficit, quo minus id plane poſſim. Tu tamen oculis mihi & vita charior, ſuaviſſime Heinſi, ex mea in te teneritudine, & ex earum anxia & diuturna expectatione abunde ni fallor agnoſces. Nam quid iterum memorem nuperum illud & immortale gaudium, quo me nomini meo inſcriptus Ovidius tuus cumulavit? illo expleor medius fidius, & ita expleor, ut prae ejus magnitudine pro more ſuo nequeat erumpere, adeo intercludit adhuc ſpiritus, vireſque omneis debilitat, quae tamen omneis vel levis quaedam & tenuis ſignificatio oppido exhauriat. Fidem Numinum! ecquis me vivit hodie fortunatior? Ego nullius meriti, nullius gloriae, aut famae, nulliuſve authoritatis, placere adeo ne potui mortalium venuſtiſſimo, politiſſimo, & multis pro Republica rebus geſtis clariſſimo Heinſio, ut eximios divini ejus ingenii foetus tam infelicibus auſpiciis in lucem ederet. Verum amicitiae operae pretium eſt iſtud, quae non minus ad fingendas ſibi cauſſas ingenioſa eſt, quam opibus ingenii dives tu ad augendum amicum. Ergo ſis aeternum tui ſimilis, ſit tibi nemo par, ſis orbis & ingenio & induſtria praeſtantiſſimus, ego vero ſim nullius expectationis; emoriar tamen ſi me vel paula unquam invidia tangat felicitatis tuae. At liceat per te mihi caeloque iraſci, quod me adeo inopem fecerit, ut nullis tecum officiis, ne dicam beneficiis certare poſſim, dum de amicitia pugnaciter certabo. Nam quod in excutiendo MS^to^ Codice Ranchiniano ſedulitatem aliquam meam commendes, nae lepidum iſtud & facetum, nugas, quiſquiliaſque magni aeſtimare. Ampliſſimo autem *Ranchino* ſaepe ſaepius egi gratias tuo nomine, quam potui magnas. & quanquam nulla mihi inſit orationis vis aut facundia, illi nihilominus hac parte mihi videor abunde cumulateque ſatisfeciſſe; unde ſecurus impoſterum eſſe debeas, ab omni metu male praeſtiti officii. Clariſſimo D. *Caſſando* noſtrati lactor provinciam iſtam obtigiſſe, & etſi mihi decora fama ſolum notus, gratulor tamen hanc fortunam, atque exoſculor; quid enim illi viro non optem, cujus in Rempulicam & omneis bonos praeclara ejus eſſe ſcio merita, & cujus fratris ſingularis virtus, ſtupendaque eloquentia Toloſae nomen noſtrae in dies decorat. Illorum igitur opera, quando tu & ipſi jubent, utar impoſterum in mittendis epiſtolis. Non tamen praeſtantiſſimi *Capellani* noſtri induſtria proinde velim carere, quis enim illo humanior, aut diligentior? verum cum nihil ſit prius in votis quam multas occaſiones nancifci, atque omneis arripere, teſtandi tibi & omnibus ſingularem meam in te obſervantiam, omnium officia lubentiſſimo animo ample-

ctor. Ne tamen audacior videar *Caſſando* tuo, velim quaeſo, ut venuſtas, comitas, & mellita oratio iſthaec tua audaciae meae lenocinetur. Inſcriptionis Arabicae genuinum ſenſum, quanquam Ὡς ἀγγελικὸν πρᾶγμα, ὦ Ζεῦ καὶ Θεοί! praeſtantiſſimus *Golius* mirum in modum, puto, aſſequutus eſt. gratias ego egi jam diu pro tam difficili ſuſcepto labore. Nunc etiam accepi interpretationem viri magni nominis D. *Vatieri* Pariſini, quam mihi *Capellanus* noſter ultro procuravit. Is eſt, qui Tamerlani hiſtoriam ex Arabicis vulgavit, nec a mente Cl. *Golii* receſſit multum, quod mirum in modum facit, ut explicationi Golianae pleniorem fidem habeam. Rem alii etiam in ſe recepere, *Hardiſius* Pariſinus, & *Ath. Kirkerus* Jeſuita: volupe erit vidère, quid ejus ex tripode. Claudiano tuo, quid amabo, poſt primas ſecundae curae addent? ô portentoſam ubertatem ingenii tui! Epigrammata, quae Delphini Gallici gloriae conſecraſti, *Chaſſandus* meus ultro dedit, miratus ſum ſtyli ſemper puritatem, felicitatemque ingenii. de urbaniſſimo *Marquardo Gudio* nunc eſt quod tecum pluribus. Toloſam appulit decimaquinta die menſis Octobris Anni proxime elapſi, una cum *Sam. Schas* Gandenſi. Subito illos morbus corripuit non aeque gravis, quippe *Gudius* quinque ſolum dies decubuit, alter quindecim, & non ſine ſummo periculo, quum conclamatum eſſe de ſalute ejus putarent medici. cumque interim de me aedium dominum, in quibus pedem fixerant, percunctati eſſent, dicto citius ad illos advolo, ſi quid poſſem officii praeſtiturus. Statim plura, de te praecipue, deque literis noſtris inprimis Graecis, & hercle non ſine ſumma voluptate, quae major tamen futura erat, niſi maeror periclitantis hominis ipſam *Gudio* mihique minuiſſet. Poſt aliquot dies rhedae ſeſe committunt vix recuperatis viribus, atque ideo me valde reluctante, ſed nullis precibus, nullis rationibus, nullo denique ſui reſpectu & male confirmatae valetudinis adduci potuere, ut iter ſuum retardarent, tanto deſiderio efferebantur Italiam citius inviſendi luſtrandique: Toloſae igitur vale ultimum dicunt. Mihi vero ſuaviſſimus *Gudius* aeternam amicitiam non ſine arrhabone deſpondit, ego viciſſim meam certe non ſine lacrymis, nihil enim ejus moribus vidi amabilius. Ab illa autem die nihil de ipſis inaudivi proh dolor! quod certe me non parum macerat: cumque ſaepius amicos, quos in Italia habeo praecipue *Poſſinum* noſtrum, de iis compellarim, reſpondent de illo ejuſque ſocio habere nihil quod ſcribant. Quare mi Heinſi, ſi quid accipias, quando in Belgium redituri ſint, ſi caelum ipſis vitalem auram non inviderit, quamprimum quaeſo, me certiorem fac. ſcis namque quam alte me affíciant amicorum res. Tabellam, quae te mihi perbelle referat, noli amplius deſiderem, quam a longo tempore expectare juſſiſti. Salutem tibi plurimam impertit noſter *Rethacus*, cujus pietas in Deum tam apud nos conſpicua eſt, quam apud omneis nomen tuum illuſtre. Uxor mea non minus me nomen etiam Heinſianum veneratur. Vale, meum ſuavium. v. Eid. Aprilis Anno D. Greg. CIↃIↃCLXII. totus adhuc ſum in perquirendis Ovidianis Membranis atque etiam Claudianeis. Clariſſimo *Chaſſando*, ni grave, eſt felicitatem meo nomine precare.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA DLXXII.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinſio.

Helmiam.

NAE tu potius quam ego mortalium omnium venuſtiſſimus, ſuaviſſime Heinſi? qui tuo nomini per univerſum terrarum orbem virtutis & ingenii laude celeberrimo, ex meo nullibi gentium noto acceſſiſſe multum ſplendoris praedicare non ceſſas? ô inſolentem benevolentiam, ô vehementiſſimum affectum! cui parem neſcio an ipſa aurea tulerint unquam ſaecula: me vero tanto magis felicem, quanto minus a te ingenti hac invidioſae laudis gloria cumulari debuerim! Peccas profecto graviter ipſe in virtutem tuam, amicorum ocelle, dum nimius es in ornando me: famae namque tuae male conſulis, neque te reſpicis, ipſos quoque rationis fines lubens & ſciens praetergrederis, quodque magis mirentur, qui noſtrum utrumque norint, poenitere te nunquam facti, nec deſiſtere, me omni officiorum beneficiorumque genere explere. Atqui omni pacto jamdiu me ultra modum omnem uſque adeo expleviſti, ut ipſe verear, ne ſi ultra contendas, temeritate potius quadam tua, quam bona exiſtimatione adductus, tantum gratiae in immerentem me effudiſſe videaris. Vide quaeſo, quam bonae fidei vir ſim, qui cum nihil mihi honorificentius ſit ſingulari hoc tuo ſtudio, nihilque dulcius tot exquiſitis titulis inſignem commendatione tua poſteritati tranſmitti, nihilominus tantum decus fortunamque deprecor, quo Heinſiani nominis claritudinem dignitatemque adverſus ipſum te tuear. Enimvero quid habeas non video, unde purges te, apud poſteros ex tanto clarorum virorum numero unum me egregie elegiſſe, quem obſerves, colas, in oculis feras denique. Quam ob rem horum alterum accidat neceſſe eſt; aut me falſo magnum virum excipiat poſteritas, aut ipſe malum nomen ſis poſteritati, quod me in Heroicum ordinem, quo jure, quave injuria, intrudere conatus fueris. Quod ſi pergas & perſtes in ea ſententia, adhibenda tibi omnis ars, ingenium, & induſtria (res enim agitur tam tua, quam mea,) apprime ut conveniat perſona, quam feram, utque os habeam humeroſque Deo ſimiles; alioquin impoſtura iſthaec tua (verbo abſit injuria) perbelle omnibus perſpecta, riſum hercle & cachinnos, non admirationem movebit, quamquam *ἀγαθὴ πλάνη τῇδε βροτοῖσι*. cave igitur ne accidat; *ἵνα δὲ μὴ καὶ αὐτὸς ἐλίγχεμαι πάνυ μᾶζον ἢ ἐμαυτῷ κεφαλῆς φέρτατόν εἶναι φάσκων*. Sed quid diſputo? quaſi vero amor, qui nullis cohiberi poteſt repagulis, certo beneficiorum modo terminetur, & quin quo velit feratur impediri poſſet? nugae, aſpera & inominata oratione velle tibi perſuadere, debere te parcius bona tua largiri, neque prodiga manu ea ubique ſpargere. Sed indignum eſſet te hominum liberaliſſimo parcimonia iſthac uti: cum a Natura rerum omnium copiam ea ſolum conditione accepiſſe videaris, ut ſpargeres. Incidiſſe te in tantum Theſaurum Meurſii operum ineditorum, eſt ſane quod mirum in modum tantam ſibi fortunam

tunam literaria Reſpublica gratuletur. Dabitur enim dubio procul edendi copia. Ecquis tam durus, tam barbarus, tamque dulcibus Muſis noſtris infenſus, qui a tua non humanitate frangatur? nemo admodum, nemo. Plus certe poterit lepor & urbanitas tua, quibus & dicta & facta tua ſoles condire, quam tenerae ipſae illae virgines. fac igitur cito luce ſua fruantur infelices diu Meurſiani foetus, ſuo malo fato tamen feliciſſimi, quod tuo nunc patrocinio excipiantur. de *Gudio* noſtro beaſti, ad illum jam jam ſcribam. Tabellam, quam ſcis, expecto, quam ardentiſſimis votis expetivi, tuam tibi mihique valetudinem ſerves incolumem etiam te atque etiam rogo. τὸ δ' ἄνευ ξ ὑγιαίνειν? ſalvere te jubet mea Glycerium & noſter *Reilbacus*. Toloſa VIII. Kal. Jul. CIↃIↃCLXII.

EPISTOLA DLXXIII.

NIC. HEINSIUS

Bernardo. Medonio.

Toloſam.

EX quo Oratores noſtri Lutetia deſerta pedem retulerunt ad ſuos, interruptum quodammodo fuit literarum commercium, quod oportunitate iſthac uſus cum amicis veſtratibus ſolito frequentius exercebam, quamdiu legationis tempus protrahebatur, mi Medoni. Huc acceſſit alterum incommodum, *Emerico Bigotio* in Neuſtriam abeunte Pariſiis relictis, a quibus aeſtatem totam hactenus abeſt. Solebam autem literarum faſciculos illi inſcribere, quod *Capelani* noſtri aedes remotae ac reconditae tabellariis parum obvias atque expoſitas ſete praebeant. Viri amiciſſimi abſentiam diuturnam valde damnoſam rebus meis eſſe comperi, amiſſo non uno ex meis faſciculo, quos Lutetiam, ut ſoleo, ad aedes ejus recta hinc miſeram, poſt adornatam ab illo, quam deſignavi, profectionem. Ita factum eſt, ut diſtulerim reſponſionem ad jucundiſſimas tuas a. d. VIII. Kalend. Juliarum exaratas, auguratus interim tradendas tibi fore, quas *Chaſſanii* noſtri uſus opera a. d. X. Junii menſis ſatis verboſas, quantum recordor, deproperaram. Iis tamen quid evenerit, nec dum cognoſſe contigit. Earum quae ſatis multa in buccam tum veniebant mihi, nihil memini, niſi quod de Virgilii editione mox a me paranda egiſſe me ſcio, ac ſtudia illa verbis ampliſſimis tibi commendaſſe, de indagandis ac conquirendis hinc inde vetuſtis Maronis codicibus potiſſimum ſollicitus, quorum ope ac ſubſidio fretus maculas poëtae divino, quae illi etiamnum adhaerent non paucae, detergeam. Negotium illud fore tibi commendatiſſimum confido, cujus induſtriam ſingularem in fovendis promovendiſque lucubrationibus meis jam ante ſaepe numero ſum expertus. Quapropter quod anxie deprecaris invidiam praeconiorum, quae meritis tuis longe inferiora in te congeſſi hactenus, injurium te & mihi & tibi ipſi hîc praeſtas. Mihi enim, ex quo beneficiis compluribus adſtrictum tenes, id unice reliquum fuit, ut ingrati ac mali nominis contumeliam, quantum poſſem, a me amolirer. Hîc dum conatibus meis obluctaris, odioſum plane & iniquum te praebes. Tibi vero ipſi mul-

multum a te deteritur, dum virtutes tuas orbi universo spectatas ac praedicatas a me uno negligi vis ac tacitas praeteriri. Non potes itaque praeripere mihi libertatem te colendi observandique, nisi cum vita. In civitate vestra quid moliantur homines literati diu est quod ignoro & doceri cupio. Ex hoc Septentrione vix est, ut harum elegantiarum, quibus vos redundatis, quicquam exspectes. Edidit tamen *Johannes Loccenius* nuper admodum historiam Suecicam, qua complexus est res cum ab aliis regibus, tum ab ultimo hoc & nuper elato *Carolo Gustavo* gestas. *Johannes Schefferus* Phaedri fabulas commentario suo illustratas brevi prodituras esse pollicetur. In Belgio *Gronovius* Observationum suarum editionem secundam publico jam dedit, daturus brevi Tacitum Liviumque, animadversis suis doctissimis exornatos: *Graevius* Ceramicum duplicem *Johannis Meursii* hactenus ineditum divulgavit. Lutetiae quid fiet, longe rectius me nosti. De *Gudio*, caeterisque amicis Italis, multi jam menses sunt, quod nil prorsus audio. Haec nunc, ut valere me & tui meminisse non minus quam mei intelligas. *Glycerio* tuo & Cl. *Reilbaco* plurimam salutem adscribo. Vale, Medoni jucundissime, mi ocelle, mi lepor. Exarabam Holmiae Suecorum, ubi annum fortassis totum adhuc alterumque hibernabo. Quidni enim sic loquar, cui media etiam aestate frigendum est? ut simillimus sim illi, quem Seneca in Ludo lepidissimo totis annis celebrantem Saturnalia festive perstringit. a. d. xx. Novembr. CIↃCIↃLXII.

EPISTOLA DLXXIV.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

QUod a multo jam tempore de me, deque meis studiis, rebusque nihil acceperis, mihi ipsis oculis carior suavissime Heinsi, plures certe causae fuerunt, quas verbosius omnes enumerare, etsi is est mos excusantis sese, supersedeo tamen, ne videar, si scrupulosam hanc purgationem instituero, vereri, ne tam inofficioso meo silentio non peperceris, quod abunde te pro singulari in me affectu feciisse scio. Nec etiam est, cum de litterarum mearum paucitate quereris non ita nuper in tuis ad Clariss. *Capellanum* nostrum, quod ideo minus a te amari existimem; imo hercle hujusmodi querelis egregie augeri benevolentiam tuam agnosco. Uno igitur verbo silentii causas omnes contraho. aeger diu decubui: Tolosae abfui: denique litibus aliquot usque adeo vexatus fui, (vae litibus) ut mei vix ac ne vix quidem meminerim: persancte tamen affirmare possum, dum me haec totum habet carnificina, tui memoriam & desiderium nunquam non animo vehementi retinuisse, semperque ob oculos versatam esse imaginem illam tui, quam sibi mens fingit: quando aliam, quae te mihi coloribus referat, longum expetitam, saepius promissam, frustra expectatam indulgere amico hactenus noluisti. Sed quid ego commemoro. aut quid repulsae istius memoriam refrico? decet enim

ita appellare tuam procraſtinationem, cum ſtatuerim, ex quo injecta ſpe tanti muneris immerito deludor, tacitus mecum hujuſmodi moleſtiam concoquere, neque amplius hac in re tibi moleſtum fore. Hac parte ſecurus ſis inpoſterum. Nec adeo ruſticus aut inofficioſus ſum, qui cum tanto tuo incommodo tantam in me voluptatem tranſmoveri velim. Alia certe mihi mens, alius animus; qui nihil habeam prius, quam me tibi rebus in omnibus morigerum praebere. Temperabo mihi uteunque potero, & hanc cogitationem circumcidam; me teneo, ſuaviſſime Heinſi, neque totum ad poſteriores tuas epiſtolas converto. Duae ſunt, quas cura Clariſſ. *Chaſſanni* accepi a fratre unam x. Junii; alteram xx. Novembr. Anni praeteriti. Utrique iſta, quae a me nunc exaratur, reſpondebitur, quamquam, ni me mea memoria fallat, priori puto tempori reſpondiſſe. Agebant ambae de nova Virgilii editione, quam haberes prae manibus notis illuſtrandam, neque hortabantur, ſi quae membranae divini Poëtae in iſtis oris reperiri poſſent, eas ad te mitterem: mirum! hortabantur: quaſi non ſat erat uno verbo monere me, me inquam tui ſtudioſiſſimum. Sed quid hic ſtudium commemoro? cui ne ſchedam unam debes. Equidem licet Toloſanas omnes Bibliothecas ſumma diligentia pervolverim, pluteos luſtrarim, ſecretiores loculos exculſerim, de Virgilio tamen ne γρῦ quidem. Praeterea viros litteratos bene multos, qui mihi in vicinis urbibus non leviter favent, ſedulo percunctatus ſum, omnemque lapidem non movi. Sed omnia haec incaſſum. Reſtat ut de Bibliotheca Fuxenſi, quam & ipſe olim laceram vidi, pauca dicam, nec enim praebet illa materiam longae orationis. Fuit quidem primis temporibus magni nominis & pretii, quippe quae in gentem bonorum authorum gazam contineret, nunc vero inficetas tantum & pulvere corruptas inſulſorum veterum Juriſconſultorum membranas ſervat. eximia eſca haec blattis, tineis & muribus, boni omnes authores hinc inde diſtracti nunquam habuere animum redeundi, & ſi habuiſſent, per manus praedonum non licuiſſet. Sane qui ſuperſunt, quantacunque ſunt mole & numero, non unius aſſis facienda ſunt, niſi quod pyrotechnicae arti aliquando inſerviant. felices Codices, ſi ſors haec iſta melior eos exceperit: ſolum ab hac calamitate, aut potius laniena incolumes fuere: Papiae Gloſſarium: Macrobius: Valerius Maximus: Quintilianus: Remigius quidam in Martianum Capellam; Plinii Hiſtor. Natur. quo uſus *Dalecampius*, & Bedae Hiſtoria Angl. Deus immortalis quanta jactura haec! tanto ſtudio tot volumina a *Petro* Fuxenſi Cardinale olim conquiſita, praeter iſtud rus periiſſe funditus; de quo merito dixeris, fuit Ilion! A me ergo in ornando Poëta auxilii nihil eſt quod expectes, nemo hic fuit unquam cupidus colligendi tales antiquitatis reliquias; unum ſi exceperis illuſtriſſimum amicum quondam noſtrum *Carolum Monchal*, ſed eas omnes, extincto illo, mortalium miſerrimus, *Facquetius* ſumma pecuniae vi ſibi compararat, a quo aut illis, qui ejus perditiſſimis rebus invigilant, qui pauci ſunt, nihil hujuſmodi rerum expectandum vides. Tanti viri ruinam eſt quod litterati omnes doleant: nemo enim illo humaniorem experturae erant Muſae. Jamque in fovendis promovendiſque litteris totus erat, ſeque omnibus,

qui

qui Maecenatis gloriam nominis adepti ſunt, praeſtantiorem praebuiſſet, niſi atrox & perverſa fortuna ingens hoc bonum Muſis noſtris invidiſſet. Alterum eſt quod animum meum labefactat, elegantiſſimi *Peliſſonii* jactura altera, quem caſum Muſae Gallicae lugere ſatis nequeant. Illarum profecto res agitur, dum *Peliſſonii* res agitur, neque non omnino marceſcere Parnaſſia Laurus poteſt, ſi flos hic decerpatur. felix, ſi ſub tam decoro tegmine imminens fulmen effugerit, licueritque, coronatorum jure, veterem formulam uſurpare, ὁ θὸς μὲ τυπτήσας, σίφωσι ἴχνταγε. Se dignam rem ageret Regum potentiſſimus *Ludovicus*, ſibique Muſas omnes mirum quantum conciliaret, ſi *Peliſſonium* illis ſuum reddet: cujus crimen in nimia ſolum fortuna, non in ſcelere aut culpa poſitum eſt. Quorſum haec? deliravi fateor imprudens, ſed me puto excuſabit apud te miſeratio iſthaec, quae me huc adduxit. Ad membranas iterum recurro. De Apulejo & exemplaribus Senecae, quae laudat *Gronovius*, aitque aſſervari in Bibliotheca Fuxenſi, nihil eſt quod te doceam. aderant forſan illic olim, nunc certe abſunt, ſolaque haec purgamenta, de quibus antea, eorum locum obtinent. Auguror interim feliciorem me *Gudium* noſtrum fore, qui dum totus eſt in pervolvendis codicibus Italis, quibus ſcatent Bibliothecae, fieri non poteſt, quin deſiderium tuum plane expleat. At mirari ſatis nequeo, cur ille ſaepius ad te non ſcribat. Nam quod ad me attinet, mei penitus memoriam abjeciſſe exiſtimo, cum a quo Toloſam reliquit, nihil de eo ad me perlatum ſit. Quanquam ſacramento ſeſe mihi obſtrinxerat, continuo me de litterariis ſuis fortunis certiorem facturum. Ego nihilominus ejus nunquam obliviſcar. Sic ſum perpaucorum hominum, qui ſuſceptas ſemel amicitias nunquam renuntiem. de hoc, ſi ad illum ſcribas, commonefacias hominem pervelim. Quid ſupereſt, clariſſime mi Heinſi? nihil prorſus, niſi rogare te & obteſtari, ut tot tantaſque laudes, quas in immerentem me conjicere non ceſſas, reſeces. me certe meae tenuitatis conſcium pudore nimio ſuffundis. Quod ſi aliquando in meas laudes lubeat excurrere, & temperatae orationis limites tranſilire, per me licet, modo non a merito neſcio quo ſuppoſititio & quaeſito, ſed ab amicitia me ſolum laudes. Liceat inquam ſi velis, amantium more ad voluptatem de me tibi ſomnia fingere; verum hujus rei nolim alios habere teſtes, quam unum te. Nam quod ultro polliceris nomen meum novis a te laudibus decoratum iri, cum aliquando Ovidianarum lucubrationum tuarum editionem alteram adornabis, exoſculor ſplendida benevolentiae monumenta, ſed ſi tam palato, quam nomini meo favere ſtatueris, abſtineas quaeſo a magnifico apparatu, quippe phaleras, iſtus non amo, hoc ſolum unice optem teſtatiſſimum poſteritati relinquas, noſtrûm unam fuiſſe mentem, unum animum, atque una eadem ſtudia. Sit ergo jubeo unica haec inſcriptio, *Bernardo Medonio* egregie amico. Quod ad epiſtolam ſpectat, jucundiſſima erit illa mihi & mirum quantum arridebit, ſi te ſolum & Muſas referat. Ex omnibus autem rebus, quibus conflari poteſt, ſaltem iſtam noli attingere Senatoriam dignitatem, a qua non minus abhorreo, quam a piſtrino. Riderent certe hic homines noſtri & perbelle riderent, ſi me hac ſparta commendari audirent,

quam nunquam ornaverim. Ego, mi Heinſi, domi me ſic cum Muſis contineo, ut nullos fere unquam admiſerim clientes. Quare iterum rogo te & ſerio, deflecte ſtylum tuum ab hoc ſcopulo, ad quem illideretur maxima pars voluptatis illius, quam e dulciſſimo pignore ſum accepturus. Nec id a me efflagitari modeſtiae illo praetextu exiſtimes. Nam cum ſerio & ex animi ſententia tecum antea ſemper egerim, nunquam tamen magis, quam nunc a me velim actum putes. Plura non vacat addere feſtinae ſcriptioni, cujus ſtylum, ut probe agnoſco, deformavit omnem barbaries Pragmaticorum, a quibus credo me jam nunc oppido revocatum, in eoque ſtatu res meas collocaſſe, ut me totum deinceps tibi Muſiſque reſtituam. Haec dum ſcribo, ictu neſcio quis pultat fores adeo crebro, ut nuntium mihi aut inſigniter bonum, aut malum afferri autumem. Hui expectato advenis, jucundiſſime *Carteri*, me namque mali metu pene exanimaras: (Is eſt, quem olim noſti in itinere Gallico doctiſſimum medius fidius) ecquid tandem novi advehis! felix fauſtumque dubio procul: etiam, inquit, *Paſſeratii* lucubrationum Virgilianarum aliquid apporto, quod illuſtrem amicum tuum N. Heinſium non taedebit forſan legere. quidquid ſit iſtud, ſat eſt ſi benevolum animum meum in illum teque oſtendero. Ego viro humaniſſimo quas poſſum ago gratias, acceptoque munere cum anguſtiae temporis introſpicere non ferant, obſignatum mitto. Vale, mea voluptas atque animae dimidia pars meae. XII. Kalend. April. CIↃIↃCLXIII. Uxor mea tibi plurimam ſalutem impertit & fratres Medoniani. Interim ſi quid inter ſcribendum exciderit, quod delicatulas caſtigatiſſimaſque tuas aures offenderit, ignoſce: non enim vacat relegere.

EPISTOLA DLXXV.

NIC. HEINSIUS

Bernardo Medonio.

Tolosam.

MIrabar quid praeter ſolitum fileres tanto tempore, Medoni jucundiſſime, & indigne, ne quid diſſimulem, ferebam, voluptatem, quam ex tuis alloquiis capere ſoleo longo maximam, mihi intercipi, ignorata taciturnitatis pertinaciſſimae cauſa. Nunc *Chaſſanni* viri humaniſſimi amiciſſimique fidem, toties exploratam, in dubium vocabam, nunc in fratrem ejus omnem ſilentii tui culpam convertebam, cujus abſentia fieri, ne meae tibi traderentur, nunc cum valetudine parum proſpera rem Medonio meo eſſe ſuſpicabar, quo timore jam enecatus propemodum, tuas ecce ſuaviſſimas, & oppido quam gratas, *Capelani* noſtri oportuno mehercules beneficio, accepi, quae te mihi amiciſſimum caput, ſalvum ſoſpitemque tandem reddiderunt poſt tantam dilatae ſcriptionis procraſtinationem. Imaginem meam toties poſtulatam debere me tamdiu pudet. Habebis illam aliquando, qualem deſideras, cum manus artifex offeretur, quae deſiderio tuo reſpondeat. Interim ſperare te propediem jubeo Muſas Heinſianas iterato edendas, quibus te oblectes. In his ſpectari & placere

cere tibi equidem malo, quam in corporis fluxi ac caduci umbra & nebula. *Nam carmina major imago Sunt meae, quae mando qualiacunque legas.* Maronis membranae complures jam huc adfluxere, per quas divinum poëtam longe caſtigatiorem proditurum ſpondeo, quam hactenus circumfertur. Duos praeſertim codices, cum pervetuſtos, tum ſinceros admodum integerrimoſque *Emericus Bigotius* ſuppeditavit, quos ex bibliotheca *Jacobi Mentelii* deprompſerat. Omnia dum ſedulo atque accurate nimis, qua minima, qua maxima in membranis etiam recentibus perpendo atque examino, operoſiores in diem curas ſubnaſci video, quam inchoato primum labore eas fore eram mihi pollicitus. Sed vel ſic quoque annus hic, ut ſpero lucubratione omni defungetur feliciter. Bibliothecas veſtrates, Fuxenſem praeſertim, tam inanes eſſe factas in tanta literarum luce, atque in civitate tot praeſtantium ingeniorum matre, indignor profecto, ſed quando ita res eſt, aequo animo hanc literarum jacturam neceſſe eſt feramus, interim eſt quod mihi gratuler de *Carterii* obvia comitate, qui Paſſeratianas ſchedas tam benigniter communicarit. Nam quamquam vereor, ne dictata iſthaec minoris ſint rei, atque adeo excerpta ea eſſe appareat a ſtudioſis adoleſcentibus ex ore interpretantis *Paſſeratii*: nam ipſum libellum properante oculo vix in tranſcurſu delibare mihi hactenus vacavit alibi occupato: conſtat tamen *Carterio* humaniſſimo ſuum apud me beneficium, quod ut ex te intelligat, cum oportunum videbitur, obſecro. *Peliſſonii* fortunas merito luges, quem virum ingenii elegantis fuiſſe audio. Sed audio tantum, nam mihi quidem nullus cum illo neceſſitudinis in hanc diem uſus interceſſit. Spero augurorque emerſurum eſſe aliquando ex paedore diuturno Tulliani hujus moleſti. Videbam nuper inſcriptam ejus nomini poëmatis Lucretiani novam editionem, quam *Tanaquillus Faber* in publicum dedit Salmurii, & mirabar homini literato patronum in vinculis & latomiis ſuiſſe quaerendum, magna cum rei Gallicae invidia, hoc praeſertim Rege, qui tantum artium bonarum amorem prae ſe fert, ut me quoque ſubobſcuri nominis mortalem a munificentia ſua non removerit. Hac liberalitate cum alios viros praeſtantes, tum te etiam in iis, mi Medoni, excitandos fore ſpes eſt ad inſtauranda elegantioris literaturae adyta, ne cum clamoſo foro vobis in perpetuum res ſit, qui ad majora nati eſtis. *Gudius*, ſi promiſſis ſtaret, jam in Bataviam adveniſſe debuit. Nam Decembri menſe Florentia miſſis ad me litteris ſpem faciebat, ſe trienni itinere ante aeſtatem hanc eſſe defuncturum. Quamquam ex illo tempore de rebus ejus ne γεὺ quidem cognoviſſe mihi eſt datum. Vale, cum tuis omnibus, & ſalve, vir amiciſſime. Exarabam Holmiae Anno CIↃIↃCLXXIII. a. d. XXVIII. Sextilis Gregoriani.

EPISTOLA DLXXVI.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

TUlisti puto humaniter & ut mei amantissimum decebat, intermissionem litterarum mearum, vir Clarissime: tibique jam abunde satisfactum est, habere confitentem reum, quem oppido culpae poeniteat. Silentii causas nolo repetere, aut novas addere, quibus te mihi conciliem, cum per elegantissimam epistolam, quam nudius tertius a te accepi, eximia, ut ita dicam, benevolentia conditam, atque ipsum mel spirantem, dubitare non liceat, quin non omnis isthaec molestia penitus diluta fuerit. Ergo, quod felix faustumque sit, jucundissime mortalium, antiquum commercium, cum summa voluptate conjunctum renovemus; atque ita renovem ut continuo aeternum sit. Nobis illud nullae amplius lites, quantumvis saevae atque inhumanae, intercludant, ferveant & frequentissimae sint nostrae epistolae, talisque sit rerum omnium conjunctio, talis vitae ratio, atque officiorum omnium societas, ut uni morti liceat eam impie dirimere. Moriar si te non amem plus ipsissimis oculis, & ni malim quantavis caussa cadere, quam charo capiti Heinsio me vel levem aliquam morositate mea molestiam creare. Quamquam fateor novo quodam nomine vehementius amarem nunc te, si te possem amare vehementius, quod mei caussa tam animi anxius fueris. Hoc enim pacto certissimo mihi argumento constat, me a te effictim diligi. Sed nae inficetus plane amicus sim & durus voluptatis artifex, cui tua taedia in deliciis fuerint. Amem te melioribus conditionibus, mi Heinsi, atque utrique nostrum pares amor adferat jucunditates. *Chassannorum* noli in curandis ultro citroque nostris epistolis culpare diligentiam; quas enim illorum fidei credidimus, redditae omnes tibi mihique fuere. Enimvero utriusque summa est humanitas, singularis in demerendis amicis solertia; & in fovendis sedulitas. de tuo tu periculum in dies facis, ego de meo candide & ex animi sententia pronuntiabo officiorum omnium illo pleniorem neminem. Sic decet esse virum bonis disciplinis apprime informatum, Patronum elegantem, & juris & aequitatis eximium interpretem. Imaginis tuae toties expetitae noli prae desiderio me diutius languere. Iterum dico, minori hercle conatu saevam quantumvis virginem, ab eo tempore quo te meae urgent preces, ac veluti obsidione cingunt, facilius expugnassem quam te. Neque ideo quod carissimam tabellam habuero, Heinsianas Musas minus desiderabo. Imo vero duplici munere & gaudio beabor. Maronis membranas plures ad te delatas, est quod multum gratuler. Sed indigne fero nostrates Bibliothecas nihil habere hujusmodi gazae: unam si excipiam Amplisf. *Pugetii*, viri, dum vixit, mei amicissimi, ex cujus codice variantes Lectiones, quas brevi mittam, majori qua possum diligentia excutio. Doctissimo *Carterio* meo

gra-

gratias egi tuo nomine singulares, qui pro comitate tua ingenteis refert. Si tam tuis ille rebus adferre posset adjumento, quam vellet, quamque te observat, haberes profecto, quo te tam illi, quam ulli mortalium agnosceres debitorem. *Tanaquilli Fabri* Lucretii novam editionem *Pelissonio* inscriptam videre nondum contigit, ex quo enim ille de Divino *Daniele Heinsio*, non magis Parente tuo, quam bonarum Artium, male coepit mereri, indignus mihi visus est, qui alicujus esset pretii apud hominem, penes quem aliquis esset sensus humanitatis. Excors & demens sit ille necesse est, qui viri incomparabilis memoriam, tot claris monumentis decoratam, tam longe lateque diffusam non reverenter attigerit. Te vero, mi Heinsi, quis erit unquam adeo impudens & scelestus, qui tuam famam audeat laedere, praesertim nunc te postquam Regum maximus *Ludovicus* non muneribus solum auxit, sed & sua dignatus est benevolentia, qua te malim affici, quam immuni. Ego autem ut primum de illius beneficentia per illustrem *Capellanum* certior factus sum, dici fanc non potest, quam solide tua gavisus sim gaudia. Nam quod me jubes sperare; perbelle ludis me aut temet ipsum, quasi pusilla & minutata virtus quaedam mea ingenteis adeo spes animo possit addere. Sat erit mihi fortunarum, Amice, si tibi mortalium politissimo nugae aliquando meae non displicuerint. Ego Regem interea non tam a bellica virtute, civili prudentia, aut regnandi peritia, quae tamen dotes in illo maximae, quam a rara in dignoscendis hominibus sapientia commendabo. Audiet ille apud omnes animorum spectator elegantissimus, tanto consummatae sapientiae edito praejudicio. *Gudius* si promissis stetisset, scripsisset ad me saepius ex itinere, neque de rebus litterariis, quod erat ultro pollicitus, commonuisset. Sed ab ejus memoria penitus excidi. Plures epistolas Romam & Florentiam ad ipsum miseram: sed puto aberat, unde omnes interciderunt. Una tamen, quae prima omnium fuit, salva non ita nuper ad me rediit, quae quia continet emendationem quandam Hippolyti sui, prima vice, qua tibi res erit cum illo, tuis velim adjungatur. Uxor mea cum Liberis salutem tibi plurimam impertiunt, quorum natu major videre te aliquando mirum in modum gestit. Quid agant viri egregii *Gronovius* tuus, quid *Vossius*, quid *Freinshemius*, quid *Golius* atque alii seniores, fac quaeso praecise intelligam. Hic adhuc te admonitum velim de imagine, quam nisi a te brevi accepero, illam ab elegantissima sorore tua, quam habet sine dubio domi suae, exposcam, & te puto blandiorem, quae peculiaris faeminarum dos est, exorabo.

Vale, vir mihi instar omnium jucundissime, Heinsi, & ama tuum me. II. Eidibus Octobr. Anni Pom. CIↃIↃCLXIII.

EPI-

EPISTOLA DLXXVII.

NIC. HEINSIUS

Bernardo Medonio.

Toloſam.

AD conſpectum literarum tuarum, tam amabilium, tam mellitarum, equidem exſilui prae gaudio, mi Medoni, ut minimum jam abſit, quin conſulto te tacuiſſe credam per tot menſes, quo amorem tui in me excitares, intermiſſo ſolitae ſcriptionis officio. Nam ut elegantes & ſuperbae in ſcena formae ipſo contemtu ac faſtidio amatores urunt acerrime, ita tu, credo, pro ſtimulis lentum & pertinax iſtud ſilentium adhibuiſti, quo vehementius incaleſcerem, & tamquam ex fomite praeduri ſilicis illam mihi elicerem. *Chaſſanorum* fratrum diligentiam ac fidem in curandis ultro citroque literis noſtris gratulor mihi quam maxime. Hunc certe, qui nobis publica Regis auctoritate hîc adeſt, ob eximiam indolis elegantiam & mores ſuaviſſimos habeo conjunctiſſimum. Tu de veſtro illo cum paria praedices, non jam miror fratres eſſe hos ſibi perquam ſimiles. Imaginem toties flagitatam, ſi abs Sorore mea tibi promittis, numquam obtinebis. Fuit enim optima matrona nobis in ipſo aetatis flore extincta ante menſes hoſce ſeptem & denos, & jam parentatum illi per me eſt, miſſis non ita nuper ad *Capelanum* noſtris [1] Elegiacis verſibus, quos *Gronovio* inſcripſeram. Artificum, in hoc terrarum tractu, qui imagines ad vivum graphice exprimant, magna eſt infrequentia, quamprimum dabitur pedem ex Septentrione nobis movere, poſtulatis tuis obtemperabitur, quod aeſtate proxima confieri poſſe ominor. Sin annus etiam alter hîc mihi erit exigendus, quod nolim, morem nihilominus deſideriis tuis geram, ne quicquam videar denegaſſe homini in omnibus mihi hactenus immane quantum gratificato. In codice Maronis Pugetiano excutiendo ne te fatiges obſecro: cum & ipſe membranas divi poëtae jam complures evolverim, & vix quicquam ſubſidii inde ſit exſpectandum, niſi a manu pervetuſta commendentur codices. Obſervationes meas ante aeſtatem proximam praelo typographico ſubjiciendas fore mihi promitto. Si quid auxilii exinde ab amicorum opera acceſſerit, id curis deſtinabitur ſecundis. Nunc enim otium non eſt accurate omnia percenſendi. Venient fortaſſis oportuniora tempora, quorum beneficio Muſis ſolide litem, quas nunc vix in tranſcurſu venerari aliud agendo conceditur.

Me, ſi fata meis paterentur ducere vitam
Auſpiciis, & ſponte mea componere curas,

vitam ſectarer ſolitariam, & a ſolo literarum amore laudem captarem ac applauſum, quod nunc non poſſum,

Nec

1 leguntur lib. IV. Elcg. 7.

Nec patiens corpus, nec mens satis apta labori,
Sollicitaeque fugax ambitionis erat.
Et petere Aoniae suadebant tuta sorores:
Otia, judicio semper amata meo.

Sed vide, ne Horatianum illud mihi reponas *Optat ephippia bos*, novisti reliqua. De *Ludovico* Decimo quarto Galliarum Rege incomparabili, sic res est, ut dicis. Vergebat in profundam ac caecam noctem literarum splendor omnis, nisi ille fataliter obtigisset artibus, stator ac vindex scientiarum unicus. Quo facto feliciter, si quis alius, id est consecutus, ut, cum praeter hoc complura gesserit immortalitate dignissima, immortalitatem, quam demeruit ac fovendo suam fecit, rebus praeclare abs se gestis polliceri jure optimo possit. Sed ista non sunt hujus loci. *Gudium* rediisse ad Belgas Amstelodamo ad me scribitur. *Gronovius* in Livio ac Plauto recensendis occupatur. *Schefferus*, qui Ubsaliae literas humaniores profitetur, Mauricii & Arriani Tactica hactenus inedita, tum commentarios de Italica secta Pythagoreae Philosophiae suos praelo subjecit. *Vossius* totus ex Philologo Philosophus est factus: *Golium* aut otiari aut nihil agere existimo. *Freinshemius* e vivis jampridem excessit. Tu vale, Medoni suavissime, & ut ego quoque valeam, me ama. Holmiae Suecor. CIↃIↃCLXIII. a. d. XXI. Novembr.

EPISTOLA DLXXVIII.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

AMabiles & mellitas esse meas epistolas perperam in tuis ad me nuper exaratis pronuntiasti, vir amantissime; & nisi me a te medullitus amari perspectissimum haberem mille nominibus, facile eo adducerer, ut crederem, sub isto tuo melle latere amarulentos aculeos. Ego merito quidem tuas non mellitas solum dixero, sed & ipsam μελιχρὼν σμηνοδόκου χάεστα: adeo enim erant elegantes, adeo venustae & suaves, ut omne meum mel prae illarum dulcedine plane aceſcat: quamquam minus dulces propterea videbantur, quod Sororis spectatissimae funeris acerbitas huic melli fellis multum permiscuisset. Dii boni quam misera est rerum humanarum conditio! ut nulla unquam sit omnibus numeris absoluta voluptas; nullum gaudium quod non aliqua subito excipiat calamitas. Equidem in illam spem omnem tabellae contuleram, mihique istud gratiae ab ejus humanitate pollicebar; At proh dolor ejus occasu spes omnes meas sentio misere evaneſcere. Quid enim spei in te mihi reliquum esse potest? qui quaesito toties praetextu, causatus modo tuam modestiam, modo Pictorum raritatem hanc deluseris. Aliquot anni sunt, si bene numerem, Vir egregie, bene quos numeramus amantes, ex quo te precibus continuis frustra urgeo, meque hujus rei desiderio, sine ullo amicitiae nostrae respectu

ſinis macerare, Et mirum in modum obdureſcis! Dirigêre nunc ſi velis in ſilicem, per me licet. Nec enim ſpem infinitam perſequi vel illius eſt, quem amor ingens urat, ſed potius amentis, quem furor agat. ad alia igitur me revoco. Virgilii manu exarati varias lectiones accepiſſes a me jamdiu, niſi ſaeva quaedam & pertinax negotiorum peſtis, quae in me ſenſum omnem humanitatis quaſi extinxerat, ab hac ſparta invitum avocaſſet. ô quoties tunc Stregoſiadis mutuatus verba.

— — — — — — — — — — ἰὼ ἰώ!
Ὦ Ζεῦ βασιλεῦ, τὸ χρῆμα τῆ νυκτὸς ὅσον
Ἀπίστατον; οἰοῖ πολὺ ἡμέρᾳ γενήσεται;

& rurſus;

Ἀπόλοιο δῆτ' ὦ πόλεμε πολλῶν ἕνεκα

Liceat namque mihi lites & fori rabiem bellum dicere, eo magis atrox & immane, quod non manibus & lacertis, ſed mala mente & malis artibus bellatur, a quibus, verbo abſit invidia, penitus immunis ſum. Tuas in Virgilium obſervationes mira legendi teneor cupiditate; incredibile quippe eſt, quam eximius mihi videris notarum artifex; dum illa ſolum in medium profers, quae ſine ſenſus jactura abeſſe non poſſunt. Apage libellarios iſtos, quos vocant Commentatores, qui farragini tantum indulgent, qua enormiter tumeant, & quorum gloria in eo tota poni videtur, ut non moveantur e loco abſque machina. Rerum indigeſtarum mole brachia fatigent illi; praeſtat ingenii ſucco, ut ſoles, nectaris inſtar lectorum animos perfundere. *Gudium* noſtrum optatos Patriae fines repetiiſſe laetor eo vehementius, quod in tam tenui valetudine verebar, ne quid apud exteros humanitus ei contingeret. taederet profecto me multam iniiſſe cum illo amicitiam, qua frui diutius non liceret. Philologiam cum Philoſophia commutaſſe *Voſſium* mirari ſatis non poſſum, cum hujuſmodi mutationes nunquam, aut raro fiant. Otiatur *Golius* non ſine magno literariae Reipublicae detrimento, praecipue Lingarum Orientalium, quem illac hac aetate unicum fidum habent interpretem. Quae de Petronio ad praeſtantiſſimum virum *Capellanum* noſtrum non ſemel ſcripſiſti, ejus mihi beneficio innotuere: adhuc tamen abs te ipſo pervelim de re tota plurimis verbis certior fieri. Emerſiſſe integrum primum inaudivi, dehinc pro parte, denuo integrum ab amico Romae degenti accepi. Quam ob rem ſi quid indubitatae fidei ad te pervenerit, quamprimum quaeſo fortunae iſtius fac me participem. Quid agitur in Repub. Literarum, in qua primas tenes & ego miſer exulo; ſi per Aulicas occupationes liceat, aliquid imperti. A me vero rerum novarum nihil eſt, quod expectes. Solitudo ante oſtium. Uxor, quae te ſolito affectu ſalvere jubet, ſexta prole maſcula jam jam aucta eſt. Vale, & me ama ut ego te. Toloſae 16. Kalend. April. CIↃIↃCLXIV.

EPI-

EPISTOLA DLXXIX.

NIC. HEINSIUS

Bernardo. Medonio

Toloſam.

VIdeo urgeri a te propoſitum de imagine mea vivis expreſſa coloribus, quam tui juris eſſe cupias, Medoni jucundiſſime. Indignaris etiam ſpes & poſtulata tua differri, aut, ut tu loqui amas, deludi tanto tempore, tibique ad eaſdem preces toties nequicquam recurrendum eſſe querebaris flagitator ſic ſatis fervidus. Rem, fateor, exigis nec factu arduam, nec repelli meritam: cum ipſe moleſtias majores longe animo jam ceperis, tibique ultro adſperſeris metum in ſpem gratiae. Equidem amo te & obſervo, mi Medoni, ut me ipſum haud magis aut impenſius poſſim. Quod tunc demum falſo a me jactari cenſeas atque arbitreris licet, cum mihi me dediſſe liquido cognoſces, quod a te fruſtra hactenus poſtulatur. Imaginem meam nec oſtentare poſſum ipſe, nec amicorum quiſquam. Quod invidia omni repulſam, ni fallor, abunde exoneraret, ſi deſideriis tuis aurem obſtruxiſſem, nec precibus locum darem. Noli negatum putare, quod nondum impetratum eſt. Credebam rem eſſe nihili, quam poſcebas. Vide ſodes, ne tu me arrogantem aut ſuperbum reddas, neve ego plurimi apud me ipſum fiam, poſtquam iconem, hoc eſt umbram mei inanem, votis tam ardentibus ſcitaris. At ego ſtultus munificentiae meae nil addi opinabar poſſe, ex quo me totum dedicaram, ac devoveram tibi. Nihil ſatiare te poterit, ſi hoc non poteſt. Ἔκτυπον tenere mei deſideras, cum diu ſit quod ἀρχέτυπον poſſideas in loculis tuis. Aliquid ſaltem mearum facultatum relinquas mihi par eſt: ne poſt aſellum etiam diariis carendum ſit amico tuo, neve prorſus ſordere tibi incipiam, ubi me totum diſpoliaris. Dum ſupereſt, quod auferre poſſis, optime, ut ſpero, mihi tecum conveniet. I nunc ſtomachare, quod deluderis: dum mihi ſit, quo hanc tuam iracundiam placem mitigemque, cum ex re erit. Sed ut miſſis nugarum ambagibus ſerio tecum agam, quod velle te reor, certo perſuaſum habe, nemini copiam imaginis meae fore, niſi te votorum compote jam facto. Si poſt annum hunc volventem exactum mora diuturnior hîc locorum mihi erit trahenda, quod nolim, parebo obſequarque mandato tuo, uti hominem longe tui amantiſſimum decet, nec committam, ut de repulſa deque ingenio meo inexorabili quicquam conqueraris. Nunc tuis deſideriis obtemperari a me finge. Annus ad minimum abierit, priuſquam tabula ad te perferatur. Quid quod ne ſic quidem graphice atque examuſſim ad vivum exprimendam fore polliceri poſſum, cum pictores in Septentrione vix invenias, qui ſupra plebejam laudem extolli mereantur. In Maronis exemplaribus diſcutiendis deſudari a te nolim, niſi vetuſta admodum tibi ſe ſiſtant, ne & operam tuam ludas, & mihi pro theſauro, carbones offerantur. Ingens quippe copia

codicum Virgilianorum in priſcis bibliothecis paſſim occurrit. nec pauci jam a me inſpecti ſunt: ſi continget aliquando ea terrarum perluſtrare ſpatia, in quibus uber hujus meſſis proventus eſt, curis ſecundis lucubrationes noſtras percenſebo. Tanti nempe & a me fit, & ab omnibus faciendus eſt ſcriptor divinus, ut ſatis operae in illo exornando navari haud poſſit. Nunc abunde laudis conſecutum rebor, ſi nonnihil a me addetur novarum obſervationum, poſt horum curas & diligentiam, qui ante me hanc ſuſcepere provinciam. De *Gudio* quod nunciem nihil eſt in promtu nunc mihi, cum & ipſe rerum ſuarum jamdudum ignarum eſſe me patiatur; nec quo fortunae ejus aut Muſae ſint loco per alios ſatis accurate ſim factus certior. Lugduni Batavorum ſedem ab illo eſſe fixam, ubi *Gronovio* aſſiduus adhaereat, & in Phaedri editione nova concinnanda occupetur, rumores ſpargunt. Petronii fragmentum tanto tempore deſideratum prodiit tandem, ſi tamen Petronii foetus eſt. Vidi libellum, ſed in tranſcurſu tantum, & aliud agens. Eum amici Ubſalienſes abſtulere, dum in publicis negotiis occupabar totus, mox ad me reverſurum polliciti. Cum fidem datam praeſtabunt, omnia majore cura pervolvam. Nihil illic, quod ad Trimalcionis coenam non ſpectet, quam operis Petroniani partem admodum exiguam fuiſſe ſum certus. Hic terrarum litteras jacere ac negligi ſi dixero, nil dixero aut novi aut mirum quod videri tibi debeat. Prodibunt tamen ex Ubſalienſi Academia propediem ſtudio *Johannis Schefferi* hactenus inedita Mauricii & Arriani Tactica, cum ejuſdem commentario de Italica Pythagoreorum Philoſophia, praeter haec *Martinus Brunnerus* Moerin Atticiſtam itidem luce hactenus fraudatum dabit, una cum Attico vocabulario Thomae Magiſtri, quod typis Romanis ac Pariſinis ſaeculo proxime decurſo eſt publicatum. Tu, qui in Galliis, hoc eſt in ipſo Parnaſſo, aetatem agis, quin luculentiora hujus argumenti nunciare poſſis non eſt dubitandum. Hoc igitur age, &, ſi me ſolide demereri cupis, frequenter ſcribe. Uxori lectiſſimae liberiſque plurimam ſalutem impertire meis verbis quaeſo. Salveant & caeteri amici. Tu vale, mi Medoni. Exarabam Holmiae Suec. CIↃIↃCLXIV. a. d. XXI. Junii Gregor.

EPISTOLA DLXXX.

NIC. HEINSIUS

Bernardo Medonio.

Teloſam.

EA tuorum erga me meritorum eſt in me moles, is numerus, Medoni jucundiſſime, ut nuſquam oculos in Muſeo meo convertam, quin aliquod luculentae benignitatis pignus confeſtim illic occurrat abs te homine officioſiſſimo, & ad me demerendum unice nato. Vel nuper in excutiendis Virgilii membranis, quos labores meae in ſpem gratiae exantlaſti! quam devoraſti moleſtiam? Quo magis partium mearum erat, debitam gratiarum actionem pro mag-

magno beneficio nequaquam diſtuliſſe: quod alterum nunc factum non ſine praeſentiſſimo rubore meo videmus. Sed poſt exortas nuper inter populares meos & gentem Britannicam contentiones maximas &, quantum apparet, in apertum bellum jam nunc erupturas, adeo illic ex mandato publico occupatus fui, dum cavetur, ne Sueci in partes adverſarias pertrahantur, ut privata omnia coactus ſim ponere; etſi nunquam deeſt hîc terrarum quod agam. Innatae igitur tibi comitatis eſt non ſuccenſere confitenti reo, praeſertim cum nil deliquerim, quod mea cum culpa ſit conjunctum. Claudianus meus editionis iteratae cum prodiiſſet nuper in publicum, inter exemplaria hujus voluminis complura ad amicos in Gallias miſſa unum tibi a me deſtinatum eſt; cujus curandi laborem ac moleſtiam *Emericus Bigotius* in ſe recepit vir, ut noſti, noſtrum utriuſque ſtudioſiſſimus. Quamquam in iſto foetu juvenili nil occurrit, quod eruditioni tuae proſit, aut oculos tam ſagaces ſubire mereatur. Dandum nihilominus amicitiae noſtrae ſum ratus, ne quid quiſquiliarum mearum te lateret, quem in oculis aſſiduum fero. In Marone quae obſervavi, jam ad finem perducta ſunt propemodum, & praelo typographico tantum non parata: niſi quod eas cogitationes importune admodum abrupit Mars Britannicus. Unde & factum eſt, ne attentiori cura hactenus potuerim percenſere, quae in hanc operam benigniter nimis a te collocata ſunt. Quod unum poſſum inter has negotiorum conſtitutus anguſtias, curae mihi erit, ut hic annus, quem modo auſpicati ſumus, poëmatis meis rem litterariam donet: niſi pergit editionem libelli procraſtinare typographus. Tactica Arriani & Mauricii hactenus inedita *Schefferus* noſter nuper admodum in lucem emiſit, poſt publico permiſſum de dogmate Pythagorico commentarium. Praeter hoc unum, quod nunciare rerum novarum poſſim nihil nunc occurrit, *Gudium* ad foederatos Belgas jamdudum rediiſſe audio, quod ex illo ipſo cognoviſſe mallem. De Ovidianis membranis noli ſollicitus eſſe, niſi pervetuſtae ſint, & ſupra plebejos codices aliquid promittant, ut alias non ſemel monui. Vale, mi optime Medoni. Exarabantur Holmiae Suecorum Anno CIↃIↃCLXV. Eidibus Februar.

EPISTOLA DLXXXI.

NIC. HEINSIUS

Bernardo. Medonio.

Toloſam.

PRO excerptis codicis Maronis diu eſt, quod gratias agebam, Medoni jucundiſſime, nec tamen eximiis tuis in me meritis ulla ex parte aequandas aut pares. Miſi & per *Bigotium* Claudiani recens editi exemplar, quod jam ante annum ad te perferri debuit. Nunc novam poëmatum meorum editionem ab optimo *Capelano* accipies. Unde colligas rerum tuarum ſtudium mihi, etſi inter moleſtiſſimas occupationes agitato, conſtanter inhaerere. Imaginem

toties tibi promissam deberi jam pridem & post longissimas procrastinationes praestandam esse tandem aliquando probe memini. Sed speravi ego jam ante biennium fore, ut liceret mihi aut pedem non rediturum hinc movere, aut saltem in patriam excurrere, ubi & majorem artificum esse, quam hîc terrarum, copiam minime puto ignoras, & occasionem magis oportunam ad te mittendi, si quid vellem. Sed avertit me ac avocavit penitus a proposita via bellum atrocissimum, quod nos cum Britannis denuo collisit. Unde factum est, ut non nisi praesentissimo cum rei publicae detrimento me hinc fuerim prorepturus, Succis praesertim res novas molientibus, & in partes Britannicas utcumque propensis. Est autem mihi haec solitudo & aliis multis nominibus permolesta, & hoc inprimis nomine, quod desideriis tuis juxta ac fidei a me datae deesse tanto cogor tempore. Nam si affectum tibi devotum mora temporis refrixisse arbitraris immerentem neglecti officii infimulas. De rebus tuis nonnihil aveo doceri. Tu hîc mihi gratificare, quaeso, & amantem ama. Vale, suavissime Medoni. Holmiae Suecorum Anno CIↃIↃCLXVI. a. d. v. Nonas Septembres Gregorianas.

EPISTOLA DLXXXII.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinsio.

Holmiae.

ETSI innumerae sunt causae, vir clarissime, quibus tam diuturnum meum silentium merito purgare possim, ex his tamen vel aliquam nolo hîc in medium afferre. Nam cum amori in me tuo plus semper confisus sim, quam aut ullis officiis, aut rationibus meis, malo culpae omnem veniam (si culpa est quae animi vitio caret) singulari benevolentiae tuae debere, quam ulli quantumvis legitimae aut idoneae excusationi. Facerem id equidem cum summo studio & arte, si crederem me minus a te amari quam in dies experior, sique ego te minus observarem, & te non medullitus diligerem. Causarer tum morbi pertinaciam tum lites multas, quibus ad hunc usque diem adeo fui obrutus, ut ab humanarum literarum non solum; sed etiam ab ipsius omnis humanitatis commercio atque amicorum consuetudine abstinere penitus me mihi necesse fuerit. Verum quî fieri potuisset, ut in ea corporis animique carnificina Musas voluptatum omnium artifices tractarem, Musas inquam nostras tam jucundas, tam teneras, tam amabiles. Non ego certe ille sum, mi Heinsi, in quo a natura sibi adeo invicem contrariae lites & literae conveniant. Unde fit ut continuis votis ac precibus caelos compellem & Numina, me a forensibus negotiis revocent, neque sinant ad otium literarium perfugere, cui me totum ab ineunte aetate reservasse temere, ut quidem experior nunc, auguratus eram antea. O fori Rabularum stirpem invisam, & fatis contraria nostris eorum facta moresque! quibus adhaesi diu nimium infelix, a quibus vitae omnis honestas, gratiae, lepores veneresque aeternum exulant. Te vero mortalium felicissimum, qui, cum

cum magno ingenio & doctrina polleas, etiam otio ſtudioque abundes; ſummaque animi tranquillitate te cum Muſis oblectare potes, ut lubet. Quod ſi ab earum latere aut conſuetudine interdum divelleris, ſine tamen diſpendio ſit aut voluptatis aut gloriae tuae: tunc namque (quando Reipublicae cauſa id accidit) tibi tuoque tranquillitati aut Muſis quidquid deeſt cum optimo damno & divite, ut ita dicam, jactura, cumulate compenſatur. Ac proinde ſi ſaepe minus nomen Heinſianum noſtri veteres authores in fronte praeferant, neque tuorum operum tam frequentia cudantur volumina, quam tu forſan & omnes literarum cultores velint, eſt profecto credo mihi, quod te mirum quantum ſoletur, in Actis foederatorum Ordinum ac Regum ſaepe ſaepius referri, ac decoris titulis commendari. Magnum quidem eſt literarum decus, magna ornamenta, ſed nihil comparari poteſt cum illa gloria, quam pariunt curae, officia, vigiliaeque, quae pro ſalute Reipublicae inſumuntur. Quo nomine apud eos, qui nobis Deorum inſtar ſunt, jam adeo optime meritus es, ut earum amicitias tibi deviceris, quibus Muſae ipſae noſtrae, quas Regias fingimus, ancillantur. Perge ergo, vir egregie, quo coepiſti pede, & iiſdem veſtigiis inſiſte ad honorum gradus. Metire quidem ſplendida literarum ſpatia, verſus fundere Auguſtaea aetate dignos non ceſſa, optimorum Authorum lucubrationibus augere lucem tua claritate nominis, reconditae antiquitatis monimenta ſedulo eruere, inedita poſteritati tranſmittere, quae omnia admirabili ingenio & induſtria rara in dies praeſtas: verum contende magis ac magis totis nervis ac viribus Rempublicam tueri conſiliis, ope, & diligentia, populis pacem & felicitatem parere, partam augere, atque omnibus munire praeſidiis. Solida iſthaec eſt gloria medius fidius, quae e ſalute civium ac familiarum emergit atque una viget. Relinque nobis quaeſo cum blattis & tineis pugnare, & in caeno corruptorum codicum volutari, te certe majora expectant & Heinſiano nomine magę digna. Hiſtoria noſtrorum temporum jam jam geſtit referre tua in Rempublicam ſtudia, & Heinſiana laude fulgere. Huic te praebe materiam laudum uberem & immenſam. Huic inquam imaginem tuam inſere, quam miretur poſteritas egregia virtutis tuae nativa pulchritudine inſignem. quod poſtquam contigerit, ut quidem aequum eſt & praeclara tua facinora poſtulant, res erit certo mihi uſque adeo grata & jocunda, ut verba deſint ori, quibus voluptatem quantam inde percepturus ſim explicem. Nolim tamen propterea, quod te ſuis verborum coloribus deſcriptura ſit Hiſtoria, virtutis cuſtos, carere ea delineatione, quae Pictorum arte fit, qua me beare toties a multis jam annis pollicitus es: volunt quippe oculi mei, dum te ſuo mens modo intuebitur, habere ſe coram, quo te ſuo etiam more intueantur. Sic ego multis imaginibus me mirum in modum oblectabo, mihique videbor integrum te quaſi pacto tenere, te amplecti, tecum eſſe, aut ſaltem minus a te abeſſe in tanto locorum intervallo, quo aegre ſejungimur. Caeterum aberiſne diutius a Patriae finibus, & te Amſtelodamum nunquam amplius repetet? Utinam eſſes in vicinia cariſſimum caput, ſpei forſan aliquid eluceret mihi te poſſe aliquando inviſere, & rerum mearum ſors, quae me cito forſan Lutetiam adduce[t],

cet, faceret ut tui ergo me Amſtelodamum deferrem. Non enim aliter videre te unquam ſperare licet, alioquin actum eſſet de uxore ſuaviſſima, quae ſciens prudens nunquam pateretur (ſic me plus oculis diligit) in exteras regiones progredi, ſine ſummo vitae ſuae taedio. Vides, mi Heinſi, quam durum iſtiuſmodi jugum eſt, etſi parit tantum voluptatis & ſolatii, eo mihi profecto durum, praecipue quod a nobis abes tu, qui ſi adeſſes coram, nihil eſſet amplius quod cuperem. Conabor tamen huic malo mederi utcunque potero jucundiſſima lectione novae editionis tuorum poëmatum & commentariorum in Claudianum, quae habeo jam jam prae manibus tuo beneficio & cura nobiliſſimi *Bigotii*, qui inde occaſionem arripuit liberaliter plane teſtificandi mihi non vulgare ſuum in me ſtudium. Sciebam illum virum eſſe magni nominis & eruditionis, ejuſque famam omnium teſtimonio claram totum orbem peragraſſe. & ego illum amabam & obſervabam plurimum, nullus tamen aditus ad ejus familiaritatem mihi hucuſque patuerat. Optato igitur contigit me a tanto viro compellari, quem officiis bene multis provocare paraveram. Sed cum iſtud gratiae non meis, ſed tuis meritis debere me ingenue fatear & agnoſcam, recipe illam quaeſo referendam, hoc pacto egregii viri humanitatem, quam in me edidit, demereri ſolum potis ſum. Quare cum ad eum ſcribes; inſinua rogo te totum me penitus in ejus animum, ut ad ſummam benevolentiam perveniat noſtra neceſſitudo, illam certe omnibus modis & tueri & ornare non deſinam, inque ejus commodis augendis, ſi facultas detur, nunquam mihi deerit conſtans voluntas. Quid rerum geratur in Republica literaria fac intelligam, nam illum latere nihil quidquam poteſt, ad quem omnes literarum Principatum deferunt, & e cujus exiſtimatione eorum tota pendet fama ingenii & laborum gloria. Quid agant *Gronovius*, *Voſſius*, *Golius*, *Gudius* & alii noſtri Semones, ſumma teneor ſciendi cupiditate. Equidem multum vereor, ne in vicinia poſiti milites noſtri eorum laboribus officiant. Aeternum felix ſit Regum omnium maximus *Ludovicus*, equidem vehementer optem, Hiſpanos, debellet, frangat, & conterat, nolim tamen id unquam fore cum aliquo veſtrorum ordinum damno & Athenarum Batavarum dedecore, ex quibus in caeteras orbis partes tanta cum dignitate Muſae noſtrae dominantur. Stet hîc aeternum earum ſedes unica & avertant numina tam grande nefas, ut ne belli terrores & Martis horrenda tormenta gratiſſimos tenerarum Virginum cantus & dulce melos miſerabiliter praecludant. Sane tanti & tam ingentes bellorum apparatus interdum curas & cogitationes meas aegre admodum exercent, neque poſſum non timere Muſis noſtris, incertus, quorſum haec evadant. Plura non habeo, quibus te diutius alloquar, ſolum unum reſtat te etiam atque etiam enixe rogitem, me continuo ames, qui te ſolide & efflictim amo. Salutem tibi plurimam impertit mea uxor, & *Janus Dominicus* meae deliciae, qui te propediem propriis verbis ac ſtylo provocabit, ut ſe diligas. quatuordecim annos natus Graecis literis ſatis jam eſt inſtructus, a quibus incepit; nunc Latinis ſedulo operam dat, ſeque brevi ad iter Hollandicum, ut a veſtris Profeſſoribus & linguis Orientalibus & variis ſcientiis, quae hîc apud nos perbelle frigent, cumu-

cumulate exornetur, comparabit. Vale, vir amantiſſime, & hanc valetudinem, quae mea mihi carior eſt, omnibus modis ſerva incolumem. De rebus tuis quamprimum certiorem me fac, & ampliſſimo viro D. *Arnoldo Pomponio* Regis Chriſtianiſſimi legato eximio, Clariſſ. *Arnoldii Andilii* ſumme amici mei filio, lectiſſimis verbis tuis meo nomine ſalutem jubeo dicas, & *Baricio* ejus Eleemoſinario, viro merito naſci Apoſtolorum temporibus, qui ſic illorum virtutes & praeclara facta emuletur in omnibus ac graphice exprimat. Iterum vale, meum decus, mea vita, meum mel: inornatae & impolitae ſcriptioni ignoſce. Toloſa Holmiam Nonis Junii Anni Dom. CIↃIↃCLXVII. Haec dum obſigno, ecce intervenit, & manum cohibet *Jacobus Maranus* anteceſſor hujus Acad. illuſtris, *Guilielmi* quondam illius viri adeo eximii nepos, qui cum propria maxime & derivata in ſe gloria fulgeat, ac proinde non poſſit non valde obſervare ſui ſimillimos, vult peramanter te ſalutatum ſuo nomine & rogatum ut ſe in eorum album referas, qui tui nominis ſtudioſiſſimi ſunt. Hunc complectere, quaeſo, quem in oculis fero.

EPISTOLA DLXXXIII.

BERNARDUS MEDONIUS

Nic. Heinſio.

Amſtelodamum.

Imagine, quae veri oris tui ſpeciem mihi referret, carere diutius poſt tot tantaſque meas praeces & dilationes tuas, vir Clariſſime, plane non poſſum non fateri me aegre moleſteque diu admodum tuliſſe. Ultro etiam eſt quod fatear, ſic ſum candidus & liberalis, hujus acerba expectatione ſaepius eo adductum fuiſſe, ut crederem, de tam eximio illo tuo affectu, non ſine ſummo meo dedecore multum te remiſiſſe. Non enim arbitrabar, quod in hoc deſideriis meis non ſatisfaceres, ullum tibi eſſe locum excuſationis; & dum haec mecum tacitus perpendo, parum abeſt, vir amantiſſime, quin inplacabili ira animus meus alioquin placidiſſimus penitus totus exardeat. Et hercle quinque aut ſex annorum taedio victus, ac ſic ſui merito impotens, exarſiſſet, niſi me ſingulare ac ſummum ſtudium, quo te nemo ſic diligit, ad mentis tranquillitatem revocaſſet. Minime certe neceſſitudini noſtrae conveniebant a tua modeſtia quaeſitae illae rationes, quibus me rogantem repelleres. Una tantum potuit eſſe alicujus ponderis, quae pictorum raritate nitebatur. Et jam facile crediderim difficillimum eſſe, ſub tam aſpero caelo, ſub quo tunc verſabaris, inveniri pictores hujuſmodi, qui vultus hominum vivis ac nativis coloribus exprimant, propterea quod illa arte, quae ſola abſentium amicorum & amantium curas ſolari poteſt, praeſtare omnibus nobis ſolis datum eſt, qui amicitiis, amoribus, & officiis caeteras omnes nationes antecellimus. Haec ipſa profecto cauſa unica fuit, reſque per ſe patet, hujus procraſtinationis: quando gratiae tantum indulgere mihi, ex quo molle ſolum repetiiſti, nec amantius nec diligentius potuiſti. O me igitur mortalium feliciſſimum, & plane votorum om-

nium compotem! qui chariſſimum eximii amoris pignus, nunc tandem manibus tractem, nunc exoſculer. Et ô egregium artem! cujus beneficio impoſterum licebit, te non ſolum animo altius, ſed etiam oculis vel abſentem contemplari. Nunc quoque ergo dabitur voluptates jucunditateſque vitae omnes meae, quae in uno te ſitae ſunt, taedio pulſas reducere. Naſonem vero Te pictorum omnium excellentiſſimum ac facile principem eſt etiam quod laudibus ad caelos eveham; qui tanta induſtria efficeris, ut in tua elegantiſſima tabella totus vivat ac ſpiret Heinſius meus, ſicque ego & felicius vivam & liberius ſpirem impoſterum. Utrumque enim adimunt magna deſideria. Sed quam timeo, ne illa poſtquam paulo remiſſius mecum egerit, novus ardor incendat animum, qui in hunc veteres curas ingerat, nihilque illum explere poſſit, quam te ipſum videre; dulces tuos in amplexus ruere, deque ore tuo pendere denique. tunc certe advolabo ad te, & omnes obices, quos res domeſtica & uxor hactenus molita eſt, ſolvam. Quod ſane crediderim aliquando eventurum, ſi me ſolum audiam. Talis nunc tenet, quam ex fama nominis tui concepit merito, cupiditas clariſſimum virum *Julianum Hericurtium*, quocum mihi ſumma neceſſitudo inita eſt, ex quo Regis negotia hic procurat, is ultro fidem dedit, viae comitem fore cum me ad te conferam, poſtquam Regio munere functus erit: Hunc mirum eſt, quam tibi devicerint blandulae Muſae tuae, vir Clariſſime, quas nunquam ſinit abire e ſuis manibus; ſicque ardet de te bene mereri omni officiorum genere, inque tuam benevolentiam ſeſe inſinuare, ut facile ei author fuerim, in tam magno deſiderio, tuam gratiam ambiret ſuis epiſtolis. vir hercle dignus eſt tuo ſtudio & obſervantia, qui antiqua nobilitate ſtirpis, magno ingenio, ſumma & varia eruditione, & quod praecipuum eſt apud te, eximia virtute, ac morum ſuavitate pollet. Sponſor tibi ſum & nunc maxime idoneus, neminem eſſe illo in demerendis amicis magis idoneum. Si quis ergo locus eſt reliquus in albo amicorum tuorum, hunc ſinas occupet *Hericurtius* meus, tenebit certe illum non ſine dignitate & gloria: quod ſi per te liceat & hoc beneficio illum beaveris, res erit mihi tam grata quam quae gratiſſima. Prudentium interea ex recenſione tua quamprimum expecto. authorem hunc valde olim amavi, nunc magis amabo, quum illuſtrationibus tuis ornatus prodierit. Hunc ſtatim Virgilius ſequatur, poſtquam e Typographorum manibus exceſſerit. Hanc ſpartam ornare nunquam deſinas velim, vir Clariſſime, qui veteres authores ſolus edere potes luculentiſſime. Hoc age atque his inſiſte veſtigiis ad aeternitatem, meque tuis muneribus cumulatum decorare. Scripta omnia *Gronovii* magna cum voluptate lego. Eſt enim vir tum acerrimi judicii: tum ſummae eruditionis & ſtyli perquam elegantis. Verum tarde adeo deferuntur ad nos, quae in Batavia veſtra cuduntur, ut intolerabile ſit, tantam voluptatem retardari. Praeſtantiſſimum *Galium* ad plures abiiſſe peregre fero & feram diu. ex tanti viri jactura innumeras habet doloris cauſas literaria Reſpublica. Illuſtriſſimi *Graevii* Heſiodum jam nunc ad me deferendum curavit *Menagius* noſter, de quo eximio munere per epiſtolas gratias nunc quoque magnas agerem, niſi ab hoc officio,

plu-

plurimis negotiis, quae non licet in aliud deferre tempus, penitus sic distraherer, ut uno verbo hîc illum tantum vacet salutare. Homerum cum Scholiaste ab ipso adornatum videre gestio. *Janus Dominicus Medonius* deliciae meae, finas quaeso te suis verbis compellet. Hunc ano egregie ea conditione, ut te aeque amet ac me, sicque instituo, ut tantum tolat ac veneretur, quos virtus ac gloria commendat. Seque ad hujusmodi exemplaria ignosce effingat. Clarissimus vir *Ranchinus*, qui jam jam huc advenit, cum ad obsignandam hanc epistolam me comparo, verbis officiosissimis tibi plurimam salutem impertit. Emoriar, nisi illum medullitus diligas, si innumeras maximi ejus ingenii atque animi dotes aeque nosceres ac ejus humanitatem liberalitatemque, quam olim expertus est Ovidius noster. adhuc paucis te volo, ut te moneam nempe, si iterum in Sueciam tibi adornandum est iter, mecum statuas ac circumspicias diligenter, cujusnam fidei committendae erunt nostrae epistolae. Vale, meum decus & pessimae scriptioni ignosce, quam non vacat expolire. Salutem plurimam tibi dicit uxor mea. Tolosae Eidibus Aprilis Anni CIↃIↃCLXVIII.

EPISTOLA DLXXXIV.

JOANNES BAPTISTA LANTINUS

Nic. Heinsio.

Lutetiam.

Menetrerii, popularis mei, librum ad te perveniſſe jampridem intellexeram ex iis litteris, quas ad me superiore anno dedisti, tum etiam ex Claudiano tuo elegantissimo, quo quidquid id erat munusculi, longe impari compensatione remuneratum voluisti. Pro quo cum agere tibi gratias & deberem & vellem maximas, quo minus id facerem deterritus fui variis curis ac negotiis, quae ab amicis nostris, qui sunt Lutetiae, scire potuisti, ac eo praecipue, quod vererer, ne aberrarent meae litterae, si ad te scriberem, qui primo quoque tempore Suecia in patriam rediturus, atque hinc subito in Italiam profecturus dicereris. Verum postremis tuis litteris, quibus certior factus sum adventus in Galliam tui, commodior oblata mihi est ad te scribendi facultas. Imo & propemodum facta spes est videndi tui ac coram compellandi. Quamvis enim, qui te huc solum allicere posse videntur, Manuscripti Codices Ovidii, quibus usus est olum *Juretus ὁ μαχαίτης*, summa cura & studio perquisiti, diligentiam meam, & amicorum, quos nihil ejusmodi, siquid esset, latere posset, effugerint, audivi tamen servari in bibliotheca Monasterii Cistercienſis, quod abest ab hac urbe paucis milliaribus, codicem unum Ovidii, unum item Claudiani, eosque non malae notae. Quorum inspiciendorum, si tanti id ducis, tibi copia non deerit, nec ideo multum a via deflectendum erit, cum ea, quae Lutetia Lugdunum itur, per Burgundiam & commodior habeatur, nec unius diculae itinere longior, illud te rogo, si ad nos venturus es, cura ut id sciam prius. Interim sic habe, multum me tibi devinctum muneribus tuis (quamvis de carmine panegyrico quod ad me miseras, solum ex litteris tuis intellexerim,

quae me non ſolum movent pretio & elegantia ſua, ſed praecipue quod ſint animi erga me tui indicia & amicitiae noſtrae pignora, quae mihi eſt eritque ſemper cariſſima. Plurimum te ſalvere jubet *Claudius Morizotus*. Quidam ex amicis rogavit me, ut a te ſciſcitarer, an vir praeſtantiſſimus Parens tuus promiſſas olim lucubrationes, quibus titulus *Diſſertationes Platonicae*, & *Ariſtarchus de diſciplinis veterum*, abſolverit, ſpeſque ulla ſit eas editum iri.

EPISTOLA DLXXXV.

JOANNES BAPTISTA LANTINUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

GAudeo te ſalvum & incolumem in patriam rediiſſe, quod intellexeram ex litteris *Puteani* noſtri, antequam tuae ad me perferrentur. Quas ad *Marium* noſtrum Genevae te dediſſe ſcribis, vidiſſe non memini. Vidi ſolum excerptum ex quadam epiſtola tua ad *Puteanum*, quod ille miſit ad me ante menſes tres, ni fallor, in quo quaedam erant de *Leonardi Aretini* operibus, quaedam de libris, quos mihi emendos ſuſceperas, de quibus gratias habeo tibi maximas. *Sentalium* nondum ad me miſit *Puteanus*, neque ſe accepiſſe ſcribit, qui fortaſſe nondum ad eum pervenerat, cum ad me ultimo ſcripſit, reliqui ſi aberraverint feram moderate, neque minus tibi eo nomine debebo. Tu velim ſi quid ſumptus mea cauſa feceris, me moneas, ut tibi reddi curem. Viros doctos, qui tibi apud nos noti ſunt, ſalvere juſſi plurimum tuo nomine, excepto illuſtriſſimo *Marnaeo*, quem nuper amiſimus, incredibili omnium meoque praecipue dolore, eximiae comitatis, elegantiae, doctrinae, dignitatis & prudentiae juvenem, mihique amiciſſimum. Proſperet Deus tuum in Sueciam iter, faxitque ut apud Heroinam veſtram abundes & gratia & otio, quo praeclaris illis laboribus tuis brevi manum ultimam imponas. Cum *Wttembogartio* illo Ultrajectenſi, quem Lutetiae novi, ut ſcis ante annos quinque, intermiſſum litterarum commercium renovare inſtitui, quare mihi gratiſſimum erit, ſi quam illi ſcribo epiſtolam ad eum perferendam cures. *Langermannum* noſtrum ſalvere jubeo plurimum. Tu Vale, & me amare perges tibi addictiſſimum. In Rullano fundo. XII. Kal. Nov. Anno Domini CIↃIↃCLIII.

EPISTOLA DLXXXVI.

JOANNES BAPTISTA LANTINUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

QUae a me & Clariſſimo viro *Jacobo Auguſto Chavanio* in Prudentianis Codicibus impenſa eſt opera (etſi tenuis quiddam ſit pro tam ingentibus, quas agis, gratiis) tibi gratum eſſe vehementer gaudeo. Cum enim amicitiam tuam maximi faciam, neque poſſim demereri mihi ſemper optatiſſimum fuit.

Am-

Ampliſſimo viro *Joanni Boberio* & *Chavanio* noſtro ſignificavi, quantum eorum humanitati te debere profitearis. Hos viciſſim tibi addictiſſimos eſſe nullus dubites. De *Evotio* quod monuiſti, ita eſſe ut conjeceras, reperi, habet enim uterque Boherianus codex eo locò, quem indicaſti, *Euvoti*, non *Eventi* quae vulgatorum eſt lectio. Hinc vereor, ne plura a nobis praetermiſſa ſint. Quamvis enim diligentia non mediocri uſi fuimus, moniti tamen a Doctiſſimo *Bigotio* noſtro, celeritate opus eſſe, quod editio tua jam fere abſoluta eſſet, feſtinantius fortaſſe hos libros evolvimus. Itaque haud abs re feceris, ſi ea loca notaveris, quae ad vetuſtos codices iterum expendi par eſt. Niſi forte id ſatis ex obſervationibus tuis intellecturi ſumus, longioris enim eſſet operae librum denuo a capite ad calcem percurrere. Caeterum ſcias, ſi quid ad rem, horum Manuſcriptorum illum, qui melioris notae, ex Bibliotheca Monaſterii ſancti Claudii in monte Jura, alterum ex Monaſterio St Martini Auguſtodunenſi ad D. *Boherium* perveniſſe. Vale, vir praeſtantiſſime, remque litterariam augere, & me amare perge, tui ſtudioſiſſimum. Dabam Divione Anno ↀↃↃIↃCLXVIII. a. d. XXII. Januarii.

EPISTOLA DLXXXVII.

PHILIBERTUS DE LA MARE SENATOR DIVIONENSIS

Nic. Heinſio.

Florentiam.

TErtium ad te ſcribo, ex quo te Lugduno diſceſſiſſe accepi, litteraſque Romam & Venetias prout inter nos fuerat conventum, direxeram, quas periiſſe ex tuis ad *Lantinum* noſtrum intellexi, ſaltem ad te non perveniſſe. Quod vero noſtri memineris, gratias agò, Aretini epiſtola de militia penes me eſt ex MS. Cod. Bibliothecae Regiae deſcripta, ſed *Gaddius*, qui ſe mihi illius operum, quae mihi deſunt, copiam facturum promiſerat, fidem ſaepius datam non liberat. Quamvis non ſemel a me interpellatus, & hoc miror, an hoc ruſticationi, quam cauſaris, adſcribere debeam, aut ruſticitati adhuc apud me dubium eſt, mitto ad epiſtolae calcem Aretini operum indicem, quae penes illum latent, needum in manus meas venerunt, ut ea mihi deſcribi cures, ſi ad ſaniorem ſententiam revocetur aliquando. Curabit *Franciſcus Maillardus* Monachus Fullienſis, non tam conſanguinitatis, quam amicitiae vinculo mihi conjunctus, ut praeſto tibi ſit pecunia huic uſui neceſſaria, quod ut diligenter facias iterum te atque iterum rogo. *Langermanno* noſtro ut ejuſdem *Aretini* operum, quae MSS. extant ſex in Vaticana, ſex in aliis Romanis Bibliothecis, indicem velit ad me tranſmittere, quaeſo, aurem velle; urget enim tabellarius, qui ad eum inpraeſentiarum me vetat ſcribere: paravi non ignobilem antiquarum inſcriptionum manum, illi exhibendam, cum hac ad ſuos remeans tranſiturus eſt, ſi modo fidem ſuam (quod voveo) exſolvat: Varias in Ovidium lectiones a *Franciſco Jureto* annotatas curaturum in me recipio, ut ad te

brevi mittantur, quod frustra tunc fieret, donec paternos lares reviseris. Redibis, puto, in patriam antiquitatis nummariae spoliis onustus opimis; Italia enim, si quae est in orbe regio, hoc genere opum dives est imprimis, quod ad me attinet, conquisivi magno studio Liviae, Britannici, Plotinae, Marcianae, Matidiae, Helvii Pertinacis, Didii Juliani, Pescennii & Gordiani utriusque nummos, ex aere aut argento, incassum tamen, quamobrem si eorum aliquos modico pretio comparandi daretur occasio, sicut & Graecos nec non Arabicos, quos scio in Italia reperiri frequentius, secus ac in Gallia, rem utique feceris gratissimam, si comparaveris. Vale, & me, quod facis semper ama: Divione XVI. Kalend. Februar. CIↃIↃCLIII.

Catalogus operum *Leonardi Aretini* MSS. in Bibliotheca *Jacobi Gaddii*, quae a me desiderantur.

Praefatio in Cornelium Nepotem & vitam Attici.
Pro honore Secretariorum contra Advocatos.
Tractatus de Sphaera.
Laudatio in funere Othonis.
Copia cujusdam disputationis ad Ugonem Medicum.
Epistola ad Thomam Campsorem, de antiquitate Arimini.
Epistola ad Nicolaum Veronensem.
Epistola ad Nicolaum de moribus Germanorum.
Oratione in nome della signoria du Firenza all' ambasciatore del Re Alfonso.
Littera al Conte F. Sforza sopra la rihavuta di Verona.
Nouvella fatta per loppositа di quella di Tancredi del Boccacio.

EPISTOLA DLXXXVIII.

PHILIBERTUS DE LA MARE

Nic. Heinsio.

Leidam.

SAlvum te & incolumem rediisse in patriam accepi & gaudeo, grave quippe mihi pridem fuit tam charum Musis caput tot tantisque profectionis Italicae laboribus & injuriis videre obnoxium; subsidet nunc angor ille, ex quo te Lugdunum Batavorum perveniisse audio. Sed quid & *Langermanno* nostro factum est, an rediit ille ad suos, aut adhuc versatur in Italia? hoc tanto magis scire desidero, quanto parata est a me nobilis epigrammatum antiquorum copia ad illum transmittenda. An vero ad te Lutetia Parisiorum missus fuerit meo nomine operum *Leonardi Bruni* Philosophi Aretini elenchus nuper a me vulgatus, non satis certo scio, ut ut sit, iterum ad te & ad *Langermannum* nostrum mitto, nec non varias lectiones, quas ex Codice *Francisci Jureti* V. Cl. qui servatur in bibliotheca *Joannis Boherii* Divionensis ad amussim descripsi. Vale, & me ut facis semper ama. Scribebam Divione XIX. Kalend. Septembris CIↃIↃCLIII. Salutant te plurimum *Lantinus* & *Chevanetus* nostri. Iterum Vale.

EPI-

EPISTOLA DLXXXIX.

PHILIBERTUS DE LA MARE

Nic. Heinſio.

Holmiam.

KAlendis Januariis tuas accepi Holmiae ſcriptas menſe Julio, quibus poſt biennii varios errores tandem ad te varias illas ex *Franciſci Jureti* amatoriorum Ovidii Codice lectiones excerptas pervenisſe ſignificas, id bonum factum, vix enim putabam illas non periisſe centies: miseram autem anno proxime elapſo ad *Langermannum* noſtrum inſcriptiones veteres, quae penes me eſſent, neſcio an eamdem paſſus fuerint ſortem, quamvis ex illius praecepto recta Hamburgum direxiſſem ad illius parentem: ut ut ſit, non gravabor exſcribere denuo, ſi perierint, licet non ſatis mihi certum ſit, qua ratione ad illum tranſmitti debeant. Vulgavit nuper *Moriſotus* noſter epiſtolarum centuriam primam, euditur altera, & mox ſubſequetur tertia, praeter iſta nihil novi apud nos: Lutetiae vero pauca ad modum, niſi *Petri Gaſſendi* opera poſthuma typis brevi ſubjicienda, reliqua vos docebit *Spanhemius* noſter, qui in Bataviam proficiſcitur. Caeterum unum te oro, ut (ni grave ſit) epiſtolarum exemplar ad me tranſmittere digneris, quas *Dominicus Molinus* Patricius Venetus ad virum Maximum *Danielem* parentem tuum olim ſcripſit de rebus a *Condaeo* patre Venetiis geſtis, rem feceris omni ſuaviorem, ſi modo illas ſincere deſcribi curaveris: Vale, & me tui ſtudioſiſſimum amare perge, Divione Kalend. Martiis CIↃIↃCLVI. *Boherius*, *Lantinus*, & *Moriſotus* ſalvere te jubent. Iterum Vale.

EPISTOLA DXC.

PHILIBERTUS DE LA MARE

Nic. Heinſio.

Amſtelodamum.

SPeraveram fore, ut ſi quando reverteretur in Galliam *Spanhemius* noſter, tum ad nos aut aliquid litterarum a te referret, aut ſaltem de tua valetudine faceret certiores, ſed quia ſpes illa decollavit, homine utriuſque noſtrum amantiſſimo in Batavia (ut opinor) lares ponente, nec aliunde quidpiam nobis a te fuerit allatum, ideo mearum eſſe partium duxi iterato ad te ſcribere, tum ut praevertendo meum in te ſtudium teſtatum facerem, cum ut ſignificarem incidiſſe nuper in manus meas Ovidii Metamorphoſeôn Codicem typis quidem editum, ſed ad cujus oram variantes e pluribus MSS. lectiones adnotaverat *Juretus* noſter, quarum tibi copiam facere non dubitabo, ubi acceptas tibi fore accepero: reſcribas ergo velim, certus, nullum a me officii genus praetermiſſum iri, quo me tuum tibi probare queam. Paratur Lutetiae utriuſque *Scaligeri* operum editio, ſi quae ſint apud vos hactenus inedita, curabo ne huic de-

Digitized by Google

deſint, ſi tranſmiſeris. Apud nos pauca typis ſunt edita praeter *Moriſoti* noſtri epiſtolarum centuriam alteram, quibus addidit Illuſtrium doctrina virorum, qui anno CIↃIↃCLIII. obierunt, elogia mihi inſcripta. *Guyeniorum* fratrum apud nos in re litteraria principum poëmata & epiſtolas, quae ſuperſunt, edere cogito; & jam ferverent operae, niſi typographo deeſſent Graeci characteres venuſtiores & nitidioris formae, qui a nobis diu (ut puto) non deſiderabuntur. Caeterum morbus ille, cum quo nimium quantum conflictatus es magno rei litteraria damno, an tandem receſſit? ſi ita fuerit & per valetudinem liceat, quod olim te rogavi, iterum te rogo, ut parentis bibliothecam revolvendo *Domini Molini* epiſtolarum ad illum, quae de *Condaei* patris moribus, quandiu Venetiis egit, mentionem habent, copiam facias, quo fiet, ut & fidem erga me tuam liberaris, & novo me beneficio obſtringas. Vale, & me quod facis ama. De *Langermanno* noſtro nihil audio, an conſarcinandis poſt *Gruterum* veteribus epigrammatis vacat, an vero (quod magis recens nuptum decet) uxori & liberis. Commoda erit *Thuani* ad vos legatio tranſmittendis utrimque epiſtolis, exempto jam rebus humanis *Puteano*, qui tam benigne aderat utrique. Iterum Vale, ſalvebunt a te *Boberius*, *Lantinus*, & *Moriſotus*. Scribebam Divione Kalendas Januarias CIↃIↃCLVIII.

EPISTOLA DXCI.

PHILIBERTUS DE LA MARE

Nic. Heinſio.

Amſtelodamam.

QUAe a me poſtulaſti Metamorphoſeôn excerpta, nunc ad te mitto ad fidem Juretiani Codicis deſcripta beneficio *Joannis Boberii* Divionenſis, qui te plurimum ſalutat, nihil prorſus, quod ſciam, Ovidianorum operum reperitur apud nos in membranis ſcriptum, niſi in Ciſtercienſi bibliotheca, unde maxima quam fieri potuerit diligentia curabo, ut codex ad me transmittatur, quo viſo quamprimum faciam te certiorem, ne, ſi quid in illo ſit, quo tibi prodeſſe queam, fruſtra operam meam deſiderare videaris. Caeterum angit me non parum languidus ille, fluctuanſque & incertus valetudinis tuae ſtatus, quam haud dubie firmabit nova anni tempeſtas, ſaltem ita voveo, ne res literaria, quae hoc anno tot ſenſit funera, hac tua invaletudine fatiſcat. Quod vero de *Salmaſii* epiſtolis apud vos editis ſcribis, hoc vero me admonet, ut te de parentis tui, viri omni laude digniſſimi, vulgandis pariter epiſtolis interpellem, ſi feceris, rem feceris & tibi honeſtam, & rei literariae utilem. Accepi nuper ex intima Graecia nonnullos Codices Graecos MSS. ſed in quibus pauca admodum deprehendi hactenus inedita, homines nempe veſtrates, ut audio, omnem illum tractum expilarunt, & Regiam vere gazam detulerunt in Bataviam, ego, quamvis ſerius, videbo quid in ea re poſſim, & ſi expeditio in Graeciam ſuccedat minus feliciter, certus ſum in ultimam Syriam & Aegyptum ope vicaria penetrare, &, quid ex remotiſſimis illis regionibus ſperandum ſit,

ſit, expedivi. Vale, & me, quod facis, amare perge: Divione Kalendis Mart. CIↃIↃCLVII. De *Leonardo Aretino* altum nunc apud nos ſilentium, deſunt enim mihi nonnulla illius opera, quae editionem morantur. Iterum Vale.

EPISTOLA DXCII.

PHILIBERTUS DE LA MARE

Nic. Heinſio.

Amſtelodamum.

OVidianus ille codex, de quo pridem ad te ſcripſeram, tandem ad me Ciſtercio tranſmiſſus eſt, ſed, ut dicam, ſpei, quam ex illius antiquitate concipiebam, minime reſpondit: in eo quippe poëtarum omnium, etiam Chriſtianorum aliquot, opera continentur vix ante CC annos, manu quidem eleganti, ſed aut imperite, aut ex vitioſo exemplari deſcripta; quod magis evincit ſubjectum Ovidianis operibus, ac ſub ipſius Ovidii nomine poëma de Lupo, quo nihil triſtius, & magis inficetum legi poteſt: hunc itaque codicem ex *Lantini* noſtri, & aliorum emunctae naris hominum, qui apud nos pauci non ſunt, ſententia miſſum feci, cum a vulgatis editionibus nihil differret, niſi quod naevis innumeris ſcateret hoc quidem eſt. Et quod hactenus de poëtae tui operibus praeſtare potui, quamvis pluteos omnes, foruloſque diligenter excuſſerim; non cunctabor tamen, ſi quid deprehendere valeam, quod tuo propoſito conducere exiſtimem, tibi ſignificare. Ne vero putes, ſi res minus proſpere ſuccedat, ceſſaturum ideo me ab inſtituto pridem inter nos epiſtolarum commercio, quo nihil mihi dulcius unquam poſſit contingere: nam ut aut Symmachus ad Theodorum, his maxime nutrimentis amicitiarum cultus adoleſcit. Caeterum de *Dominici Molini* ad virum maximum parentem tuum epiſtolis altum apud te ſilentium eſt, fac quaeſo illis reſciam, quid Venetiis a *Condaeo*, ejus, qui nunc in Belgio verſatur, patre actum ſit, nam hoc & ad rem publicam pertinet, & ad privatos hominis mores. Vale, & me, quod facis, ama. *Guyoniorum* opera prodibunt cum Jano. Iterum vale. Scribebam Divione Kalend. Novembris CIↃIↃCLVII.

EPISTOLA DXCIII.

PHILIBERTUS DE LA MARE

Nic. Heinſio.

Amſtelodamum.

PRidem eſt cum ad te literas dedi nihil quidem continentes illas, quod te valde ſcire attinet, ſed teſtes tamen illius, quam tibi debeo, ſemperque debebo gratiae pro tuis in me beneficiis: eae literae mihi non videntur ad te perveniſſe, neque edita a nobis *Guyoniorum* opera, quae ideo mandaveram, ut Pa-

risiis committerentur bibliothecae Thuanaeae custodi, ut ille certius ad te transmitteret, quid de iis actum sit referibas velim, nam hujus rei sollicitudo & cura tam me angit, quam huic officio, qualecumque illud est, deesse nollem. De tua Ovidii operum editione nihil audio quidquam, improspera forte tua valetudo moram illi injecit, vide tandem qua ratione fidem tuam exolves, hoc siquidem a te praestolatur respublica literarum. De *Molini* epistolis ad virum maximum Parentem tuum de *Condaeo* patre scriptis, quas pollicitus fueras, iterum aurem tibi vello, non una recurrit hyems, ex quo illas in magna hominum corona cum hic esses, te ad me transmissurum palam promisisti, vides quot te promissorum reum perago, cura ut fidem utrimque liberes. Salutant te *Latinus* & *Morisotus*, hic dubia solido fere anno valetudine usus est, aegroto quam sano propior. Vale, & me tui studiosissimum ama. Scribebam Divione Kalendis Januariis CIↃIↃCLIX.

EPISTOLA DXCIV.

PHILIBERTUS DE LA MARE

Nic. Heinsio.

Hagam.

POST biennale pene silentium tuas accepi tandem Hagae Comitis scriptas xxx Octobris, quibus & te valere, & ornandae rei literariae sedulo incumbere scribis; horum utrumque eo magis mihi acceptum fuit, quo te aut minus bene habere, aut nostri penitus fuisse oblitum ex tanti temporis silentio jure dubitaveram, sed quod jam dubio locus non sit, gaudeo summopere, & quas possum gratias ago, quod in ea, quam paras, Nasonis operum editione nostri meminisse dignatus fueris. *Huberti Languetti* V. Cl. nostratis vitam proximis diebus ad umbilicum perduxi brevi forte edendam; is autem fuit, qui in *Guilielmi* Principis Arausionensis fortissimi illius libertatis vestrae assertoris comitatu, Antverpiae, dum ea urbe foederati Belgii ordines potirentur, obiit Anno CIↃIↃCLXXXI, rerum maxima cum prudentiae, doctrinae, & integritatis laude gestarum & scriptarum gloria plenius: id vero te scire velim, ut si quid apud vos reperiri posset, quod ornandae huic spartae conveniret, illius copiam a te impetrare possem, quod minus gravate obiturum te pro singulari tua humanitate confido. De *Molini* epistola iterum atque iterum aurem tibi vello, donec fidem tuam exolveris, eris semper in meo aere. Vale; salutant te plurimum *Lantinus*, *Chifletus*, & *Morisotus*, hic improspera prorsus aliquot mensibus valetudine utitur, adeo ut jam studia literarum parum curare videatur. Iterum vale. Divione Kalendis Decembris CIↃIↃCLX.

RPI-

EPISTOLA DXCV.

PHILIBERTUS DE LA MARE

Nic. Heinsio.

Hagam.

AN delatam tibi Legationem Suecicam gratulaturus essem, multum anceps dubiusque fui; nam quamvis nova te, & amplissima quidem dignitate auctum cernerem, cum subit animum tristissima peregrinationis illius recordatio, quae te avulsum a nobis solido triennio retinebit in extremis pene orbis terrarum partibus, non possum quin summo dolore afficiar, languente sine dubio per hoc tempus instituto pridem inter nos literarum commercio; nec tamen propterea credas velim, etiamsi hoc contingeret, quod augurari nollem, de meo in te studio quidquam remissum iri, sed eum semper, eumque erga te futurum me, qui hactenus. Quod tibi Caesaris apud vos Orator de Brunoniano in Ibin Ovidianam commentario retulit, citra veritatem retulit, nam etsi diligenter inquisierim, nemini tamen hominum nostratum, qui literas colunt, librum hunc vidisse contigit, sed lapsum memoria *Friquetum*, pace tanti viri dixerim, arbitrarer, & librum hunc *Antonio Brunoni* Hispaniarum Regis apud vos, dum vixit, Oratori perperam tribuisse, qui *Dionysium Salvagnium Boessium*, Regiarum in Delphinatu rationum jam Principem, authorem habet, nam editionis illius tempus, locusque iis belle conveniunt, quae a *Friqueto* te accepisse scribis, an recte conjecerim ipse videris, ecce *Salvagnii* librum ad te mitto, tuum deinceps futurum. De *Dominici Molini* epistola, nisi grave sit, haec habe, peregrinatum quippe in Italia fuisse annis MDCXXII, & MDCXXIII. *Condaeum* hujus parentem, qui quasi postliminii jure nuper nobis restitutus est. Scripserat pridem *Spanhemius* noster, Electori Palatino haberi prae caeteris Lucanum in deliciis, quod vero illius rogatu poëtam hunc in integrum restituere cogites, summopere gaudeo, bonum factum, Christianis principibus, post partam orbi Christiano terra marique pacem, non intermissa tamen rei publicae cura, ad litterarum studia serio se convertentibus, quam ubique id factum vellem! Sed ad Lucanum tuum redeo, cujus MS. Codicem Longobardicis literis exaratum utendum mihi dedit *Boherius* noster, ad calcem lib. IX. ita legi,

PAULUS CONSTANTINOPOLITANUS EMENDAVI MANU MEA SOLUS.
M. ANNAEI LUCANI LIBER VIIII EXPLICIT.
LEGENTI VITA, ET PRAEFECTURA;
SCRIPTORI VITA, ET FORTUNA.

Ad calcem autem libri X, qui ultimus est, haec leguntur literis aliquot nimia vetustate exesis, sed quae eundem sensum prae se ferunt,

PAULUS CONSTANTINOPOLITANUS EMENDAVI MANU MEA SOLUS.
M. ANNAEI LUCANI EXPLICIT LIBER X.
L . . . TI VITA, ... FECTURA;
SCRIPTORI . . . . ET FORTUNA.

Scribebam Divione inter saevissimos podagrae cruciatus XVI. Kalend. Februar. CIↃIↃCLXI.

EPISTOLA DXCVI.

PHILIBERTUS DE LA MARE

Nic. Heinsio.

Holmiam.

QUAS ad me dedisti litteras mense Septembri proxime elapso Holmiae scriptas, illae & te salvum appulisse in Sueciam, nec tamen oblitum nostri significarunt, quod quam volupe mihi fuerit, satis dicere non possum, praesagiebam enim cum *Capellano* nostro, te gravissima legatione fungentem, vix nostri, tanto praesertim locorum intermedio, recordaturum, sed tui erga me studii egregium sane extare voluisti monimentum, cum Nasonis operum partem mihi inscripsisti, quamobrem gratias ago quam maximas, certus neminem esse magis erga te fidei & observantiae plenum. Sed quia jam de Nasone mentio, haec habe, nullum me unquam apud nos vidisse operum illius Codicem MS. praeterquam Cistercii, ubi pleraque illius opera leguntur post ducentos annos descripta, & extare inter ea, quod te olim monui, poëma de *Lupo* Nasoni adscriptum, opus sane inficetum, & quo nihil tristius mihi unquam visum est; an illud tibi conveniat, tu videris. Valent *Boherius* & *Lantinus*, hic aetate & literarum studio florens, ille imminuta podagricis doloribus valetudine jam gravis, uterque te plurimum salvere jubet. Sed infaustum hunc autumnum experti sumus, *Morisoto* nostro tibi, nobisque erepto, quem praeter pangendi faciliter carminis copiam, abstrusioris antiquitatis scientia insignite ornabat. Curabo ne uberes illi, quos paraverat in Ovidii fastos, commentarii nobis pereant, si modo fidem ii liberent, penes quos illi sunt. De Lucano, cujus editio paratur auspiciis Electoris Palatini a *Spanhemio* nostro, ubi ex itinere Italico reversus fuerit, dixi alias, contulique ad Boherianum MS. quae tu conferenda curaveras, statimque ad te transmisi. Vale, & me tui studiosissimum ama. Divione XV. Dec. CIↃIↃCLXI.

EPISTOLA DXCVII.

PHILIBERTUS DE LA MARE

Nic. Heinsio.

Holmiam.

ABiret a nobis *Gudius* tuus meusque, & nihil ad te literarum ferret, hoc vero quo Oceano eluerem? Certe quod institutum pridem inter nos epistola-

larum commercium ab anno & ultra jacuerit, nihil tamen eſt, quod inde putes quidquam de meo in te ſtudio detractum fuiſſe hactenus, nec deinceps fore. Sed quae te, praeter rem publicam, quam curas, ſtudia tenent, iterumne Ovidius curis auctus ſecundis paratur ad praelum? Quod ad me attinet, totus ſum in ſcribenda *Salmaſii* vita. Ferio te, nec enim me latent eae, quas cum Parente tuo viro maximo exercuit, controverſiae; extremis illas (ut ajunt) labiis attingam, delibabo tantum ea, quae ad rem meam facient, nec enim mihi vacat ire per omnes ſimultatum ambages, quas cum viris doctis, & amicis etiam, quod jure illi objeciſti, geſſit: hoc unum mihi conſilium ſtat, literarum hiſtoriam in *Salmaſii* vita ſcribere, in qua ſuus cuique honos pro merito habebitur. Si quae ſint penes te, quae ad eam rem faciant, eaque mecum communicaveris, rem feceris & te dignam, & mihi gratiſſimam. Vale & me, quod facis, amare perge, Scribebam Divione Kalendas Julii CIↃIↃCLXIII.

EX VITA SALMASII

Dum haec Leydae aguntur, Divione parum ſollicitus agebat, quem exitum res iſtae foret habitura, niſi, quod eo deductam eſſe doleret, ut aut vincere, aut vinci prorſus neceſſe eſſet! ſed & commiſſum ſe cum Daniele Heinſio, *viro ſupra titulos omnes & elogia, moleſtiſſime tulit, quem & loco illo, & ſucceſſione, quam non obſcure ambiebat, digniſſimum judicabat, ut nec digniorem alium eſſe profiteretur, qui* Scaligero *ſuccederet, addebatque tunc ad* Grotium *reſcribens, quod ſi conventui illi Academico interfuiſſet, quo negotium tractatum eſt, & dicendae ſententiae jus habuiſſet, ſuus* Heinſio *ad victoriam calculus non defuiſſet.*

EPISTOLA DXCVIII.

NIC. HEINSIUS

Philiberto. de la Mare.

Divionem.

ANnus jam eſt, quantum datur meminiſſe, & quod temporis effluxit, eximie & Ampliſſime vir, quando miſſis aliquot Claudiani mei a bibliopola Lutetiam exemplaribus, unum ex his ut ſeponeretur, ac ad te iret meo nomine, virum clariſſimum ac perquam officioſum *Emericum Bigotium* verbis enixis rogavi. Nec dubito illum precibus meis dediſſe, qua eſt comitate; quamquam nuntios haud ullos de hoc negotio ab illo pro exſpectatione mea confecto accepi poſtmodo. Nunc & novam Poëmatum accipies editionem, quam provinciam optimus *Capelanus* ſuſcepit. Non merebantur profecto aut hic, aut ille liber, tam cultas manus ſubire, & metuo jampridem, ne haec putida tibi videatur ac ridicula rerum frivolarum oſtentatio. Malo tamen ego nimius officii, quam parcus videri, praeſertim apud te, qui meae in ſpem gratiae nihil laboris aut moleſtiarum hactenus graveris. Nos hîc in piſtrino publicarum occupationum non ſine taedio quotidiano exercemur. Quo ma-

jorem praesentioremque veniam scripta haec nostra qualiacumque, spero, apud te merebuntur, quae tempore ab hisce studiis maxime alieno foras prorumpunt, bibliopolae potius sic flagitantis, quam mea culpa, qui tempestatem magis oportunam Musis praestolari maluissem, si quis meae sententiae fuisset locus. Viros eximios *Boherium* ac *Lantinum*, si supersunt etiamnum ac aura vitali vescuntur, salvere plurimum jubeo, teque ut mihi favere pergas, anxie rogo. Vale, vir Clarissime, & rem feliciter age. Holmiae Suecorum ad IV. Nonas Decemb. Gregorianus CIↃIↃCLXVI.

EPISTOLA DXCIX.

PHILIBERTUS DE LA MARE

Nic. Heinsio.

Holmiam.

ET tua, & Claudiani poëmata denuo excusa transmisit ad me nuper *Bigotius* tuus meusque, serius quidem quam ille voluerit, & ego vellem, sed ut est sedulus ac diligens rerum fidei suae ab amicis creditarum administer, maluit ea tardius ad me, quam foliis aliquot manca & mutila transmitti, utrumque igitur accepi ab eo numeris omnibus absolutum, quamobrem ago tibi gratias, & ob muneris, quo me dignatus es, elegantium, & quia per publica, quibus distineris, negotia, nihil tamen de tuo in me studio remisisse te video, quod in maxima felicitatis mea parte pono, certus esse neminem, qui tuo erga me animo sincera magis fide, cum se dederit occasio, respondeat. Sed quid agunt virorum optimi, iidem & doctissimi *Spanhemius*, *Gudius* & *Langermannus?* satin salvi sunt? Valent *Boherius* & *Lantinus* tui, hic Lutetiae, quo non ita pridem profectus est, ille domi jam senio gravis & podagra. Vulgavi nuper aliud agendo de *Guillelmi Philandri* viri nostratis vita, moribus & scriptis epistolam ad *Franciscum* Cardinalem *Barberinum*, hujus exemplar curabit ad te *Bigotius* noster, leve quidem, sed certissimum mei erga te studii argumentum. Vale, & me, quod facis, amare perge. Scribebam Divione Kalendas Aprilis CIↃIↃCLXVII.

EPISTOLA DC.

PHILIBERTUS DE LA MARE

Nic. Heinsio.

Hagam.

QUod salvus ad tuos remeaveris lector quammaxime, sic enim fiet, ut semota tantisper rei publicae cura, ad studia literarum redeas alacrior. In bibliotheca Boheriana extant Prudentii Codd. duo MSS. & unus inter eos vetustatis maximae; recepit *Lantinus* se variantes ex utroque lectio-

lectiones excerpturum rebus prolatis, quod commode praestabit hac autumni tempestate, qua rus proficisci non avet, quod nostri facere solent. De Virgilio quod scribis mox a te edendo, rem facis & te, & tanto vate dignam, adscriptas appendicis Virgilianae margini variantes *Salmasii* manu lectiones ecce ad te mitto Lindenbruchianam editionem secutus, his divini poëtae effigiem ex veteri nummo argenteo, qui apud me servatur, delineatam adjunxi. De *Gudio* nostro audiviste quae scribis mirum quantum volupe mihi fuit, nihil quippe litterarum ab eo solido hoc quadriennio accepi, quamquam a nobis discedens primo quoque die se de Phaedri, quam moliebatur, editione renuntiaturum mihi fuisset pollicitus. Vale, & me, ut facis, amare perge. Scribebam Divione pridie Kalendas Augusti CIↃIↃCLXVII.

EPISTOLA DCI.

PHILIBERTUS DE LA MARE

Nic. Heinsio.

Hagam.

DE *Francisci Jureti* schedis non est cur labores amplius, si quid enim superesset illarum, hoc apud *Boherium*, suum cuncumque sine dubio servaretur, illius ex semisso haeredem, sed vir bonus sedulo caverat, ne quid schedarum suarum ad posteros perveniret, ultimo enim, quo decubuit, morbo chartaceam suam omnem supellectilem coram se comburi jussit, seu vitae, aut rerum medio, seu quod illum ut alios quamplures, studiorum cepisset satietas: ex eo autem incendio vix subducta sunt sacrorum poëtarum fragmenta ex variis Codd. MSS. ab eo descripta, quae ut publici juris faceret *Boherio* frustra non semel auctor fui, quod quidem minime praestitisse putem, quod aeque ferret *Jureti* mandato fratrem harum rerum imperitum nimium religiose fuisse obsecutum: narravit quippe mihi non semel *Jureti* schedis non modo constitisse chartaceam illam supellectilem, sed etiam variis divini Herois *Scaligeri*, *Casauboni*, *Pithoei* aliorumque hujus notae hominum epistolis & observationibus. De argenteo Virgilii nummo, cujus ad te nuper iconem transmisi, haec habe, is est crebra digitorum tractatione detritus, refertque quam proxime seu pondere, seu magnitudine argenteos Constantini M. nummos, caeterum tam caecae antiquitatis, ut antiquariorum nostrorum nulli visus sit ipso Constantini aevo, si non superior, saltem non inferior, unde factum est, ut unanimi consensu eum aut ipso Virgilii saeculo cusum, aut circa Constantini M tempora restitutum censuerim: habes meam & aliorum in re admodum obscura sententiam, quam viso nummo aut probasses confestim, aut rejecisses pro tua in hoc literaturae genere sagacitate, nisi nummum nemini hactenus, quod sciam, visum avaris curiorum manibus credere dubitassem. Sed quia de nummis sermo, *Spanhemii de usu & utilitate nummorum* dissertationem typis iterum subjici & quidem longe ampliorem ajunt, & quoniam de *Spanhemio* mentio est, quid

de

de Lucano, cujus editionem tanta magnificentia & cura Palatini VIII. *Viri* jussu & sumptibus adornare se scripserat, factum fuerit, scire velim, ni grave sit. Apologiam pro Parente tuo viro maximo scriptam Anno MDCXLIX. ut tuo beneficio legam, fac obsecro, frustra enim libelli hujus exemplar conquisivi. Jam ad te perveniisse arbitror descriptas ex MSS. Prudentii Codd. varias lectiones *Lantini* nostri cura, quamobrem de his dicere supersedeo. Vale, & me tui studiosissimum ama. Scribebam Campinii ad Tiliam rebus prolatis, Kalendis Novembris CIↃIↃCLXVII.

EPISTOLA DCII.

PHILIBERTUS DE LA MARE

Nic. Heinsio.

Hagam.

JURETI schedas omnes ad unam Vulcano cessisse tam certum est, quam quod certissimum, adeo ut ex tota illius suppellectile libraria nihil reliquum sit praeter varias lectiones ab eo ad librorum aliquot suorum oram ex MSS. Codd. descriptas, & illa veterum poëtarum Christianorum collectanea, de quibus ad te nuper, sed quae constituit tandem praelo subjicere *Boherius*, ubi primum licebit illi per podagram penu suum literarium revolvere, iis coronidis vice subjunget vetera quaedam epigrammata eodem *Jureto* collectore. Paulini poëmatis de vita B. Martini editio nulla unquam fuit praeter mendosissimam illam, quae in bibliotheca Patrum legitur, quam tamen mendosam habere satius est quam carere illa, quamobrem frustra *Bigotio* nostro aliisve amicorum rem eam commendaveris. Sed dum haec scribo, ecce adest mihi ex improviso tuus meusque *Spanhemius* ab Electore Palatino ad Regem reipublicae causa missus, quanto perfusus sum gaudio narrare tibi promtum non est mihi, cum carissimum caput nec visum hactenus complecti datum est, verum dum loquor, elabitur, & Lutetiam Parisiorum fulminis instar properat, praecipitis ac festinati discessus taedium lenit tantisper brevis in aulam excursus spes, cum aderit non cunctabor argenteum Maronis nummum, ut de sincera illius integritate judicium fieret, quod ad te quamprimum rescribam. Apologiam pro viro maximo parente tuo adversus *Joannem Croyum* si ad *Bigotium* nostrum curaveris transmitti, rem feceris suavissimam, quam gratissima saltem memoris animi significatione prosequar. Vale, & me, quod facis, amare perge. Divione XIII. Kalendas Februarii CIↃIↃCLXVIII.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA DCIII.

PETRUS POSSINUS
E SOCIETATE JESU

Nic. Heinſio.

Holmiam.

EX quo novas Athenas auſpiciis Minervae melioris ſub axe procul alio condere coepiſtis & frequentare, fas, opinor, eſt veteres Atticae cives, qui e tenebris ſubinde in famam emergunt, ad vos mittere, vobiſcum jure ſuo atque optimo futuros. En hîc meus Theophylactus ex iſto numero adſpirare ad te geſtit, vir clariſſime, in magni beneficii parte numeraturus, ſi, te agente, admiſſionem apud Sereniſſimam Reginam nanciſci poſſit, cujus audientia atque conſpectus omnium hodie literarum, omnium ingeniorum commune votum eſt. Vir eſt, quantum judicare poſſum, ſtylo atque judicio limatus, ſermonis elegantis ſupra captum ſeneſcentis Graeciae, & ejus, qua floruit, aetatis ante hos annos quinquaginta ſupra quingentos; aequalis videlicet temporum, uti & aemulus ſtudiorum Annae noſtrae. Vidiſti ejus epiſtolas ab annis jam triginta *Meurſii* opera editas apud vos, ex codice, ut apparet, valde mendoſo; quae auctiores & emendatiores haut paulo e Bibliotheca Medicaea, non ſine operae pretio poſſent edi; quemadmodum obſervare mihi non ita pridem contigit, per menſes duos Florentiae moranti; & videlicet totos exigenti dies in Laurentiana illa Bibliotheca luſtrandis deſcribendiſque operibus veterum. In his hoc opuſculum ut cupide tollerem, effecit Chriſtianiſſimi Regis Noſtri gemina aetas, & caetera in pleriſque conditio generis, felicitatis, ſpei, cum iſto Conſtantino, quem celebrat Theophylactus: Amicorumque hortatus in id certatim incubuere, ut maturarem hoc ei, tamquam ejus Majeſtate non indignum, offerre munuſculum. Qua fronte is acceperit dicerem, niſi verendum eſſet, ne tali commemoratione aſtutae jactantiae ſuſpecta, commendationem benignitatis regiae in meriti proprii praejudicium trahere videri poſſem. Illud non tacebo: ita ſucceſſiſſe Theophylacto meo conſilium ſuum adeundi affandique Regis Maximi, ut inde animus ei factus ſit ad appetendum Illuſtriſſimae Reginae colloquium; ejus inquam Reginae, quîcum, deſueta multis jam ſaeculis felicitate, miſcere ſermones poſſit ſine interprete homo, licet Byzantinus & Atticiſta. In iſtam ſpem duo en ad te, Amicorum optime, Libelli hujus exempla deſtino: quae, ut ſpero, ſimul cum his literis accipies, alterum oblaturus, ſi tibi videbitur, Sereniſſimae Reginae. Nuper Romae familiariſſime agens, cum noſtro *Athanaſio Kirchero*, audiebam ab eo, id quod fama publica egregie confirmat, vim ineſſe humanitatis Heroinae illi parem ingenio ipſius atque fortunae; adeoque non dubitare illam eo uſque demittere Principale faſtigium, ut literaria munuſcula noſtri ſimilium non reſpuat. Igitur ipſi Comnenam meam mox exituram eo confidentius paro, quod fieri non poteſt, ut ei grata jucundaque non adveniat, cui tanta omnis ge-

neris intercedit, cum ipsa similitudo. Expectandi tamen in hoc tui consilii otium offert lentitudo editionis, nescio quibus causis tamdiu haerentis. Anni jam plane evoluti sunt duo, ex quo interpretatio mea totius Alexiadis perfecta descriptaque in manus Curatoris Typographiae Regiae venit. Anno tamen hinc cessatum: ac mense demum Majo anni praeteriti excudi coepti sunt Regiis praelis Alexiados Annae Comnenae libri xv. Trium deinde mensium intermissio injecta. Resumptum dudum opus non cursu, aut saltem incessu, sed reptatione quadam prope jam ad umbilicum pervenisse dicitur. Habeo paratam, quam dabo mox postea, aliam Historiam perelegantem, nec umquam visam, *Joannis Sinnami*, inde inchoantis narrationem suam, ubi Anna desiit. Vale, vir Clarissime, & fiduciam de te meam virtutis tui notitiae assigna, ideoque boni consule. Scribebam Tolosae x. Kalendas Jun. Anno CIↃIↃCLI.

EPISTOLA DCIV.

PETRUS POSSINUS

Nic. Heinsio.

Leidam.

QUam persuasum habuerim ante hos dies paucos, esse te ac porro futurum in Comitatu Serenissimae Reginae Suecorum, argumento erunt postremae ad te meae tum datae literae; quas spero vel te accepisse jam, vel cum his accepturum, adjuncto iis exemplo gemino Theophylacti mei, quem, quoniam nihil elegans & eruditum non continuo Heroinae istius vestrae oculis dignum est, sperare audebam oblatum per te iri Majestati ejus. Nunc a Parisiensibus amicis audio, remigrasse te in Patriam; ubi conveniri te a me nova causa subigit. Audivi nunc primum, quod si antea rescissem, non tandiu cessassem appellare te, audivi, inquam, habere te in tuis κειμηλίοις inter alia παρασκευάσματα peregrinationis Italicae, manu exaratum codicem Historiae *Joannis Sinnami*. Est is homo, quicum (quod dici solet) salis modium comedi; cujus exemplar a tribus jam annis ad me missum ab Illustrissimo Franciae Cancellario *Petro Seguerio* contrivi legendo vertendoque. Denique interpretatio ejus libri mea jam coepit regiis Lutetiae praelis subjici. Percussit igitur merito me rei tam ad me pertinentis indicatio; veritusque sum, ne gessisse negligentius negotium publicum videri possem, si unius non optimi codicis auctoritate fultus editionem operis alioqui luce dignissimi praecipitarem, quae fieri forsitan emendatior meliorque haut paulo exempli alterius collatione posset, cujus usuram tam amica in manu positi diffidere mihi concedendam, tuae humanitatis injuria foret. Ea me causa impulit, ut raptim ad D. *Cramoisum* Regiae Typographiae curatorem scriberem: inhiberet tantisper cursum ruentis praeli, sustineretque usque ad responsum tuum. Hic jam potestatis tuae facio, vir Clarissime, quid huic fiduciae de te meae facias: Comprobarene illam & successu indulgendo affirmare velis: an contra, id agere, ut vanam eam fuisse

im-

improbamque deſtitutio ſperati exitus demonſtret. Equidem dum ex meo animo tuum aeſtimo; dumque illa repeto memoria indicia indolis nobilis Geniique ad juvandas literas unice nati, quae uſurpare coram oculis & experientia percipere praeſenti licuit, dum tuae jucundiſſimae conſuetudinis dulcedine fruerer, vix eſt, ut perſuadere mihi queam aliud, quam omnino fore, ut facere liberaliter quam avare ceſſare potius, teque dignius habiturus ſis: magiſque nos velis praedicandi tui beneficii, quam repulſae ac deſiderii conſolandi noſtri cauſam habere. Vale. Scribebam Toloſae XVIII. Kalendas Quintiles Anno CIↃIↃCLI.

EPISTOLA DCV.

PETRUS POSSINUS

Nic. Heinſio.

Florentiam.

QUas ante hos tres menſes ad te Lugdunum datas a me literas *Medonio* noſtro commendaveram, an perlatae fuerint ſi dubitem, tam diligentis Amici fidei atque officio injuriam faciam. Cognoveris igitur ex iis, quam aegre mihi fuerit, quod cum non ſatis diſtinxiſſem in quadam epiſtola tibi ſcripta oblationem libri privatam a nuncupatione publica, viſus ſim poſliceri aliquid, quod in mea poteſtate minime tum fuit. Ex eo tempore literas accepi ab *Iſaaco Voſſio* humaniſſimas, quibus certiorem me fecit, de incredibili Sereniſſimae Sueciae Reginae in me benignitate, qua Theophylactum meum, per te ad ipſam miſſum & gratum habere dignata eſt, & id ipſum ſignificari mihi voluit. Pervenerit, ſpero, dudum ad illam exemplar Annae, quod epiſtola privata ipſi offerre ſum auſus, prout tibi me facturum oſtenderam, certe oſtendere volueram, illis literis, quas tu, jure fortaſſe tuo (non enim, ut dixi, ambiguitatem ſatis caveram) plus aliquid promiſiſſe credidiſti. Qua in re ut praefracte non negem, obrepſiſſe mihi aliquid per ἀπροσεξίαν quandam, quod iis verbis cogitationem expoſui meam, quae occaſionem vobis dederint aliud quam vellem intelligendi; ita ſpero humanitatem tuam imprudentiae huic non inclementer occurſuram. Tamen, ut e malis interdum bona exiſtunt; lucro meo imputo, quod ex iſto qualicumque incommodo non ſatis explicati dicti licuerit intelligere non aſpernaturam ſereniſſimam Reginam, ſi quis ei editus per me liber dedicatione publica inſcribatur. Non negligam indicium, aut tanti decoris uſurpatione omittenda committam, ut prodigus ingerentis ſe felicitatis contemptor audiam. Etſi enim meum eſt, qui nuncium remiſi rebus humanis, nihil magnopere aut curare aut mirari periturum; tamen indolem & eruditionem aeternitate digniſſimam Auguſtiſſimae Principis in cenſu rerum mortalium habere non debui: quin etiam ad ipſum officium coeleſtia ſpectantium pertinere arbitror tantae laudis exemplum ſplendidiſſimo in loco poſitum, ingenioſiſſimae, inquam, ejuſdemque doctiſſimae Virginis, claritate ſumma regii generis, copiiſque fortunatiſſimi regni cumulatam gloriam praeconio & gratula-

tulatione prosequi. Et offert se commodum non indignus, ni fallor, liber, qui nomini tanto inscriptus prodeat. Memini me alias indicare tibi, venisse in manus meas Historiam Byzantinam Nicephori Caesaris Bryenii, opus rarum & praeclarum. quo tres δυναστεῖαι Byzantinorum Principum, videlicet Romani Diogenis, Michaëlis Ducae & Nicephori Botaniatae, accuratissime perscribuntur, & e superioribus Principatibus Basilii, Isaacii Comneni, Constantini Ducae, Eudociae ac filiorum ejus quaedam haut vulgo nota repetuntur. Eum ego librum a me descriptum emendatum, Latina interpretatione & Annotationibus ornatum paratus sum Typis Regiis edendum mittere, praefixa ad Sereniſſimam Sueciae Reginam epistola, qua meam erga tantam Principem observantiam venerationemque contester. Non tamen id facere prius ausim, quam a te aut *Vossio*, conscius sensuum ejus intimorum, didicerim Majestati ejus id gratum fore. Ac *Vossio* quidem ita pridem hac de re scripsi, ut si tabellarii non cessarunt, consentaneum sit meas jam ei redditas literas esse. Tuae tamen, si quid his rescribere tanti duxeris, & occurrere opinor ad tempus poterunt, antequam manum ultimam imposuero meis schedis, & mihi certe, ut tua omnia, longe gratissimae jucundissimaeque accident. Vale. Tolosae VI. Kalend. Mart. Anno CIↃIↃCLII.

EPISTOLA DCVI.

HENRICUS VALESIUS

Nic. Heinsio.

Parisios.

INdicavit hodie mihi vir Cl. *Langermannus* cupere te in Italiam tecum asportare libros *Joannis Tristani* de Nummis Imperatorum, promiseramque ei illos me ad te missurum. Sed prius id te monitum volui, libros illos meos non esse, sed *Tristani*, qui eos suis sumptibus edidit, & apud me aliquot exemplaria deposuit, cum rus proficisceretur. Itaque ego, cujus fidei commendata sunt, rationem ei reddere teneor, simulatque in urbem advenerit. Quod si mea essent exemplaria, libentissime ea tibi donarem. Sed neque mea sunt, ut jam dixi, nec tibi ipsi ea comparare vis, sed Bibliothecario ducis Florentiae. Proinde aequum est, ut si ea habere velit, pretio comparet. Sunt homines Itali plerumque ejusmodi, ut omnia gratis velint habere. Sed non is est *Tristanus*, qui sua libenter donet. faciam tamen quod volueris, quodque harum literarum bajulo mandaveris. Vale vir Clarissime 20. August. CIↃIↃCLI.

1 Haec, & tres sequentes schedulae, codicilli fuere *Heinsio*, in urbe Lutetia versanti, missi.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA DCVII.

HENRICUS VALESIUS

Nic. Heinſio.

Pariſios.

NON licuit mihi ad *Gronovium* ſcribere, ob quaedam domeſtica negotia. Itaque te etiam atque etiam rogo, ut illi ſignifices literis tuis gratiſſimos mihi fuiſſe ipſius libellos, primum notarum in Senecam, alterum deinde Obſervationum ſacrarum. Quos integros legi & magnopere probavi. Eoque nomine magnas ei gratias ago, vellemque & Senecam Tragicum nobis quamprimum emendatum a ſe exhiberet. Librum Amicorum *Lucae Langermanno* remitto, in quo ego & frater meus nomen noſtrum aſcripſimus. te & illum craſtina die ſalutare conſtitui. Proinde Amanuenſi meo renuntiabis, utrum cras hora ſecunda & tertia poſt meridiem, tui copiam nobis facturus ſis. Quod ſi erit incommodum, die Dominico mane te conveniemus. Vale, vir Clariſſime & me ama. Pariſiis Kalendis Septembris CIↃIↃCLI.

EPISTOLA DCVIII.

HENRICUS VALESIUS

Nic. Heinſio.

Leidam.

OPtaveram te ſolus abſque ullis arbitris convenire. Sed quoniam id nobis non licuit, agam tecum per literas, & intima mea tibi exponam. Ego te virum optimum, prudentiſſimum ac doctiſſimum ſemper judicavi. Et nunc etiam judico: tuamque notitiam magni facio, meque a te diligi maxime volo. Eſt interim, quod de te querar, qui cum Ser. Reginae nomine munus ad *Ferrarium* deferas, clam me id eſſe voluiſti. Cum tamen id ipſum aliis in hac urbe declaraveris, a quibus id mihi renuntiatum eſt, & *Bidallius* noſter rem ingenue mihi conteſſus fuerit. Quin etiam nuper cum te de ea re interrogaſſem, vel diſſimulaſti vel negaſti. Quod certe minime factum oportuit. nihil enim amicos celare fas eſt. Aut ſi id licet, omnis amicitia e medio tollitur. ignoſco tamen tibi, modo inpoſterum me ames. Libros, de quibus tibi dixi, ſi in Italia mihi emeris, rem mihi gratiſſimam facies. Pretium ſolvam *Bidallio* cum vectura. Opto, Clariſſime Domine, tibi & *Langermanno* noſtro proſperum peregrinationis curſum. Pridie Nonas Septembres CIↃIↃCLI.

EPISTOLA DCIX.

HENRICUS VALESIUS

Nic. Heinſio.

Amſtelodamum.

DOleo, quod heri abfuerim, cum domum meam veniſti, adeo ut tantum laboris fruſtra ſuſceperis. Praemonendus a te fueram per famulum, ut te domi expectarem. Eram in aedibus *Fabri Cantarelli*, quo ſingulis Hebdomadis convenire ſolemus die Martis poſt meridiem. Magnaque eo die doctorum hominum turba illic adeſſe conſuevit. Quod ſi vacuum tibi hodie tempus erit poſt meridiem, conveniam te domi. Mitto ad te Statium meum a *Nic. Fabro* collatum cum ſcriptis codicibus. Eo uteris, quamdiu voles. Vale, vir Clariſſime. Septimo Idus Septembres CIↃIↃCLI.

EPISTOLA DCX.

HENRICUS VALESIUS

Nic. Heinſio.

Romam.

EGO de affectu tuo erga me, vir clariſſime, nec dubitavi antea, nec unquam dubitabo. Te enim virum optimum & conſtantiſſimum eſſe certo ſcio, qui amicitias, quas ſemel iniveris, ſumma fide & conſtantia retinere ſoleas. Sed tamen magnopere gaudeo, quod affectum tuum etiam ſcriptis literis mihi approbare voluiſti, ut hoc tanquam pignus haberem animi tui. Equidem in amicitia nolim moleſtos ac difficiles creditores imitari, qui debitorum fidem ſemper in dubium revocantes, vix ullis pignoribus & hypothecis contenti ſunt. Verum nihilominus ut ingenue fatear, hoc amoris pignore magnopere delector. Hujuſmodi enim literarum officiis ali quodammodo mihi & renovari amicitia videtur. Itaque ſi rem mihi gratam facere volueris, quam ſaepiſſime ad me ſcribes, modo id tibi per occupationes tuas liceat. Quod vero operam tuam mihi humaniſſime offers, libenter amplector, teque oro ut ſi quid in Bibliothecis aut apud amicos in Italia reperies, quod ad Euſebii, aliorumque hiſtoriae eccleſiaſticae ſcriptorum illuſtrationem conferre poſſit, mihi ſeponas. Scripſi de eadem re ad Em. Card. *Barberinum*, & ad viros D. D. *Holſtenium* & *Allatium*, ſed nihil adhuc ab illis exſculpere potui. Promiſeras etiam mihi dum hîc ageres, inſcriptionem quandam *Lucii Turcii Aſterii*, quam te olim legiſſe dicebas in codice Florentino. Nihil mihi gratius facere potes. Quam ſi confeſtim eam ad me mittas. Nam in quodam libello meo, quem Sereniſſimae Suecorum Reginae offerre decreveram eam inſcriptionem inſerere conſtitui, imo, ut verum dicam, jam ex fide tua inſerui. Quod ſpectat ad peregrinationem meam Suecicam, ſic rem paucis accipe. *Bochartus* noſter eo profectus eſt abſque me. Scripſit quidem ad me, antequam proficiſcere-

ceretur, ſed tanta cum feſtinatione, ut appareret ſolum ipſum proficiſci voluiſſe. Praeterea *Voſſius* noſter jam dudum nullas ad me literas dedit. Septem enim menſes fluxerunt, ex quo literas ab eo accepi, cum tamen ter ego ei ſcripſerim. Itaque ego eum mihi ſubiratum eſſe ſuſpicor, idque quibuſdam ejus amicis, qui me ejus nomine convenerunt, non diſſimulavi. Denique *Bidallius*, cui literas *Bocharti* noſtri legendas miſeram, quibus mihi ſignificabat ſe propediem profecturum eſſe, nullam mihi pecuniam obtulit. Quin etiam torquem aureum, quem ante ſeptem menſes mihi & Domino de *Brieux* Cadomenſi offerre juſſus fuerat, nondum mihi detulit, cum tamen *Brioſio* torquem ſuum jamdudum tranſmiſerit, ut primum ex *Brioſii* carminibus, deinde ex *Bidallii* ipſius confeſſione didici. Quae cum ita ſint, egone in Sueciam proficiſci potui, ita contemptus & ludibabitus. Scripſi tamen *Lagerio*, qui a ſecretis eſt Ser. Reginae, ut me apud eam excuſaret, eique ſignificaret, me nihilominus adhuc paratum eſſe in Sueciam proficiſci, quotieſcunque opportuna offeretur occaſio. Haec te, cariſſime Heinſi, inprimis ſcire volui. Vale, vir clariſſime. *Langermannum* noſtrum meo nomine plurimum ſaluta. Lutetiae Pariſiorum, quarto Kalendas Junias CIↃIↃCLII.

EPISTOLA DCXI.

HENRICUS VALESIUS

Nic. Heinſio.

Romam.

MEmorem te atque fidei optimae virum eſſe etſi antea minime dubitabam, tamen plane perſpexi ex literis tuis, vir clariſſime: quod enim mihi anno ſuperiore Lutetiae promiſeras, id nunc tandem cumulate perſolvis. Cumque ii, qui voluptatis & oblectamenti cauſa peregrinantur, amicorum fere oblivisci ſoleant, tu, qui ſtudiorum cauſa Italiam perluſtras, inter tot negotia, quibus diſtrictus es, inſcriptionis tamen illius mihi dudum abs te promiſſae meminiſti. Itaque ſingulares eo nomine tibi gratias ago. Expectabam enim inſcriptionem illam in dies, quippe cui vacuam ſedem reliqueram in [1] libello meo de Critica, quem Ser. Reginae nuncupare ſtatueram. Sed aliud mihi fortaſſe conſilium capiendum erit. Omnis enim aditus in aulam illam mihi intercluſus eſt calumniis quorumdam malevolorum. Ac ni fallor iidem ipſi, qui *Voſſium* noſtrum exturbarunt, adverſus me etiam conſpiraverunt. *Voſſium* quod mihi excuſas laudo. id enim lex amicitiae poſtulat, ut de amicis noſtris bene ſentiamus, nec ob levis negligentiae culpam eis ſuccenſeamus. Ego certe non id illi vitio verto, quod literis meis non reſpondit, ſed quod calumniatoribus meis fidem adhibuit, a quibus ipſe poſtea eſt peſſumdatus. Sed & nihilominus amo illum, & impoſterum amabo. Pro certo enim habeo

1 Hic nondum prodiit, ſed nuper ex Gallia huc delatus, brevi ſpero, mea opera lucem videbit, licet ſupremam manum non impoſuerit auctor.

Digitized by Google

beo illum non malevolentia erga me, ſed errore ac fraude aliorum inductum id egiſſe. De *Holſtenio* quod ſcribis noluiſſe illum reſpondere literis meis eo, quod ante aliquot annos literis ipſius reſpondere ſuperſediſſem, agnoſco culpam meam.

Αἰκὲ πάθοι ὁ ἱμὸς δίκη ἰδῶν γένοιτο.

Quamquam factum meum excuſare facile poſſem. Morbus enim amanuenſis mei & civiles motus, ne ad illum ſcriberem, obſtiterunt, neque vero aequalis in ſcribendo diligentia a caeco & a lynceo exigenda eſt. Iterum pauca de *Voſſio* noſtro, cujus cauſa magnopere doleo. Si quid certi de eo comperiſti, velim ad me ſcribas, & utrum ſperes eum in aulam rediturum eſſe. Quae enim hîc jactata ſunt a *Bidalio*, *Freſnaeo*, *Salmaſio*, fidem mihi omnino non faciunt, quippe cum illos & *Voſſio* & nobis infenſiores eſſe deprehenderim. *Freſnaeus* quidem nos brevi miſſionem a Regina accepturos eſſe mihi dixit. Sed & tu & *Langermannus* his opus non habetis. Quod ſcribis *Langermannum* noſtrum de edenda Anthologia cogitare, laudo ejus conſilium. Sunt quaedam apud me inedita ex Palatino codice deſcripta, in quibus nonnulla obſervavi, quae ipſum adjuvare poterunt. Frater meus te, & illum ſalutat. Vale, vir Clariſſime. Lutetiae Pariſiorum, tertio Kalend. Auguſtae CIↃIↃCLII.

EPISTOLA DCXII.

HENRICUS VALESIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

JAmdudum ad te nihil literarum dedi, vir Clariſſime, quod te iter agere dixeram, nec quonam dirigendae eſſent literae noſtrae exploratum habebam. Nunc vero ſalvum te & incolumem in patriam rediiſſe magnopere gaudeo, tibique & Cl. V. parenti tuo ob id gratulor. De *Langermanno* noſtro idem mihi perſuadeo, eum felici curſu domum revertiſſe. Sed ô factum male, quod libri illi, quos ex Italia convehendos curaveras, in Anglicanorum praedonum manus inciderunt. Spero tamen te auctoritate Sereniſſimae Reginae non difficile eos recuperaturum. De *Voſſio* noſtro certiorem me facias velim, utrum in Sueciam reverſus ſit. Ea res hîc a quibuſdam in dubium revocatur. Pervulgatiſſimus in hac urbe rumor eſt, Aulam Suecicam viris doctis amplius non patere, ſperni illic ſtudia literarum, & neſcio quos rythmos ac libros inficetiſſimos in pretio haberi. Idque culpa nebulonis cujuſdam, qui Ser. Reginae animum a ſeriis ſtudiis ad haec ludicra & inania traduxerit. Verum ego his rumoribus fidem adhibere non poſſum. Melius enim ſentio de ingenio Ser. Reginae. De me ſi quid ſcire cupis, ſcias abſolutam eſſe a nobis Euſebianae hiſtoriae verſionem. Interpretatus ſum etiam libros quatuor de vita Conſtantini, cum oratione ejuſdem Imperatoris. Supereſt oratio tricennalis Euſebii. Scripti Codices Bibliothecae Regiae leve admodum mihi ſubſidium attulerunt. Audivi ex te, cum Lutetiae ageres, eſſe in Bibliotheca V. Cl.

V. Cl. patris tui codicem Euſebii collatum cum optimo exemplari. Ejus ſpecimen aliquod velim ad me mittas, ſi tibi otium erit, ut intelligam, ſintne eae conjecturae duntaxat an variantes ſcripti Codicis lectiones. Orationem meam de obitu *Dionyſii Petavii* utrum nactus ſis neſcio. Sepoſui tibi exemplar, quod miſſurus ſum ad te, ubi primum mihi ſignificaveris, qua via & per quos mittendum ſit. Vale, vir Clariſſime. Lutetiae Pariſiorum x. Kalend. Septembres CIↃIↃCLIII.

EPISTOLA DCXIII.

HENRICUS VALESIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

JAmpridem ad te, vir Clariſſime, ſcribere decreveram, ut ob felicem tuum in Sueciam adventum tibi gratularer. Sed quoniam ad *Voſſium* noſtrum literas jam dederam, prius ab eo reſponſum expectabam, ut de adventu tuo tuiſque rebus certius cognoſcerem. Nunc vero quando & *Voſſius* Pythagoricum quoddam ſilentium indixiſſe ſibi videtur, & ex tuis ad fratrem meum literis intellexi te epiſtolas noſtras deſiderare, ſcriptionis officium non amplius differendum putavi. Singulares igitur ago gratias, quod memoria nominis mei adeo penitus in animo tuo inſideat, ut literis meis diutius carere non poſſis: teque vehementer oro, ut in hoc ſtudio, & in hac erga me benevolentia ſemper perſeveres. Cum antea tibi gratulari decreviſſem, ob tuum in aulam Regiam adventum, nunc majoris gratulationis cauſam mihi eſſe oblatam magnopere gaudeo. Nam ex literis, quas ad Cl. V. *Capellanum*, ſcripſiſti Sereniſſimae Reginae recentem erga te munificentiam cognovi. Qua quidem re non minus ſum delectatus, quam ſi mihi ipſi idem honos contigiſſet. Ita enim res ſe habet, ut omnes ſibi delatum putent, quod dignus accepit, quemadmodum alicubi ſcribit Symmachus. Contra vero quod indignis & improbis hominibus tribuitur, id ſibi quiſque bonus ereptum exiſtimat, & injuriam ſibi fieri cenſet. Et quoties quidem vir bonus praemio afficitur, eum, qui beneficium contulit, omnes praedicant. Quoties vero vir improbus honore ac beneficio afficitur, ſummum opprobrium ac dedecus in dantem redundare ſolet. Sic plane, ne exempla longius arceſſam, Sereniſſimae Reginae hanc erga te munificentiam omnes hîc magnopere collaudant. In illum vero, quem noſti, plura non dicam, tu per te ipſe facile cetera conjicies. *Voſſio* noſtro parem felicitatem opto, quamquam ei ſum ſubiratus: Idque velim ei nunties. Qui cum ante tres menſes literas a me acceperit, nihil tamen adhuc mihi reſcripſit, idque tametſi ante biennium plures ad ipſum literas ſcripſerim. Quodquidem qua de cauſa ſic agat, & cur in tam diuturno ſilentio obſtinatiſſime permaneat, equidem conjicere non poſſum. Nam quod ad me attinet, nec dicto nec facto ullo eum unquam laeſi: ſed ſingulari ſemper amore eum complexus ſum, complectar-

que dum vivam. *Langermannum* noſtrum velim ſalutes meo nomine, mihique quid agat ſignifices. Ego notas meas in Euſebium adorno, quae ubi abſolutae fuerint, editionem meam inchoabo. Utrum in bibliotheca Ser. Reginae Codex Euſebii manuſcriptus inveniatur certior abs te fieri velim, ut aliquot locorum collationes ad me mittantur: tuum erit pro tuo erga me & erga literas amore id inquirere. Vale, vir Clariſſime. Lutetiae Pariſiorum XVI. Kalendas Majas CIↃIↃCLIV.

EPISTOLA DCXIV.

NIC. HEINSIUS

Henrico Valeſio.

Lutetiam.

LUculentum benevolentiae erga me tuae teſtimonium atque argumentum eſt mehercules, poſtrema, quam mihi ſcripſiſti, epiſtola, Clariſſime & ſumme vir. Hunc ego affectum plane ſingularem eo pluris facio, quod bene de te mereri hactenus non ſit datum: etſi occaſionem defuiſſe mihi, non voluntatem rebus tuis bene conſulendi haud ignoras ipſe. *Voſſius* officio ſe functum in danda ad tuas literas reſponſione non ſemel jam adfirmavit mihi. Epiſtolam illam, ſi ad te perlata non eſt, apud tabellarium Belgicum fore inveniendam arbitratur, Pariſiis: quam eo jam ante tres menſes miſerit. Conſilium Reginae nuperum de vita privata agenda praeteriſſe te non potuit. Expectamus ſuſpenſis animis hujus exitum tragoediae, quot rebus regiis bene cupimus. Menſis forſan unius mora ſupereſt, ut Regno ſe ſubducat Auguſta, & Diadema ſucceſſoris capiti imponat. Ex Italia redux ſub primum nuper in hanc aulam adventum nihil habui prius, quam magni beneficii loco miſſionem a Regina flagitare, ita rebus familiae noſtrae privatis & adfecta parentis valetudine exigentibus. Parum tamen aut nihil promovi hactenus, etſi iterarim identidem eaſdem preces. Nec liberalitate Regia & ſplendidiſſimis promiſſis a propoſito me dimoveri paſſus ſum. Negat tamen illa conſenſum pertinaciter votis fervidiſſimis: quin juſſit, ut ad iter Spadanum me accingerem, comitatui ſuo interfuturus. Etſi manum clientium exiguam oppido ex plurimis ſelegerit, inſerviturum ſibi in via. Juſſus eſt & ſequi *Voſſius*. Sed is provinciam hanc deprecatur, quod veteres injurias necdum concoxerit. De me certi adfirmarim nihil. Debentur enim patenti hic meo aureorum millia duodecim circiter, ſuo partim, partim Rutgerſiano nomine; id debitum ſi Regina expunxerit, ut expuncturam ſe ſemper eſt pollicita, atque etiamnum pollicetur, moleſtiam ineundi itineris nullis coloribus poſſum ſubterfugere: cum alia lege uſquam ſatisfaciendum ab illa fore Patri praevideam. Si deſtituerit promiſſa, libertas non deſtituet, quam ambabus ulnis amplectar. *Langermannus* hanc hyemem in Theocrito ſe occupavit, quem notis ſuis illuſtratum dabit aliquando in lucem. Notae quidem ipſae jam paratae ſunt; ſed quibus a majoribus plurimum ornatus accedet. Euſebius tuus ſalivam eruditis omnibus mo-

movet. Utinam opus eruditissimum mox videamus! Eusebiani codices manu exarati an in regia bibliotheca ulli serventur non dixerim. Alio enim translata est bibliotheca, nec a me visa, ex quo huc reversus sum. Viciniorem illam opinor esse vobis, quam sit mihi. Exemplar Eusebii inscriptum Florentiae servabatur, non valde antiquum tamen, cum aliis multis Graecis codicibus, apud Ducem *Salviatum*. Hos ille omnes me intercedente Reginae donandos obtulit per epistolam. Respondit illa, sed an munus admiserit, haud scio. Non enim inter tantas occupationes, quibus nunc distinetur, consultum duco, curas ejus a rebus seriis ad hasce leviores avocare: praesertim cum post gravitatem sceptri relictam credi omnino velit fore, ut totam sese studiis sit dicatura. Theodoreti exemplar historiae ecclesiasticae antiquissimum in eadem *Salviati* bibliotheca extabat. Vale, vir summe, cum doctissimo fratre, & caeteris amicis. Dabam Upsaliae. Nonis Majis CIↃIↃCLIV.

Poëmatia mea ut tibi ac fratri tuo offerret meo nomine, virum illustrem *Jacobum Puteanum* rogaram. Munusculi hujus cum non memineris in tuis literis, facile suspicor, necdum id vobis oblatum esse.

EPISTOLA DCXV.

HADRIANUS VALESIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

AMare te coepi, simul ac te Lutetiae Parisiorum vidi, vir Clarissime: sed nescio quo malo meo fato contigit, nullo ut munusculo, quod summopere optabam, meam erga te benevolentiam testari possem. Quippe & in Italiam profectum esse, paullo antequam historia mea ederetur: & multo post editionem operis, cum jam omnia exemplaria, quae habebam, amicis dedissem, Lutetiam revertisti, ac mox, me insciente & emere parante quod darem, domum rediisti. Quod ideo dico, ut mihi pro tua humanitate ignoscas, aut saltem minus irascare, quod officio meo defuerim, tuo praesertim munere tuisque versibus honoratus. Et antea quidem Elegiam tuam cum semel atque iterum legissem, sic judicabam, nihil ejus fieri posse perfectius, & te arte ingenioque ac sublimi spiritu valere, & inter Latinae nostrae aetatis Poëtas Principem locum tenere arbitrabar. Postquam vero tuas litteras vidi, (vidi autem plurimas, cum ad *Mopsum* nostrum, tum ad *Maresium*, & ad *Puteanos* fratres scriptas) plane te non Poëtica modo, sed etiam prosa oratione praestare intellexi, & prima quaque occasione oblata, tibi scribere decrevi, ut scires Lutetiae virum esse, qui eloquentia tua maxime caperetur, & amicis tuis annumerari flagrantissime cuperet. Haec cogitanti lecta est epistola tua ad vitos Clarissimos *Puteanos* fratres, de Serenissima *Christina* Suecorum Regina, ex qua cognovi te Holmiae nunc esse, & tantae Heroinae studia doteque eximias fui admiratus. & fortunatam Suecian, cui tam clarum sidus illuxit! ô

felices litteratos, quos alloquio ſuo dignatur, quos partim honorariis, partim donis ampliſſimis locupletat. Huic *Menagius* noſter, cum circa idem tempus *Balzacii* opera Latina nuncuparet, rogaſſetque, ut ipſius epiſtolam recognoſcerem, rogavi invicem, ut meam ad te una epiſtolam mitteret, quod ultro ſe facturum promiſit. Sed ut ad Sereniſſimam Reginam revertam, nummum ejus aureum *Claudius Sarravius*, Senatorum Pariſienſium clariſſimus atque doctiſſimus, mihi oſtendit, ex altera parte Sole, ex altera Minerva ſignatum, & ut in eum diſtichon aliquod facerem, hortatus eſt feci, non ut debui ac volui, ſed ut potui, quorum verſuum partem *Iſaaco Voſſio*, V. Cl. miſi, partem tibi mitto.

Adſpirat ſtudiis jam non Tritonis, Pallas
Chriſtina, & pacem bellaque Virgo gerit:
Quis dubitet binos Solem quondam aethere viſos?
En habet & Solem terra Sueca ſuum.
Splendore aequiparat Solem, virtute Minervam
Chriſtina, & binos induit una deos.

Quos verſiculos, qualeſcumque ſunt, (ſunt autem multum infra materiae majeſtatem) ſi doctiſſimae Reginae legeris, plane mihi gratiſſimum feceris, idque te plurimum rogo. Deinceps, ſi voles, erunt inter nos epiſtolarum librorumque commercia, quanta inter te & *Menagium* eſſe conſueverunt. Hiſtoriam Francicam uſque ad Pipini Principatum deduco, & jam ſeptem libros compoſui a morte Chlotharii ſenioris. Tu quid pares, quidve agat Ovidius tuus, reſcribere ne graveris. vale, vir Clariſſime, & eruditiſſime. *Henricus Valeſius*, frater meus, te ſalutat. Iterum Vale, & pro tuo me habe. Lutetiae Pariſiorum anno Dom. CIↃIↃCL. Kalendis Martii.

EPISTOLA DCXVI.

NICOLAUS HEINSIUS

Hadriano Valeſio.

Lutetiam.

AFfectum erga me ſingularem, quem eleganti non ita nuper epiſtola teſtatus es, Valeſi politiſſime, mirum quanta animi voluptate perceperim. Vidi enim praeter expectationem ultro id oblatum, quod tacito jam pridem deſiderio ambiendum mihi propoſueram, cum nequaquam ignoraram, quid eruditioni tuae, quid caeteris virtutibus deberetur. Sed quemadmodum laetitiae omni ex parte ſincerae fructus eſt rariſſimus, ita invito me ac nolente accidit, ut epiſtola illa tua menſes fere tres continuos in via haeſerit, antequam in manus mihi traderetur. Eram autem in eo totus, ut in Sueciam reverterem. Nunc defunctus itineris longinqui moleſtiis compellandum te duxi, gratiaſque quas poſſem maximas agendas pro incredibili illa benignitate, qua hominem nullis meritis commendandum amplecteris. Accedit munuſculum, quo moram

rum ſcriptionis compenſem, Claudianus meus: quem ut indulgenter habeas per comitatis tuae genium te obteſtor, nam & me abſente in lucem prorupit, ut operis typographicis adeſſe non potuerim, quarum ſupinitatem ac oſcitantiam multis in locis jam animadverti ipſe, & in aliis peccatum ſaepe nullus dubito, quae in typographos derivare fruſtra ſtudeam, feſtinationi meae ac inſcitiae imputanda. Cenſura tua nihil gratius offerri mihi poſſit, non enim ex illorum numero ſum, qui humanos lapſus a ſe alienos arbitrantur. Fac igitur quod amicum decet, & erranti viam monſtra. Secundis curis emendabitur, quicquid hac prima deliquerim. Epigramma tuum venuſtiſſimum Reginae oſtendi, quod illa meritis laudibus proſecuta eſt, prolixius etiam, ut exiſtimo, laudatura, niſi tuo encomio praeventa eſſet. Habeo in ſcriniis carmen luculentum hexametrum virtutibus maximae Principis decantandis deſtinatum, ex occaſione ſolennis feſti, quod imminet. Si lucem viderit, ad te ut perveniat curabitur. Mihi quidem nihil fixum hactenus. Adeo viribus meis id argumentum majus apparet. Hiſtoriae tuae Francicae tomum alterum quod ſperare nos jubes, id vero longe gratiſſimum. De commercio etiam litterario impoſterum inter nos frequentius exercendo amplector conditionem & lubens accipio. Nihil quippe mihi jucundius, quam ſubinde doceri, quid in urbe veſtra viri docti moliantur: qua felicitate raro nunc fruor. Nam *Menagius* noſter, tam parcus tamque lentus eſt in exarandis epiſtolis, ut diligens ſibi admodum videatur, ſi binis terniſve meis ſemel reſpondeat Non enim a me impetrare poſſum, quin amiciſſimum hominem juſta hic querela tangam. Quapropter ſi quid impoſterum ad me voles, per Tabellarium Batavum Leidam perferri cura, parenti curae erit, ut ad me poſtea perveniat. Niſi viam noſti, qua ad Legatum Regis in hac aula veſtri illuſtriſſimum mittantur. Juvenalem publico jampridem promiſſum utinam aliquando abſolvas! utinam Harpocrationem frater? cujus auctoris geminum exemplar manu exaratum in Bremenſi bibliotheca non ita nuper obſervavi. qui quidem libri cum Reginae a republica donati ſint, Harpocrationem inter illos etiam adfuturum nullus dubito. Poſſedi jam olim editionem Aldinam ejuſdem auctoris manu *Sylburgii* paſſim emendatam, nactus etiam nuperrime exemplar ſum, quod infinitis locis *Scaliger* correxit. Sed de his alias. Amicis omnibus ſi me de meliori commendaris nota, multum tibi debuero. Fratri praeſertim tuo teſteris velim, inter eruditionis ſuae plurimos admiratores non poſtremo me loco eſſe. Vale, jucundiſſime Valeſi, & nimium dilatae reſponſioni, qua comitate es, cave ſuccenſeas, quod iterum ſupplex te rogo, diligentiorem me experteris impoſterum. Holmiae CIↃIↃCL. Eidib. Septemb. Gregor.

EPISTOLA DCXVII.

HADRIANUS VALESIUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

INtra paucos dies duo a te uno munera accepi, doctiſſime Heinſi, Claudianum tuum primum, deinde Poëmatium ad Sereniſſimam Suecorum Reginam. Ac de Claudiano quidem ut dicam quod ſentio, editionem tuam ut ordine temporum poſtremam omnium, ſic utilitate facile primam habendam duco, ac ſaepe miratus ſum, tot te manuſcriptos Codices, tot ſitu victa volumina conferre ac tam diligenter verſare, variaſque lectiones tanta cum cura notare potuiſſe. Tuae ego eruditionis plenas notas cum avide perlegerem, incidi in quemdam Poëtam veterem nondum editum, qui de geſtis Berengarii Italiae Regis ſcripſit, atque ut ſum Hiſtoriae avidus, noſtrae praeſertim, gaviſus ſum magnopere, hunc te auctorem reperiſſe. Qui ſi tuus ac penes te eſt manuſcriptus rogo, ut eum quamprimum edendum cures, aut mihi tuo nomine publicandum mittas. Prorſus rem ſtudioſis omnibus, non mihi tantum, gratiſſimam feceris. Ex tuis in Claudianum notis intelligitur, quantum in Poëtarum omnium ſis lectione verſatus, multo tamen magis ex carmine tuo ad *Chriſtinam* Reginarum maximam, quod (neſcio quam ob cauſam) Poëmatium, quam Poema appellare maluiſti. Eſt enim grande ac ſonorum, & tanta heroide dignum omnino, ita ut omnes omnibus Poëtis veneres ſurripuiſſe, ac in eo opere collocaſſe videaris. Itaque non cenſorem me tuum, ſed approbatorem ac praeconem puta, ac perſuaſiſſimum habe, tot & tantis muneribus me ſemper tibi obſtrictum fore, nec habere nunc, quo liberalitati tuae reſpondeam, homo in ſcribendo edendoque piger & lentus. Frater meus pro Poëmate tuo grates tibi quam maximas agit, & ſalvere te plurimum jubet, atque ut amicis tuis annumeretur rogat, quod & ambire me ac vehementer cupere profiteor, paratus invicem facere, quidquid volueris. Vale, vir Clariſſime atque doctiſſime, Lutetiae Pariſiorum Anno CIↃIↃCLI. Idibus Martiis.

EPISTOLA DCXVIII.

HADRIANUS VALESIUS

Nic. Heinſio.

Romam.

JAM ſemel atque iterum ad te ſcripſi, vir Clariſſime, nec quidquam a te litterarum accepi. Ex quo prope compertum habeo, neutram tibi epiſtolam redditam eſſe. Alioquin (qua es humanitate) reſcripſiſſes. Itaque ſilentio iſto tuo, aut potius infelicitate mea nihilo infractior, tertio ſtilum ſumſi, ſi quid a te epiſtolarum poſſem elicere. An ſit mihi gratior ulla, quamque ma-

magis noſtra cupiam contingere dextra? aut quantum mea intereſt ſcire, quas vento acceſſeris oras, quas urbes peragraveris; quas Bibliothecas circumiveris, quid Codicum MSS. excuſſeris, legeris, exſcripſeris; ubi nunc verſeris, quae loca ſis peciturus. Pro certo & perſuaſo habeas velim, nihil mihi harum rerum notitia accidere poſſe jucundius. Apud nos frigent literae, & bello civili media hyeme flagramus. Multi eminentis dignitatis viri Lutetia Pariſiorum emigrant. Cardinalis *Mazarinus* in Galliam redire dicitur armatus, quem dux Aurelianenſis arcere tranſitu cogitat. Haec quorſum evaſura ſunt ipſi viderint. Sed & ex Suecia nuper allatus eſt ſubito nuntius horribilis, Reginam ſceptrum ſuum Principi Carolo, aut alii neſcio cui, tradere velle, ceſſionemque Regni Ordinibus gratam & ratam fuiſſe. idque & *Voſſii* noſtri epiſtolae probare videbantur. Quod ſi verum eſt, magnum Muſae praeſidium amittunt. Interea magnam ſtudioſi omnes jacturam fecimus morte *Jacobi Sirmundi*, magnam morte *Petri Putean* Viri Clariſſ. & *Dionyſius Petavius* hemicrania ſic laborat, ut credatur non diu eſſe victurus. In utriuſque obitum orationem compoſuit frater meus, quam tibi mittet. Has ego ſcribere coeperam, cum me febris invaſit, & per duos fere menſes vacare ſtudiis vetuit. Poſtquam convalui, epiſtolam, menſe Decembri inchoatam, menſe demum Martio abſolvi. Qua mora factum eſt, ne Elegiam meam de morte *P. Puteani* poſſem tibi mittere. *Menagius* noſter opera ſua Graeca, Latina & Francica edit. Tu vero, mi Heinſi, fac Antenoreae urbis, fac Bibliotheeae memineris, & praeſertim Poëtae illius, qui de vita Berengarii Regis ſcripſit. Immo vero fac memineris mei; gratius mihi facere nihil potes. Hoc omnibus urbibus, hoc Bibliothecis, hoc Codicibus, Archetypis univerſis, divitiis etiam quibuſcumque facile anteponam. Vale, vir Clariſſime. *Henricus Valeſius*, frater meus, te ſalutat, Euſebiumque auſpiciis Cleri Gallicani convertit. Ego Francicae me reddidi Hiſtoriae. Data Lutetiae Pariſiorum Anno CIↃIↃCLII. III. Idus Martias.

EPISTOLA DCXIX.

HADRIANUS VALESIUS

Nic. Heinſio.

Romam.

USque adeone infauſtae & adverſis Muſis ſcriptae ſuperiores meae litterae fuerunt, ut te aliquo maerore affecerint? ô tabulae marito Veneris dandae, & omnibus Ovidii exſectationibus dignae! Equidem, mi Heinſi, duarum priorum epiſtolarum ad te mearum mentionem feceram, non ut ſilentium reprehenderem tuum, aut onerarem pudorem; ſed ut ſcires ſaepius te admonitum eſſe promiſſi, nec (quemadmodum accidere conſuevit) in tam longo & laborioſo itinere, inter tot & tantas occupationes, rem mihi optatiſſimam, ſtudioſis etiam hiſtoriae non inutilem futuram, ex animo tuo effluere ſineres.

Ita-

Itaque ego officio meo deesse non debui, aut in scribendo lacessendoque piger esse, ut quod petebam impetrarem, tu tantulam litterarum mearum jacturam moleste ferre non debuisti, nec excusationes quaerere, cum culpa vacares. Te quidem, qua es comitate, qua fide, promissi memorem fuisse, nec monitore opus habuisse docet tua ad *Joannem Rhodium* (quisquis ille est) epistola Patavium missa, & quod ille de vita Berengarii tibi rescripsit. Tuam vero in primis diligentiam laudo & osculor, qui totum opus ex ipso autographo describi malis, multo, si ita fiat, emendatius futurum ac majoris auctoritatis: & a te veniam peto impudentiae, cui tantopere molestus esse sustineo. Tuum erit invicem te ulcisci, & aliquod mihi onus imponeri. Intelliges nihil me tua causa facere recusaturum. Interea valde laetor te Ovidio & Claudiano, clarissimo Poëtarum pari, manus admovere. Ex alterius editione apparet; quam diligenter alterum sis emendaturus, & quanto correctiorem melioremque facturus. Vale, vir Clarissime, & brevitatem epistolae infelicitati temporum imputa, non negligentiae. Inter Regias copias pro Cardinale *Mazarino* pugnantes, & Regiae stirpis Principum exercitus adjutore Lotharienſium duce, eum oppugnantes constituti sumus. *Henricus Valesius*, frater meus, *Rolandus Maresius*, vir Cl. salvere te jubent. Data Lutetiae Parisiorum Nonis Junii. CIↃIↃCLII.

EPISTOLA DCXX.

HADRIANUS VALESIUS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

ACcepi tandem, vir Clarissime, Panegyricum de laudibus Berengarii Caesaris, quod carmen pridem a te missum, ut ex aliquot litteris tuis ante cognoveram x. Kalend. Februariis Anno CIↃIↃCLIV. per Cl. *Puteanum* demum ad me pervenit. Carmen illud, simul atque mihi redditum est avide perlegi relegique, ut sum historiae, praesertim enim nostrarum avidissimus, animadvertique compositum esse a Poëta aequali aetatis Berengarii senioris, Patavino aut Veronensi, qui proinde ante Annos DCCL. floruerit, ac cui fidem haberi in multis oporteat. Etsi enim Poëtae, praesertim laudes viri Principis canenti, nequaquam credendum esse videatur, tamen mihi persuadere non possum, adeo eum Panegyristam impudentem ac sine fronte fuisse, ut in relatione rerum gestarum Berengarii pro veris falsa ingereret, vanitatis statim ac mendacii ab omnibus popularibus suis convincendus. Quin aliqua de industria praetermiserit, aut in gratiam Principis sui paullo aliter quam gesta sint, interdum retulerit, negare non audeo; praesertim in quibus ab omnibus auctoribus dissentit. Comparationes saepe ex Virgilio & Statio aliisque magni nominis Poëtis excerptas, operi suo inseruit, ut tum omnia jejunis scriptoribus & paupertatis suae sibi conscius licebant. Existimabant, credo, plagiarii isti opera sua vete-

veterum autorum monumentis ſuperſtitura, tumque pro ſuis habitum iri, quae ab eis accepiſſent. Carmen eſt ſi non elegantia, certe vetuſtate venerandum, & dignum quod edatur atque ab hiſtoriae ſtudioſis evolvatur. Quo nomine maximas tibi gratias ago, qui promiſſi tui memor mihi apographon illud miſeris, quod an tranſcribi tantummodo ac tibi remitti, an a me ſervari edique velis, ut reſcribas oro. Nam in litteris, quae ad me Anno MIↃCLI. prid. Kalend. Jul. Lugduno Batavorum dediſti, profeſſus es hoc te mihi poëma, ſi tamen tanti duxiſſes, edendum commiſſurum. Si cum notis a me permiſſu tuo vulgabitur, non ſine nominis beneficiique tui grata mentione vulgabitur. Invicem opera mea utere, ut libet. Paene enim iraſcor nonnunquam, quod me tibi ſatis amicum eſſe non putes, aut ſaltem non putare videaris, qui nihil imponas oneris, nihil imperes. Scire pervelim, quid rerum Holmiae agat Ovidius tuus, quem quidem a te editum minuſculis litteris, & iterum multo auctiorem plenioremque brevi edendum eſſe audio. Id certe Cl. *Capellanus* nobis apud *Menagium* noſtrum nuper referebat. Utinam eximius Poëta, per te nitori ſuo reſtitutus, doctis a te notis illuſtratus in lucem exeat, & in manus noſtras diu exſpectatus veniat! Cl. *Menagius* undiquaque colligit, quae in maximam Reginarum laudes a noſtris congeſtae ſunt patrio Latinoque ſermone. Hoc ſibi onus a Rege ipſo delegari, librum typis ac ſumtibus Regiis vulgari curabit per amicos, quos, ut ſcio, multos & magnos habet. Cl. *Puteanus* fratris ſui opera aliquot edidit, & reliqua editurum ſe profitetur. *H. Valeſius*, frater meus, Euſebii hiſtoriam Eccleſiaſticam jam tranſtulit notaſque nunc meditatur & properat. De me ne taceam, Hiſtoriae Francicae uſque ad Pipinum Regem extremam manum impono. *Moreſium* noſtrum nuper amiſimus, annos natum circiter LX. Dicebatur, cum inſomnia aliiſque incommodis laboraret, pulverem veneficum bibiſſe inſcientibus ſuis, qui ex ſtibio confectus apud nos impune graſſatur: dum medici inter ſe contendunt, & alii pro remedio ſtibium, vulgo antimonium dictum; alii pro veneno habent. Commercium epiſtolarum inter nos te peregrinante intermiſſum, longo intervallo repetere cupio, niſi tibi moleſtum eſt. Vale, vir Clariſſime, & me tuo illo munere, ac multo magis tuis virtutibus, tua doctrina ac humanitate ſingulari devinctum puta. *Voſſium* ac *Langermannum* illuſtres viros, ſi tamen Holmiae ſunt, meo nomine ſaluta. frater meus ad te una mecum epiſtolam mittit. Data Lutetiae Pariſ. Anno $\overset{P}{X}$ CIↃIↃCLIV. IV. Kalend. Februar. Exemplar panegyrici iſtius, quod miſiſti, a quo ſcriptum, & cujus manu emendatum fuerit, noſſe aveo. Iterum Vale.

Digitized by Google

EPISTOLA DCXXI.

NIC. HEINSIUS

Hadriano Valesio.

Lutetiam.

VElleji Paterculi, castigationibus nonnullis a me non ita nuper illustrati, exemplar ad te perferri haud sum passus, Valesi clarissime, quod non nisi subitaneam operam perfunctoriamque huic scriptori navaverim, multis jam aliud annis agens, & nullo Bibliothecae meae adminiculo, quam in Suecia reliqueram, instructus, ac magis obsecutus auctoritati viri in amplissima dignitate constituti, qui editionis novae flagrabat desideriis. Ex illo manum secundam libello admovi, & multa addidi, multa in melius mutavi, prioribus conjecturis damnatis, ut spes sit digniorem fore, qui conspectum tuum subeat, si aliquando curis repetitis limatior est proditurus in lucem. Quod si, quae tu ad illum jam olim observasti, communicare mecum haudquaquam gravaberis, quicquid horum est, meis accessurum lucubrationibus aut iis inserendum fore, non est quod a te dubitetur. Virgilianum locum Aeneidos sexto, de spectata Aeneae pietate castigavi, ut circumfertur in editione mea, fide optimorum vetustissimorumque codicum secutus: Quo & Nasonem in Fastis allusisse per est versimile hisce versibus,

Hinc fatus Aeneas, pietas spectata per ignes,
Sacra, patremque humeris altera sacra, tulit.

Fratris tui, viri summi, adnotata in Harpocrationem jam, credo, describenda curavit *Elzevirius*, in quo procrastinationis non est culpa. Sed cunctatur nescio quare bibliopola, qui ipsum Harpocrationem suscepit edendum, aeri alieno, ut ferunt, aliquantum obnoxius. *Langermannum* nostrum jam diu adhortatus essem, etsi aeger ac invalidus, de danda nobis opera, ut Lindenbrogianae in Ammianum notae describerentur, nisi Cl. *Graevius* ejus negotii curam omnem in se recepisset, quem, quia cunctari video, ipse partibus quoque meis functus sum. Respondet autem amicus noster hoc jam a se agi, ut Lindebrochiana describantur, nec dubito. Ceterum arbitrio tuo relinquo, numquid Ammiano addendas censeas, quas *Mariangelus Accursius*, ac post *Janus Gruterus*, & *Marcus Suerius Boxhornius* in hunc scriptorem dedere notas. Non quod tanti sint, quae cum doctissimis fratris tui ac tuis lucubrationibus una legantur, sed quod is sit seculi nostri Genius, ut scriptores antiquos cum omnium commentariis editos gestiat videre, praesertim cum omnes istae animadversiones paucis pagellis comprehendi possint. Agebat olim mecum in Italiam profecturo Frater tuus de Vaticano Ammiani Codice, cujus excerpta nescio an post sit consecutus. Id certe exoptandum duco; erat enim is codex, etiam forte jam adhibitus, notae vetustissimae. Vale, virorum praestantissime, & affectum, quem mihi tot jam annis illibatum conservasti, diurnare in posterum sine. XII. April. CIↃIↃCLXXXVI.

EPI-

EPISTOLA DCXXII.

SAMUELUS BOCHARTUS

Nic. Heinſio.

Lutetiam.

GEminas, quas ad me ſcripſiſti, ex quo veniſti in Gallias, vir doctiſſime, & mihi multis nominibus chariſſime, vide quibus commiſeris. Ego enim ſancte teſtor, me ante hanc diem nihil quicquam a te accepiſſe praeter illas, quas procuravit *Menagius* noſter non ita pridem ſcriptas, ſed in Belgio, & niſi fallor Leidae, quibus reſpondi illa ipſa die, qua acceperam: quam miſere timeo ne inſcriptio cauſa ſit, cur tuas literas reſignent homines curioſuli. Neque enim Paſtoris titulus literis praefigi ſolet, multo minus paſtoris eccleſiae reformatae, quem titulum nobis invident adverſarii. Itaque ſi poſthac ſcripſeris, ſolum inſcribe nomen meum, & locum ſi vis in quo habito, quamvis nulli civium ignotum. Et ut ſpero literae tuae melius in poſterum curabuntur. Sane a Dno *Viqueforsio* didiceram te veniſſe Lutetiam, & in Italiam iturum propediem, jamque eſſe in procinctu. Itaque quod unum licebat per anguſtias temporis illum rogavi nudius tertius, ut te meis verbis ſalutaret. Nunc tibi fauſtum iter omnibus votis exopto, atque adeo tam breve ut in Suecia poſſim tui conſpectu frui. Quo deo dante proficiſci ſum plane certus Menſe Martio proximo, ut Reginam illam incomparabilem, de qua non ſine ſtupore cogito, propius intueri liceat. Quod pridem habeo in votis, neque tamen licebit ante illud tempus exequi, quia vel ſi jam diſcederem, me in ipſo itinere hyems interciperet. De his plura ſcripturus *Voſſio* noſtro jam deſino, teque cum literarii orbis phoenice, id eſt ampliſſimo parente tuo, iterum atque iterum ſaluto. Raptim Cadomi Pridie Nonas Septembr. Anno CIↃIↃCLI.

EPISTOLA DCXXIII.

SAMUELUS BOCHARTUS

Nic. Heinſio.

Lutetiam.

ANgebar animo, antequam ſcirem an meas recepiſſes, vir idem doctiſſime atque humaniſſime, veritus, ne me crederes hominum inficetiſſimum, qui a te toties provocatus non reſpondiſſem. Itaque me bearunt poſtremae tuae, quibus ex hoc metu me commodum liberaſti, atque alia ſignificaſti, quae me ſcire non parum intererat. In his te priores literas Rothomagenſi hoſpiti tuo commiſiſſe ad ſororium meum *Langlaeum* deferendas, ad quem ſcripſi jam modo, ut ab illo docear, quid de iis factum ſit, & de Gronoviano libello his adjecto. Poſteriores, quas *Bidalio* tradidiſti, necdum accepi. Italiam repetenti in Reginae gratiam ſerio gratulor, atque aſſiduis precibus orabo, ut hoc iter ſit proſperrimum, profectionem diutius ſi differs, timeo ne hyeme

appetente iter per Alpes sit molestum, nec maritimum tutum satis. Et quo discedes maturius, eo promptior erit reditus, quod unice exopto, ne in Suecia te desiderem. Quo cur ante Martium non proficiscar, causas habui sonticas, quas significavi *Vossio* nostro, adeoque ipsi Reginae Sereniſſimae. Literas praeterita hebdomade scriptas accepit haud dubie *Bidalius*, & curabit ut solet. Quamvis id futurum sit intempestivum, tamen libenter resciverim, quibus me rationibus ad hoc iter ante hyemem suscipiendum sollicitabas, si rescribere non sit grave. Miror te adhuc dubitare an carmen tuum acceperim, cum quid de illo sentiam *Vossio* nostro significaverim non semel; nempe post Musas natas ne a patre quidem tuo, poetarum hujus saeculi facile principe, quicquam elegantius fuisse scriptum. Te Virgilium, Statium & Claudianum ita aemulari, ut hunc videaris penitus imbibisse. Nempe tam grandis poetae Majestas animo tuo inhaeserat altius, quia in illam recens scripseras. Quod opus donec videro, impatientia torquebor, cum quia auctores unice amo, tum quia id habeo persuasissimum, nihil posse ab illo proficisci quod non sit sane valde accuratum. De lectione Runae Suecicae, quam a *Blondello* habui, impegi in ipso limine. Quia *Runae* vox quid significet ignoro juxta cum ignarissimis. Ignotus etiam est auctor, qui non praestabit, satis scio, quicquid promittit. Tu mihi in utroque, si placet, facem praeferes. Aveo etiam id scire, quam historiae partem attingat Sallustianum illud fragmentum a Cl. *Vossio* repertum, quod ut publici juris quamprimum fiat rei literariae multum interest. Haec dum scribo mihi commodum afferuntur literae illae tuae, quas *Bidalio* commiseras, quibus in Sueciam iturientem iis verbis accendis, ut mei non sim compos amplius. Atque id mihi sit gravissimum, quod illas eo tempore non acceperim, quo tu scripsisti; quia tunc fortasse potuisset mutari sententia. At in quo statu res sunt, non est locus poenitentiae, quia ut ipse agnoscis, jam itineri tempus non est relictum. In hac mora id me solatur, quod si jam discessissem, in Suecia te non vidissem. At vere discessurus te ex Italia reducem fortasse habebo viae comitem. Quod mihi bonum si contingeret, illud in magna parte felicitatis ponerem. Iterum in hoc itinere omnia fausta tibi comprecor. Vale. Data Cadomi XII. Kalend. Octobr. Anno Ch. CIↃIↃCLI.

EPISTOLA DCXXIV.

NICOLAUS HEINSIUS

Samueli Bocharto.

Holmiam.

QUandoquidem nunquam satisfacio mihi in te aestimando, vir summe: debebam, fateor, venerationem, qua virtutes tuas complector, constantissimam frequentius per literas testari. Nec tamen sine magna veniae impetrandae spe a me peccari confido. Nam & benignitatem morum tuorum eximiam multis argumentis habeo perspectam, &, cum rarissimos ex Suecia

cia nuncios accipiam hactenus, rariores autem exſpectem impoſterum, quod compellare amicos non reſponſores permoleſtum ſit, rerum tuarum vivo igna-riſſimus. Hibernandum tibi fore in Septentrione unus non ita nuper *Voſſius* me docuit. De rebus meis utinam certi viciſſim aliquid affirmare poſſim! Cum nihil eorum hîc intermiſerim curare, quibus regium favorem ſperaram conſe-qui; deque bibliothecis venalibus aliiſque rebus quicquid ſuccurrebat abunde perſcripſerim, adeo tamen nihil reſponſi fero, ut parum abſit, quin operam meam ſordere Dominae agnoſcam. Menſes jam totos ſeptem meo aere meiſque expenſis hîc vivo, regiis ſubſidiis deſtitutus. Pollicetur quidem *Holmius* fore reſtituenda omnia, ſed cum de reditu in Sueciam meo ſatis ſit incertum negotium, facultates meas, quas peregrinationibus aſſiduis ſatis ſuperque attrivi, ut profligare pergam, nequaquam videtur conſultum. Cum igitur ſupplex orarim Dominam, ut ad paternos lares liceret mihi reverti, ita conclamata Parentis optimi poſtulante valetudine, atque illam pro ſingulari ſua clementia precibus meis annuiſſe intelligam; cum ſororis meae marito jam egi, ut de pecunia, quanta quidem videretur neceſſaria, partim ad iter conficiendum, partim ad aes alienum, quod his in oris contraxiſſem, expungendum, mihi proſpiceret. Haec ubi in promptu erit, viae me committam. Germaniam hactenus mihi non viſam perluſtrare decrevi, ut ultimis ſignificaſſe me literis recordor. Beneficium interim a te promitto mihi ſingulare. Nimirum ne graveris indicare, literaſne illas, quibus Suecia interdicendum fore mihi minatur Protomedicus, niſi cum adverſario *Alaſtore* in gratium rediero, Regina jubente exararit. Si adfirmaris ejus mandato ſcriptas, rebus meis tempeſtive conſulendum erit. Non opinor tamen, cum longe ab his diverſa ſperare ſemper juſſus ſim, ne veriſimile fiat, promiſſorum dememineſſe incomparabilem Reginam. Quicquid ſit; ad omnes Protomedicorum minas occallui. Non enim tam indulgenter mecum egit hactenus fortuna, ut chariorem illam exiſtimatione mea debeam habere. Pertinax mihi olim cum ambitione lucta fuit, de qua poſtquam triumphare coepi, animos indomitos gero, & nihil in rerum natura magnopere aeſtimantes praeter unicam virtutem. Hunc nodum Gordium, quo arctiſſime Auguſta me conſtrictum tenet, nulla ſaevientis fortunae injuria, nullae Protomedicorum artes diſſolvant. Aeterno cultu regias virtutes proſequar, & tum quidem maxime, cum inter ſuos me numerare non dignabitur. Hoc unum eſt, quod polliceri de me poſſum. *Alaſtorem* tum amare & laudare incipiam, cum coepero virtutem odiſſe. Aeſtimet & adoret belluinos mores in Cyclope ſuo Protomedicus: non invideo illi hoc gaudium; dum mihi diſſentiendi libertatem non eripiat. Inter has turbas diebus proxime elapſis optatiſſimus de parentis valetudine in melius paulatim eunte nuncius me plurimum oblectavit. Etſi enim ea eſt aetate, ad quem perveniunt pauci, me tamen abſente terris illum ſubduci nolim. Literas tuas ſi *Georgio Furſtenheuſer* Regio Noribergae conſiliario exhiberi cures, dubitare noli, quin ad me ſint perferendae. Vale, virorum Maxime, & amicis communibus me commenda, Clariſſimo imprimis *Naudaeo*: compellatus ille jampridem a me eſſet, ſed

respondendi necessitatem nolui imponere viro optimo. Panico enim quodam terrore consternatos omnium apud vos animos esse video. adeo misere metuunt ne Alastoras infensos experiantur, & fortunas suas in discrimen vocent, si meam consuetudinem admittant. Mirer certe, si Protomedicus ausit ad meas respondere, nisi impetrata ab *Alastore* venia. Vale iterum. Florentiae Anno CIↃIↃCLII. XXI. Dec. Vix fieri possit, ut ante Martium mensem Italia excedam.

EPISTOLA DCXXV.

NICOLAUS HEINSIUS

Samueli Bochartio.

Helmiam.

CUM diebus proxime elapsis sermonem minime Laconicum de rerum mearum statu tecum instituerim, easque literas Hamburgum mittendas curarim ad *Michaelem Finchlernm* negotiatorem illa in urbe satis notum, ac *Johannem Holam*, nostri amicum, (ut ad te perlatas non esse netas sit suspicari) quod iis nunc addam nihil fere habeo in promptu. Velim tamen ex te intelligat Domina, ad plures nuper abiisse Romae *Franciscum Angelonum* Canonicum. Collegerat is antiquitates ac res naturales plurimas majori cura ac sedulitate quam peritia; ut e scriptis *Tristani* vestratis apparet, quîcum simultates hic noster exercebat. Omnia ea nunc prostant venalia, sed quibus Princeps *Ludovisius* dicitur inhiare. Discessus ex Italia meus magis quantum video magisque protrahitur: quod me nolente fit ac invito. Cum enim alia non desint, quae me domum trahant, ut proxime significavi, tum valetudo inprimis mea, quae nutat jam multo tempore. Ex quo enim Alpes anno praeterito procellis atrocissimis ac nymbis hibernis me objecerunt, tentor exerceor febricula assiduus, levi quidem illa, sed quae tamen augeatur potius quam decrescat. Vitae longioris ut sum minime cupidus, sic fatali necessitate opprimi hîc terrarum tamen nolim. Ad Illustrissimum Cancellarium hîc scripsi, ut vides, quod toto, quo Bataviam deserui tempore, non est factum, & fieri citius debuisse agnosco. Optime enim de me meritus est vir ille incomparabilis. Epistolam, quaeso illi in manus trade, ut si quid fortassis velit reponere, id qua mittendum sit via doceatur. Sin minus, per amicos tandem, ut tuto curetur, operam da. Protomedicum regium quod spectat, doleo simultates mihi cum illo intercedere. Amavi hominem semper, quod me ab illo viciſſim amari crederem. Decipi tamen me & tota errare via intellexi postea invitus. Intermissas necessitudines quominus redintegrem, per me non stabit. Cultum tamen si deberi sibi a me arbitratur majorem illo, quam praestiti hactenus, opinionis suae multum fallitur. Nihil enim aut minus in amicis aestimo aut magis in adversariis contemno, quam secundam fortunam. Literas tuas qua via ad me curares jam non semel monui. Si minus ea videtur tuta, *Vossio* committam. Vale, Clarissime & optime virorum, meque omni cultu ac veneratione tuum non aversare. Florentiae Anno CIↃIↃCLVIII. prid. Kalend. Januar.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA DCXXVI.

NICOLAUS HEINSIUS

Petro Bourdelotio.

Helmiae.

HEsterno die oblata mihi fuit tua epistola, vir Amplissime, qua edoctus sum, tres mearum tantum ad te perveniisse, ex quo Lutetia digressus fui, cum septem & plures, si recordor, scripserim. Tuas vero, quarum meministi, nullas vidi. Ad *Bidalium* fuisse missas suspicor: cujus plerasque in via perierunt; idque Lugdunensis cujusdam negotiatoris, quem amicum sibi credebat, cuique rerum mearum curam commiserat, accidisse perfidia fatetur ipse. Commendatitias omnes recte curavi: praeter illas, quas *Alexandro Marso* Medico inscripseras. Abest enim is ut plurimum ab hac urbe. A Praeside *Liargio* responsum Taurino, nisi fallor, ad te dedi. Cardinalis *Barberinus* cur nihil reponat, causam ignoro, sed suspicari licet ex rumusculis aulicorum. Imaginem vivis coloribus expressam Dominae summopere is desiderat: quae de re cum scripserim in Sueciam non semel, nihil tamen responsi fero, solemni admodum infelicitate mea. Honorifice profecto & incredibili benignitate me excepit, credo ut monumentum aliquod extaret affectus luculenti, quo *Urbanus Octavus* parentem meum semper prosecutus est. Nam ad prandium familiariter invitavit, & post ambulationem pomeridianam per suburbana urbis rudera, domum ipse me deduxit, frustra deprecantem. Silentium tuum tam pertinax mirabar valde, ne quid dissimulem, donec ex Batavia infausta omnia nunciata sunt, ex amico videlicet inimicum te mihi factum, recitari palam in Salmasianis aedibus tuas literas, quibus quam bene mihi velles, abunde appareret. Auget suspicionem tua epistola, qua auctor mihi es, ut adversarium atrocissimum placare studeam: idque fieri posse omnium commodissime, si laudare illum incipiam in meis literis. Ad quae omnia, quantum fieri poterit, accuratissime respondebo; ea tamen lege, ut libertati ignoscas, si quae dolor justissimus verba inmitiora expresserit. Oportet igitur, mi Bourdeloti, ut aut simultatum nostrarum prorsus sis ignarus, si hoc non fateris, in studia partis adversae sis promptissimus, qui exigas, ut cum hoste capitali, qualem recte se vocat, redeam in gratiam. Egone laudem hominem impurum, qui annis totis viginti paternae & meae existimationi (quam vita chariorem habemus) scelerate est insidiatus? qui omnem movit hactenus lapidem, & adhuc movet, ad evertendas fortunas nostras? Quo autem laudem nomine? An ob eruditionem, qui in scriptis passim suis bestiam & asinum parentem meum vocarit? An ob candorem? atqui pice nigriorem ipsi ejus amici fatentur. An ob benignitatem morum? At nihil illo magis est maledicum ac malignum ut testantur scripta. An ob devotum nobis animum, qui parvo antequam ex Batavia discederem tempore, praelegi jusserit mihi litteras suas, quibus me & parentem, nebulones, ac impostores appellabat? An ob ingenium? qui sive vorsa

sive

ſive proſa ſcribat oratione, adeo ſcaber eſt & impolitus, ut riſum emunctae naris hominibus maximum jure exprimat, & ſine faſtidio legi non poſſit. Quo igitur nomine laudatum illum velis, primo ſim docendus. At magni facit illum Domina. expertus ſcio, mi Bourdeloti, vel te non adfirmante. Magni etiam fecit parentem meum & Avunculum *Guſtavus Magnus*. Nec ſi ille nunc nobis eſt felicior, ideo etiam melior ſit dicendus. Hae rerum aulicarum ſunt viciſſitudines. Poſteritatis erit judicium, utrum illius ſcripta de *Chriſtina Auguſta* melius, an mei genitoris de *Guſtavo Magno* ſint merita. Quanquam quid compono utriuſque ſcripta, cum ille, ne verbo quidem unico cultum hactenus publice ſit teſtatus, quem optimae Principi debebat. Hoc ubi fecerit, tum videbimus, quam felices ejus conatus ſint, qui alienis laboribus tanto cum ſupercilio audet oblatrare. Sed fingamus viri diſertiſſimi dignos cedro Panegyricos *Chriſtinae Auguſtae* inſcriptos extare luculentos, & omnibus teri manibus, & legi cum applauſu, quam parenti meo obtigiſſe felicitatem livor ipſe inficiari non poteſt, quas, quaeſo, legationes obivit, quam Reginae operam probavit unquam in republica adminiſtranda. Huc ſi recurrendum ſit, praeſto erit *Rutgerſius* noſter, qui annos duodecim continuos in praecipui momenti rebus fidem atque integritatem Regi Maximo exhibuit, donec mors intempeſtiva obſequiis illum ſubduxit. Haec ad os iſti rabulae obſtruendum ſufficere debebant, niſi pudoris eſſet decocti. At in Sueciam non licebit reverti, & ſemper male mecum agetur, niſi amicum illum experiar. Non irrepſi clandeſtinis artibus in aulam, ut tu videris exiſtimare, mi Bourdeloti. Nunquam ea via fortunas tentavi. Vocatus veni in Sueciam: nec poenitet. Sum enim eam in clementiſſima Principe expertus benignitatem, cujus etiamnum vel ſola memoria pudorem meum onerare poſſit. Rogatus ut operam illi meam & obſequia devoverem, detrectavi: non quod habitum mihi honorem nequaquam intelligerem, ſed quod agnoſcerem humeros iſti oneri vix pares, cum tenax libertatis, & vitae ruſticae, quam aulicae, naturae quodam occulto inſtinctu magis aptus, multa in me ipſe requirerem, quae ad favorem tantae principis mihi conciliandum eſſent neceſſaria. Nec dedignata eſt id ipſum a parente meo poſt contendere Regina incomparabilis humaniſſimis literis, quibus, ut par erat, manum dedit ſenex noſter; tranſtuli igitur fortunas in Sueciam, ſed ita ut dignitates aut honores multos nec ambiverim, nec conſecutus ſim. Stipendium ullum multo minus. Quid ergo nocere mihi poſſit adverſarius non video. At melioris fortunae ſpem intervertet. Ego vero nihil ſperavi unquam in aula praeter unum beneficium, id quia non obtinui, conjecturam non vanam inde feci, quid caeris fortunis eſſet futurum. Ab inſultibus adverſarii tutum me fore ſemper eſt pollicita Domina, cum ſuſpicaretur, de fortunis in Sueciam transferendis ea de cauſa me tergiverſari. Ea promiſſa ſi deſtituent, feram, ut potero. Non enim adeo eſt miſernm, ac tu putas, in ſolo paterno vivere. Ab aliis, qui immenſas in aula corraſerunt opes, animum tam abjectum & ſervilem expectare poſſis, a me non potes. Omitte igitur augurari mihi Voſſianum fa-

tum:

Digitized by Google

tum: qui poenas meritas dediſſe ſe fatetur, quod in aulam protraxerit hoſtem infidum. Tu cave, ne & tanti tibi conſtet ejus amicitia, quanti huic quem dixi *Voſſio*, quanti *Grotio*, *Heraldo*, atque aliis plurimis, optime de illo meritis conſtitit. Sed ſimultatum obliviſci pulchrum eſt. Oſtende mihi cum quoquam adverſariorum (quos habet innumeros) in gratiam rediiſſe Cyclopem iſtum: ego oſtendam foedus concordiae cum parente meo ab illo initum & ſubſcriptum, intercedentibus Academiae Lugduno-Batavae curatoribus, perfide fuiſſe violatum. Quod addis coli a me amicitiam non poſſe cum amicis, quos habeo in aula, niſi illum placaro, ne illud quidem me movet. Eſſe enim tam delicatum illum, ut hoc vix ferat: unde colligo, cur tu tanto tempore tacueris. Sed ad rem, colui amicitiam in Gallicum *Sarravio*, cum *Puteanis* fratribus, cum *Menagio*, cum aliis ejus amicis: quod illi licere ſibi exiſtimarunt. Si amici, quos in Suecia communes habemus, partium ſtudio ſe teneri arbitrantur; ſint in partibus per me licet. Ego tam ſerviles amicitias non magnifacio. Nemini invito meae literae moleſtae erunt. Si alios non habuero amicos, quam ejus hoſtes: jam ab amicis abunde mihi erit proſpectum, quos per univerſum terrarum orbem infinitos, ut jam dixi, habeo. Si Sueci amici deerunt, non deſunt in patria, in Italia, in Gallia, & quidem plures, quam quibuſcum poſſum literarium exercere commercium. Patiar igitur perire potius fortunas illas, de quibus nunquam bene ſperavi, quam exiſtimationem meam vel in leviſſimum vocari diſcrimen. Si per illum non licebit mihi Dominam laudare publice, at tacita veneratione virtutes ejus proſequi licebit. Ad Annales interim Bataviae ſcribendos potero calamum convertere. Et pius eſt patriae facta referre labor. Mones illic terrarum me vivere, ubi morum civilitas maxime eſt in uſu. fateor. Sed & illic vivo terrarum, ubi ſimultates exercentur perpetuae. Vixiſti tu quoque in his oris; & tamen aulam Condaeam deſeruiſti ob offenſas leves. Nec tamen eo ſum ingenio, qui immortales inimicitias amplectar: hanc adverſario ſcabiem relinquo. Ne te quidem judicem detrecto. Sed obſequium praeſtare illi detrecto, qui contumeliis & injuriis modum non ponit. Proferantur offenſae cauſae in publicum, tu id ipſum ab amico tuo exige; tum facile apparebit, utrius cauſa ſit melior. Ait *Miltono* multa a me ſubminiſtrata. Quod mendacium, ut caetera, quae jactat, eſt ſceleſtiſſimum. Caput & fortunas devoveo, ſi hoc probare poſſit calumniator. Deus mihi teſtis erit, me neſciviſſe *Miltonum* eſſe in rerum natura, antequam ejus Apologia venalis mihi fuit exhibita ab *Elzeviriis*. Pari impudentia auſus eſt duos treſve libros famoſos, ut vocat ipſe, patri meo publice adſcribere: quos pater non magis, quam tu, ſcripſerat. Sed de his ejus calumniis & impoſturis melius publice agetur. Expecto tantum, ut vel verbo me tangat unico, in illa, quam *Miltono*, parat, reſponſione. Tum provolabunt ſtatim in publicum poëmata, in quibus ad ſatietatem defricabitur. Ipſi oſtendam, quam ignarus rerum ejus fuerit *Miltonus*, & quam nihil dixerit eorum, quae reipublicae literariae intererat, non ignorari. nec parvo conſtabit illi mentiendi libido. Si in partibus erit Domina, ut tu minaris, &

fractus mihi illabetur orbis, impavidum ferient in ruinae. in omnem fortunam me paravi. Quanquam non eſt ejus illa indolis, ut pietati neſciat ignoſcere, aut non intelligat, quo parentibus illatae injuriae animo ſint ferendae. Tibi vero, mi Bourdeloti, auctor ſum ut a componendis, quod fruſtra tentabis, hiſce ſimultatibus animum convertas ad obtinendum a Domina beneficium de meo in patriam reditu. Id enim jam ab illa bis rogavi. Partem Ovidii quod ais Dominae exhibitam: ego totum miſſum credidi. Elegiam quoque ad vos perlatam lactor. Salveat *Wullenius*. Vale CIↃIↃCLII.

EPISTOLA DCXXVII.

PETRUS SEGUINUS

Nic. Heinſio.

Hagam.

SUaviſſima, qua me dignatus es epiſtola, exiſtimationi, quam apud omnes conſecutus es, apprime reſpondet. Tanta enim urbanitate referta eſt, tanto lepore conſcripta, ut genium illum tuum totum amabilem, & nulli ſecundum prae ſe ferat. At vero quanti faciam benevolentiam illam, qua me proſequeris, vix poſſum eloqui. hoc ſolo me infelicem duco, quod jam a te nimium diſſitus qui mihi videbar, majori itinerum intervallo propediem ſejunctus ero. In ſpem veniebam hac aeſtate proxima, cum praedia Abbatiae meae in Hannonia inviſere cogitarem, Hagam uſque proficiſcendi, & tua dulciſſima conſuetudine fruendi diuturnius, quam mihi contigerat anno praeterito. Sed legatio, quam adornas Sueciam verſus, quo publica negotia & mandata Procerum tuorum te vocant, me in deſperationem cogit, niſi antequam ad illud iter te accingas, altera mihi a te contingat epiſtola. Interim ut juſſis tuis obtemperem, mittam Lucubratiunculam ad quaſdam familias *Ful. Urſini*, quam ſcripſi *Franciſco Gottifredo*, Antiquitatis Romanae genio, & quam typis mandare impulit me nimia amicorum indulgentia. Tu plurimum me devincies, ſi priuſquam in lucem omnino prodeat, mihi velis indicare quid probes, quid emendes in hoc opuſculo, quod in Muſei noſtri latebris abſconditum remanebit, donec, quid ſuper eo ſentias, reſciverim. Ectypum gemmae, quam vulgo Corniolam vocant, Ovidii vultum referentis, hîc incluſum accipies, ut poſtulaſti: faxit Deus ut tibi gratum adveniat: dubito paululum de antiquitate prototypi, ſed nullum aliud potui Pariſiis reperire, neque in gemmis neque in nummis. Quantum ad tuam nummorum congeriem, copioſior & pretioſior eſt, quam ut citius emptorem nanciſci queat. Sed ſi pro tua erga me humanitate, unius aut alterius nummi permutatio non te gravet, cum praeſertim familiis Romanis addictus ſim, memini me vidiſſe apud te nummum argenteum M. Antonii cum capite ipſius in antica, atque inſcriptione P. Ventidii in averſa. Hanc familiam Ventidiam, quae inter meas non reperitur, libenter compararem, vel pretio, vel permutatione alterius nummi, qui tibi arrideret; ſi per te mihi innoteſcat. Non hîc ago de altero Antonio aureo,

reo, cum aversa figura trophaeo insidenti, & inscriptione familiae Mussidiae vel alterius; non de aureo familiae Aquiliae cum Triquetra Siciliae: neque etiam de aureo Julio per Trajanum restituto, quos possides: ne nimium audere & tibi & mihi videar, quamvis illos aut illis similes, larga compensatione redimerem. Quicquid statueris ratum erit & gratum mihi, dummodo me tui observantissimum existimes, & tui studiosissimum semper futurum esse confidas. Dabam Lutetiae Paris. Idib. Mart. CIↃIↃCLXI.

EPISTOLA DCXXVIII.

NICOLAUS HEINSIUS

Petro Seguino.

Lutetiam.

SEmestris spatii tempus jam propemodum effluxit, quod Orator Regis Christianissimi, *Jacobus Augustus Thuanus*, magno patri cognominis & par filius, tuas mihi literas Idibus Martiis exaratas tradidit, una cum [1] dissertatione te digna super Pompeji nummis antiquis. Quam ego non multa tantum cum aviditate, ut tua omnia soleo, sed admirabundus quoque legi ac relegi, iterata identidem cum animi contentione. Sed quod in procinctu tum starem, convasatis jam ac mari creditis sarcinis, biduoque proximo post exacto, Suecico itineri committerer, non potui debita gratiarum actione apud te defungi. Rejeci igitur scriptionis officium in opportuniora tempora, quod itinere confecto tui compellandi ex hisce regionibus non defore opinabar. Sed adventum in Sueciam meum excepere praeter spem occupationes & molestae satis & densae, quae me exercuerunt hactenus, ut nec amicis salutandis, nec privatarum rerum aut familiarium curae locus superfuerit. Quod ut ingenue & sine fuco testor, ita rubore tacito perfundi me sentio, cum intermissi officii culpam vix excusabilem mecum perpendo. De libello tuo quaeris quid sentiam? Ego vero cum omnia id genus scripta, quae antiquitati Romanae illustrandae dantur, plurimi faciam, prae ceteris tamen te inter pauciissimos repono, qui in intimos eruditae vetustatis fontes ac recessus caecos perspicacis mentis acumine penetraris. Quo magis vellem, ut *Tristano* e vivis sublato, successus tuos acriter urgeres ipse, & quae hic illic observasti aliis ignota quam plurima in publicum proferres, communi commodo inservitura. Nuper admodum dum aurea Ducis Arschotani perlustro numismata a *Johanne Hemelario*, ut scis, juris publici facta, moratus est oculos meos nummus iste Vespasiani, qui pagina duodecima secundus occurrit, clypeum votivum exhibens columnae adfixum, inter duos surculos, addito super columnam vase quodam: quem nummum & ego possideo argenteum, & a *Jacobo Byaeo*, *Aenea Vivo* & aliis jam editum animadverto. Quid

1 Intelligit Epistolam ad *Franc. Gottifredum*, editam primo Anno 1660. postea inter alias dissertationes, quibus selecta numismata illustravit vir Amplissimus & Doctissimus.

Quid tamen is ſibi velit, nemo, quod ſciam, hactenus percepit. *Hemelarius* certe pag. 36. & *Albertus Rubenius*, qui ultimam *Byaei* numiſmatum editionem notis eruditis illuſtravit pag. 45. de columna & clypeo votivo conveniunt, quibus & ego adſentior. Sed quod duos iſtos ſurculos lauri ramos eſſe contendunt, id ego aliter ſe habere arbitror. Nec vaſculum illud urnam eſſe, quod *Pierio Valeriano* in Hieroglyphicis, & *Hemelario* videbatur, nec notam monetariam, quod cenſet *Rubenius*, ut credam patior mihi perſuaderi. Si intendas aciem, nullos illic ramos exhiberi, ſed ſurculos ſeu frutices, & quidem terrae inhaerentes, facile appareat. Certe diverſos plane, atque alia omnino facie ramos laureos in Auguſti numo expreſſos animadvertas pag. 2. apud eumdem *Hemelarium*, ubi tamen clypeus quoque votivus occurrit. Inducor igitur, ut exiſtimem ſurculos balſami in hoc Divi Veſpaſiani numo exhiberi, & vas columnae ſuperpoſitum alabaſtrum eſſe, ſeu vaſculum unguentarium balſamo Servando deſtinatum. Auctorem conjecturae meae praecipuum habeo C. Plinium, qui libro Naturalis Hiſtoriae XII. cap. 25. non tantum nos docet uni proprium Judaeae balſamum fuiſſe, verum etiam hanc arbuſculam ab Imperatoribus Veſpaſianis in triumphum ductam, & tributum pendiſſe una cum gente ſua poſt Judaeam devictam, unde luculenti reditus Populo Romano provenerint. Sed quod ibidem folium proximum rutae illi dat, in eo quidem cum Dioſcoride aliiſque vetuſtioribus ſentit; ſed cum paullo ante profeſſus ſit, longe aliam illi naturam eſſe, quam Romani exterique prodiderint, amplector lectionem, quam ſcripti codices plerique prae ſe ferunt, *folium proximum tuberi*. Eſt autem *Tuber* Mali ſpecies, de quo Plinius alibi. Quid? quod paullo ante, ubi *arbuſculam* vocat, optimae membranae *arbutum* agnoſcunt. Pro eo tamen etſi praefracte digladiari nolim, qui balſami fruticem numquam viderim, ita de alabaſtro rem ſic ſe habere, ut dixi, prorſus cenſeo. Inſpice Plinianum locum, & ſententiae tuae certiorem me fac, ni moleſtum eſt. Pro imagine Naſoniana, quam gemma antiqua refert, plurimum me debere tibi profiteor. Nec tamen auſus ſum eam juris publici facere, quod multum diſcrepet ab ea, quam ex veteri numo indubitatae fidei expreſſum Naſonis mei editioni praefigendam curavi. Huc accedit, quod adulteratam eſſe gemmam & ipſe ſuſpicor, & ego quoque ſubvereor; cum in numis quoque adulterinis naſutus admodum Ovidius exprimatur, quaſi inde Naſonis cognomen ſit mutuatus, quod homines inſciti credidere. Numos veteres majori ex parte domi reliqui diſcedens, quod auguraret meam a patria hanc abſentiam non niſi annuam fore. Ad meos cum recurram de iis permutandis agemus. Vale, vir eximie & ornamento patriae tuae prognate, tuaſque de re numaria lucubrationes, ſi me audis, publico quamprimum indulge. Dabam Holmiae Suecorum a. d. VIII. Octobris. CIↃIↃCLXI.

EPI-

EPISTOLA DCXXIX.

PETRUS SEGUINUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

GRatiſſimae mihi advenerunt, per amiciſſimum & doctiſſimum noſtrum *Bigotium*, literae tuae datae Holmiae Suecorum, a. d. VIII. Octobr. anni praeteriti: eiſque reſpondiſſem diligentius, niſi me trium fere menſium adverſa valetudo diſtinuiſſet. Sed quae interim non obſtitit, quo minus maximo perfuſus ſim gaudio, videns te etſi politicis Reipublicae tuae negotiis addictum, non tamen averſum ab antiquitatis Romanae arcanis; quibus ſi aliquam operam dare tibi per ſerias occupationes liceret, quam magna lux iis accederet, nemo eſt qui non ſentiat. Et certe magno cum plauſu exceptus eſt a noſtris antiquariis, illuſtratus a te Divi Veſpaſiani numus: praeſertim dum vas illud columnae impoſitum, balſamo ſervando, quod nemo ante te, deſtinatum, tam luculenter obſervaſti. Pro urna quidem accipi non debere tecum ſentio, multo minus pro nota monetaria, ut opinabantur viri docti, quos recenſes. Sed quam appoſite ad hiſtoricam veritatem, quod addis de triumpho Veſpaſiani, & de tributo balſami a Judaeis pendi Romanis ſolito? in tuam igitur ſententiam abeo, & omnino tecum de alabaſtro ſeu vaſculo unguentario concludo. Stabo etiam a partibus tuae modeſtiae, & uſque dum viderim tecum fruticem balſami, Laurum, quam ſuper ejus annotatione meruiſti, a tuo numo non ſubmovebo: praeſertim cum apud Plinium, quem ut tibi morem gererem perlegi, & apud alios auctores, balſami arbuſculam, viti ſimilem repererim. At lignum vitis obliquum eſt, & minus rectum, quam videntur iſti ſurculi tui numiſmatis. Non diſpliceat tibi, quaeſo, vir Ornatiſſime, amica & Gallica libertas ſententiae meae quam poſtulaſti. Qualiſcumque enim illa ſit, tuo permittitur arbitrio, cui ſi quidquam, vellem detrahere hoc ſolum, quod opuſculum meum de Pompejanis numis, immerita laude cumulas. Caeterum quoniam te ejuſmodi lucubrationum, quae vetera monumenta ſpectant, ſtudioſiſſimum praeſtas, te monitum velim, apud nos Juvenem Medicum *Carolum Patinum*, *Guidonis* filium, perdoctum ſane, magna ſuper hoc argumento meditari, quippe qui *F. Urſinum*, non ſolum novis praelis ac recognitionibus adgreditur, verum etiam trecentis fere nummis adauget, quorum typum in noſtris ſtudiolis Pariſienſibus accepit, & qui Romae non reperiebantur, tunc cum praefatus antiquitatis Romanae genius, ſuas familias ex Archetypis, praeſertim Farneſianis, exaravit. In hoc tamen cum *Patino* non convenirem, quod ſuas lucubrationes, non ut *Gorlaeus*, ſeparatim ſit editurus, ſed Urſinianis, quas intactas pro tanti viri reverentia voluiſſem, ſit inſerturus: quamvis adhibita quorumdam aſteriſcorum & caracterum diverſitate, quibus quid *Urſini*, quid *Patini*, innoteſcat. Idem publici juris facturus eſt, ſeriem aereorum numorum ſecundae ſeu mediocris magnitudinis, quibus Illuſtriſſi-

ſtriſſimi Comitis *Briennaei* gazophylacium prae caeteris abundat. Nec deeſſet adhuc aliquis, qui pro ſua in rem antiquariam propenſione, lubens operam ſuam locaret, in ſeligendis & elucidandis aliquot ex tot tantiſque cimeliis & numiſmatis, quae ex univerſis orbis partibus, Pariſios comportantur. Sed deeſt nobis lepos ille, & eloquentiae decor, quo tua dicta ſcriptaque exornas. hoc uno ſolo tibi non inferiores, quod urbanitati & benevolentiae tuae, vices aeternas ex animo rependemus. Vale, vir Ornatiſſime, ac te patriae & amicis tuis, citius incolumem praeſtet Deus Opt. Max. Dabam Lutetiae Pariſiorum VI. Kalend. Martii Anno CIↃIↃCLXII.

EPISTOLA DCXXX.

NICOLAUS HEINSIUS

Petro Seguino.

Lutetiam.

NON diſplicuiſſe tibi aut improbata eſſe, quae ad illuſtrationem numi veteris in medium contulit epiſtola Octobri menſe exarata, equidem pergratum eſt. Pro certo igitur habeamus vas illud in numiſmate ſignatum de alabaſtro unguentario eſſe capiendum, Balſami cuſtode, quo Judaea, vectigalis Populo Romano facta poſt divi Veſpaſiani triumphum, denotetur. De fruticibus illic additis an balſami ſint arbuſculae, ſi rem non ſatis exploratam contendis eſſe, mecum profecto ſentis. Quamquam quod Balſami fruticem viti ſimilem volunt Plinius aliique ex Graecis ſcriptoribus ac Latinis, neſcio an ſatis validum ſit argumentum, quo prorſus vincatur, lignum Balſami obliquum ac incurvum eſſe, contra quam in numo Veſpaſiani exhibetur. Nam quod ignorarunt veteres, cum noſtra aetate ſit compertum, Judaeam ac Aegyptum Balſami minime feraces eſſe, ſed odoratum hunc fruticem in Arabia Felice gigni, atque inde ad terrarum tractus jam nominatos transferri, ubi in hortis Principum virorum delicatis multo excolitur ſtudio, fieri poteſt, truncum fruticis, qui natura ſinuoſus ſit ac obliquus, cultu aſſiduo & diuturno adhibito emendari. In icone certe balſami, quam *Proſper Albinus*, teſtis oculatus, publico dedit, truncum gibboſum quidem ac obtortum, ceterum ramuſculos rectos & proceros eſt agnoſcere. Quid? quod credibile eſt triumphi ſui pompae eas ſelegiſſe balſamos Veſpaſianum, quas prae ceteris terſa ac caſtigata formae elegantia multuſque cultus commendaret, cum non tam naribus, quam oculis ſpectantium hujuſmodi fercula ad triumphi ornatum & ſplendorem referenda, inſervirent. Sed frutex in numo Divi Veſpaſiani ſpectandus denſiore folio eſt, quam is, quem Proſper Albinus exhibuit. Itaque certi nil affirmo, dum alia in promptu, quae rei veritatem liquidius nobis proponunt. De altero numiſmate familiariter, ut ſoleo, cum *Bigotio* noſtro agebam nuper, ejus iconem Aſcanii vultu inſignitam eſſe contendens, non quod id pro re indubitata venditarem, ſed ut vos ad veriora indaganda accenderem atque exhortarer. *Guidonem Patinum* magni apud vos nominis medicum, hominem cum

cum eruditum, tum candidum imprimis & mero leporis nectare delibutum, probe notum habeo, qui ante annos hoſce quatuordecim & plures apud vos commorantem me non uno beneficio eſt proſecutus. Quo magis gaudeo, filium illi obtigiſſe ad praeclara quaevis magnis paſſibus contendentem. Auctuarium certe, quo familias *Urſini* Romanas illuſtrare coepit, plurimum antiquariae rei utilitatis ac emolumenti feret. Meos quidem numos ſi haberem in promptu, conatus ejus & ſtudia nonnihil fovere poſſem. Excutiam tamen ſcrinia, & ſi quid illic reperero, quod antiquitati illuſtrandae faciat, atque huic argumento conducat, libens depromam. Obſervavi olim *Urſinum* detritis ac evaneſcentibus prae vetuſtate numorum hîc illic notis haud raro deceptum ea ſuppoſuiſſe ectypis, conjecturae falſum, quae in ipſis numiſmatibus aliter ſeſe habeant. Auguror fore, ut accuratiſſimus *Patinus* errores iſtos corrigat ac tollat. Nec opinor ſecuturum nimiam, ac paene putidam *Gorlaei* ſedulitatem, qui omnes notae monetariae differentias aere exprimendas curavit, eaſque, ceu diverſos numos oſtentat. Ex faſtis Goltzianis depromi complura poſſunt, neſcio tamen an pro genuinis omnino habenda; qua in re *Gorlaeus* quoque non ſemel peccaſſe viſus eſt. Juvare hoc inſtitutum opera ſua poſſet *Ezechiel Spanhemius*, Sereniſſimo Electori Palatino a conſiliis, hac potiſſimum de cauſſa miſſus ab hero in Italiam, ut nummariam Principum virorum ſuppellectilem cum cura perluſtret, atque inde enotet ac deſcribat, quidquid ab aliis hactenus obſervatum non fuiſſe deprehendet. Is ſignificabat nuper per literas, ex ſolis Mediceis numis mille & quingentos ſibi animadverſos, qui *Occonem* alioſque antiquarios fugiſſent. Redemi ante decennium Romae a librario quodam quatuor volumina manu *Hannibalis Cari* exarata, in quibus vir elegantiſſimus rem numariam magno conatu illuſtrabat. Primum volumen circa familias illuſtres Urbis occupatur. ſecundum numos Auguſtorum, Auguſtarum tertius excutiebat. Quartum in Graecis illuſtrandis erat totum. Ea mihi naufragio perierunt, ſcripta anno ſeculi ſuperioris ſexageſimo quarto aut quinto. In pleriſque, quae ad familias veteres pertinebant, Urſinianis congrua obſervationibus annotabat, ut alterum alterius ſcrinia ſublegiſſe ſit veroſimile, aut, quod magis crediderim, ex *Delphini Gentilis* ſcriniis utrumque profeciſſe. Nam *Hannibalis Cari* doctrina in hoc ſtudiorum genere mihi plane ignota eſt, ut *Urſinus* inſpectus ejus ſchedis minime habuerit opus, quae tamen annis ad minimum duodenis ante publicatum hujus opus erant congeſtae. Illuſtriſſimum comitem *Briennium* literarum cognitione ſolida egregie inſtructum eſſe ex rumore & fama jam conſtat mihi. Dignae profecto cogitationes iſtae, quas narras, ſunt hoc heroe, qui theſauros antiquorum numiſmatum luculentos, quos poſſidet, publici juris atque uſus facturus ſit. Spero laudabile hoc ejus exemplum alios mox proceres ſecuturos eſſe; quod toto jam ſeculo minimum ornatus atque incrementi huic ſtudio acceſſerit, cum nec hominis niſi in re lauta conſtituti ſit hanc ſupellectilem coacervare, & ſi qui Magnates eam poſſidebant, hi Euclionum inſtar, quidquid collegerant, reconderent, oculiſque alienis prorſus ſubducerent,

rent, non sine praesentissimo rei literariae detrimento. Sunt enim longe plurima etiamnum in historicis Graecis ac Romanis obscura, quae sola numismatum ope nisi illustrentur, posteros latebunt. Gratulor igitur vobis heroem *Briennium*, gratulor *Briennio Patinum*, cujus diligentia fiet, ut rarissimi numi non modo in lucem omniumque conspectum proferantur, sed accurate etiam expressi prodeant, quod praecipue desiderandum est. Sunt enim, qui hujusmodi divitias tam negligenter prodant, ut latuisse eas omnino praestiterit. *Angelonius* orthographiam in inscriptionibus numorum exhibendis vix curasse indignor. Nam cum aliunde emendate scribendi rationem vix certioribus argumentis sit colligere, quam ex hisce argumentis, quae aut numquam aut raro admodum fallunt, opera anxie danda est, ne quid praeter rem in iis divulgandis admittatur. Sed video verbosius haec me persecutum esse, quam par erat. Praesertim apud virum, quem horum studiorum nil fugit aut fallit. Vale. Exarabam Holmiae Suecorum Anno CIↃIↃCLXII. a. d. x. April. Gregor.

EPISTOLA DCXXXI.

CLAUDIUS JOLY
CANONICUS ECCLESIAE PARISIENSIS

Nic. Heinsio.

Holmiam.

ACcepi nuper tuum Claudianum, vir eruditissime, ab *Emerico Bigotio*, amico nostro, ad me missum, cujus gratias tibi amplissimas ago ut debeo, quandoquidem hunc ex dono tuo ad me perventurum jampridem *Elzevirius* monuerat. Nimirum ea fuit erga me tua gratitudo ac benevolentia, ut exiguum beneficium magno munere compensares. Quod enim *Antonii Oiselii*, avi mei, nec non mei ipsius immerentis mentionem ibi fieri video, non parum decoris mihi contigisse arbitror: si quidem tot inter Literatos a laudato viro nominatum esse, aliquid est non vulgare, quod quilibet famae cupidus non oscitanter ambiat. Ego vero quemadmodum stolidus ac delirus merito videar, si nominis amplioris appetens fuerim; ita si *Antonium Oiselium* inter viros doctrina praestantes collocarim, nihil agam quod non actum sit a pluribus viris doctissimis; inter quos *Jac. Aug. Thuanus*, *Oiselium* in literis cum *Pithoeis*, fratribus *Jac. Hollerio* & *Cl. Puteano*, *Puteanorum* nostrorum patre, qui in Bibliotheca Regia non ita pridem claruerunt, primas apud nos suo tempore tulisse lib. v. de vita sua testatus est. Nec certe ignotum fuit *Oiselii* nomen magno *Danieli Heinsio*, patri tuo, qui, cum anno 1646. Lugdunum Batavorum adissem cum sereniissima *Anna Borbonia* Longavillani Ducis uxore, mihi de *Oiselii* singulari eruditione honorifice loquutus est, meque propter ejus memoriam perhumane atque amanter excepit. Et quidem bonis avibus accidit, ut testimonium illud Patris, tui quasi futurae alicujus inter nos amicitiae praenuncium, Codices avi mei sequerentur tuisque studiis inservirent. Ex quatuor, quos *Elzevirio* com-

commiseram, jam duo incolumes redierunt, Claudiani scilicet ac Lucani. Hinc magnopere cupiam, ut quod in Claudiano perfeciſti, id ipsum in Lucano propediem peragas. Quod si quid etiam Ovidio nostros codices Metamorphoseon, qui adhuc penes te sunt, profuturos speras, nescium te nolim, alterum fuisse ejusdem *Oiselii*, alterum Ecclesiae nostrae Parisiensis. Vale, doctissime Heinsi, ac de bonis literis perge bene mereri, paternique nominis gloriam tua semper adaugere. Lutetiae Parisiorum Pridie Nonas Septembr. Anno CIↃIↃCLXV.

EPISTOLA DCXXXII.

NICOLAUS HEINSIUS

Claudio Joly.

Canonico Ecclesiae Parienſis.

Lutetiam.

SIngularis illa & exporrecta comitas tua, quam abunde mihi approbaras, suppeditatis tam liberaliter Nasonis, Lucani, ac Claudiani membranis vetustis, denuo se nuper exseruit, vir Clarissime, quando partes meas occupasti, actis per literas gratiis pro Claudiano nostro ad te perlato, quas ego tibi debebam, & quidem ingentes, hoc est magno beneficio pares. Claudiani exemplar profuit in multis, ut videre potuisti: vix enim est, ut ejus scriptoris codices oppido vetusti in priscis bibliothecis occurrant, mihi certe in tanta copia praeter unicum exemplar Vaticanum, nullum hactenus offertur, quod membranas illas tuas vetustate post se relinquat. Profuit & Lucani codex, etsi necdum pervolvi: cum & spes sit facta aliorum complurium, quos eadem opera excutiendos mihi proposueram, tum quod hi ipsi codices parum bonae promittant frugis, ejus nimirum notae ac aetatis, cujus infiniti propemodum hîc illic in manus meas recorder incidisse. Utinam vetustiores aliquando ex pluteis Gallicanis abs te eruantur! saltem qui Lucani tui senium adaequent, hoc est ante annos sexcentos exarati, quales perpaucos mihi perlustrare contigit. Tui interim illi ad te revertentur occasione prima. Hactenus enim id fieri vix potuit, quod & pestilentia anno proxime elapso per Bataviam nostram grassata, & nunc bellum Anglicanum illi limiti incumbens, quidquid maritimi commercii erat inter Suecos & populares meos, interverterit. *Antonii Oizelii* avi tui merita in rem literariam praeclara minime me latent, quibus praedicandis locum opportuniorem confido dari posse, quam est datus. Festinabam enim in iis, quae ad Claudianum sum praefatus. Sed & nomen tam illustre commendationis meae haudquaquam indigere opinabar, quod lectori literarum non prorsus ignaro satis superque cognitum est ac perspectum. Vale, vir Clarissime, & mihi bene velle, ut coepisti, perge. Exarabam Holmiae XXI. Octobr. CIↃIↃCLXV.

Digitized by Google

EPISTOLA DCXXXIII.

CLAUDIUS JOLY

CANONICUS ECCLESIAE PARISIENSIS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

ECce iterum me beas, eruditiſſime Heinſi, poſt donata Claudiani Poëmata, recentioribus tuae Muſae deliciis, quas mihi tradidit doctiſſimus amicus noſter *Emericus Bigotius*. Atque utinam hujuſce muneris tantas tibi gratias referre quirem, quantas tot lepores, tot elegantiae, tot amoenitates repoſcunt ac promerentur. Par pari aliquatenus referrem. Nunc vero me debitorem ac ſolvendi inidoneum eſſe oportet. Quidquid ſit, quam maximas poſſum tibi gratias ex corde gratiſſimo ac beneficiorum tuorum nunquam immemori perſolvo. Et quoniam me tot doctorum amicorum choro, quos non tantum domi, ſed etiam in exteris gentibus numeras, adſcriptum eſſe voluiſti; cujus quidem rei non minus glorior, quam gaudeo: ita me ſemper ad omnia tibi paratiſſimum credas velim. Perge, doctiſſime Domine, bonas literas quotidie exornare, ac nomen Heinſianum illis excolendis natum ad majora ſemper provehere. Vale & me ama. Lutetiae Pariſiorum x. Mart. Anno CIↃIↃCLXVII.

EPISTOLA DCXXXIV.

PETRUS PETITUS

Nic. Heinſio.

Holmiam.

NON arbitror me habere habiturumve unquam quidquam ἀντάξιον, quod tibi rependam, Heinſi, pro illo munere eximio, quo me nuper donaſti, niſi ſi grati animi affectum pro effectu accipis. Enimvero magnam mihi eo facto voluptatem injeciſti; non ſolum, quia tam boni libri me poſſeſſorem eſſe factum gaudeo, ſed etiam quia tali munere, quod mea officia, literaſque praevertit, videre mihi ultro amicitiae tuae fores aperire, certe occaſionem das eas pulſandi, uti nunc facio hacce epiſtola; tum non ſurdas fore eas propemodum pollicere, ſpemque admiſſionis facis. Quod ſi aſſequar, nihil mihi jucundius poſſit contingere. Ea eſt enim eruditio tua & in literis juvandis induſtria, ea probitas & candor, ut omnes vel abs te remotiſſimos ad tuam amicitiam quaerendam accendere poſſit. Sane tua fama, ut quam latiſſime quoquo verſum ſeſe diffundit, univerſamque Europam amplectitur, jam pridem me tibi ex admiratore Amicum, ex aeſtimatore Laudatorem fecerat. Ac multi in hac urbe teſtari poſſunt, quantopere tibi faveam, quam pronis auribus tuas laudes excipiam, quam ipſe in eas, ubi occaſio datur, eupide erumpam. Quem affectum mihi non parum auxerunt amici tui, vel potius noſtri, viri clariſſimi *Jo. Capellanus*, *Aegidius Menagius*, *Emericus Bigotius*, *Vidus Patinus*,

tinus, *Jacobus Mentelius*, dum mecum epistolas, quas ipsis de re literaria scripsisses, communicarent: quibus epistolis nihil tersius aut elegantius esse potest. Sed quod magis miremur, illa tam polita & omni leporum genere adblandiens oratio tibi, ut iidem affirmant, fluit illaborata. Ex quo intelligi possit, quanta sit in te vis ingenii & eruditionis, quam incredibilis usus omnium optimarum disciplinarum. Neque certe, quin ita res se habeat, dubitare possumus, postquam tot egregia ingenii tui monumenta videmus e Museo tuo prodire. Vel illa, quam suscepisti, provincia Poëtarum omnium Latinorum scripta recognoscendi, quem non & rerum difficultatibus, & laboris magnitudine terreret? Tu tamen eam sic administras, ut eodem spiritu, quo illi Auctores scripserunt, videaris ad eos restituendos atque illustrandos accessisse. Istud vero jam mirum videri non debet, te de poëtarum scriptis tam adamussim judicium facere, in illa antiquitate tam cernere acutum, quam Aquila cernit, aut serpens Epidaurius, qui ipse egregius sis poëta, & mirus carminum artifex. Quod cum ex aliis Poëmatis tuis, tum ex divino illo scazonte, quem in Claudiani tui frontispicio posuisti, plane perspectum habemus. Sed haec & alia ingenii tui decora, non est comprehendere epistolae angustiis, nec nunc sane scribimus ut te laudemus, in os videlicet, sed ut tibi gratias agamus. Porro nec tua virtus, mea aut cujusquam praedicatione eget, utpote quae tot claris operibus ipsa ultro in omnium oculos incurrat. Non potui tamen tam bella occasione oblata mihi temperare, quin haec paucula tot aliis ornamentis tuis attingerem. Quae mihi solius veritatis vi expressa velim tibi persuadeas. Caeterum officii mei esse duxi libelli cujusdam a me nuper editi, de Extensione animae & rerum incorporearum natura, (ita enim inscribere placuit) exemplar ad te mittere: quod fortassis ad te jam pervenit. Eo libello excutimus opinionem quandam D. *Chambrei*, clarissimi viri, quae animae humanae, Angelisque ipsis dimensiones, partes, figuram, motum localem, tametsi (ut fatetur) incorporeis tribuit, quod Systematis animae, (ita enim loquitur) fundamentum posuit. Id munusculum, qualecumque est, certe obtequii atque observantiae in te meae pignus aequi bonique consulas, etiam atque etiam rogo. Ex Museo nostro Lutetiae Parisiorum Kalendis Decembribus anni a Christo nato CIↃIↃCLXV.

EPISTOLA DCXXXV.

NICOLAUS HEINSIUS

Petro Petito.

Lutetiam.

DIU est, quod te ex fama & scriptis habeo perspectum, vir Celeberrime. Favere etiam ingenio tuo coepi non ita nuper, ex quo operum tuorum nonnihil, munus a temet ipso profectum, pervenire ad me voluit, quo fertur rerum mearum studio, noster *Bigotius*. Hanc tam obviae tamque exporrectae frontis nisi in te exoscularer comitatem, ne agrestis, atque inurbanae mentis

cenſuram apud me ipſum incurrerem, unice metuendum profecto videbatur. Auſus igitur ſum ex frivolis meis, quod hoſtimenti locum obtineret, neſcio quid viciſſim per eundem *Bigotium* tibi offerre, acturus & gratias uti oportebat, pro non una felicis curae lucubratione, atque excuſaturus confidentiam meam & temeritatem, qui primos ſtudiorum conatus exhibere tibi viro per omnem literaturam laudato ſuſtinerem; niſi quod in ea nunc incidimus, quotquot in republica verſamur, tempora aut veniam promereamur quodammodo apud non ſeveros officiorum exactores, ſi privata non ſatis ſedulo curemus. Excuſavit tamen jam apud te, puto, Claudianus ipſe ſcriptor politiſſimus, quamquam de obſervatis in illum meis jejunis ut plane juvenilibus deprecari commiſſa debebam. Jamque in eo eram, ut alterum munuſculum, Poëmatia, inquam, mea publici juris propediem de novo facienda tibi deſtinarem; idque eo magis, quod cum voluptate ſumma & admiratione jam perlegiſſem ex his nonnulla, quae tu ipſe ligato ſermone & Muſico egregie es commentatus. Sed dum ob abſentiam meam lentius procedit opera bibliopolae in hac tela detexenda, ſupervenerunt interea temporis literae tuae, diſertae illae atque elegantes, plurimamque cum comitatis, tum amoris in me tui teſtificationem prae ſe ferentes, ad quas reſcribi ſine procraſtinatione ulla, fateor, par fuit, niſi morae culpa penes librarium cunctatorem potius, quam me, ſtetiſſet, qui, quem toto anno parturiit libellum, nunc vix tandem enixus eſt, ut audio, juſſus a me ejus tibi copiam in primis Gallicanis amicis facere. Nec dubito mandatis hiſce obſequentem illum ac morigerum fore. Te obteſtor interim tuaeque humanitatis genium, ne quid rigide nimis ac cenſorium in morem cum libello hoc agas, quando per me abſentem & alibi occupatum naevis omnibus caveri non ſatis potuit, quos ne aequo plures & graviores oſtendat libellus ſubvereor. Eruditionem enim aut ingenii laudem haudquaquam capto, omnis gloriae ſecurus, & abunde felix, ſi te tuique ſimiles experior amicos. Ita fit, ut quotieſcunque in exteros terrarum tractus per epiſtolas adeundi mihi ſunt homines diſciplinis liberalibus inſtructi, quorum plurimos habeo mei ſtudioſos, extemporali quadam ſcriptionis impolitae libertate apud illos utor, unde ipſi intelligant, multum praeſidii ac fiduciae in illorum benevolentia me collocaſſe, apud quos licere mihi negligenti & incomto eſſe habeam perſuaſum ut omnino credam. Spectari quippe in officiis frequentiam & aſſiduitatem malo, quam ornatum, qui offuciarum ſuſpicionem raro a ſe amolitur. Libellum tuum de extenſione Animae, cujus jam ad me miſſi in tuis mentionem facis, impatienter exſpecto. Hactenus illum certe nec accepi, nec qua via, aut per quos ad me ſit perventurus ſcio. Vale, vir ornatiſſime, & me, ut coepiſti, in tuis habe. Holmiae Suecorum a. d. XVI. Kalend. April. CIↃIↃCLXVI. Has jam ſcripſeram, cum a *Bigotio* perferuntur ad me literae, quibus ille ſubindicat tuum de Extenſione animae commentarium ſua opera ad me mittendum fore.

EPI-

EPISTOLA DCXXXVI.

PETRUS PETITUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

TU quidem, vir praeſtantiſſime, morem antiquum obtines, ut novis ſubinde induſtriae tuae monumentis rem litterariam juves; quod ſane tot emendatiſſimae bonorum Auctorum editiones tua opera perfectae, quique nuper prodiit Virgilius tuus, teſtantur: mihi vero, qui pridem in albo tuorum amicorum eſſe glorior, cum ſemper infixa haeſerit memoria tui, tamen ea tempora inciderunt, quae inceptum inter nos literarum commercium interruperunt: non eas cauſas intelligo, quas *Capellanus* noſter olim ſe habere putavit non ſcribendi ad te ut comperi, praeterita bella; non ſum adeo cautus, ſed luctum domeſticum & negotia ſtudiis inimiciſſima, morte fratris mihi percari. Qui caſus me ex otio literario, quod ſemper amavi, & cui unice natus ſum, in ſummam miſeriam conjecit. Nam quod nunquam in vita expertus fueram, lites habere coactus ſum, & ejuſmodi lites, quae nondum poſt tantum temporis intervallum extingui potuerunt. A quibus tamen me tandem expedivi, ſed qua conditione negotiatores in tempeſtate, rerum mearum parte abjecta. Nunc cum reſpirare licet, nihil magis officii mei eſſe duco, quam ad te ſcribere. Cujus officii cum occaſionem expectarem, vir clariſſimus, & mihi amiciſſimus *Emericus Bigotius* peropportunam & gratiſſimam obtulit. Is enim cum in urbem veniſſet, me, ut fit, de ſtudiis meis percontatus, quid agerem, & num quid haberem quod in lucem dari poſſet: reſpondi multa me habere, & in his animadverſa olim a me in varios auctores, unde Miſcellanearum Obſervationum volumen conflari poſſit: ſi ſint librarii, qui editionem ſuſcipiant. Nunc Lutetiae paucos admodum eſſe, qui bonis literis ſervire velint; omnes ad plebejas ſcriptiones patria moneta percuſſas intentos eſſe: unde ſcilicet promptius lucrum ad ſe rediturum ſperent. Tum ille, ut eſt ſumma humanitate praeditus, prolixe mihi operam ſuam pollicitus eſt apud vos columina & Principes literarum: ſpemque dedit fore, ut veſtra commendatione aliquis mihi ad typos Batavicos aditus pateat. Cupide arripui hanc occaſionem ad te ſcribendi, vir praeſtantiſſime, vehementerque te oro, ut me in hac re juvare velis. Selegi ex meis adverſariis quae viſa ſunt magis publici ſaporis. In his diſponendis, poliendis, & tranſcribendis ſum totus. Cum perfecero, quod ſpero prope diem fore, ad vos, ſi hoc impetravero, miſſurus. Deus te, vir optime, diu literis conſervet. Bene vale. Ex Muſaeo: Lutetiae Pariſiorum 29. Septembris anni a Chriſto CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA DCXXXVII.

PETRUS PETITUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

MUltiplici me literae tuae voluptate affecerunt, Heinſi literatorum decus: primum quidem quod ex iis intelligo librum meum Obſervationum ad te ſalvum perveniſſe, quod metuebam ne ſecus accidiſſet, cum nihil de eo tamdiu audirem. Deinde quod ſignificas bibliopolam non mutaſſe propoſitum de ea commentatione typis ſuis ornanda. Sed omnium maxima haec laetitia eſt, cum polliceris fore tibi curae eam editionem, quo haud ſcio an majus officium mihi abs te hoc tempore praeſtari poſſit, qui tam procul ab operis abſum typographicis, ut me metus jam non mediocris inceſſat, ne multa irrepant in hunc librum menda. Quibus & ipſe occaſionem dederim tot lituris, quibus paſſim paginas non paucas impeditas reliqui deſcribendi taedio. Dum eodem tempore aliae me avocant curae incoeptae lucubrationis de Sibylla, quam per clariſſimi *Bigotii* abſentiam deſperans de editione mearum Obſervationum confeci. Utinam vacaſſet tibi, aut libuiſſet pervolutare atque excutere iſtas Obſervationes, & in iis criticam tuam exercere, antequam praelo darentur. Sed hoc non auſus ſum petere a te, quod mihi ipſi improbum videretur. Non mediocri & voluptati eſt, quod nomen meum video in ea parte epiſtolae celeberrimi viri *Joannis Georgii Graevii*, quam mihi excerpſiſti, &, quae eſt humanitas ejus, huic quoque nonnulli eſſe curae res meas: hinc que & ambiendae ejus amicitiae occaſionem mihi praebitam video, immo vero aditum patefactum ad eam: certe fores pulſabo, vel ut gratias agam. Quod autem novae Ovidii editionis ac curarum in eum ſecundarum ſpem facis, Maronianarum inſuper lectionum commentarios promittis, non mihi tantum, ſed univerſae reipub. Literariae de his bonis gratulor. Neque enim dubito, quin multa in eum Poëtarum latinorum Principem animadverteris, quae aliorum diligentiam fugerunt. Quamobrem Deum precor, ut valetudinem tuam magis ac magis confirmet, ut quam diutiſſime egregiis lucubrationibus tuis de literis bene mereri poſſis. De Manuſcriptis Naſonis antiquioribus quod narras, nihil equidem magis cupiam, quam votis tuis non in hoc tantum, ſed in omnibus, quod potero ſatisfacere: nec dubitare debes de hoc affectu meo: ſed & amicos me ſagaciores & ad bibliothecarum angulos ſcrutandos, promptiores ad eandem operam invitabo. Interea, vir praeſtantiſſime, velim me in eorum numero eſſe credas, qui te maxime amant & colunt, quod equidem facere, ex quo te cognovi, nunquam deſtiti, per illud etiam tempus, quo nullas a me literas accipiebas. Teſtes tibi hujus eſſe poſſunt viri clariſſimi & magni amici mei *Menagius* & *Bigotius*; & tum *Capellanus* poſſet, ſi viveret, apud quem frequens mihi de te ſermo erat. Cum mecum, quas illi ſcribebas, litteras communicaret, ut ejus judicii, quo dictionem tuam mirifice probabat atque etiam admira-

mirabatur, ſocium haberet. In quo & omni ingenii tui praedicatione illi profecto non concedebam. Vale, vir inclyte, & me pridem tuum amare perge. Kalend. Mart. CIↃIↃCLXXXI.

EPISTOLA DCXXXVIII.

MONSIEUR

a Viane.

JE ſuis en peine de ſavoir ce qu'eſt devenue une lettre, que vous m'aves fait la grace de m'ecrire, ſi il y avoit dedans quelque occaſion de vous rendre ſervice. Je vous ſupplie de me la faire ſavoir. Ceſt, Monſieur, pour vous dire la peine on j'en ſuis, que je vous eſcris ces lignes, & pour vous faire mes remercimens de voſtre Virgile, qui me paroiſt infinement plus beau, depuis qu'il a paſſé par vos mains. Je vous cite, mon cher Monſieur, en toutes rencontres pour celui des gens des lettres de noſtre ſiecle, qui a le plus de merite, & le moins de douceur dans la vie. Faut il qu' apres un auſſi malheurex proces, que celuy que l'on vous a fait, voſtre ſanté ſe trouve encore affectée? il n' y a point d' exemple pareil a celuy de voſtre vie dans le livre de Pierius Valerianus de literatorum infelicitate. *Je vous plains plus que perſonne, car j'entre dans vos intrets, & dans tout ce que vous touche, & outre la profeſſion que j'ay fait, il y a long tems d' amitie pour vous, une affaire auſſy injuſte, que l' on m' y fait icy, & qui m'a fait perdre deux ou trois ans d' etude, & de temps, m' attendrit encore d' avantage ſur la perſecution que l'on vous a faite. Il n'y a que dans les lettres, que l' on puiſſe trouver de la conſolation des injuſtices, que les hommes nous font, & il n'y a perſonne que s'en doive mieux ſervir que vos. Ne ſonges vous point a changer un air ſi contraire de toutes facons? mais je ne ſonge pas, que vous aves maintenant Monſieur van* Beuningen, *& que vos deves trouver tout dans ſon amitie. vous aves eu autrefois quelque eſperance de MSS. Grecs en Moſcovie, qu'eſt ce quelle eſt devenue? n'aves vous point auſſy de relation du voyage de cet officier Hollandois, qui a paſſé de Moſcovie a la Chine? n'aves vous point decouvert quelque partie de ce grand contrait, qui eſt entre la Moſcovie & la Chine, & fait une partie aſſes conſiderable de noſtre Globe terreſtre, que nous ne connoiſſons point. Il eſt aſſes impoſſible, qu'il ne vous ſoit tombé entre les mains quelque piece de cette nature: pour moy qui ſuis deſormais hors d' age de voyager, & de faire des decouvertes, je n' ay point de plus grand plaiſir, que de prendre ce que les autres font pour de ſemblables deſſeins, & je vous envoirois bientot une ſuite de ce receuil des voyages, dont je crois vous avoir deja envoyé quatre parties, qui ſeront ſuivies d'une cinquieme, a laquelle l'on travaille. Nous ſommes maintenant peu eloignes l' un de l' autre. L' on m' a dit que vous eſtes a Viane; en deux ou trois jours de temps nous pouvons avoir des nouvelles, l'un de l' autre. Soyes bien perſuadè, que vous n' aves point d' ame plus fidel, & plus devouée, que je vous le ſuis, & que le ſeray toute ma vie. Pariſ. 16. Juin.* CIↃIↃCLXXIX.

Voſtre treshumble & tres obeiſſant ſerviteur

THEVENOT.

EPI-

EPISTOLA DCXXXIX.

NICOLAUS HEINSIUS

Melchiezedeco Thevenoto.

Lutetiam.

NON erat sane, cur pro tenui ac perpusillo munusculo grates ageres tam profusum in modum, cum longe majori, ut potes meminisse, munificentia jam olim essem abs te provocatus: nisi quod singularem plane eximiamque comitatem illam, quam tot argumentis ante toties mihi approbaras, numeris omnibus sibi parem ac constantem etiam hîc exhibendam duxisti nobis. Causa mittendi ad te libelli in praecipuis fuit; uti ex hoc qualicumque pignoris gustu cognosceres, & privatim constare mihi rationem pristinae tuae benevolentiae, & publice Gallicani nominis observantiam. Gentem enim universam in tanto Rege, quasi delectis ad id viarum compendiis, sum veneratus. Quod institutum etsi praemature fortassis aggressus possum videri, consultius quippe, quorumdam ex sententia, feciissem cautiusque si sopiendis odiis, adhuc recentibus, quae gentem utramque nuper acerrime collidebant, diuturnius spatium fuisset indultum; urgenti tamen atque alia flagitanti omnia valetudini morem quodammodo gerendum esse sum arbitratus, quae decursis proxime annis graviter quidem, sed gravius multo adfecta sub ipsam libelli editionem, mortalitatis aeque ac animi haudquaquam ingrati Regi, pulcherrime de me merito, praestandi identidem admonebat perquam instanter, nec sine quodam convicio, qui tanto tempore partibus hîc meis deessem. Hinc metus injectus, ne satis vitae restaret, ad publicandas una cum ipso Maronis contextu animadversiones nostras. Accessit & hoc excusatione dignum, quodque pretium libelli apud nonnullos extenuavit, in formam tam exilem collectus poëtarum Princeps. Id autem quemadmodum me nolente factum est a typographo, ita tu, pro cetera tua aequitate facile agnoscis inveteratum bibliopolarum nostratium morbum, qui compendio lucri ut plurimum studentes litterarum dignitatem negligentius curent. Quamquam si quid hîc culpa mea foret admissum, non citra spem veniae videri poteram peccasse apud candidos rerum aestimatores, quibus in comperto sit, non fuisse ab antiquis improbatum artificem, qui Iliadem Homeri universam, nucis includendam putamine, circumscripsisset, nec enormem corporis mensuram sua semper venustas comitatur aut elegantia. Quod reliquum est, amicis fore curae confido, si promissis sunt staturi, ne post me luci subtrahantur lucubrationes Maroni a me jam olim dedicatae, quando valetudo, id ut ipse praestem, sperandum vix relinquit. Est enim eo jampridem loco, etsi aestivis hisce mensibus solito benignius mitiusque mecum agit, ut nihil confirmati aut solidi, nisi deus, quod ajunt, adsit a machina, polliceatur in posterum: cum vires aut profituro in publicum, aut rem privatam, bellis proximis haud modice attritam, curaturo nusquam respondeant. Articularis morbus & calculus mala sunt jam antiqua,

Digitized by Google

qua, quibus alia, praeſertim poſt Ruthenicum iter, acceſſerunt nihilo leviora, atque horum id in minimis habendum, quod omni ferme jam pedum uſu vivam privatus. Adde ſaevientis injuriae non unos inſultus, qua veteres, qua novos. Obveniſſe nimirum in rebus humanis haud pauca mihi adverſa, ſollerter & amice abs te eſt obſervatum: obvenerunt enim, & quidem multo plura his, quorum fama ad aures tuas perveniſſe potuit. Nec poſtremam horum ſibi vindicant partem aliae ex aliis peringratae lites, quae toto me vicennio modis indigniſſimis exercitum habuerunt, ut hiſce incommodis angoribuſque totum aetatis florem miſere collabi atque interverti ſenſerim. Quippe lite vix prima defunctus, judiceſque adeo iniquos eram expertus, ut cauſſa reipublicae abſentem damnarent, fruſtraque, ut domum liceret reverti, flagitantem, aut ſi id non daretur, ut parumper ſuſtinerent ac proferrent litem, (ea enim rerum in foro documenta poſt a praeſente ſunt exhibita, quibus inſpectis judex cogeretur fateri, longe aliam ſe ſententiam fuiſſe laturum, ſi tempeſtivius aliquanto horum ſibi facta foret copia) vix, inquam defunctus diuturnis hiſce moleſtiis, ecce, denuo compellor in eandem arenam deſcendere, & cum proximae adfinitatis neceſſariis ob hereditatem, quam involarant, paternam digladiari, & his quidem in foro tam potentibus, ut judicum pars magna eſſent ipſi, ac tantum non inter illos regnarent. Cui contentioni, etſi feliciorem ſortitae eventum, nullus equidem adfulſiſſet finis, niſi domum reverſus munere ac honore publico memet abdicaſſem, uti rem privatam commodius curarem: praeſertim quod dudum animadvertiſſem, infenſos oblique foederatis Belgis Procerum Suecana in aula animos nihil jam fidum ſpirare, & ſi bella nobis aliunde intentarentur, (ut omne, quod rebus ſecundis floret, invidiae ſemper eſt expoſitum) illos, ſacroſanctae pactorum omnium religionis oblitos, in partibus haudquaquam poſtremos fore; id quod eventus rerum non multo poſt abunde comprobavit. Jam curis exſolutus omnibus, tranquillitatis portum videbar tenere, jam biennem animo peregrinationem volutabam, ut valetudini ex adflatu coeli mitioris fomenta quaeſiturus, ita exploraturus una, ſi quos aeri meo in exteris haud leviter habebam obnoxios, ingentibus horum promiſſis oneratus hactenus, hoc e nexu daretur tandem aliquando expedire. Nec deerant peregre viri Principes, qui uti ad ſe quoque molirer greſſum, invitarent. Sed conſilii hujus ratio prorſus omnis mire conturbata eſt ſubſecuto confeſtim bello longe funeſtiſſimo. Locum igitur ſolitarium circumſpexi, in quo mihi uni meiſque Muſis viverem, tranſlata eo bibliotheca, quam pro facultatibus meis copioſam atque amplam plus ſatis inſtruxi, flagitatoque a Proceribus noſtris miſſionis libello: cujus loco, poſt repetita frequenter haec poſtulata, longamque procraſtinationem, perlatum huc ex aula noſtra ad me diploma eſt, quo quicquid egi tot annis pro re communi approbatur, ac exquiſitis iiſque longe ſupra meritum meum laudibus extollitur. Ceterum miſſioni, quam unam flagitaram, ceterorum ſecurus, quod conſcientia propenſae in rem publicam voluntatis integritatiſque me involverem, neque ſubſcribunt illic patres, & ſeſe, ſi velim, paratos profitentur, curis ac

honoribus me rursus admovere. Hunc post vitae tenorem aliis videbor fortassis parum felix: ego vero inter apprime fortunatos ausim me numerare, qui tot objectus negotiis tamque lubricis atque in praecipiti collocatis, fortunae, utcumque semper aversae, ne tantillum quidem reliquerim, quo me aut neglecti in publicis officii, aut, quod multo gravius, doli infimularet mali. Nam paria hisce judicia, scripto non uno consignata, & ab aulae Suecanae Proceribus ultro sum consecutus inde discedens, & ante ab his ipsis, qui illo terrarum in tractu late regnarunt. Vides, humanissime Thevenote, quo me libido quaedam & intemperies tecum confabulandi provexerit: jam enim epistolae modum longe excessi. Sed majora nusquam occurrebant, quae nuntiarem. De codicibus vero Graecis, quos Nicon Patriarcha Moscuae complures, & hos quidem partem potissimam e monte Atho conquisisse dictus est, cum illic regionum versarer, cognosse ex illo nil prorsus est datum. Ne quidem de Tartariae oris adhuc incognitis. Nam is, qui ex amicis meis ad Seras Orator a Principe destinabatur, alia post dignitate est cumulatus, & Rutheni ipsi adeo supine ac inscite observant & committunt chartae, quicquid peregre contemplandum occurrit, ut sine taedio ac multa indignatione narrantes vix audias aut legas. Ceterum litteras tuas measque complures in via periisse non est quod miremur, cum & itinera frequenti militum latrocinio fuerint infesta, neque locum certum, ubi aut ruri aut in urbe viveres, satis cognitum haberem, & ipse sedem elegissem ab omni tabellariorum accessu remotum. Illustrissimo Duci *Montozerio*, cum feret opportunitas, obsequia mea sistantur velim. Vale, virorum optime, & mihi velle, sic ut facis, in posterum perge. Vianae ad Leccam CIↃIↃCLXXIX. a. d. XIX. Sextil.

EPISTOLA DCXL.

NICOLAUS HEINSIUS

Petro Danieli Huetio.

Lutetiam.

DEmonstrationem tuam Euangelicam, qua ab annis jam multis opus nullum aut eruditione consummatius, aut utilius Christianae Ecclesiae reor in lucem prodiisse, haud ita nuper ad me perlatam, jamque incredibili quadam cum voluptate ex parte majore perlectam, quibus exornem verbis, aut qua praestantiam libri exaequem oratione, fateor me non videre. De pretio tamen haud sane exiguo, quod is liber apud me invenit, fidem utcumque fecerit, quod etsi totum jam fere biennium aeger, sed a binis potissimum mensibus, prostratae & a lecto me non divelli permittentis valetudinis, oculos tamen a lectione commentarii tam exquisiti, tamque hoc seculo, quo contemtus rerum divinarum plurimorum animos oppressit, & quotidie glisscit, cum maxime salutaris, vix removi; medicis quamquam & invitis, & omni studiorum intentione mihi interdicentibus. Atque utinam vires, quas confirmari jamjam sentio, tam validas experirer, ut pleniore velo in commendationem

nem hujus ſcripti liceret excurrere: quamquam dubitari non poteſt, quin omnes Chriſtiani, & ſana ſentientes, idem ſtudeant. Ego vero, quem egeſtatis ſuae pudere merito decet, quid repono his tantis theſauris? Vellejum nuper, nunc Virgilium a me recognitos, quantilla munuſcula? Virgilius certe; cum Rhotomagum pridem itinere maritimo perlatus eſſe dicatur, promitto mihi ab officiis *Emerici Bigotii* V. Cl. ut & tu & eximius Epiſcopus Cadomenſis, aliique ex praeſtantibus doctrina viris apud vos, unuſquiſque ſibi deſtinatum ejus Poëtae exemplar jam ſint conſecuti. Vale. Vianae XII. Maji CIↃIↃCLXXIX.

EPISTOLA DCXLI.

PETR. DANIEL HUETIUS

Nic. Heinſio.

Vianam.

QUod de Euangelica mea Demonſtratione ſcribis ad me, dignum eſt elegantia tua & comitate, quam ex libris tuis probe mihi jamdudum perſpectam nunc ipſe experior. Iis enim verborum blanditiis & ornamentis opus noſtrum commendas, ut niſi me nimis amem, non merito quidem ulli meo, ſed eximiae tuae urbanitati totum hoc referre debeam. Nempe ita comparatum eſt, ut quo quis eſt laudibus cumulatior, idem in iis tribuendis profuſior eſſe ſoleat. Optimo quidem conſilio operis hujus lucubrationem a me eſſe ſuſceptam, neque negare velim, neque poſſim. Apparet enim propoſitum id fuiſſe mihi, certa in animo Sereniſſimi Delphini fidei Chriſtianae fundamenta jacere, unaque graſſantem paſſim hac aetate impietatem retundere. Cui argumento parem ingenii vim, parem eruditionem haudquaquam attuliſſe me agnoſco. Quod ſi laboris hujus fructus extabit nihilominus aliquis, divinae hoc erit benignitatis munus, quae pia conſilia optatis ſucceſſibus proſequi ſolet. Interim te aliquantum temporis in ſcriptionis noſtrae lectione ſine faſtidio & moleſtia collocaſſe valde laetor: novi enim ſubtilitatem judicii tui, ingenii acumen, candorem animi; quae talia ſunt, ut ſi res bonas, ſic tanquam optimas, laudare te ſinant, at res malas, ſic tanquam bonas, probare non patiantur. Quamobrem cum opus arbitrio tuo bonum lucubraſſe me ſine arrogantia exiſtimare poſſe videar, id profecto magnopere gaudeo: tu enim unus omnium es, a quo probari faciendum eſſe plurimi exiſtimaverim, a quo diligi magnae ſemper felicitatis loco duxerim. Dicam enim ſine ulla aſſentatione, jampridem ex ſcriptionibus tuis, quas in priſcos auctores edidiſti, & ex elegantiſſimis Poëmatiis tuis, aureo Auguſti ſaeculo dignis, praeclaram animi tui indolem, amabili quadam ingenuitate conjunctam, ita me perſpexiſſe, ut adamaverim; ita adamaſſe, ut redamari contra a te valde optaverim, ad idque occaſionem mihi & viam dari cupiverim. Quam quoniam liberalitate tua, doniſque aperuiſti, ineundam illico cenſui, nec committendum ut quod omni ope, omnibuſque votis quaerere conſtitueram, oblatum id repudiarem. Peto itaque abs te, eximie vir, ut me ames in poſterum, ita ſi me hoc idem

in te facere intellexeris. Quod quamvis sentio me facturum cum multis, neque paucos in te amando rivales habiturum, tamen appetam hujus rei principatum. Valde me angit adversa tua valetudo. Deus te nobis servet, cujus in salute politiorum literarum salus vertitur. Virgilium tuum accepi ab *Emerico Bigotio:* accepit a me Condomensis Episcopus. Gratias agimus uterque. Nihil cultius, nihil emendatius. Notas tamen tuas desideramus: quibus quamdiu carebit Virgilius, maximo decore & ornamento carebit. Vale XIV. Kal. Septembr. CIↃIↃCLXXIX. Lutetia Paris.

EPISTOLA DCXLII.

NICOLAUS HEINSIUS

Petro Danieli Huetio.

Lutetiam.

PLenus quamquam adhuc admiratione doctrinae tuae, vir illustris, quam anno praeterito plenis oculis hauriendam mihi dabant Demonstrationes tuae Euangelicae, quod ego opus meo jure divinum appellare posse videor, distuli tamen scriptionem multo tempore, literis tuis humanissimis utcumque provocatus, quod sperarem fore, ut pervenirent ad me nonnulla ex his libris, quorum a te desiderari usum *Graevius* noster mihi significarat. Verum fortuna partim votis meis gratificata non indulsit, ut horum quicquam indagarim hactenus, praeter *Johannis Meursii* de Gloria libellum, quem ab optimo *Bigotio* accipies. Sepositi & notas in Curopalatam Meursianas, & *Jonae Arngrimi* Islandicam historiam, sed ultimae editionis Batavicae, bis in pluteis meis existantem: nisi quod tu fortassis mavis Hamburgensem, quam designaras, etsi minus hac nostra locupletem. De reliquis etiam mihi curae erit, ubi in auctionibus venales occurrant, quando nobis in librariorum pergulis nihil supereft praesidii. Pro versibus tuis longe elegantissimis quod reponam nihil habeo, praeter nudam gratiarum actionem, eamque tuis in me meritis longe inferiorem. Audeo & duplex epigramma ad te perferendum curare, quod publica auctoritate tumulo viri maximi nuper inscriptum est. Eram & vitam & res ab eodem gestas, breviter oratione prosa complexus, itidem sepulchro inscribendam. Sed cum nonnihil eam immutatam esse audiam, ab illis, qui rebantur supra captum vulgi nonnulla ibi esse a me prolata, & antiquitati magis, quam nostro seculo convenire, quo usus Romani sermonis quodammodo obsolevit, pro meis venditare non ausim, quae alieni ingenii adminiculo sese tuentur. Nam Epigrammata non alio fine mittuntur, nisi ut arbitreris ipse, quid interfit inter obryzam tuam & meam scoriam. *Elzevirius* cum flagitatam a me saepenumero editionem Nasonis secundam nunc adornet, quod primae editionis exemplaria variis descripta formis sint jampridem distracta, desideriis ejus refragari non possum. Vale, vir Illustris, Vianae ad Leccam XIII. Septemb. CIↃIↃCLXXX.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA DCLXIII.

PETR. DANIEL HUETIUS

Nic. Heinsio.

Vianam.

EGO tamen postremis tuis diligentius respondere cogitabam, vir eximie. Verum cum exeunte autumno Lutetiae redditae mihi fuissent, paucis post diebus in morbum incidi; ex quo nondum plane recreatus, reficiendi mei, otiique persequendi causa huc concessi. Quorum alterum, valetudinis nempe, viriumque restitutionem, aëris hujus salubritate obtinui; alterum nondum nactus sum, ea est crebritas negotiorum, ea adventorum & interpellatorum molestia. Tecum autem per literas colloqui, nonnisi animo sereno & vacuo volebam. *Meursii* libellum De Gloria nondum accepi. Cum enim anno praeterito Lutetia scripsisset ad me *Bigotius*, se jamjam abiturum reliquisse eum amico cuidam suo, a quo reciperem statim atque in urbem rediissem; nihil hujus factum est. Spero tamen futurum id propediem. *Arngrimi Jonae* Crymogaeam bis omnino editam typis fuisse credidi, idque Hamburgi; in Batavia vero tantum specimen Islandicum. Hujus & Crymogaeae Hamburgi postremo editae exemplaria penes me habeo. Nihil est itaque quod de iis mihi comparandis vel mittendis amplius labores pro singulari illa tua liberalitate, quam satis laudare vix possum; gratias referre debitas ne vix quidem. Versiculos nostros tibi placere ex *Graevio* jam intellexeram. Ac tibi quidem, qui inter aetatis hujus Poëtas Principatum tenes, probari, summa votorum iis esse debet, qui ad Poëticam lauream aspirant; mihi, qui ne nomen quidem Poëtae affectavi unquam, supra vota est. Fruar itaque judicio illo tuo, mittamque ad te post paulo Lyricum carmen, quod a Musis meis jam per diuturnam desuetudinem elinguibus loci hujus amoenitas expressit. Hoc te mihi alloquendum proposui, ut vulgo cognitum sit, quanti te faciam. De tuis Epigrammatis, *Ruteri* tumulo adscribendis, quae ad calcem literarum tuarum adjunxeras, quid dicam aliud, quam & ejus virtute ac meritis, in quem scripta sunt, & ejus praestanti ingenio & elegantia qui scripsit, esse dignissima. De nova Ovidii editione quam moliris, tibi gratulor. Primam quidem, tuasque adeo subjectas ei Notas, evolvi olim accurate: quod cum facerem; alium plane Ovidium, quae emendationum seges est, mihi legere videbar. Sic enim habeto, quaecunque a te profecta reperire potui, fuisse a me avide arrepta, & non magna solum mea voluptate, sed utilitate quoque perlecta; velut Claudianum tuum, quam lucubrationum tuarum postremam pervolutavi. Quem si per te revixisse dixero, vere utique dixero. Quoniam autem plurimis locis emendatum esse a te Pervigilium Veneris observavi, maximopere abs te contendo, ut ad vetustos tuos codices emendatum & emaculatum suavissimum hoc Poëmatium mecum communices. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Quod si nitori suo restitutum publici aliquando juris per te fiat, plurimum tibi Musas

elegantiores devinxeris. Vale, literarum decus, meque ama. Ex Monasterio Alnetano, in agro Cadomensi VIII. Kalend. Septemb. CIↃIↃCLXXXI.

EPISTOLA DCXLIV.

NICOLAUS HEINSIUS

Christinae Augustae.

Holmiam.

Mirum, Domina, quanta nuper animorum consternatione adversa valetudo tua hîc excepta sit, quantum metus atrocissimi omnibus incusserit. Ego autem quanquam meae erga te pietatis ostentator videri nolim, illorum tamen numero subduci me non patior, qui in partem curae maximae venerunt, quique votis continuis Deum immortalem pro salute tua fatigarunt. Spero commendatam illi fore inposterum tam sacri capitis salutem, quam sua potiorem boni omnes merito habent. Parisiis scribunt opuscula *Balzacii* Latina nuper prodiisse, quae Majestati tuae inscripta sint. Dedicationis auctor *Aegidius Menagius* elegantis vir ingenii. Exemplar hujus libri jam in Sueciam missum est tibi offerendum. ita *Puteani* fratres nunciant. Sed metuo ne tardius ad vos perferatur, quam velit *Balzacius*. Operam igitur dabo, ut alia via aliud exemplar mittatur. *Vossium* hîc expectamus. Is ubi venerit de meo in Sueciam reditu sedulus cogitabo. *Salmasius* in Zelandiam profectus, ut amicis valediceret, in morbum illic incidit, ut audio. De libris nonnullis manuscriptis, qui ex Anglia allati sint, spes mihi ante dies paucos facta, qua de re certiora proxime. Nunc enim pluribus sacras occupationes tuas, Domina, interpellare mihi religio est. Deus te conservet, & tecum bonos omnes, qui sine te salvi esse non possunt. Lugduni Batav. CIↃIↃCL. Majo.

EPISTOLA DCXLV.

NICOLAUS HEINSIUS

Christinae Augustae.

Holmiam.

Quanquam videri jure confidens possum ac temerarius, qui sacras occupationes tuas ausim interpellare, Domina: meritorum tamen erga me tuorum rationem id requirere existimo, ut de meo in has oras adventu deque constanti obsequio per me tibi constet. Adeo quidem ut, cum non solubili immortalium beneficiorum nexu tibi obligatus sim, firmius tamen tenaciusque vinculum virtutes tuas arbitrer, quas ut coram observare nuper divina tua indulgentia licuit, ita nunc absens non minus colo & admiror. Neque expectandum, Princeps sacratissima, ut tuus esse desinam, quamdiu meus ero, & quamdiu virtutis amor in hoc pectore flagrabit. Unum ad summam felicitatem deest, ut quem tuum esse voluisti, tanquam tuo uti incipias. Mandatis tuis aliquando bea, quem beneficiis satis superque demeruisti. Hoc si fece-

Digitized by Google

feceris, votorum summam consecutus videbor. Ego interim iis excipiendis me accingo, ne imparatum deprehendant aut aliud agentem. Ovidio summam manum ut imponerem jussisti: & imposuissem jampridem, nisi spem dedisses fore, ut opera mea in majoris momenti negotio utereris. Quantum tamen per angustiam temporis licuit, ipsum Ovidii contextum editioni paravi: neque quicquam in me morae erit, quominus Elzevirianis typis brevi procudatur. Qua in re confido gratificaturos mihi typographos. Quanquam, si mei arbitrii res esset, una prodire observationes in auctorem illum meas mallem. Ex Italia litterae diebus proximis ad me perlatae, quibus scribant *Octavium Ferrarium*, elegantis ingenii virum, litteras humaniores in Lyceo Patavino profitentem, cujus eruditus de re vehiaria veterum libellus extet, Panegyricum tibi inscripsisse, ac edi Venetiis curasse. Ejus exemplar si missum ad te non esset, ut occasione prima mitteretur amicum rogavi. *Licetus* suum de Lucernis veterum commentarium mox proditurum affirmat, quem alter ille de Gemmis annularibus, Augusto nomini tuo devotus, sit excepturus. *Athanasii Kircheri* Obeliscus Romae jam prodiit. Mitto hîc versus aliquot non quidem optimos, tersos tamen atque elegantes, qui in manus meas nuper venerunt. Deus clementissimus, Domina, te sospitem nobis praestet, qui pro salute tam sacri capitis apud illum assidui intercedimus. Lugduni Batavorum CIↃIↃCLI. v. Kalend. April.

EPISTOLA DCXLVI.

NICOLAUS HEINSIUS

Christinae Augustae.

Holmiam.

MEmini, cum nuper ad te scriberem, Domina, mentionem factam Panegyricae orationis, quam vir eximius *Octavius Ferrarius*, Patavinus humaniorum litterarum professor, tibi inscripsisset, ac typis procudi curasset. Ejus nunc exemplar cum per tabellarios ex Italia nactus sim, id mittendum tibi existimavi; si alia forsan via in manus tuas necdum perveniisset. Visa enim mihi illa oratio multum eruditae antiquitatis prae se ferre, nec indignam argumento praestantissimo facundiam. Sive quod is obsequii erga te mei genius sit, ut nihil libentius legam quam laudes tuas, sive quod auctoris in rem litterariam merita, nec exigua quae mihi cum illo hactenus intercedit necessitudo, suffragium istud non invito extorquent, sive etiam quod scripti illius nitor atque elegantia intercedunt, ne aliter arbitrari possim. Quicquid sit, officii mei existimavi eo eniti atque sedulo in id incumbere, ne conspectu tuo Panegyricus hic fraudetur. Ex cujus lectione hoc certe emolumenti capies, ut ignorare inposterum nequeas, quo te cultu prosequatur Italia, ingeniorum faecundissima illa mater, postquam quicquid reliquarum per Europam gentium virtutis tuae commendatio jam fatigavit.

Ego

Ego vero, Domina, quemadmodum ſaeculo huic invidendam iſtam felicitatem gratulor, quod natalium ac factorum praecipue tuorum fama in omnem poſteritatem nobilitabitur, cum immortale ſidus ſcientiis in tenebras jam nunc ac profundam noctem vergentibus affulſeris, ita eidem quoque ſaeculo noſtro iſtam pietatem atque iſtam mentem non poſſum non gratulari, quod praeſtantium tot ingeniorum aſſiduo certamine & victura commendatione virtutes tuae poſteris innoteſcent. Deus ille regnorum tutor ac cuſtos, qui te nobis dedit, faxit, ut tuis laudibus longum interſis, ac longum fruare. Leidae CIↃIↃCLI. VIII. Maji. ſtilo novo.

EPISTOLA DCXLVII.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Auguſtae.

Holmiam.

FOrtunius *Licetus*, vir celeberrimus, Domina, qui anno ſuperiori pollicitus erat, ſimul ac de Lucernis, quem praelo tum commiſerat, in lucem prodiiſſet commentarius, inſcripturum ſe tibi, dedicaturumque de gemmis annularibus volumen mox edendum: is nunc, quod lentum nimis iſtud cum typographis negotium fore praevideat, e re ſua, ut obſtrictam fidem liberet, eſſe arbitratur, ſi illud ipſum de Lucernis opus tuo patrocinio committat. Alterum nihilominus de gemmis annularibus tuam quoque tutelam imploraturum eſt. Dedicationem ad me miſit, quae Voſſiana tibi manu exhibebitur. Prodibit intra menſem, alterumque opus. Ne trahatur igitur typographus, dum reſponſum e Suecia expectatur, auſus ſum illi ſpem facere, tibi iſtud ejus propoſitum minime ingratum fore: idque eo magis, quod ſuper altero libro tibi deſtinato ſententiam tuam notam haberem. Si quid interim in dedicatione ipſa vel additum vel ſublatum voles, tuum eſt imperare, Domina: cujus ad nutum lucubrationes ille ſuas dirigere poſthac decrevit. *Ferrarium* benignitate iſta vere regia, cum orationem ſuam panegyricam tam indulgenter a te habitam intelligat, aeterno quaſi nexu in perpetuum tibi devinxiſti. Mihi curae erit ut deſtinatum munus brevi conſequatur. Ventus mihi pergit adverſari in Gallias transfretaturo: haec morae cauſa eſt. Spero tamen brevi votis meis reſponſurum. Pluribus in occupationes tuas graviſſimas non pecco. Deus te conſervet diuturnam nobis, Domina. Haec publica bonorum omnium vota ſunt. Lugduni Batavorum CIↃIↃCLI. 24. Julii.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA DCXLVIII.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Auguſtae.

Holmiam.

AUdeo ſacrae dextrae offerre, Domina, quam a doctiſſimo *Gronovio* accepi modo epiſtolam tibi inſcriptam. Aulum ille Gellium emendatum a ſe & recenſitum luci nuper dedit. Cujus exemplar exhiberi tibi poſtulat, quod obſequii ſui partes arbitretur, ne ignorare te patiatur, quid in rei litterariae emolumentum, cui lucubrationes ſuas uni conſecravit, moliatur. Libellus ipſe commoda occaſione ut ad te perveniat, mox non negligam. Caeterum cum curae tibi eſſe teque velle intelligam, ut iter Italicum a me promoveatur, moram omnem procul habebo, meque quanta fieri poterit feſtinatione viae accingam. Expectanda tantum ſunt, ut juſſiſti, certiora mandata, Bibliothecam Cardinalis neutiquam venalem fore quanquam plerique arbitrantur, invigilabo tamen illi negotio, operamque dabo, ne quis hoc a me agi intelligat. Habet enim in aula etiamnum Gallica amicos potentiſſimos, quique omnem moturi lapidem videntur, quo res ejus lapſae in integrum reſtituantur. Sic praeſagiunt certe futurum quotquot inter nos in negotiis publicis aliquid ſe videre exiſtimant, ſic prudentiores Galli. Nec dubium eſt, quin primi iſti in gente fervida publicorum odiorum impetus, mora temporis leniri poſſint, atque ita paulatim exſpirent: praeſertim ſi viderint fugam ejus internis ſeditionibus ac diſcordiis non mederi. Rem itaque de bibliotheca ejus occultam habebo; idemque *Bidalium* facturum confido. Sed nec iſta cogitatione ab propoſito in Italiam itinere avelli me patiar, aut avocari, ſi dubiam rem in tempus protrahendam cognovere. *Claudium Sarravium* Pariſiis diem ſuum obiiſſe rumor hîc eſt: nullas enim ad me ex urbe illa tabellarii proximi tulerunt. Habebat ille manu exaratos codices nonnullos, paucos quidem illos, ſed exquiſitos; habebat editos rariſſimos, Hiſpanicos praeſertim ac Italicos, quos magno ſtudio collegerat. Iis augeri bibliothecam tuam non inoportune poſſe exiſtimo. De Ovidio malint *Elzevirii* dilatam editionem. Munus Octavio Ferrario deſtinatum pro Panegyrica Oratione, illi in manus tradam: gratiaſque jam nunc, quantas poſſum, ejus nomine ago. Deum toto animo veneror, ut te diuturnam conſervet nobis, ô, qua ſol habitabiles illuſtrat oras, Maxima Principum: nihil enim majus optari paucis poteſt. Octobris 16. Auguſt. CIↃIↃCLI.

EPISTOLA DCXLIX.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Auguſtinae.

Holmiam.

CUM intellexiſſem, Domina, Gaulminianos quidem codices & MSStos jam in Sueciam & ad te perlatos, indicem tamen libris non fuiſſe additum, rem me facturum minime tibi ingratam arbitratus ſum, ſi catalogum a *Gaulmino* ipſo niterer impetrare, ex quo demum cognoſci a te poſſet, cujus argumenti eſſent ea volumina. Tantoque magis ſedulum me hac in re praeſtiti, quod norim praeter virum illum ampliſſimum vix alium eſſe, cujus opera index tam accurate confectus tibi poſſit exhiberi, cum & maximam literarum Orientalium cognitionem adeptus ſit *Gaulminus*, & libros ex iis plerosque, qua eſt curioſitate, perlegerit. Catalogum, quem hic vides, a *Reſandro* deſcribendum curavi, *Gaulmini* manu deſcriptum alia & tutiori via miſſurus, ut ſi alterum perierit, alterum ſaltem exemplar ad te perferatur. Una cum Voſſianis proxime accepi literis mandata tua in chartam conjecta, quibus certe, Domina, plurimum me beaſti. Mentem quidem praeſens de iis omnibus, quae fieri ac procurari a me velles, abunde aperueras, ſed diffiſus ego memoriae meae, quam non valde interdum tenacem experior, malui, fateor, tibi quam mihi credere. Chartas enim illas quoties attrecto & inſpicio, toties Auguſtae audire imperantis vocem mihi videor. Vale; Lutetiae 9. Septemb. CIↃIↃCLI.

EPISTOLA DCL.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Auguſtae.

Holmiam.

CUM unicum omnium ingeniorum certamen ſit, ut tibi innoteſcant, tibi probentur, Domina, *Godellus Graſſenſis Epiſcopus*, celeberrimi inter Gallos nominis ſcriptor, virtutum tuarum admirator ſummus, has ad te ut curarem rogavit; Opera etiam ſua per *Bidalium* mox oblaturus. Miſit etiam *Cramoiſius* Typographus hodierno die verſionem Gallicam libri primi commentariorum Caeſaris a Ludovico XIV. Rege Chriſtianiſſimo lucubratam, quam eidem *Bidalio* curandum commiſit. cras Italico itineri me ſum commiſſurus. Diſcedet biduo poſt legatus ad Rempb. Venetam Gallicus, quem Lugduni opperiar, ut per Allobrogum fines, latrociniis valde infeſtos, in Italiam ſalvus evadam. Vale Pariſiis; XX. Septemb. CIↃIↃCLI.

EPI-

EPISTOLA DCLI.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Auguſtae.

Holmiam.

OPinor teſtatum me feciſſe tibi jam olim, Domina, quo virtutes tuas cultu, quaque veneratione politiſſimus proſequeretur *Capellanus*, quanquam quis eſt ex praeſtantioribus noſtrorum ingeniis adeo oblitus ſui, ut ignoret aut diſſimulet, quid meritis tuis debeatur? Delati tibi imperii ſolennia anno proxime elapſo celebranda ſibi hoc epigrammate propoſuit, quod oculis tuis hactenus fraudatum, hîc mitto. Auctor enim cum ſibi tantum, qua eſt modeſtia, id ſcripſiſſet, interque ſchedas ſuas neglectum poſtea ſepoſuiſſet, aegre a ſe impetrari primo paſſus eſt, id ut mecum communicaretur, & quia tenebris ſubductum non meo tantum, ſed caeterorum quoque, quotquot aliquem Poëſios guſtum hîc habent, ſuffragio te ac *Capellano* digniſſimum viſum eſt, injurium me mihi fore credidi, niſi ejus tibi copiam facerem. Additum & aliud epigramma ejuſdem jam olim ſcriptum in Marchionis *Montoſerii* uxorem, illo tempore virginem adhuc, commendatiſſimam ab ingenii praeſtantia toto orbe faeminam. Argumentum dedit flos ab amante *Montoſerio* illi miſſus, quem coronam imperialem vulgo hîc vocant. Venerabatur ea tunc Divum Guſtavum Magnum; genitorem illum tuum, miraque animi propenſione continuas ejus victorias proſequebatur. unde creditum ejus illam amore correptam. Huc alludit epigramma. Sed cum notiſſima iſta tibi ſint, perperam hîc a me repetuntur. Plura non diſſimilis argumenti aliorum epigrammata ad eandem *Montoſeriam* ſcripta deſcribi jam curavi per amicum: operamque dabo, ut ad te mittantur. Vale, certiſſimum generis humani praeſidium, & laudibus tuis tandem aſſueſce.

EPISTOLA DCLII.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Auguſtae.

Holmiam.

FRetus auſpiciis tuis, Domina, ac firmo Fortunae regiae praeſidio munitus, incommoda moleſtiaſque itineris Italici, quae frequentes nec parvae in via ſeſe obtulerunt, hiberna tempeſtate haſce terras ſolito maturius invadente, ſalvus evaſi tandem. Poſtquam Lugdunenſem in Galliis pervagatus eſſem provinciam irrito conatu, nihilque veterum in oris illis librorum e latebris bibliothecarum poſſet erui, Taurinum me converti. Copia mihi in illa civitate facta eſt perluſtrandae Ducalis bibliothecae, in qua codices notae optimae Graecos, ſatis multos & quidem hactenus ineditos, exſtare deprehendi. Vaſtum etiam *Pyrrhi Ligorii*, ſummi antiquarii, opus viginti ſeptem voluminibus comprehenſum

inſpexi, aegerrimeque, ne quid diſſimulem, tuli tantum hactenus theſaurum publico invideri. Haec tamen omnia quaſi in tranſcurſu & feſtinantibus oculis uſurpavi, quod periculum in mora eſſet, ne hiberni caeli injuriis aliud agendo rurſus me exponerem. Vocavit me ad colloquium ſuum mater Ducis, de adventu in urbem illam meo neſcio a quo monita, multiſque verbis cultum vere eximium teſtata eſt, quem immortalibus meritis tuis dicaſſet. Ex illa urbe Mediolanum me contuli, ubi paucis etiamnum diebus moram ſum tracturus, cum ſpes ſit facta codicum aliquot manu exaratorum venalium, & ab urbe abſint, penes quos negotii hujus arbitrium eſt. Interim Ambroſianam bibliothecam quotidianus frequento, codicum ex catalogo praeſtantiorum nomina excerpo, ineditorum maxime. Ceterum cum intelligam literas meas nec improbari, nec ingratas, quae divina tua eſt benignitas, tibi eſſe, quamquam frequentes & impolitas, domina, curae mihi erit poſthac, ne felicitatem iſtam meam videar neglexiſſe. Vale. Mediolani. 13. Novemb. CIↃIↃCLI.

EPISTOLA DCLIII.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Auguſtae.

Holmiam.

VEnetias adveni tandem, Domina, poſt peragratam Italiae partem non exiguam, relicta Mediolano, ex qua urbe nuper ſcribebam, jamque torquem aureum *Octavio Ferrario*, a te deſtinatum conficiendum curavi. Erit is poſt dies paucos paratus. Nihil prius mihi tum futurum, quam ut Patavium me conferam, ac eximiae liberalitatis tuae virum praeſtantiſſimum reddam compotem. Librariorum interim in hac urbe pluteos omnes excutio, ſi quid forte ſcriptorum codicum hinc inde conquiri poſſit: nec de ſucceſſu deſperandum. *Lucam Langermannum* commodiſſimis moribus atque eruditione non vulgari ornatum juvenem, quod in conſortium peregrinationis hujus adſcivi, non diſplicuiſſe tibi conſilium meum vehementer laetor, diligentiamque ejus exſpectationi deſideriiſque in omnibus reſponſuram confido. Certe quo cultu, quaque erga te pietate hactenus fuerit, luculenta pridem oratione panegyrica nec ineleganti teſtatum publice fecit, quam edendam in Germania curavit, nec applauſus doctorum hominum conatum illum deſtituit, neſcio vero an in manus tuas perlata ſit hactenus. Relictus a me eſt Mediolani, quod ſpes in illa urbe non vana adfulgeret de ſcriptis codicibus aliquot auctione publica vendendis, cum mihi interim huc excurrendum eſſet, ne cunctatione mea munus tuum, Domina, diutius *Ferrario* invideretur. Theocritum in Ambroſiana cum manu exaratis libris coepit committere, multaque egregia auctori ſuaviſſimo reſtituit, quorum ſpecimen proxime tibi ſiſtam. De Altempſiana bibliotheca opportune *Voſſius* me monuit, deque emenda curae mihi erit, ubi Romam venero. Catalogum ejus jam cum multis aliis Mediolani nactus eram. Venit nuperrime in manus meas carmen hoc cum epiſtola Ferrariana, quod con-

conſpectu tuo non exiſtimavi fraudandum. Vale, unicum generis humani praeſidium. Venetiis 9. Decemb. CIↃIↃCLI.

EPISTOLA DCLIV.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Auguſtae.

Holmiam.

ADventus in hanc urbem meus, argumentum ſcriptionis nuperae fuit, Auguſta, nunc de adeundo in diem craſtinum Patavio me cogitare nuntio. Citius enim torquem aureum obtinere non potui, ſine quo *Ferrarius* mihi compellandus vix videbatur. Eadem opera urbis illius bibliothecas praeſtantiores inſpiciam, nihilque non agam, ut quicquid veterum librorum venale illuc proſtet in monaſteriis, aut apud privatos lateat, tui juris fiat. In mandatis etiam aut *Ferrario*, aut alteri amico dabo, ut me abſente rem iſtam pro viribus promoveant: cum decreverim Florentiam mox contendere. Lugduno antequam moverem pedem, in Italiam abiturus, libros aliquot recens illic editos comparavi, Bidalioque mittendos curavi: quos inter & Alberti Magni ſcripta omnia fuiſſe memini opus viginti & unius voluminum. Non quod illorum quicquam tuo guſtui arriſurum exiſtimarem, ſed quod Regiae Bibliothecae ſplendor videretur exquirere hoc auctuarium. Obiit in Batavis *Johannes Foreſtus*, ampliſſimus Senator, qui ſupplementum Virgilianum Auguſto tuo nomini inſcribendum voverat. Magnum ante mortem ſolatium tulit vir optimus, quod conatus ſuos non improbari tibi intellexerit. *Liceti* liber nondum proſtat. Video potiſſimam ſcriptorum codicum partem magna externorum induſtria Italiae jam praereptam. Editorum copia necdum deeſt, ut de augenda bibliotheca tua haud parvo librorum numero, ſpes eſſet certa, ſi ejus indicem in promptu haberem, ſine quo nihil temere tentandum exiſtimo. Vale. Venetiis 16. Decemb. CIↃIↃCLI.

EPISTOLA DCLV.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Auguſtae.

Holmiam.

VIrtutes tuae, Auguſta, cum tantae ſint, ut eruditorum omnium & praeſtantium virorum obſequia atque cultum perennem abunde conciliare tibi poſſint, quo arctius tamen tenaciuſque devinctos habeas cultores tuos, regiae inſuper liberalitatis benigno nexu conſtringendos putes. Nec ſatis tibi viſum neglectas jamdudum ſub Arctoo coelo ſcientias inſtaurare, praemiiſque ſopitas excitare luculentis per regni tui limites; ſed reliquam quoque, quaqua patet, Europam immenſi hujus & inuſitati erga literas amoris tui teſtem eſſe voluiſti. Quem heroicum conatum is mehercule excepit ſucceſſus, ea gloria,

ut quicquid in terrarum orbe non eſt prorſus barbarum, te tanquam numen unicum bonis artibus tutelare propitiumque imploret ac veneretur, tuque mundi univerſi imperium (mundus enim dici non poteſt, quem ſcientiae deſtituunt) jure optimo vindicare tibi poſſis. Reginae certe ubivis gentium, quam Chriſtinae Auguſtae nomine non minus jam nota ſis. Torquem aureum, quem *Octavio Ferrario* offerri juſſeras, oblatum a me nuntio, cujus rei teſtes viri illius politiſſimi literas hîc habes. Munus tam ſplendidum, quo donatus eſt, non tam illi, quam tibi gratulor, Auguſta, cum nec indigno ceſſerit, nec ingrato, quod re ipſa aliquando te experturam confido. De me autem, ut hoc addam, honor ille viro mei amantiſſimo a te habitus, quem proinde meum reor, multum alacritatis mihi addit ac ſtimuli, reliquis mandatis tuis pari cum fide atque diligentia ad felicem exitum promovendis. Vale; Patavii XXI. Decemb. CIↃIↃCLI.

EPISTOLA DCLVI.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Auguſtae.

Holmiam,

Octavio Ferrario torquem aureum tuo nomine oblatum a me proxime nuntiavi, Domina. Gratum fuiſſe munus pretiumque, quod debebat, inveniſſe apud diſertiſſimum panegyriſten luculenta ejus, quam exhibitam jam confido, teſtabitur epiſtola. Omnium literatorum oculos in te convertit torquatus noſter: munus enim ipſum collo appenſum circumferre nonnumquam ſolet pro nitore gentis. Metus itaque eſt, ne regiam liberalitatem admirari hîc incipiant etiam illi, qui ceteras virtutes tuas aeſtimare non poſſunt, ſcriptiſque tantum non trivialibus & quotidianis promiſcue tuum patrocinium imploretur. Quanquam curae mihi erit praecipue, ut delectus ingeniorum habeatur, utque paucis imitari liceat Ferrarium, vulguſque a ſacris tuis profanum longe arceatur. Patavio redux omnem eo diligentiam converti, ut ad antiquarii *Ruzini* nobilis Veneti ſuppellectilem perluſtrandam admitterer. Sed *Ruzino* ipſi praeturam Tarviſinam hoc anno demandatam a Patribus intellexi, qui foris proinde degat. Per civitatem tamen Tarviſinam cum ſit facturus iter *Guſtavus Adamus Bamerius*, gentis Suecicae magnum decus atque incrementum, pollicitus mihi eſt, ſe omnes eo conatus directurum, ut exhiberi mihi *Ruzinus*, quanquam abſens, a domeſticis ac familiaribus tuis, numiſmata antiqua ac ſtatuas omnes curet. Quod ſi fit, an & quo pretio venales haberi poſſint, ut intelligas, Auguſta, curabo. Sin nihil ea de re ſperandum, vaſa colligam proximiſque Florentiam diebus ſum diſceſſurus. *Paulus Capitoria* Senator, dum viveret, in hac republ. ampliſſimus, magnum hujus notae theſaurum poſſidebat, quem morte *Bellono* cognato legavit, numiſmata ipſa cum ſtatuis Patavii ſervantur. Vidit ea ac magnopere commendat *Ferrarius*, tribuſque aureorum milibus aeſtimari adfirmat. Nec a me etiam videri poſſint, *Belloni* facit

cit abſentia, qui Romam profectus eſt, propter lites, quas ſuper agro neſcio quo cum Duce Mutinenſi exercet. Senator alter, cui *Viario* nomen, magnam etiam in hac urbe numiſmatum copiam collegit, quam velit vendere, ſi emptorem inveniat. Vidi illa olim, ac rurſus videre conabor. Argentea erant potiori ex parte, ſi recte memini. Graecos etiam manuſcriptos poſſidet, ſed paucos numero, quoſque a reliqua bibliotheca, quae ex libris juridicis potiſſimum conſtare dicitur, avelli ſe paſſurum neget. Sed quod praecipue cura tua dignum duco, exhibitus a me olim tibi, Domina, numiſmatum Boncompagnianorum Catalogus, quae per totam Italiam celeberrima, nunc viliori longe quam antehac pretio haberi poſſe eques *Puteanus* arbitratur. Factus enim eorum poſſeſſor ex Abbate Archiepiſcopus Bononienſis, ut vivere multo ſplendidius nunc cogitur, quam ante, totus etiam eſt in exſtruendo palatio novo, ac proinde parata opus habet pecunia. Octo aut novem ſcutatorum millibus haberi poſſe, quae millibus viginti aeſtimantur, ſpes eſt. De pretio diligenter omnia inquiram, teque rei totius certiorem faciam. Romae ut diu haeream, conſultum non puto: praeſertim cum vix ullus ad Vaticanam peregrinis aditus nunc detur. Numiſmatum etiam quidquid illic comparari poteſt Principis Hetruriae Leopoldi nomine *Carolus Datus* conquirit. Statuae denique, in primis Graecae, meliori longe pretio & Venetiis & in in aliis Italiae civitatibus, quam in urbe, haberi poſſunt. Vale. Venetiis x. Jun. CIↃIↃCLII.

EPISTOLA DCLVII.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Auguſtae.

Holmiam.

SCribendi partes, Domina, ab aliquo jam tempore intermiſi, quod in via fuerim aſſiduus. Relictis Venetiis, ex qua urbe ſcripſi proxime, Bononiam, Bononia Florentiam contendi. Utrique civitati dies a me non niſi pauci ſunt dati. Inde Romam profectus, quod poſt continuos imbres, coeli tandem clementioris aura ad iter hoc invitare me videretur. De felici in Urbem adventu nunc te certiorem facio. Hoc epiſtolae hujus argumentum erit. Neminem praeſtantiorum hîc virorum cum hactenus convenerim, praeter *Putcanum* & *Holſtenium*, ut qui non niſi triduum hîc ago, ſi de illis omnibus, quae ſcire aves, accurate nunc non poſſim ſcribere, facile ignoſces mihi, ut opinor. Proxime ad ſcribendi officium revertar. Oſtendit nobis Cl. *Holſtenius* immenſam copiam auctorum veterum, quos partim e tenebris primus eruit, manu ſua deſcriptos, partim ex Membranis antiquis in integrum reſtituit & infinitis locis correxit. In lucem ne proferre poſſit horum quicquam, ſubſidia deeſſe ſibi cauſatur. Adeo Graecae literae nunc hîc negliguntur & jacent. Conabor ab illo impetrare Catalogum ſcriptorum omnium, quae luci parata habet, impe-

Digitized by Google

impetratum ad te mittam. Deus te conſervet nobis diuturnam, Domina. Romae IX. Februar. CIↃIↃCLII.

EPISTOLA DCLVIII.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Auguſtae.

Holmiam.

DIvinam benignitatis tuae erga res meas conſtantiam veneror profecto & admiror, ut qui maxime, Auguſta. Unice in votis mihi ſemper fuit, ut commendarer tibi. Nunc non hoc tantum me conſecutum video, verum ut viris principibus commender tuo beneficio tuaque auctoritate. Quas ad Legatum Gallicum per me curatas voluiſti literas, recte curatae ſunt. De ſtatuis adfirmat mihi ſerio ſe egiſſe cum Pontifice maximo, cum ultima illi vice ante menſes tres adeſſet, ſpemque eſſe non vanam deſideriis illum tuis ſubſcripturum. Verum ſtatuae ipſae, quod ille neſciebat, jam Liburnum miſſae ſunt, qua in re non inutilem tibi operam *Holſtenius* navavit. Quantum ad alterum illud negotium, quod videris velle, ut aditus mihi liberior ad bibliothecas Romanas detur, cum Cardinali *Caponio* ſe acturum promiſit, qui Vaticanae curam habet. Mihi interim ejus uſus conceditur, ſed ea lege, ne quid praeter Poëtas evolvam. Hiſpanicus in hac aula legatus nullus eſt. Legati munia interim obit, dum adſit alius, Cardinalis *Trivultius*. Illi tuas ſi offerrem, rem fortaſſis non gratam tibi viderer facere. Poſſint illae aut Proregi Neapolitano aut Mediolanenſi Gubernatori exhiberi cum mea inſcriptione, quam ut adderem voluiſti. Videbo quid e re tua ſit. *Boncompagni* numiſmata necdum vidi: nec ſatis conſtat an videri poſſint, cum ea Bononiam ſecum brevi ablaturus dicatur, cujus urbis Archiepiſcopus nuper factus eſt. *Franciſcus Gotefredus*, ſua ſe exhibiturum nobis poſt dies paucos promiſit. Immenſo illa pretio aeſtimare fertur, ut inter nos vix opiner conventurum. Hactenus in celebrandis Bacchanalibus adeo toti fuere Romani, ut ſerii nihil cum iis agi potuerit. Mox alia ſupervenerunt ſolemnia, creatis ab Innocentio X. decem Cardinalibus, quos inter & Coadjutor Pariſienſis. In laudes tuas quae meditatus eſt *Nicolaus Craſſus*, Venetae reipublicae conſultor, nondum ad manus meas pervenerunt, perventura tamen brevi confido. De ſuis etiam verſibus Hetruſcis ſpem mihi fecit *Carolus Datus*. Inveni hîc Patrem *Antonium Macedonem* Jeſuitam Luſitanum, qui magnam virtutum tuarum venerationem utique prae ſe fert. Pollicitus eſt curaturum, ut aditus mihi detur ad Altempſianam, Farneſianam ac Sfortianam bibliothecas, quae poſt Vaticanam omnium in hac urbe celeberrimae. Nam ſuae ipſius uſum liberaliter mihi obtulit doctiſſimus princeps *Franciſcus Barberinus*. Ego Ovidio manum rurſus admovere coepi, idque eo magis, quod auctoris illius editionem, quam recenſui, typographi Amſtelodamenſes in minori forma, quantum video, adornare jam coeperint. Propter abſentiam meam ne mendae plures quam velim, irrepant metuo. Dubiumque

am

jam mihi est, an tui sub nominis auspiciis libellus debeat prodire, quem secundis curis politiorem majoribusque typis mox edendum fore confido. *Vincentius Noghera* salutari a me non potuit, quod in carcere detineatur. An Vossianae ad illum literae perlatae sint, ne hoc quidem scio. Quidam mox dimittendum fore adfirmant, negant alii. *Holstenius* Perusiam, jubente Pontifice, profectus est praeter exspectationem meam: mox tamen reversurus dicitur. Haec causa est, cur promissus index librorum, qui penes illum sunt, edendorum ad te non veniat. Imaginem tuam, Domina, plurimi hîc a me exigunt, sed frustra. Dux *Braccianus* inter cultores tuos praecipuus eam exprimi curavit in auro, & ad te mittendam destinat. Exhiberi illam curavit mihi hodie, sententiamque meam voluit scire. Ut verum fatear, non visa est mihi optime te referre. Cras ipsum Ducem conveniam. Retulit eques *Puteanus*, magnos in hac urbe artifices esse, qui eam libenter in auro ac aere expressuri sint. Huic instituto si faves, necesse erit ut mittatur huc imago aliqua exacte ad vivum expressa. Vivam interim imaginem tui, hoc est heroicas illas & nunquam satis praedicandas virtutes, omnes hîc circumferunt ac adorant. Vale Romae Februar. CIↃIↃCLII.

EPISTOLA DCLIX.

NICOLAUS HEINSIUS

Christinae Augustae.

Holmiam.

MEnsis, nisi fallor, quintus jam agitur, quod relictis Galliis in Italiam jussu tuo me contuli, Augusta. Ab eo autem tempore nihil mihi prius fuit, nihil majori curae, quam ut successum itineris hujus ex epistolis meis intelligeres. Quas tamen omnes, fateor, exaravi magis, ne obsequio meo deessem, quam quod spes esset ad te perventuras, cum edoctus non essem, qua via & per quem tuto curari possent; donec Vossiana tandem epistola percepi Norimbergam ad *Georgium Furstenhausium* mittendas, cujus operam imposterum implorabo. Meas in via pleraſque periisse ut credam, facit tum silentium illorum, quas ad scribendum provocare solebam, tum quod ex rarioribus illorum literis satis agnoscam, illas non minus quam meas epistolas intercipi. Mihi interim quid futurum sit, avide exspecto. Nam mandata tua nisi intra mensem aut sex hebdomadas adsint, serum fore praevideo, ut in Siciliam excurrram, quod velle tamen te ex Vossianis, quas dixi, literis subodoratus sum. Aestivi enim calores jam nunc grassari his in oris incipiunt, moxque itinerum usum viatoribus omnem intercipient. Ego *Holmium Vossiumque* jam a tribus quatuorve mensibus urgere non destiti, ut sententiae ac voluntatis tuae copiam mihi facere ne graventur, & confido responsum illorum tempestive adfuturum. Doleo per valetudinem vix satis firmam non posse desideriis me tuis sic invigilare, ut velim ipse. Vaticanam adeo frequenter: sed cum intra Poëtarum veterum angustias studia nostra a Cardinali *Capponio*,

qui curam bibliothecae habet, ſint circumſcripta, Ovidio manum denuo admovere coepi, ut proxime a me ſignificatum memini: idque eo magis, quod in auctore illo edendo nunc occupentur *Elzevirii*. *Langermannus* in Theocrito pergit non inutili opera: mox aliis Poëtis reſtituendis parem diligentiam adhibiturus. Sfortianam vidi proximis diebus, quae exſpectationi meae nequaquam reſpondit. Scripta majori ex parte Theologica ſunt, quae in ea conſervantur. Ad Altempſianam & Farneſianam mox ut admittar, nihil non agam; nec tamen ſatis ſcio, an id impetraturus ſim. *Vincentium Nogheram* in carcere detineri proxime monui: ſine ejus opera in Altempſiano negotio nihil agi poteſt; cum aliis in hac urbe viris literatis minime fidam: qui videntur indignari in ultimum ſeptemtrionem haec eruditionis inſtrumenta ablegari, ut illorum verbis utar. *Boncompagnii* numiſmata necdum vidi. Ad ea perluſtranda ut admitterer, petii ab iis, qui multum apud eum poſſunt: nihil tamen effeci hactenus. Nec urgere fervidius auſim, ne ſuſpicetur eo nomine me huc veniſſe. Scrutari interim coepi ea, quae *Franciſcus Gottefredus*, nobilis Romanus poſſidet, egregia ſane & quantivis pretii. Imperatorum veterum plurima illic vidi cum Graecis inſcriptionibus, quae maximi hîc fiunt. Nec ſcio an alius ejus notae tam multa in hac urbe poſſideat. Idem de numiſmatis magnae molis (*Medaglioni* ab Italis vocantur) dictum eſto. Vincit tamen aureis argenteiſque nummis longe *Boncompagnius*, ut ferunt, & praecipue gemmis antiquis, quas pulcherrimas graphiceque admodum ſculptas ingenti numero collegit. Sua quanti *Gottefredus* aeſtimet non ſcio, cum omnia necdum perluſtrarim, quod occupatior ſit. In familiari tamen colloquio profeſſus eſt novem ad minimum ſcutatorum millibus ea ſibi conſtitiſſe, quo pretio Boncompagniana haberi poſſe confido. Accuratius inquiram in hanc rem. Rariora ſua typis deſtinavit *Gottefredus*, & jam in aes incidi ea curavit, exemplum *Angeloni*, alterius antiquarii Romani, ſecutus, qui ſua annis proximis in lucem dedit. Reverſus eſt tandem Peruſia *Holſtenius*, ſed decumbentem offendi ex adverſa valetudine, quae cauſſa eſt, cur indicem auctorum veterum, quos partim ineditos, partim ex antiquis codicibus a ſe reſtitutos magna copia poſſidet, necdum mecum communicarit. Interpretes Platonis multos in promptu habet, quos tuis expenſis publico donari velit, quantum colligo, cum & typographi Italici ſumptus graventur, & ex proceribus Romanis nullus ſit, qui eo curas dignetur convertere. De Platonica etiam Philoſophia commentarios paraturum ſe adfirmat, tibi, ut reor, inſcribendos. Statuas antiquas meo nomine hîc emptas, ut ad te mitterentur, a Pontifice impetravit, cum legatus Gallicus rem differret, cujus res in hac aula ſic ſatis ſunt turbatae. Statuas ipſas jam Liburnum appuliſſe opinor. Inſcriptiones aliquot antiquas praeſtantioris notae velim conquirere, quod ſperem tibi eas nequaquam ingratas fore. Qua in re operam ſuam verbis luculentis idem mihi *Holſtenius* eſt pollicitus. Ante dies quatuordecim Dux *Braccianus*, ſummus virtutum tuarum cultor, Auguſta, imaginem tuam auro coloribus vivis artificioſe inuſtam ad me miſit, quam tibi jam redditam auguror. Ipſe manu ſua hanc imaginem ela-

elaboravit, quod neſciebam primo. Miraberis ſummam viri Principis dexteritatem, idque eo magis, quod nullus hîc ſit, qui eo modo hoc poſſit. Magna me certe comitate excepit, quod tuum eſſe intelligeret. Ante menſes duas elegiam tibi a me inſcriptam miſi; mittam aliud exemplar, ſi illud in via periit, quamquam felicitatis magnae reor, ſi fortuna tam malis verſibus fraudatam te voluit. Vale: Romae Martio CIↃIↃCLII.

EPISTOLA DCLX.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Auguſtae.

Holmiam.

MISI non ita nuper ſpecimen, Auguſta, ſeu indiculi partem earum antiquitatum, quas *Franciſcus Gottefredus* poſſidet. Caeterum cum opportune a me ſit monitus laboris fore nimii, omnes in indicem nummi ſi congererentur, praeſtantiores tantum notandos curabit. Debebat index jam totus mihi eſſe exhibitus, ſed neſcio quam ob cauſſam more Italico cunctatur. Hodie Bononiam ad Archiepiſcopatum ſuum abiit *Boncompagnius*, ſupellectilemque antiquariam ſecum avexit, quam exhibere mihi debebat omnino ante abitum, cum & id aſſiduis petiiſſem precibus, & ſe facturum promiſiſſet ipſe. Licet conjecturam facere non vanam, malle illum Bononiae negotium hoc agi, quam Romae, ne Papa forte venditionem intervertat. Aere certe alieno oppreſſus eſt *Boncompagnius*, ex quibus anguſtiis miſerum in modum ſe velit expedire. Petit pro numiſmatis ac gemmis ſcutatorum mille Duodecim, octo aut novem millibus venditurum ſpes eſt. Adfirmavit mihi quidam ex amicis ejus pondus aureorum & argenteorum numiſmatum fere millia aequare quatuor. In aereis numiſmatis ſuperare *Boncompagnium* creditur *Gottefredus*, niſi quod Peſcennium nullum habeat, quem alter poſſidere ſexies dicitur. Exſpectabo mandata tua aut Bononiae aut Venetiis, Auguſta; Ex hac enim urbe ut calores aeſtivi me mox abigant futurum video. *Muſcambronius* mox capite plectendus: ita futurum ut reſtituatur libertati *Noghera*. Non diſcedam certe, niſi ejus opera tentavero, quid de Altempſiana ſit ſperandum. Ovidium meum, qui in Batavia nunc editur, nomine tuo illuſtrare auſus ſum. Titulis nullum in dedicatione locum dedi, quod ſolum nomen tuum inſtar omnium ſit titulorum, nihilque minus in te veneremur, cum omnia veneremur maxime, quam regalis faſtigii ſplendorem. Vale. Romae CIↃIↃCLII.

EPISTOLA DCLXI.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Auguſtae.

Holmiam.

Buccompagnium Bononiam profectum, non oſtenſis, quod facturum tamen ſe promiſerat, numiſmatis, nunciavi proxime, Auguſta. Nolle illum ſuſpicor agi in hac urbe de illo negotio, ne Pontificem offendat. Supellectilem, quam poſſidet antiquariam, omnem Duodecim ſcutatorum millibus aeſtimat. Sex millibus ſuos nummos *Gottofredus*, a quo reliquam catalogi partem necdum obtinere potui. Quanquam uterque remiſſurus ſit nonnihil de illo pretio, tamen in aequiora omnia ire *Boncompagnium* videtur. Nam & Gemmas praeſtantiſſimas eaſque plurimas habet, plurimos etiam nummos aureos argenteoſque, qui pauciſſimi ſunt apud *Gottofredum*, nec valde rari, cum ille omnem eo diligentiam videatur contuliſſe, ut in aereis excelleret: ſententiam tuam non ignorare magni beneficii loco ducam, Domina. *Vincentius Nogherra* necdum ſui juris eſt, brevi tamen futurus. Sic & auguratur ipſe, cum capite ſit plexus *Muſcambronius* tandem. De Altempſiana bibliotheca bene ſperare jubet. Nam & Ducem literarum imperitiſſimum eſſe adfirmat, nec de ea vendenda abhorrere. Id tantum dubitare licet, paſſuruſne ſit manu exaratos codices ab editis ſeparari. Nos hoc intelligemus proxime. Unicum *Negheram* adhibendum in conſilii hujus partem exiſtimavi, ne turbetur negotium ab hominibus malignis, quales hîc ſunt multi, ſi promanet in vulgus. *Holſtenius* cum adverſa valetudine poſt iter Peruſinum pergit conflictari, devotiſſimum ſe tibi profitetur, quam in ſtatuis ex hac urbe auferendis apud Pontificem navavit tibi operam, eandem pollicetur in reliquis illi exportandis, quae apud *Vitelleſcum* etiamnum haerent. Deus te conſervet.

EPISTOLA DCLXII.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Auguſtae.

Holmiam.

NUnquam magis miratus ſui, Domina, quam cum Alexiadem Annae Comnenae, quam tibi inſcribendam putaram, Galliarum Cancellario dedicatam vidi. Veniam ut id liceret ſibi ab patre generali ſui ordinis non potuiſſe impetrare *Poſſinum* opinor. Epiſtolae ejus, quam tum ad me dabat, apographum miſiſſe me tibi lector, ex qua ſententiam ejus abunde potuiſti colligere. Idem nunc denuo facio, ut ſi quid denuo praeter opinionem meam accidat, ego facti omnem invidiam a me amoliri poſſim. *Liceti* de Lucernis Antiquis commentarius ad finem perductus, cui nihil praeter dedicationem reſtat. Negotium

gotium ei exhibet Pater inquiſitor. Quod genus hominum inter omnes Monachos maxime imperitum. Ego nihil non ago, ut impune illi liceat propoſito inſiſtere. *Ferrarii* de re veſtiaria commentarius Patavii prelo commiſſus eſt, ut ex *Rhodio* intelligo. Indicem Gottofredianorum nummorum necdum obtinui, quem proxime mittam. Quo illos ipſe, quo tuos *Boncompagnius* pretio aeſtiment, jam ante ſignificavi. Adfui nudius tertius multo tempore Cardinali *Barberino*. Eſt ſane Princeps inter paucos eruditus, &, quod praecipuum duco, Auguſti tui nominis veneratof maximus, Auguſta. Imaginem tuam vivis expreſſam coloribus a me poſtulavit, quam illum ſperare juſſi, ſi per te liceat. Vale.

EPISTOLA DCLXIII.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Auguſtae.

Holmiam.

NON ſine maximo rubore te convenio, Domina, qui videam de catalogo Gottofredianorum numiſmatum conficiendo negotium tamdiu praeter expectationem meam trahi. Parum tamen reſtat operae, ut vix dubitem, quin vice proxima parata ſint futura omnia. Ita certe ſpem facit *Gottofredus* ipſe. *Fortunii Liceti* de Lucernis antiquis volumen jam prodiiſſet, niſi per inquiſitores ſtaret. Negant illi jus ſafve eſſe, ut Catholicas Principi non Catholico lucubrationes inſcribat. Confugit hac in re ad me *Licetus*, cujus epiſtolam proxime tibi miſi. Sed cum ego conſultius arbitrarer, alteri negotium permittere, id ut in ſe reciperet *Caſſianum Puteum* rogavi, virum ſane & officioſum imprimis, & Auguſti nominis tui ſtudioſum. Is quidem omnem eo jam convertet curam, nec ſcio tamen quo res ſit evaſura, quod proxime non diſſimulabo.

EPISTOLA DCLXIV.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Auguſtae.

Holmiam.

MItto tandem, Domina, Catalogum Gottofredianum, qui veniſſe jam pridem ad te debuerat, ſi mei juris res fuiſſet. Lentum ſe geſſit in indice conficiendo *Gottofredus* admodum, dum occupationes domeſticas cauſatur. Quo pretio nummos velit venditos, jam ante ſcripſi. Scripſi & jam diſceſſiſſe ex hac urbe *Boncompagnium* non oſtenſis, quod promiſerat tamen ſe facturum, numiſmatis, Bononiam, ubi nunc degit: ſi juſſeris, ut eo nomine me conferam, nihil cunctabor. Cum enim videbam de Neapolitano itinere cogitationes foveri a me

non posse, quod nullas ex Suecia literas accipiam, atque interim calores aestivi premant, proximis diebus Florentiam me sum recepturus: unde Bononiam non difficilis est excursus. Exigebat jam pridem dubia valetudo & vires attritae, ut coelo Romano me subducerem, sed spes de Altempsiana bibliotheca officii me admonuit tibi devoti, Domina, meique ipsius negligentem reddidit, quae magis magisque frustratur. Pergit enim detineri in custodia *Vincentius Nogbera*, nec alium hic novi, cui tuto hac in re possim fidere. Romae Jun. CIↃIↃCLII.

EPISTOLA DCLXV.

MONSIEUR

a Viane.

JAY receu plusieurs de vos lettres, les quelz m'ont fait apprendre les soins & l'application que vos avez a mon service. Ie suis obligè de vous an remercier. & je ne manqueray pas aus occasions, dans lequels je vous pouray faire resentir les effets de ma reconoissanse. ils seront tels, que vous n'aures jamais sujet de regretter vos peines & noiez. les bienfacts & recompenses seront dignes de moy & de ma gratitude. Mande moy les Catalogues des livres, que vous aves achetes. & de ceus que vous aves fait copier, & le contes de l'argent, que vous aves depencé, & pour vostre persone & pour vostre achat, le vous ferai tout pajer, & mande moy ausy combien vous aves besoin, affin que je envoje les changes pour vostre vojage. Ie ne vous puy rien dire, si non que la remette en vostre discretion sans facon, faut il que vous sachiez, que je veus que vous ne quitties pas l'Italie sans avoir visitè la Sicile. Pour vostre demeure en tout & par tout faitte la ausi longe & ausi courte, comme vous jugerez, quil soit besoin pour mon service. Vous me rendres un tres grand office, si vous pouves me faire tenir correspondenée avec le cavalier del Pozzo, *& quelques autres gens de merite. Je seray ravie de cultiver leur amitie, si ils m'en donneront quelque petite marque. Ajez ausi soin de remarquer ceus, qui travaillent ou en vers, ou en prose pour mon honneur, afin che je soy punctuellement en averti, afin de les pouvoir regaler: vous savez que je suis curieuse. aiez soin de contenten ma curiosite en matiere des medailles. Continues de m'envoier le catalogue, de ce qu'est beau e curiex, mais ne vous enbarques point en aucun achat, pour veu que je soy instruite, de ce quist rare. je disposerai bien du reste. je renovellerai, avant que de finir, encore une fois la protestation, que je vous ay fait de la commencement de ma lettre, vous asseurant, que auray le soin de recompense dignement vos peines, que vous n' obligerez jamais une ingrate. je suis. De Stockholme le* 1. *May.* CIↃIↃCLII.

CHRISTINE.

1 Vide tomo III. Sylloges hujus, Epist. CCXLIV. & seq. ad *Grenovium* datas ab *Heinsio*.

EPI-

EPISTOLA DCLXVI.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Auguſtae.

Holmiam.

MIsi proxime Gothofredianum Catalogum, Auguſta, quem recte euratum confido. Sex Scutatorum millibus nummos ab illo aeſtimari jam pridem ſignificavi. Videtur ille cogitare de editione praeſtantiorum, quae poſſidet, numiſmatum, jamque aeri tabulas majori ex partes inciſas intelligo: quas commentariis ſit illuſtraturus. Quod monendum duxi, quod dubitem, an ratum id ſis habitura. *Fortunii Liceti* negotium de dedicando tibi Lucernarum veterum opere poſtquam ventilatum eſſet in ſancto officio (ſic inquiſitionis conventus vocatur) prolata tandem lex fuit, qua Pontificiis omnibus interdicitur, ne ſcripta committant patrocinio Principum, diverſam ab Eccleſia Romana in religionis cauſa ſententiam amplectentium. Cum nihil hîc expectandum videret eques *Puteanus*, ad Cardinalem *Chiſium*, qui nuncium egit Monaſterii non ita nuper, hominem ſatis literatum, comemque, ac ſibi maxime familiarem confugit. Qui cum ſperare primo illum optime juberet, communicato mox cum Papa conſilio, reſponſum tulit ſeverum. Nolle nimirum ſe, ut remiſſiori indulgentia in antiquas leges peccaretur. Quid conſilii ſit capturus *Licetus* non ſcio. Credo & hanc eſſe cauſam, cur nummos ſuos Bononiam avexerit *Boncompagnius*. Salutabam proximis diebus Ducem *Braccianum*: qui redditas ſibi literas a te Domina, multum exultabat, quibus teſtabaris gratos fuiſſe tibi verſus, quos honori tuo ſcripſiſſet. Ego brevi Florentiam cogito. Jun. CIↃIↃCLII.

EPISTOLA DCLXVII.

NICOLAUS HEINSIUS.

Chriſtinae Auguſtae.

Holmiam.

CAtalogum Gothofredianum redditum jam pridem tibi, Domina, confido. Operam certe dedi, ut tuto tibi redderetur. Moram in hac urbe diuturniorem traxi, quod ſpes eſſet de *Noghera* in integrum reſtituendo, nec ego de Altempſiana Bibliotheca negotium cum altero communicare ſuſtinerem, ne palam fieret, ac turbarentur hoc pacto deſideria tua. At vendenda Bibliotheca non abhorrere ducem ſatis conſtat, dubium tamen eſt, an copiam facturus ſit ſcriptorum tibi codicum, ſervatis ſibi editis. Ad ipſam bibliothecam, quam ſemel tantum in tranſcurſu vidi, aditum mihi omni ſtudio paravi: ſed fruſtra. Cum *Liceto* quam indigne actum ſit jam nunciavi. Mitto apographum ejus epiſtolae. Florentia proxime ſcribam. Romae Jun. CIↃIↃCLII.

EPI-

EPISTOLA DCLXVIII.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Auguſtae.

Holmiam.

MEliori auſpicio Florentiam proficiſci Roma non poteram, quam diebus proximis profectus ſum, Domina. Quo advenienti tuae occurrerunt literae Kalendis Majis Julianis exaratae, quas ego regiae benignitatis, toties expertae, toties a me laudatae pignus certiſſimum debita animi veneratione exoſculatus ſum. Dolui hactenus, fateor graviſſime, nequaquam rebus meis optime proſpectum eſſe, non alio nomine, quam quod occaſionem tam oportunam perire mihi viderem ac interverti commodis tuis atque deſideriis promovendis. Tu vero, Auguſta, ne ab innata tibi & caeleſti illa clementia degeneres, grato animo, obſequia mea devotamque rebus tuis ſedulitatem proſequi te teſtaris, cum mihi potius jactura temporis anxie deprecanda ſit, qui nonum menſem inter Italos jam ago ſine ullo tuo emolumento. Adeo quidem, ut a juſtiſſima indignatione tua metuendum mihi fuerit, niſi tu, Principum clementiſſima, luculentam praeſtandi obſequii voluntatem, qua certe aſſidua tantum non flagro, nihil minus aeſtimares praeſtito obſequio. Fortunae meae tenuitatem atque inopiam animo aequiſſimo tuli ſemper: nunc moleſtiam exhibere coepit, poſtquam per illam mihi non licet grato eſſe, tuaeque expectationi reſpondere. Nam quod regiae munificentiae faventem aulam ſperare me jubes, Domina, tibi potius, quam promiſſis tuis manum dabo. Alii, & melius de te meriti & ad rem faciendam attentiores, quam ſim ego, liberalitatem tuam experiantur licet, ego tenacius vinculum non agnoſco, quo tibi devinciar, quam incomparabiles virtutes illas, quas orbis univerſus nunc obſervat ac praedicat. In iis admirandis quamdiu totus ero, ſatis ſuperque intelligam, quam pretium nullum ſit ponendum meis, quae commendas, obſequiis, ea enim gratis omnes exigenti tibi tanquam tributum debemus; Auguſta, quotquot amorem virtutis pulcherrimae non habemus procul. Primae igitur felicitatis duco, quod ea tempeſtate natus ſim, qua te rebus humanis Deus Opt. Max. indulſit: ſecundae, quod innotui tibi: tertiis votis ſi quis locus eſt, non diſplicuiſſe me tibi, ſi quid mei ad poſteros perveniet, poſteri nolim ignorent. In eo omnis ſumma ambitionis meae vertitur; hos intra terminos vota conſtrinxi. De Altempſiana bibliotheca jam ante ſcripſi non ſemel. Conſultius mihi viſum expectare, dum *Noghera* ſui juris fiat, privato carceri mancipatus hactenus; quam temeraria feſtinatione turbare negotium, praeſertim cum in mora nihil ſit periculi. Si jubes tamen ut rem urgeam, aut ad equitem *Puteanum* confugiam, aut alium quemvis, quem rerum tuarum maxime ſtudioſum e Romanis judicaro. Codices manu exaratos emi paucos hactenus, quos Mediolani nactus ſum, Venetiis haerent, quod mari illos non ſim auſus committere, ne in Anglos piratas inci-

inciderent. Plurium in eadem urbe ſpes eſt facta; e Monaſteriis & privatis bibliothecis corradi nonnulla poſſe, ſi pecunia in promptu eſſet. De integris bibliothecis emendis non cogitabo te inconſulta. Codices Graecos deſcribendos curavi nullos, quod indicem illorum, quos poſſides ineditos, impetrare hactenus non poſſim. Metus autem eſt, ne operam perdam, quamdiu ignoro, quid hujus notae extet jam apud te. Quantum pecuniae *Bidalius* mihi curarit annumerari jam olim *Holmio* ſignificavi; ſignificavi denuo nuper. Nam quas ipſe feci expenſas in via, quo jure eas poſſim rationibus tuis adſcribere non video, Auguſta, quod factae ſint illis eae nummis, quos tuae liberalitati acceptos retuli, cum e Suecia diſcederem. Quicquid hîc terrarum ab eruditis viris tuae laudi dabitur, ſive proſa oratione, ſive carmine, id ut ad te mox veniat, curae mihi erit. Cujus notae ad guſtum tuum factura omnia polliceri non auſim. Cavebo tamen ne Anagrammaticis atque ejuſmodi nugis aliis laudes tuae inquinentur.

Gratulor huic terrae, quod abeſt regionibus illis,
Quae tantum genuere nefas

Litteras accepi a *Zacharia Grimano* nobili Veneto, quem in Suecia vidiſti, earum apographum hîc mitto. Miror tamdiu deliberari ſuper negotio tam parvi momenti. Principem Hetruriae *Leopoldum* nudius tertius ſalutabam, qui totus oratione diffuſa in tuas laudes ferebatur; Mediceam bibliothecam patere mihi ſe curaturum promiſit. Verſus Heinſianos meliores deſcribi curat, ut ad te veniant. Iter ad te parat *Cecconius*, is inter alia munuſcula virorum Principum, Peſcennium (quem unum inter Gottefrediana numiſmata deſiderari notum) ad te feret aeneum, ut audio, a Marchione *Nicolino*. Vale, decus immortale rerum. *Gottefredus* nummorum Catalogum magno Duci miſit, unde licet colligas de vendendis iis agitare illum conſilia. 13. Julii CIↃIↃCLII.

EPISTOLA DCLXIX.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Auguſtae.

Holmiam.

EPiſtolam, quam ad me exarare Kalendis Majis manu Auguſta non es gravatus, quoties inſpicio, inſpicio autem frequentiſſime, toties aurei illius ſaeculi, Domina, imaginem intueri mihi videor, quo ruri verſabantur, atque homines agreſtes ultro compellabant Dii immortales. Unum mirari ſubit (audebo enim ea uti libertate, quam non invita admiſiſti hactenus, ut ſenſum animi & cogitationes ſecure expromam) unum, inquam, mirari ſubit, cur lingua Gallorum aulica apud hominem ruſticum volueris uti, cum Latina optime poſſes. Sed agnoſco voti mei immodeſtiam, & deſideriis frenum impono. Nulla enim unquam lingua loqueris, quin loquaris tua. Mihi potius cauſa debet eſſe juſtiſſima, cur egeſtatis meae me pudeat, qui unius intra linguae anguſtias con-

eludor. Rationes expensarum quod a me exigis, gaudeo. Misi eas jam olim ad *Holmium*, & nuper misi denuo. Menses totos decem & octo jam ex Suecia absum. Parisiis scutatos ducentos Gallicos *Bidalius* tuo nomine annumeravit. Mediolani scutatos circiter septuaginta septem, centum & quinquaginta Venetiis, Florentiae centum quadraginta quatuor, Romae ducentos & quadraginta accepi, & hos quidem monetae Italicae, quae Gallica paulo pluris fit, ut ex literis, quas vocant cambii, apparebit. Agnoscis ipsa, ut opinor, quam in libris emendis magnas impensas facere non potuerim, nisi omni victu me ipsum fraudatum vellem. Mille scutatorum Gallicorum summam nondum aequat haec pecunia: cui addendi sunt scutati sexcenti, quibus emptus torquis aureus, *Ferrario* oblatus. Expensarum rationem nisi accurate reddidero, tum me indignationis tuae fulmine percellas licet. Interim a criminationibus hominum malevolorum favor tuus tutum me praestet. Hesterno die Bibliothecam Ducis *Salviati* perspexi. Codices manu exaratos centum circiter & triginta sepositi. Plures esse credideram. Graeci omnes sunt, si Virgilium unum excipias literis Longobardicis scriptum, indicem confeci magna festinatione, cum horae vix unius spatium daretur ad pervolvendos libros. Quare petii, ut alium accuratiorem fieri curarent, ac simul de pretio monerent, quod fieri hactenus non potuit, cum raro Dux ipse haereat in villa. Proxime intellecturam te omnia confido. Sunt hic codices apud Marchionem *Riccbardum* etiam nonnulli, qui legatus est Romae Magni Ducis, atque apud *Carolum Stozzam*, qui fortasse venales sint. Excerptum ex catalogo Mediceae bibliothecae misi nuper. Familiae nostrae res & valetudo patris quo loco essent etiam significavi. Spero igitur me impetraturum, quod votis ardentissimis petii, ut in patriam reverti mihi liceret. Id certe faciendum, nisi privari illum vivum & videntem stipendio suo velim, ejusque, quas administravit, provincias aliis demandari. Quod aliorum opem, qui juvare illum poterant, non sim expertus, Domina, hoc fortunae crimen est. Ego si partibus meis desim, in naturam fuero injustus. Scio rem mihi esse cum Principe, apud quam, cum virtutum omnium exemplar sit praestantissimum, primae semper partes pietatis sunt: *Dauni miserere senectae*. A *Langermanno* praestari posse, quicquid hic agendum habes, jam ante monui. Habes hic epigramma Hetruscum *Hieronymi Gratiani*, qui Ducis Mutinensis Secretarius est, ut in aula vocant, cum responsione *Marchionis Capponiae*. Ausus sum & meas nugas addere, quas jussus in natalem Magni Hetruriae Principis scripsi. In negotio Veneto, de quo ante mensem scripsi, quid fieri velis utinam scirem! Senatum si compellari volueris tuo nomine, ut ad S^ti Marci Bibliothecam aditus mihi detur, partibus non decero. Florentiae Jul. CIↃIↃCLII.

EPI-

EPISTOLA DCLXX.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Auguſtae.

Helmiam.

QUanquam divinae providentiae auſpiciis & virtutis tuae merito, Auguſta, eo faſtigii ſis evecta, ut privatum nihil ad te pertinere videatur, diſſimulare tamen nunc non poſſum, qui miris modis me premit ac affligit, de conclamata Patris valetudine nuncium. Quod ſi vivis ſubducatur ſenex, Auguſtae tuae familiae dum vixit devotiſſimus, & vix aliud expectare jubent tum aetas graviſſima, ad quam pervenit, tum morbus ipſe periculi plenus, rerum ſtatus exacturus omnino eſt, ut in patriam excurram; ne exiguum illud, quod ex pertinaci fortunae adverſae naufragio, & aſſiduis domeſticae jacturae procellis enatavit, mea mihi ſocordia perire atque interverti ſinam. Cui petitioni, ut mihi videtur, nequaquam iniquae, haud obniſuram te confido. Praeſertim cum provincia, quam mihi demandare es dignata, de codicibus MSS. colligendis deſcribendiſque per has regiones aetatem meam abunde occupare poſſit. Privatis fortunis ubi proſpexero, reliquam tuis commodis vitam conſecrare non gravabor. Puer adhuc parens meus bonis avitis omnibus tyrannide Hiſpanica exutus eſt. Mox Flandria relicta in Bataviam conceſſit, ſtudiis literarum operam navavit, quarum amore adeo correptus eſt, ut neglecta rei faciendae cura, patrimonio ſuo tantum arbitraretur accedere, quantum bonae mentis in palaeſtra profeciſſet, atque omnes in eruditione divitias exiſtimaret eſſe ſitas. Nec parum in pulcherrimo propoſito confirmavit illum applauſus ingens, qui conatus ejus laudatiſſimos excepit. Uxori poſtea ducendae cum animum applicuiſſet, non tam ſua intereſſe, ut opulentae, quam ut bono loco natae, & honeſtis ortae parentibus jungeretur. Tenui igitur dote, ut in numeroſa prole fieri ſolet, contentus, affinitate virorum praeſtantium multorum, praecipue *Johannis Rutgerſii*, unice exultabat. Devoverat illa tempeſtate obſequium ſuum *Guſtavo* magno *Rutgerſius*, cujus nomine varias per Germaniam legationes obibat, non ſine magno rei familiaris damno conjunctas, cum & ſumptus non exigui paſſim faciendi eſſent, & intercepta ab Auſtriacis Praga, ſarcinas omnes, & bibliothecam, in variis Germaniae locis magna cura magnoque ſumptu conquiſitam, illic perdidiſſet. Bonis demum ſuis majori ex parte abſumptis, dotem matris meae omnem mutuam petit a Patre, & pro ea, quae inter illos erat, neceſſitudine atque amicitia, facile aufert. Hac quoque conſumpta, dum totus eſt in expectatione praemii, quod Rex benigniſſimus pro navata annis duodecim continuis opera ſperare juſſerat, morbo lento correptus ad plures abit *Rutgerſius* in ipſo aetatis flore, cum annum trigeſimum ſeptimum vix attigiſſet, relicta haerede matre mea. Eam enim in Rege clementiſſimo fiduciam habebat collocatam, eam in praeſtitis a ſe obſequiis, ut ex ſtipendio, ſaltem quod debebatur, mox adfuturum non

dubitaret, quando regiae liberalitatis fructus mors intempestiva invideret. Adit haereditatem mater mea, aes alienum, quod *Rutgersius* hîc inde conflarat, expungit, legata praestat fide integra legatariis, atque hoc quoque pactorem familiarem non parum terit. Bello mox Polonico *Gustavus* magnus avocatur, atque inde Germanico, ipse demum tollitur e vivis. Qui casus quibus angustiis familiam nostram objecerit, non narrabo, Augusta, ne in majus omnia exaggerare videar, aut clementiae tuae gravis sim. Hoc tantum dicam, post mortem *Gustavi* magni anxiam matri aetatem, qua Regi supervixit, inter gemitus, lamenta, lacrymas, quas videre mihi adhuc videor, exactam: quod actum de fortunis suis probe intelligeret; quando & illa nobis perit. Annis post duodeviginti totis, quas literas Parens ad proceres regni scripserit, quam in omnes formas se frustra verterit, ut votis potiretur, quid attinet narrare? Fractam spem tu tandem erexisti, Domina, tua incomparabili clementia factum est, ut conclamatam fere ac depositi negotii causam ausus sit denuo suscipere meus Genitor. Nec nobis abfuit praeter fortunam nostram, quo minus voto potiremur. Bis in Sueciam me proficiscî passus est, cum ipse senio confectus ope mea maxime indulgeret, bis re infecta vidit redeuntem. Fraudato igitur omni spe, & pertaeso vitae suae & vicino morti ipsi, & tibi intercepta est oportuna occasio benignitatem tuam ostentandi. De Rutgersianis meritis nihil addam, cum mora temporis longa illorum quoque memoria apud vos perire potuerit, nisi supereslet cum paucis, qui hominem noverunt, regni tui Cancellarius. Parentis supersunt scripta, & supererunt post illum, ut auguror, quibus cultum erga regiam familiam suum abunde testatus est. Illa olim qui evolvet, & simul inter caeteras maximas virtutes tuas eximium illum amorem literarum venerabitur, quem venerabuntur olim omnes, quamdiu ullus eruditioni honos constabit, facile intelliget, non tuam fortunae nostrae defuisse clementiam, Domina, sed clementiae tuae defuisse fortunam nostram. Gallis Italisque atque adeo Europae toti notissimus est ille panegyricus *Gustavo* Magno scriptus. illi utinam aliquid sui ingenii opponerent, qui palam gloriantur se senis apud te nostri existimationem obscurasse, atque adeo sibi deberi volunt, ne plenum ille fructum clementiae tuae tulerit. Si recusabunt soluta oratione certare, jube Scazonti, qui praefationis loco est praefixus panegyrico, totidem versus ex suis opponant. Tunc agnosces, quo vales ingenii acumine, quid inter illos interfit, qui contemnunt & qui contemnuntur. Sed tam felix nunquam erit meus genitor, ut hoc triumpho fruatur. Vincant igitur illi fortuna, dum nos obsequiis & cultu vincamus. Agnosco impetu scriptionis nimio ac libertate ulterius me provectum, quam par erat. Quod tamen alio nomine a me factum non est, quam ut agnoscas, Domina, rerum mearum statum flagitare meam in Batavia praesentiam, si e vivis, quod abominor, tollatur pater, tua tamen sine venia nihil acturus. *Langermannus* interim, si quid ibi agendum est curare poterit, dum ego absum. De Altempsiana Bibliotheca haeret negotium, quia necdum carcerem evasit, quod sciam, *Nogbera*, si per illum rem promoveri postulas, pare-

parebo. Interim Ducem *Salviatum*, qui inſtructiſſimam Graecis codicibus in hac urbe bibliothecam habet, tentari per amicum curavi, an ad vendendam eam impelli poſſit. Nec videtur detrectare venditionem, ſed magno, ut opinor, aeſtimabit. Numerus & index librorum, ut exhibeatur mihi rogavi, cujus ſpes eſt facta. Mox de pretio diligentius omnia percunctabor, & ad te perſcribam. Libri illic multi ſunt inediti, quos inter & Proclus in Rempublicam Platonis, qui mutilus vulgo extat. Rem, quantum poſſum, occultam habeo. Metus enim eſt ne magnus Dux, ſi reſciſcit, aut frater ejus Princeps *Leopoldus*, (eſt enim literarum amantiſſimus) ſibi eos emat, aut certe aegre auferri patiatur. Curam Bibliothecae habet homo quidam indoctus, cui praemium hoc nomine promiſi, ſi rem ad optatum perducat exitum. Habes hîc indicem praeſtantiorum codicum, qui in Medicea extant. Seliges inde, Domina, quos potiſſimum deſcriptos cupis. Habes hîc etiam *Caroli Dati* epigramma Hetruſcum in nuperum caſum tuum, quod non ſine magno applauſu hîc eſt lectum. Miſi proxime aliud carmen ejuſdem argumenti, ſcriptum a Monacha nobili loco nata. Velit illa poëſin ſuam unice exercere in aliqua materia, quam ad guſtum tuum facturam potiſſimum crediderit. Imaginem tuam habet & colit inſtar numinis. Si caſum tuum accurate ſciviſſem (quem nullus ad me perſcripſit hactenus e Suecia) plurimi verſus ad te mitti hujus notae poterant. Cum operam meam unice probare tibi ardeam, Domina, audebo a te exigere, ut ſit, qui ſaltem moneat, quos faſciculos acceperis. Florentiae Auguſti CIↃIↃCLII.

EPISTOLA DCLXXI.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Auguſtae.

Holmiam.

MItto hîc Catalogum manuſcriptorum bibliothecae Ducis *Salviati*, quem geminis meis ultimis miſſurum me promiſi: factus eſt a profeſſore quodam literarum Graecarum; non accurate admodum. Codices ego plures numerare viſus ſum, quorum nomina in libellos pugillares retulit. Nihil ex iis me deſideraturum adfirmat ille, qui eos mihi exhibuit. Voluit a me ſcire Dux *Salviatus*, an tuo nomine eos flagitarem, nec auſus ſum negare. Reſponderi itaque mihi curavit, ſe minoris illos non venditurum, ſi vendendi eſſent, quam quatuor ſcutatorum Florentinorum millibus: tibi autem ſe donaturum eſſe, ſi velles. De quatuor ſcutatorum millibus me ſcripturum tibi ſum pollicitus, de oblato munere ſcripturum negavi. Quod dubitem an ex animo offerat libros Dux. Cum enim Itali ſatis ſint ad rem attenti, nec valde liberales, metuo, ne aut ſpe majoris praemii eos ſit donaturus, aut donandos eos obtulerit, ne quid demeres de quatuor ſcutatorum millibus, quod eſt profecto immenſum pretium: cum codices multi ſint mutili. Ego ſententiam tuam avide, Auguſta, expectabo. Reditum in patriam ut permitteres mihi non ſemel jam

rogavi, quem valetudo parentis mala requirit. Ea etsi meliori nunc sit loco, tamen est nequaquam bono. Ultimum & atrocissimum fortunae crimen erit, si stationem, quam his in oris mihi credidisti, cogar deserere. Deus te sospitet, Augusta. Florent. XXIV. August. CIↃIↃCLII.

EPISTOLA DCLXXII.

NICOLAUS HEINSIUS

Christinae Augustae.

Holmiam.

POmpejus *Colomna* Princeps Gallicanus, Augusta, summi ingenii vir atque literaturae minime vulgaris, dum magnum forte Hetruriae Ducem salutarem, ac sermo de te esset institutus, virtutum tuarum veneratione adeo se correptum ostendit, ut de Suecia adeunda cogitaret serio. Cultum interim suum hisce, quas vides, literis testatum tibi voluit. Poësi vernacula cum polleat plumum, versus ab eo additos Epistolae vix dubito. Adfirmavit certe laudes tuas musis suis esse jam non intactas. De Familia *Columna*, quae agmen ducit inter Romanas, & dubiam *Ursinae* facit palmam, ut verba faciam, non est opus: Habes enim eam, Domina, ut opinor, abunde notam. Ingenium viri ex epistola existimabis. Hispanos experitur valde infensos, quorum opera bonis, quae in regno Neapolitano possidebat plurima, majori ex parte privatus, carceri etiam diuturno vix elapsus, nunc jubetur exsulare. Si quod parabis responsum, id ut ad me veniat, etiam atque etiam supplico. Habes & hic a *Carolo Dato*, Epigramma Hetruscum. Est autem ille, quod & alia monui occasione, magni inter Florentinos Poëtas nominis: laudes tuas singulari parat poëmate. Florentiae x. Septemb. CIↃIↃCLII.

EPISTOLA DCLXXIII.

NICOLAUS HEINSIUS

Christinae Augustae.

Holmiam.

CLementissima domina. Transiit hac non ita nuper, & in Germaniam contendit *Gustavus Adolfus* Dux Megalopolitanus, excitati vividique ingenii Princeps, quique magnam de se exspectationem apud Italos reliquit. Poësi vernacula cum magnopere delectetur, auribus tuis dedit hoc Epigramma, quod a familiarium ejus nonnemine sum consecutus. Post iter hoc Italicum de Suecia adeunda videtur cogitare, teque salutanda, cum commune sit hac tempestate asylum peregrinantium, ut, qui aulam tuam non viderit, nihil in rerum natura se vidisse arbitretur. Sereniſſimus Hetruriae Princeps *Leopoldus*, cum ex me intellexisset esse tibi in deliciis Poësin Italicam, convertit omnem eo curam, ut quicquid eximium inter schedas suas lateret, quod lucem necdum vidisset, a praecipuis Italiae ingeniis conscriptum,

tum, colligeretur, tibi offerendum. Tomi erunt duo, ut opinor, & fortaſſe plures. Praefigentur operi varia carmina laudi tuae conſecrata, ad quam provinciam invitavit Poëtas Italos clariſſimos idem Princeps: memini ea de re jam ante me non nihil ſcripſiſſe. Principis Gallicani literas miſi proxime, Auguſta. Verſus nonnullos addidiſſe illum epiſtolae exiſtimabam, ſed non addidit: ſervat enim illos, ut ipſe mihi judicavit poſtea, eidem, de quo verba modo faciebam, operi. Paucos igitur aut nullos verſus ſum miſſurus poſterum. Florentiae Septemb. CIↃIↃCLII.

EPISTOLA DCLXXIV.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Auguſtae.

Helmiam.

DOmina. Cum omne literarum argumentum, omnem ſcriptionis materiam exhauſerim jam pridem, parce ſobrieque cogor indulgentia tua frui, quae tanta eſt, ut abſenti quoque mihi aditum ad te non intercludat, meumque quamvis remoti colloquium non averſetur. De Bibliotheca Altempſiana omnia eſſe incerta jam non ſemel indicavi, quia pergit detineri in carcere *Vincentius Noghera*. Codices Graeci cum paſſim lateant non paucis hîc terrarum in monaſteriis, nec magni fiant a poſſidentibus, ſpes erat, augeri iis Bibliothecam tuam poſſe, ſi inſtrumenta fuiſſent in promptu, quibus emerentur. Cum igitur intercipi mihi viderem omnem opportunitatem tibi gratificandi, auſus ſum a te contendere, ut gratia hujus peregrinationis mihi fieret, quod & florem aetatis nihil agendo perire mihi animadverterem, & patrem ſenio confectum meo auxilio fraudarem: neque tu precibus meis defuiſti, Auguſta, ſed quantum ex aliis intelligo, ut liceret mihi ad meos reverti clementer annuiſti. Ad viam igitur neceſſaria ubi in promptu erunt, nihil cunctabor. Ajunt Politicorum filii, nervum eſſe martis pecuniam. At ego qui politicus non ſum, Palladis quoque nervum eſſe ac Muſarum didici hoc itinere. Dum enim rebus meis non optime conſulitur, & tibi fructus periit peregrinationis meae, & mihi voluptas, quam ego percipio pleniſſimam, cum tuae utilitatis me totum impendo. Libros tibi deſtinatos ſub initium menſis februarii fore paratos polliceri pergit Hetruriae Princeps *Leopoldus*. Interea ſpero in promptu fore inſtrumenta, quibus hinc me poſſim proripere. Florentiae CIↃIↃCLII. Octob.

EPI-

EPISTOLA DCLXXV.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Auguſtinae.

Holmiam.

PEregrinationis hujus quod gratiam mihi feceris, Auguſta, conſenſeriſque, ut pedem hinc referre mihi ad meos liceret, gaudeo: id enim ex *Holmianis* literis proxime intellexi: nam mandatis tuis, quorum ille meminit, hactenus fraudatus ſum, nec ſcio cujus culpa id eveniat, quod ſane permoleſte fero, ut & literarum tuarum jacturam, cum nullas acceperim, praeter unicas Kalendis Majis exaratas. Si quid alia occaſione inſidietur mihi fortuna, minus indigner, hîc ſine venia peccare mihi videtur, qui favoris tui fructum pretioſiſſimum mihi intercipiat. Caeterum cum ad iter auſpicandum omnia necdum parata ſint, nec de viatico mihi ſit perſpectum, non poſſum iter ſic feſtinare, ut vellem. Parentis quoque valetudo loco jam paulo meliori eſt, cum & febris & Diarrhea, quibus acriter primo tentabatur, intermiſerint, hinc minus eſt periculi in mora. Huc accedit, quod Princeps Hetruriae *Leopoldus* ſpem faciat fore, ut intra ſpatii trimeſtris terminos duo volumina abſolvantur carminum Hetruſcorum, quae tibi donum deſtinavit. Mea autem opera ad te mitti, & me latore uti idem Princeps vellet. Neque ego diſſentio, praeſertim cum hortator fuerim & ἐφοδιάστης hujus inſtituti, ne inanis ex his oris revertar, &, niſi hoc procedat, inutile omnino iter hoc me & infructuoſum tibi fuerit. Accedent verſus multi, a praecipuis Italiae ingeniis in honorem tuum conſcripti, longe pulcherrimi, quorum quoſdam jam videre mihi contigit. Iter per Germaniam optime facturus videor, cum in Galliis necdum res pacatae ſint. Velim autem, ſi per te mihi liceat, Bibliothecas aliquot praeſtantes perluſtrare in tranſcurſu, ut Auguſtanam, Bavaricam, Noricam, Helveticam non unam, cum illac iter ſit faciendum. De Viennenſi mira narrant, qui viderunt autem pauciſſimi. Sed fortaſſis nimis a via deflexero, ſi illuc excurram, quod tuum eſt arbitrari, Auguſta; te enim invita aut inconſulta nihil ſum acturus. De *Langermanno* quid fieri velis, quia hactenus ignoro, mecum ut hinc diſcedat, non poſſum illi non ſuadere, praeſertim cum ipſe quoque geſtiat ſe tibi ſiſtere. Manethonis & Maximi Poëtarum Apoteleſmata deſcripſit in Medicea. In Vaticana Anthologiam Graecorum Epigrammatum Palatinam, quam luci dare velit, cum alii, qui id opus jam a triginta annis promiſerunt, cunctentur, ac rem publicam literariam fraudent utiliſſimo labore. Florent. Novemb. CIↃIↃCLII.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA DCLXXVI.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Auguſtae.

Holmiam.

SI recte curatae ſunt, quas ex hac urbe ad te dedi, Domina, indicem Mediceae & Salviatae Bibliothecae jam accepiſti. Principis quoque Gallicani epiſtolam. Salviatae Bibliothecae index non multa cura factus eſt. Vidi enim illic omiſſos codices aliquot, quos ego in libellos pugillares retuleram; cujus notae Euſebii & Theodoreti Hiſtoria Eccleſiaſtica. Sed mihi curae erit, ne quid numero codicum decedat. Si per occupationes publicas licuiſſet tibi de rebus meis cogitare, dubium non eſt, quin ingenti codicum MSStorum acceſſione Bibliotheca eſſet ditata. Iter Italicum cum pararem, ſpes erat facta, nihil eorum, quae forent neceſſaria, mihi defuturum. Sed falſum me exſpectationis immane quantum fuiſſe, ſimul ac Lutetiam adveni, licuit ex *Bidelio* intelligere. Rationes acceptae ab illo pecuniae mox ad *Holmium* miſi: multiſque argumentis oſtendi, niſi alio modo rebus meis proſpiceretur, nihil utilitatis aut emolumenti hoc ex itinere ſperandum tibi fore. Quod vel ultro tamen, me tacente, poterat apparere. Mediolanum adveniens incidi in Bibliothecam venalem, libris Graecis Latiniſque MSS. egregie inſtructam, ea quoque de re nuntios continuo ad te dedi, ſed fruſtra; donec illa tandem diſtracta eſt. Inhibui venditionem quantum potui. Summae felicitatis fuit, quod eam tibi non addixeram, etſi ſpes eſſet quadringentis aut quingentis aureis haberi totam potuiſſe, pretio certe viliſſimo: fidem enim in ea comparanda ſi obſtrinxiſſem, quod tamen ut facerem tua commoda videbantur requirere, jam de exiſtimatione mea apud Italos eſſet actum, ut qui venditoribus non poſſem ſatisfacere. Romae ultro compellatus nonnunquam fui de emendis libris MSS. Sed odioſos & moleſtos venditores ſpe vana, irritiſque promiſſis ſemper diſtuli ac lactavi, quod a te nuncios adfore optatos confiderem. Nunc quia vota iſta lenta ſunt, deſino in hanc mercem inquirere, etſi non neſciam apud privatos latere quaedam, quae fortaſſis haberi aequo pretio poſſint, ut & in aliis Hetruriae urbibus. Nolim enim Italis ludibrium debere, quorum nullus eſt, qui ignoret, quo nomine huc miſſus ſim. Eſſe autem omnes Suecico nomini faventes Romae ſum expertus. Expertus eſt & credit *Alexander Cecconius*, non ſine fortunae diſcrimine, quod niſi is eo adveniſſet, non tuliſſet repulſam *Licetus* in dedicatione tibi deſtinata. Graecum amanuenſem, ut in medicea Bibliotheca codices ineditos deſcribat, nullum hîc inveni, qui Roma aut aliunde arceſſendus eſſet. Nam *Langermanno* tantum oneris imponere, quem fruſtra tibi commendavi ſaepe, non audeo, quamdiu ſe tuis accenſere nullo jure poteſt. Unum illi deeſt ad meliorem fortunam, quod aut tibi eſt ignotus, domina, aut quod eſt amicus mihi. Ego certe ejus operam poſſe tibi variis in rebus utiliſſimam eſſe, & ſemper credidi, & etiamnum credo. Vivimus hîc in

diverſorio publico inter aſſiduos Bacchantium ſtrepitus, ut nec valetudini conſulere nec ſtudiis poſſimus: Romae privatas aedes incolebamus minoribus expenſis, victumque nobis ipſis curabamus parari quotidie, qualis valetudini non optimae conducere videbatur. Id nobis nunc non licet, cum parata deeſſet pecunia. Vides igitur ipſa, mea non fieri culpa, ne exſpectationi tuae in omnibus reſpondeam. Jubes quidem, pro incomparabili clementia tua, ut te moneam, quas expenſas de meo fecerim. Sed cum ita ſim dimiſſus a te, ut nihil certi aut viatici aut ſtipendii promiſeris in hoc itinere, quid poſſim exigere non video. a *Bidalio* quantum pecuniae eſſet petendum, ne hoc quidem ullus tuo nomine me monuit. Omnia igitur illi credere ſum coactus, utinam ſine meo damno! Speravi indicandum fore nomen mercatoris alicujus Itali aut Germani, a quo pecuniam poſſem exigere, ſi in libros MSS. inciderem hic illic venales. Nam e Suecia reſponſum exſpectare, quam ſit lentum negotium agnoſcis ipſa. De integris bibliothecis emendis ut cogitem te inconſulta non eſt periculum, Domina. Tibi ut ſerviam, fortunas in patria meas negligere non recuſem. Tibi autem nec ſervire, & deeſſe mihi apud meos, eam ego duplicem jacturam puto. Eo, quem dixi, loco cum res meae totis decem & novem menſibus, quibus e Suecia jam abſum, fuerint, calumniae tamen quidvis in aula tua contra me licere invitus intelligo, ubi minime omnium id decebat. Nam ſi meae innocentiae ratio habenda non fuit, tuae certe auctoritati, Domina, hoc debebatur, ne peregre a te miſſus & tuo nomine abſens atque inauditus proſcinderer. Sed hoc εἰς ἐκ παρόδου. *Equiti Puteano* auctor fui ut ſuis te compellaret literis, ſed excuſavit ſe, qua eſt modeſtia, chiragram cauſſatus, qua fieret, ut in exarandis epiſtolis amanuenſis opera uti cogeretur. Florent. Februar. CIↃIↃCLIII.

EPISTOLA DCLXXVII.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Auguſtae.

Holmiam.

CLementiſſima Domina. Memini cum Romae eſſem, nunciatum a me, *Fortunio Liceto* Pontificis Romani mandato interdictum, ne libros ſuos, quos de Gemmis veterum annularibus parabat & Lucernis, tibi inſcriberet. Nunc inveniſſe viam videtur, qua nec Papam offendat, & tibi nihilominus cultum probet ac obſervantiam. Effecit igitur, ut utriuſque voluminis exemplaria, quae ex Italia ſunt mittenda in Tranſalpinas regiones, tuo nomini conſecrentur, quae inter Italos ſint vendenda, nomen nullius praeferant. Haec ille ad me: inquiram tamen diligentius, deque tota veritate ut conſtet, liquido operam dabo. Libri ipſi jam ad te miſſi ſunt Hamburgenſi via, qui cum diu fortaſſis haeſuri ſint in via, dedicationes, quas dixi, ad te mittendas exiſtimavi. Addidi & ſpecimen libelli Philoſophici, quem Comes *Julius Clemens Scaligerus*, domo Placentinus, tibi dedicavit. Exemplaria jam ante tres menſes in

Sue-

Sueciam missa oportet, quorum curandorum provinciam susceperat *Lagerius*. Sed cum in Galliam profectus sit, ac rumor ferat, ab epistolis illum tibi amplius non esse, visus est vereri *Scotus*, ne exemplaribus tibi destinatis sit fraudatus. Jesuita fuit olim, nunc Jesuitis est infestissimus, quod libellus ipse prodit passim. Sunt & alia, in quibus a Jesuitis videtur deflectere. Hanc an laturus sit impune libertatem, brevi sciemus. Vale. Venetiis VII. Mart. CIↃIↃCLIII.

EPISTOLA DCLXXVIII.

NICOLAUS HEINSIUS

Christinae Augustae.

Holmiam.

SCripsi Taurinum, ut jussisti, Domina. In ipsis literis si quid mutatum velis aut additum, ne graveris indicare, supplex te obtestor. Vix credas quanto gaudio me perfusum sentiam, ex quo negotium paternum curae tibi esse compertum coepi habere. Per proximum tabellarium faxo munificentiam tuam senex noster intelligat; quando effecisti, ut aetatem reliquam animo tranquillo ac securo possit exigere sublatis molestiis, quae annos plurimos curas ejus exercuerunt ac occuparunt. De Bremensi Canonicatu etsi nihil ausus eram sperare; ultro tamen oblatum beneficium lubens amplector. Curas vicissim meas alacrius imposterum, quam ante, ad te domerendum convertam. Nec luculenta mihi hactenus voluntas defuit. Fidem certe meam tibi devotam ac porro devovendam nulla in re claudicare passus sum: qua laude tuorum nemini me arbitror concessisse. Si mandatis tuis non is semper successus per me obtigit, quem expectabas: tota ea Fortunae est injuria. Publicis, quibus apud Batavos est functus, muneribus se abdicare per senectutem cum cogatur meus parens, suas in iis administrandis partes mihi demandare decreverat, domumque me identidem literis fervidissimis revocavit. Nunc ut in alium ea conferri curet, si videbitur, significabo. Fortunas meas commendare tibi non pergam, cum incomparabili tua fiat clementia, ut sint commendatissimae. Vale, Augusta.

EPISTOLA DCLXXIX.

NICOLAUS HEINSIUS

Christinae Augustae.

Holmiam.

DE re, quam indicabam nuper, rursus te compello, Domina: cum ultro me adhortata sis, ne ei promovendae deessem. Tabellarius, qui ex Germania penultimus huc advenit, literas a *Langermanni* patre attulit Stadae exaratas, quibus is testetur ex *Konings-Marckio* intellectum sibi, praeter agros *Bidallo* nuper addictos, ex iis, qui in Bremensi tractu & Pomerania *Salvii* vi-

duae publica auctoritate ſint ſubducti, ſupereſſe adhuc terrarum abunde, quo rationes Rutgerſianae expungi poſſint. Abſunt ab hac urbe illi, quorum opera certiora doceri non foret arduum, quare ſupplex oraculum tuum conſulo, cum nullum regni tui angulum te latere certus ſim: & obnixe peto, ut parentis tandem mei habeatur ratio, ſi ſuperſint ex Salvianis bonis agri, ut ſupereſſe *Konings-Marckius* adfirmabat, quae aliquot aureorum millia aequarent. Maximum in mora periculum eſt, ne & alii me praevertant, & dum ultro citroque ſuper iſto negotio mittuntur literae, expiret interim tempus illud, quod exiguum capeſſendis regni habenis tibi reliquum eſt. In commemoratione facinoris, quod meditaris, Auguſta, pulcherrimi de privata vita amplectenda, & vellem & debebam occupare ingenium meum, ſed adeo dejectum mihi eſſe animum experior, ut erigi non poſſit, aut officii meminiſſe, niſi rebus familiae noſtrae turbatis melius conſulatur. Ducis Sabaudiae mater, dono ad te mittit *Pyrrhi Ligorii* opera, munus certe eximium. Reliquos etiam, quos poſſidet codices manu exaratos, ſe miſſuram pollicetur, ſi hoc munus non ingratum tibi fuiſſe intelligat. Qua de re pluribus coram, cum ad conſpectum tuum licebit admitti. Vale, Auguſta, & fortunas noſtras commendatas habe.

EPISTOLA DCLXXX.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Auguſtae.

Holmiam.

QUantum in votis tuis praeſidii ſit apud deum immortalem iis, quibus faves, Domina, quemadmodum non raro alii, ita & ego nuper abunde expertus ſum. Cum enim peſſima anni tempeſtate a te diſceſſiſſem, atque iter mihi fauſtum precari nequaquam gravata eſſes, evenit praeter ſpem, ne aut viae difficilis per ſe ac moleſtae difficultates, aut hiberni coeli injurias, quibuſcum conflictandum videbatur, ſenſerim. Ita nullis in via objectis impedimentis ſalvus ad meos perveni. Quo quidem nomine erat cur devinctiſſimum me tibi profiterer, niſi ultimum hoc beneficium infinitis aliis erga me meritis praeveniſſes. Nimirum hoc divinae tuae benignitati familiare propriumque, Domina, ut quos vel ſola conſpectus tui indulgentia mancipare poteras, tanquam admirandae illae virtutes parum vinculi eſſent, liberalitate devincire malis. Novi ac perſpectum habeo laudibus tuis apud te locum vix relinqui, earumque commendationem uni tibi gravem atque inviſam accidere, impetrare tamen a me vix poſſum, ut duram atque iniquam ſilentii legem *hic* mihi patiar imponi. Nam apud alios te praedicare cum ferum ac ſuperfluum videatur, quae omnium in ore ſis, una tu reſtabas, ad quam eundum mihi foret, Auguſta; quod & iniqua tui aeſtimatrix es, & quam de te confeſſionem hoſtibus tuis expreſſiſti, tibi extorqueri non patiaris. Quid quod conferendo-

rum

rum in clientes tuos beneficiorum assidua cogitatio ita sensus tibi occupavit, ut meminisse te illorum, quae jam collata sunt, non sinat. Refricanda igitur memoria hîc tibi erat tuorum erga me meritorum, si animum non ingratum ostentare vellem. Sed ne otiosus essem, denegavi mihimet ipsi maximam voluptatem, quam ex rei jucundissimae recordatione percepturus eram; majoremque obsequii rationem, quam officii hîc habendam duxi: quanquam eo angustiarum ac necessitatis a te redactus sim, Domina, ut nihil reliqui mihi videam praeter verba, quibus gratum me profitear: nam & fortunae meae tenuitate, & tuorum beneficiorum mole ac magnitudine fit, ut re ipsa gratum me aliquando fore parum absit quin desperem. Incumbam tamen in eam curam quantum in me, nec ullam elabi mihi occasionem patiar commodis tuis studendi, ut nihil sit praeter unicam hanc spem, quod moram in his oris diuturniorem mihi possit objicere, ubi videro nihil offerri, quo tibi consulam, statim ad vos reditum maturabo, nec eripi diutius mihi patiar conspectus tui felicitatem, qui jam nunc solitudinem hanc impatientius fero: si quid enim meae erga te pietati credi posset, multum accessisse profiterer, postquam a te absum, ut seri plerumque bona nostra aestimamus. Codicum Gortorphianorum ac Bremensium manu scriptorum Catalogum exhibitum tibi jam confido, quos Bibliothecae tuae ornamento non parvo fore existimo. Nummos veteres non uno loco venales prostare in his oris intelligo. De Bruxellensibus tamen melius, quam de reliquis sentio. Excurram igitur intra dies quatuordecim in Brabantiam, ut videam an famae respondeant. Amstelodami etiam ex Viquefortianis argentei Graeci numero satis magno prostant; aureos jam distractos puto. De iis certiora proxime judicabo. *Balzacii* Latina poëmata necdum prodierunt: in has certe oras nondum perlata sunt. De caeteris tuus, ô Regina, quid optes explorare labor, mihi obsequii gloriam relictam nosti, quam probatam tibi vehementer atque unice velim. Denique si nihil ad summam felicitatem deesse mihi vis, perpetuam mihi fac incomparabilem illam clementiam, qua me foves hactenus. Non quod eam promerear, sed ne & judicii tui te poenitere videatur, & conspectum lucis hujus invisum mihi reddas. Lugduni Batavorum CIↃIↃCLIII.

EPISTOLA DCLXXXI.

NICOLAUS HEINSIUS

Christinae Augustae.

Holmiam.

OBlatas manibus tuis confido, Domina, quas de Fortunii *Liceti* novo opere tibi inscribendo nuper exararam literas. Nunc Parisiis ad me feruntur, quae moneant Balsacianorum poëmatum exemplar jampridem ad me missum, quod Majestati tuae cupiat redditum editionis auctor *Menagius*. Id cum hactenus non compareat, aliud interim ex librariorum officinis depromptum

mitto. Discedenti enim ex regno tuo jusseras, ut quanta possem festinatione horum poëmatum novam editionem, si prodiisset, cum ad meos venissem, ad te curarem. Exemplar tibi ab editore destinatum mecum feram, si tempestive mihi reddetur, quod futurum confido. De nummis Brabantinis responsum tandem accepi, potissimam eorum partem jam divenditam. Supersesse mille etiamnum argenteos ex numero trium millium. Eos quingentis scutatis emi posse, aut minoris etiam, quod pretium nimium mihi visum, praesertim cum facilis sit conjectura rariores ex iis jam distractos esse. Hagae alii venales prostant, de quibus coram acturus sum. *Viquefortii* aureos *Thulerius* legatus Gallicus, rei nummariae studiosissimus, ut suspicatus eram, redemit. Supersunt Graeci argentei, quorum indicem mecum feram, ut cum tuis committantur, ac tanto melius mihi constet, quid desideres horum. De Claudiano meo lentum omnino negotium est. Occupantur a mensibus jam tribus *Elzevirii* in libellis nescio quibus res Gallicas spectantibus luci committendis, unde multum lucri sibi pollicentur. Feriatur interim Claudianus me invito, cui manum brevi se denuo admoturos ferunt, quam id vere nescio. De caeteris, Domina, ex successu, quem praestare ubique non possim, metiaris nolim, quicquid demum a me obsequiorum proficisci potuit, dum in patria dego, sed potius, quae incomparabilis tua est benignitas, ex affectu studioque commodis tuis invigilandi. Ego quidem id agam, ut intra dies paucos itineri me accingam. Faxit Deus Opt. Maximus, ut conspectum tuum mihi indulgeat, quo beneficio nullum majus optare possum. Lugduni Batavorum CIↃIↃCLIII.

EPISTOLA DCLXXXII.

NICOLAUS HEINSIUS

Christinae Augustae.

Holmiam.

INvito si quid unquam a me factum est, Domina, id profecto jam nunc fit, quando verba mihi facienda sunt & pro me ipso, & apud te, cujus ego sacratissimas aures suis onerare laudibus semper malui, quam ingrata mihi quoque ipsi de miseriis meis querela obtundere. Tempus etiam inoportunum & maxime alienum accipio, laeto quippe isthoc instantis anni auspicio inter publicos acclamantium applausus audiri me praestabat, quam privato dolori incumbere. Sed cum huc angustiarum nolentem redegerit dura necessitatis lex, ut odiosus nunc esse cogar tibi, quos ego scopulos anxie hactenus vitaram, venerabundus primum ac supplex te convenio, antequam latius se diffundat oratio, ut benigne & attente legas, quicquid hoc est chartae. Mihi vicissim curae fore promitto, ne abutar singulari indulgentia, utque verbis,

1 Hunc esse puto illum libellum supplicem, quem se paraſſe scribit *Grotius* Epist. CCLXXX. prideé Natalitii Festi Anno 1633. tom. III. Sylloges pag. 529.

bis, quantum potero, pauciſſimis, quae dicenda habeo, complectar: tum ſimul cavebo diligenter, ne quid taedii & moleſtiarum ab hujus argumenti compellationibus impoſterum tibi per me ſuboriatur. Annus quartus jam exactus eſt, quintus agitur, Auguſta, ex quo relictis paternis laribus in has oras deveni, erectus atque excitatus incredibili cupiditate propius te venerandi, in cujus meritiſſima commendatione omnem miratrix Fama facundiam jampridem exhauſiſſet. Accedebant huc tuorum non unae literae, quibus perſuadebar nec te invita iter hoc me ſuſcepturum, & ſpem adfulgere certam, ut, quicquid familia noſtra detrimenti cepiſſet olim, dum domus regiae & regni Suecici commodis ſtuderet impenſius, quam a privatis exteriſque fieri oportebat, id omne tuo beneficio reſarciretur. Hanc alte impreſſam meis ſenſibus de te expectationem non confirmavit tantum primus ſtatim congreſſus, ſed longe ſuperavit quoque ac me antevertit. Nam & parcam nimis ac prope malignam fuiſſe famam in te praedicanda deprehendi, & tu verbis ampliſſimis teſtata es, gratum atque acceptum tibi eſſe adventum in terras tuas meum. Promiſiſti praeterea cauſae noſtrae aequitatem diutius negligendam non fore. Ego vero mente attonita conſtanter defixus in pulcherrima virtutum omnium imagine, fide te & pietate ſumma ex illo proſecutus ſum, nec utilitati atque emolumentis tuis invigilare, quantum in me, deſtiti, etiam cum rei familiaris damno non exiguo. Quid, quod quotidiano ad te acceſſu, quo me pro incomparabili tua benignitate tum dignabaris, adeo religioſe ac moderate uſus ſum, ut, inſuper habita fortunae meae tenuitate, nihil petierim unquam aut flagitarim, quod mihi meiſve in lucrum vel tenuiſſimum cederet? cum ſcirem tamen & probe exploratum haberem, rem mihi eſſe cum Principe, una omnium, quotquot ab orbe condito vixiſſent, longe indulgentiſſima munificentiſſimaque, & quae vel nunquam, vel rariſſime quicquam negaſſet votis ſuorum utcumque immodeſtis. Hanc animi nec avari nec ambitioſi in me laudem nuſquam interpellari aut tranſverſam agi paſſus ſum, Auguſta, aut ab aulicis illecebris, aut adverſae ſortis ab impulſu. Ipſum illud negotium, in quo incolumitas & ſalus noſtrae familiae vertebatur, atque etiamnum vertitur, nunquam apud te promovere, nunquam ejus verbo vel unico meminiſſe conatus ſum, niſi a te ipſa ultro provocatus ac praeventus. Ad Italicam profectionem promtum ſponte & paratum me obtuli, cum tu eam imperare mihi jure optimo poſſes, nec velles tamen: quae divinae auctoritatis tuae in omnibus moderatio eſt ac temperantia. Ad Italicam, inquam, profectionem ſponte me obtuli promtum, dilatis Rutgerſianis rationibus, quae a Parente mihi meo non precibus tantum flagrantiſſimis, ſed cum ſuſpiriis ſaepe ac lacrymis commendatae erant, neglecta etiam valetudine, qua tum utebar adeo non firma, ut de proſpero eventu itineris & meo ad te reditu ipſi quoque medici deſperarent. Delatus in Italiam, multa diligentia multoque ſtudio in ea inquiſivi omnia, quae grata fore & voluptatis tibi allatura nonnihil confidebam; deque iis per literas non intermiſſas te certiorem feci. Exilis tamen & minor, quam vellem, fructus ex itinere hoc, fateor, ad te redun-

dundavit, Domina: quod graviſſimis iſtis occupationibus, quibus ſemper diſtineri ſoles, an invidorum malevolentiae & obtrectationi acceptum referri par ſit, non eſt hujus loci indagare. Rebus certe tuis prodeſſe luculentius hac profectione potuiſſem, ſi abſenti ea, quam in procinctu ſperare juſſus eram, habita fuiſſet ratio. In Siciliam quoque, ut mandaras, decreveram excurrere: etſi ora illa a piratis Turcis ſub id tempus infeſtaretur maxime, & quodammodo inacceſſa per continuas barbarorum populationes facta tum eſſet: ſed turbarunt hoc conſilium de conclamata Parentis valetudine ſupervenientes *nuncii*, quibus fiebat, ut pedem cogerer referre, praeſertim cum omnem interceptam mihi facultatem viderem ulterius progrediendi. Nam de viatico rebuſque ad iter tam operoſum neceſſariis negotium tibi curae eſſe malueram a te diſcedens, Auguſta, quam mihi, ne & munificentiae tuae, quae neminem fruſtrata eſſet unquam, diffiſus, & majus mihi ipſi pretium viderer poſuiſſe, quam a te poneretur. Quanquam pro uſitata & recepta nunc in aulis conſuetudine, non tam poſtulaſſe ante viam ipſam id jure poteram, quam debebam. His officiis, quorum me poenitebit nunquam, cum ſatisfieri tibi abunde poſſet, aliam praeterea excogitavi & ingreſſus ſum viam, qua te mihi conciliarem. Poëſin quod amari & acceptam tibi eſſe non neſcirem prae reliquis ſcientiis, quas omnes tamen acceptas habes unice, illuc curas quoque ac cogitationes converti. Non erubeſcam equidem fateri, Domina, inconſultos prorſus ac temerarii exempli iſtos auſus fuiſſe: nam quis ad nominis tui gloriam latius extendendam conferre quicquam poſſit? Innata tamen tibi facilitate fit, ne longe quaerenda ſit illis veniae atque impunitatis ſpes, qui ex nimia veneratione imprudenter apud te peccant. Quapropter ſi in hac palaeſtra meritis tuis immortalibus non reſpondi, ſi oleum perdidiſſe, ſi luſiſſe operam videor, cum maximis ingeniis communem, mihi fuiſſe irritum conatum erit ſolatio. Tu certe cum amari a tuis non aegre ipſa aut indigne feras, jactare mihi liceat, illorum neminem extitiſſe hactenus, qui obſervantiam erga te ſuam pluribus argumentis publico teſtatam reliquerit, quam a me factum eſt. Scio procul eſſe a meis verſibus omnem elegantiam, quae ad laudes tuas requiratur commemorandas, agnoſcent tamen & fatebuntur, quotquot ad luſus iſtos ingenui lectores accedent, nec poëſios omnino imperiti aut rudes, denſa in iis apparere paſſim cultus prodigi veſtigia, ex intimis animi admirabundi penetralibus depromta, quae fucum prae ſe non ferant, nec poſſint fallere. Atque utinam tam proclive, tam pronum fuiſſet mihi, te dignos verſus praeſtare, quam rebus familiae noſtrae adflictis mederi atque opem ferre tibi in promtu eſt, Auguſta, non utendum ſuperflua hac excuſatione mehercules nunc apud te foret! ſi nihil in rem tuam egi unquam, at votis ſaltem, quod unum potui, & propenſiſſima tui demerendi voluntate mihi me non defuiſſe nullus illorum ambiget, quibus perſpectus ſum. Apud familiares juxta & ignotos te unam ſemper in ore habui, te aſſidua oratione praedicavi; & quidem tanto ſtudio, ut aliis omnibus virtutum tuarum ignaris nimius hic viderer, mihi uni ſatisfacerem nunquam. Teſtem hujus rei appello Italiam univerſam, teſtem Galliam, te-

teſtem noſtram Bataviam: caeteras denique regiones, quaſcunque perluſtravi, ex quo inter tuos numeratus ſum. Non is quidem rerum mihi uſus eſt, Auguſta, & morum aulicorum, ut nihil commiſiſſe me exiſtimem, quo offenderim, aut quod factum nollem: ſed imprudentiae ut inſimulari jure forſan in multis poſſum, ita malignitatis convincar a nemine. Plus dicam, ſed dicam confidenter. Ne cogitationes quidem meae erga te deliquerunt unquam. Quae nunc in medium a me proferuntur, non quo me ipſum laudem, (id enim apud te minime omnium fieri oportere non neſcio) ſed quod jucunda mihi ſit innocentiae meae atque illibatae mentis hac in parte recordatio. Haec cum ita ſe habeant, ac mihi ratio officiorum probe conſtet, ſuſpenſis, ſat ſcio, ſenſibus jam dudum expectas, quorſum circuitiones iſtae verborum & ambages evadant. Paucis me expediam. Ad ardentiſſimas praeter ſolitum preces devolvor ſupplex, Domina. Ad preces, inquam, ardentiſſimas, quibus primum nunc extremumque a me compellaris, ut mihi per te liceat poſt diuturnas aulici naufragii jactationes, in tranquilliorem portum confugere apud meos, ubi in remoto a turbis angulo, intermiſſis praepoſtero conſilio tot jam per annos ſtudiis, quod reliquum eſt aetatis poſtliminio impendam. Invitus ad hanc ſpem amplectendam erigor, quam nolenti tamen praeſcribit & extorquet iniquae ſortis pertinacia. Quis enim tam eſt ferreus, qui lubens a te diſceſſerit, Auguſta? Ego vero non adeſſe tantum tibi in praecipua felicitatis parte duxerim, & vitam omnem tuae clientelae dedicare: ſed ne detrectem quidem aut recuſem obverſos nobis antipodas adire mandatis tuis inſtructus, & extra ſolis limites proferre pedem: ſi unum egeſtatis atque eſuritionis metum averruncare detur & a curis meis excludere. Facultates ſuas Divi Genitoris tui commodis profuderunt Avunculus & Parens meus. Ego meas, quae aliunde mihi obvenerunt non copioſae, cum aſſiduis plurium annorum per Europam diſcurſationibus, tum ultima hac ad Italos profectione, non trivi ſolum, ſed ad nihilum jam fere decoctas redegi. Peregrinationes iſtas non alio ſpectare expertus ſum, quam ut magis indies magiſque & ab eruditione & ab omni profectu, & a bona mente, & a rebus ſecundis quoque ac proſperis peregrinum me reddant atque alienum. Florem aetatis nihil agendo labi ac perire ſentio. Nec tibi proſum, nec mihi. Juſtiſſimo praeterea rubore me quotidie perfundit inſcitiae meae conſcientia. Libros toto decennio vix inſpexi. Abrupi cum amicis abſentibus omne commercium. De Muſis, quarum immenſo olim amore capiebar, cogitanti nauſea ac faſtidium ſubrepit, quod utiles nequaquam eas aut idoneas vitae ſuſtentandae magiſtras eſſe ſerus agnoſcam. Fracta eſt atque expugnata ſortis adverſae conſtanti malignitate patientia, & inviſo calamitatis domeſticae contemplatu. Nec tamen ita dejectus eſt aut ſui oblitus animus, ut quicquid apud te fortuna noſtra peccavit, id corrigi atque emendari diffidam poſſe. Vel in patria vel alibi terrarum, ſi publicas aut fori aut curiae occupationes vitae privatae, quam fovi hactenus, anteponam. Sed de his viderit Fortuna. Rutgerſianum vero negotium, quo potiſſimum eſt referenda hujus epiſtolae ſupplicatio, ut tandem aliquando curae

tibi esse finas, vehementer opto, Augusta. Post tredecim annorum operam fidelissime *Gustavo Magno* navatam, post labores toto illo tempore non interruptis molestiis exantlatos, post obitas per Germaniam ac Belgium tot & tantas legationes, certa cum valetudinis ac facultatum conjunctas jactura, hunc vigiliarum fructum tulit unicum *Rutgersius*, ut aere alieno oppressus, suo fraudatus, e vivis excesserit. Haereditatem turbatissimam adire compulsus est meus parens, & aes ab illo conflatum rescindere cum rei familiaris clade praesentissima & pernicie, ut a publica, quam creditores minabantur, contumelia atque ignominia cadaver vindicaret, & terrae crederet sepeliendum. Proferre exempla possem plurima aliorum, si id nunc ageretur, quorum minora longe in domum regiam extant officia; qui & brevi tamen omnes tempore lautissimis a te ac Genitore tuo remunerationibus locupletati sint. Ad tam invidiosas preces non adspirat haec epistola. Nudam stipendii Rutgersiani &, si arnuis, paterni quoque persolvendi causam ago: idque nec immodeste nec audacter. Reliquis illorum temporum ministris quod concessum est, nobis solis ne nega. Laudem a domo nostra illam, a te vero invidiam, insignem averte, Domina, ut cum damno nostro tibi tuisque studuisse posthac jure gloriemur. Si non alio nomine, saltem ne odisse nos videaris, aut omnino aspernata esse, quando benevolentiam tuam his officiis non est datum promereri. Si iniqua postulantur, repulsam compendiosam magni beneficii loco ducam. Aequiori illam certe animo sum laturus, quam trahendas rursus inter spem metumque novas alterius quinquennii procrastinationes. Sin aequas preces nostras esse judicabis, ut judicaturam auguror, fac quod te decet, hactenus Augusta, & fortunam tuam: quam ne cum mea experiri pergam mihi infensam, quod in te est, quamprimum quaeso procura. Causae hujus arbitros regni tui senatores non refugio. Quanquam quid ad illud tribunal provoco, te viva & superstite, quae mitissimum una tutissimumque supplicibus confugium es atque asylum? Aut quid aliunde sperem praesidii, si Salus ipsa mihi & Clementia non patrocinatur: si medicinam huic morbo tu gravaris adferre, cujus opem nemo frustra imploravit: qua fiducia dies excubabo totos contemtus & prostratus ante atria senatus tui, quorum aures ad quotidianas supplicantum preces jam dudum occalluerunt? Posse te juvare nos, Reginam potentissimam florentissimamque in re non ardua quis ambigat? Reliquum est, ut velis. Si evolvere aut videre saltem tibi contigisset Parentis mei Poëma, si Orationes, Augusta, si scripta reliqua, quae omnia Divi Genitoris tui praeconiis sunt refertissima (nam per senectutem illi non licuit in te celebranda occupari) flecteres profecto & munum dares tam profuso ejus erga tuos adfectui. Homines novos & qui nec in regni tui emolumentum, nec in tuas privatim laudes quicquam contulerunt aut meditati sunt, cum & possent, ut qui acerrima scribendi laborarent prurigine, & deberent quoque infinitis a te beneficiis provocati, quam liberaliter, quam indulgenter habuisti? Illis felicitatem suam non invideo, praesertim mortuis, dum & nos aliquo apud te loco simus: nec, quam animo erga illos benefico gratis fuisti, tam a nobis averso praeter ordinem appareas.

pareas. Annuum vel bienne obſequium nihil illis agentibus fuerit lucroſiſſimum: nobis quadraginta annorum ſervitus continua dum ne ſit fraudi. Si ſordemus tibi, ſi viles ſumus, tui ipſius memento, Domina, ac rationem habe. Fidem libera, quam nobis obſtrinxiſti. Iteratorum verbis ſolennibus toties promiſſorum ſanctitatem & religionem reverere, conſpirare perſuaſum habe cum votis noſtris, & commendare tibi cauſam hanc illius manes, cui vitam debes, intercedere pro nobis apud te *Guſtavum Magnum*, qui ſi morti immaturae parvo etiamnum tempore ſubductus eſſet, non iſtis flagitationibus nunc convenirere. Fac ex ſordidiſſimo hoc mendicitatis & querelarum luto emergat atque erigatur ingenium meum, & ad laetum optatumque laudis tuae argumentum denuo ſe tandem convertat. Si virtutes tuae, Domina, pro ſtimulo jucundiſſimo mihi fuerunt olim, ſi iis adflatae ſunt unquam & incaluerunt Muſae meae, ſi pietatem iſtam non es aſpernata, ſimilem me mei praeſta, & receptam apud omnes de incomparabili benignitate tua opinionem hoc beneficio confice ac ſanci. Da ut tuis debeatur auſpiciis, ſi quid poſthoc moliar non contemnendum. Sin exorari te non pateris, & re infecta mihi redeundum eſt ad meos, pergam tamen in laudabili ac pulcherrimo cultus erga te mei propoſito. Nec indecorum putabo, familiam noſtram obſequiis ſuis fuditus everſam eſſe, & conſtantiſſimae fidei cum Saguntinis poenas dediſſe. Denique quicquid in tuam commendationem commentatus ſum ante aut porro poſt repulſam commentabor, id Muſarum valvis affigam pro Tropaeo dedicandum aeternitati de adverſa fortuna. Cum illa expoſtulationem liberrimam apud te inſtituendam nunc duxi, Principum Clementiſſima, ut tua, ſi fieri poſſet, opera atroces ejus injurias a meo capite amolirer. Illi iraſcor, illi graviſſime, fateor, ſuccenſeo, non quod me perſequatur aut premat, ſed quod apud te hoc auſit indignor, quae tutelare mihi numen es, & ad cujus aram ſecurum me ſperavi fore ab ejus protervia. Si quid acrius, ſi quid animoſius in illam a me dictum eſt, quam dici debuit, condonetur is lapſus homini nec abjectae indolis, nec ad ſtipem petendam nato. Tyro ſum, Auguſta, in mendicorum caſtris, & parum adhuc in tam ignavis armis exercitatus, quapropter veniam des aequum eſt, ſi partes meas egi perperam in hac tragoedia, ſi ſcientiam apud te profeſſus ſum, in qua nihil intelligebam. Fortunatiorem ubi feceris, ſaevi, quantum voles, ſi quid peccaro. Nunc hoc unum ſortis adverſae beneficium eſt, ne indigniora metuam, quam fero. Quare aut eo cursus auxiliares converte, ut ſim felix, ſi luctuoſas hujus notae preces averſaris, aut integram relinque miſero dolendi libertatem. Hactenus modeſtiae meae imputare poſſum, quod nihil profeci. Ut voti enim compos fierem, ſpes non defuit, ſi importunus eſſe voluiſſem. Nunc periculum faciendum eſt, an omnem mihi petenti aditum obſtruxeris ad liberalitatem illam, quam ultro obviam non ſemel ante expertus ſum. Plurimum timoris mihi ac deſperationis cum incutiat curſus anteactae vitae nequaquam proſper, plus tamen fiduciae accedit a caeleſti tua bonitate. Ut laetiores ergo atque amaeniores (nam potes) ſtrenas expectes impoſterum, anni imminentis exordio tam au-

ſpicato, mihi praeſtes ſupplico, quam a me tibi voventur. Upſaliae Decemb. CIↃIↃCLIII.

EPISTOLA DCLXXXII.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Auguſtae.

Holmiam.

ETSI tuis omnibus ac imprimis mihi, moleſta, ut debet profecto, accidit atque acerba privatae haec jacturae contemplatio, quam conſternatis alte ſenſibus impreſſit de deſerenda regni florentiſſimi ſtatione captum nuper, Auguſta, a te conſilium: impetravi tamen a diuturno ſtupore, quo oppreſſus & afflictus haeſit huc uſque animus, ut propoſito huic tuo non accederem ſolum ac manum darem, quod fieri a nolentibus plerumque conſuevit & invitis, qui potiſſimam in obſequio laudem collocarunt, ſed laudator quoque gratularer memorabili inſtituto atque applauderem. Diffiteri haud auſim expugnatam aegre doloris concepti pertinaciam: at vero ſedatior nonnihil emergo nunc paulatim, recolligoque me ex profunda curarum nocte, tuaeque acquieſco ſententiae, & ad approbationem propriae calamitatis impellor. Habeo enim compertum, Auguſta, eam eſſe tibi indolem, id inconcuſſi animi robur, ut non poſſis eſſe injuria aut in te aut in tuos. Scio inconſiderate nihil, nihil praeter ordinem fieri a te ſolere. Quare iis diſceptandum relinquam, quibus es ignota, an recte feceris, quae regno vitam privatam anteponas; dum rationes mecum dubius ſubduco, & in cauſas inquiro anxius, quae ad facinoris admirandi atque inauditi ſpem fiduciamque capiendam praecipuae te erexerint & inſtigarint. Non deflectam e via, nec virtutum tuarum commendationi indulgebo, ne, dum liberius expatiatur in tam vaſto campo ac ſe diffundit oratio, mearum ipſe virium infirmitatem parum perſpexiſſe atque exploratam habere videar, & tuis auribus haud recte conſulatur, cum intelligam, ac probe jam dudum edoctus ſim, non eſſe verba apud te de te facienda, niſi ſobrie & paucis: cujus inter praecipuas eſt laudes, laudes ſuas faſtidire, & antevertere factis immortalibus. Commune, Auguſta, maximis temporum ingeniis argumentum es, in quo certatim memorando ſe exerceant, & facundiam jam pridem experiantur. Quapropter ſummae temeritatis ſit & imprudentiae, ad illos denuo impingi a me ſcopulos, quos ne illi quidem ſatis feliciter praeternavigarunt, qui praeternavigarunt feliciſſime. Quid? quod ea, quae plurima praeclare atque egregie hactenus geſſiſti, Regibus aliquando poſteris pro exemplo quod imitentur futura, recentis facti admirando ſplendore omnia obſcurantur: Quod quia pro merito ſuo & dignitate praedicari nequit & extolli, non inconſulte fecero, ſi laudum tuarum partem hanc unicam proponam mihi delibandam, atque iſtos inter limites coerceam ingenium. Non eſt cujuſvis, mihi crede, te capere, te aeſtimare, Auguſta. Infinitis praeconiis cum memorata publice ſis in tanto laudantium numero, plures fortunam

tunam tuam, quam te ſuſpexerunt, & *Reginam* commendarunt multi, *Chriſtinam* pauci. Inſigne naturae beneficium videbatur, quod late imperares, quod *Guſtavo Magno* prognata eſſes, & erat mehercules inſigne naturae beneficium. Majus tamen illud tuum, Domina, quae regno & parente tantis dignam te praeſtitiſti. Invidendae felicitatis credebatur, quod aſſiduo rerum ſucceſſu floreres; quod bella cum potentiſſimis hoſtibus & geſſiſſes proſpere & compoſuiſſes: nos etiam prudentiae tuae id fuiſſe non ignoramus. Nunc detractis naturae ac fortunae ornamentis, illecebris amotis, tuis in poſterum bonis, tuo cultu venies ſpectanda. Non enim commendari in te poterunt, quae ſpernis ipſa & contemnis. Ipſum illud, quod moliris, factum novum atque inſolens, nec ulli ſaeculorum memoriae teſtatum, latere te nequaquam ſinet. Sedem ut occupes & figas in remoto a turbis angulo, ut inacceſſam inſulam invadas, ſeceſſum tamen illum, illas latebras orbis univerſus rimabitur. Si confluxerunt olim gentes undiquaque, ut, Divo Genitore tuo etiamnum ſuperſtite, victorem ſeptentrionis vultum, ut tot ornatum laureis, tot triumphis perfunctum caput contemplarentur, quid non facturos cenſes, ut *Guſtavi Magni* ſpectent filiam, ut animam pulcherrimam intueantur, quae triumphare noluit, cum poſſet, & tamen toties triumphavit. Non ſum adeo rudis, adeo ignarus tui, domina, ut veſtigia tua tibi commendem, & inculcem, quibus porro inſiſtas. Haud potes tui eſſe diſſimilis, poſtquam tam inuſitati facti capax fuiſti. Nihil tibi reliquum eſt in rerum natura aeſtimandum praeter unam fortunam, cum Fortunam, quae ſummum regnantibus bonum eſt, a te excludas atque averſeris. Fortunae enim beneficio ſola virtus non tangitur, ſola non indiget. Itaque non tibi magis cum virtute male poſthac convenire, quam ipſi ſecum virtuti poteſt. An voluptati ut indulgeas eſt expectandum, quae voluptatem ducis non regnare? Cum taedas tuas, cum nuptias tot Reges Principeſque fruſtra ſperarint, an caſtitati conſtantiſſimae timebimus? Ab ipſis teneris, quam parca ſomni, quam minime appetens fueris, quam epulis non ſis delectata, quam procul habueris ſupervacua oblectamenta, & feriantes ingenii luſus familiares tui norunt: nunc tanto minus hiſce capieris illecebris, quanto magis judicium aetate eſt confirmatum. An otioſam fore te ſuſpicabimur, quae ne tum quidem fuiſti, cum regnares, & cum tuto poſſes. Scis enim occuli non poſſe regni vitia, ſolere diſſimulari & ſilentii religione tacita involvi, quod multum reverentiae regali dignitati debeatur. Nunc rigidiſſima via res tuas cenſere omnes audebunt, poſtquam privaſti te praerogativa omni veniae atque impunitatis. Accedet aemulatio & occultus livor illorum, qui ſplendorem exiſtimationis tuae ferre non poſſunt. Quicquid temporis a curis publicis ſubduci potuit, eruditis a te lucubrationibus dedicatum ſcimus, partem diei praecipuam ſaepe, noctes etiam nonnunquam totas ſic periiſſe tibi in confeſſo eſt apud omnes, qui te norunt &c.

EPISTOLA DCLXXXIII.

NOS Chriſtina, Dei gratia Suecorum, Gothorum, Wandalorumque Regina, Magna Princeps Finlandiae, dux Eſthoniae, Careliae, Bremae, Verdae, Stetini, Pomeraniae, Caſſubiae, & Wandaliae, Princeps Rugiae, nec non Domina Ingriae & Wiſmariae praeſentibus conſtare volumus, quod cum miniſtro noſtro, Regiique conclavis ab epiſtolis Latinis Secretario, *Nicolao Heinſio*, pro praeſtito tam apud nos, quam in exteris aliquot annorum ſervitio, penſionis loco, conſtituerimus, atque aſſignaverimus quinquies *mille* ducentos & viginti ſeptem imperiales, quorum ſolutionem ob alias nunc faciendas impenſas, in commodius tempus prorogare atque differre complacuit. Quo autem datae ejuſdem fidei interea is certior foret, hanc ad ſecurationem noſtram illi communicare voluimus, qua praefatam ſummam 5227. imperialium primo quoque tempore ei rite perſolutum iri promittimus & aſſeveramus. In quorum fidem majorem praeſentes manu noſtra ſubſcriptas ſigillo noſtro Regio firmari juſſimus. Dabantur Upſaliae de 22. Februarii Anno CIↃIↃCLIV.

CHRISTINA.

Vide Epiſt. CCLXX. ad Gronovium tom. III. Sylloges hujus pag. 330.

EPISTOLA DCLXXXIV.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Auguſtae.

Holmiam.

AGnoſco & amplector ultimum beneficium tuum, Domina, de datis ad Cameram Rationum commendatitiis: quanquam ſucceſſus rei defuit. accepi enim tandem poſt longiſſimam moram a *Canterſtenio* literas. Sed negarunt illi, quibus inſcriptae erant literae, vacare ſibi tempus ad excutiendas rationes noſtras, quod multis longe majoris momenti negotiis nunc premantur. Reliquum igitur erat, ut mandatis paternis manum darem, & re infecta ad meos referrem pedem: niſi auctores mihi eſſent ex proceribus nonnulli rerum mearum ſtudioſi, ut oportuniora tempora mox adfutura expectarem. Mihi vero quanquam moleſtum eſt aliunde ſperare beneficia, qui tibi ſoli me meaſque fortunas debere maluiſſem: poſt luſtri tamen totius jacturam, facile perſuaderi patiar, ut parvum etiamnum tempus concedam promovendo huic negotio: etſi ipſa ejus memoria quodammodo mihi ſit inviſa poſt tot repulſas. Sed adverſis paulatim obduratus animus, & a longo uſu irriti laboris fiduciam ſumit & pertinaciam. Principis Hetruriae *Leopoldi* epiſtolam mihi inſcriptam optem videre; ſi ſine incommodo tuo fieri poteſt; Metus enim eſt, ne, dilata reſponſione, Principem mei amantem offendam: quem demereri omnibus officiis ſtudeo.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA DCLXXXV.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Auguſtae.

PErire beneficia identidem dilata, cum praeſtari cito poſſint, non deeſſe ſcio ex antiquis ſapientiae praeceptoribus, Auguſta, qui confidenter adfirment. Iis etſi temere nihil hic crediderim, opinor tamen benefactis a cunctatione & mora pretii haud multum accedere. Promtitudinem atque alacritatem animi, quam in demerendis clientibus ſummam tibi eſſe vulgo praedicant, quamque non paucis ego argumentis olim expertus ſum, nunc remiſſiorem nonnihil ſolito & in cauſa paterna haerentem, rurſus imploro. Pudet quidem ad eaſdem fruſtra preces recurrendum eſſe: juſtiſſimuſque metus ſuboritur, ne extorſiſſe beneficium nolenti videar, quod benignitati tuae gratuito acceptum a nobis referri praeſtaret: non deſunt tamen rationes, quibus fiat, ut urgendum omni conatu promovendumque ducam negotium, de quo tam ſaepenumero apud te egi. Beneficio, cujus ſpem certam nuper feciſti, etſi per ſe magno, non tam moveor aut tangor, quam quod honorificum imprimis mihi fore cenſeam, ſi aliquo apud te loco eſſe, nec prorſus negligi me appareat, & deprehendatur priſtinum erga res meas ſtudium in te non omnino refrixiſſe. *Canterſtenius* in parandis literis, quas parare jam pridem juſſus eſt, menſem totum cunctatur: & porro, quantum apparet, cunctabitur, niſi tua apud illum pro me intercedat auctoritas, quod ſi fiat, auguror fore, ut mox ſuprema negotio toti manus imponatur. Vale, Domina, & ſi preces meae nihil apud te poſſunt, aequitatem cauſae tamdiu protractae clementer intuere.

EPISTOLA DCLXXXVI.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Auguſtae.

ALlatae nudius tertius ex Germania literae narrarunt nobis, Hamburgo Amſtelodamum te diſceſſiſſe, Auguſta. Qui nuncius majorine voluptate an maeſtitia me perfuderit vix eſt ut prodam. Laetor enim & gaudeo vehementer, tanti tibi viſam Bataviam noſtram, quam inſpectam in tranſcurſu hac peregrinatione cupias. Sed & doleo vehementer hîc me relictum & excluſum pleno gaudio: levibus enim officiis locus aliquis fuiſſet, & curioſis oculis tuis poteram gratificatus eſſe, non ignarus aut inexpertus illarum civitatum, quas in illo tractu perluſtrandas tibi proponeres. Sed hoc fatum jampridem meum eſt, ut te demereri non detur, niſi ſola voluntate. Erit nunc me felicior *Voſſius*, & officia iſta praeoccupabit. Parentis mei hae partes fuiſſent. Sed is ſenio & mor-

morbis diuturnis oppreſſus jam nec tuus eſt nec ſuus. De rerum mearum ſtatu paucis agam, quo nihil poteſt eſſe miſerius. Quid enim magis acerbum obtingat homini ingenuo & tuae clientelae addicto, quam mendicum agere tot jam annos, & quidem illic terrarum, ubi tu regnare noluiſti, Domina? Domi honeſto loco natus inter propinquorum civiumque meorum complexus fortunis non contemnendis frui poteram, foris mendicum agere malui, ut tuus eſſem. Menſis agitur jam ſeptimus, quo *Joannus Holmius* tuo nomine mihi tradidit diploma, quo partim pro expenſis, quas in Italico nuper itinere feciſſem, partim pro praeſtitis aliquot per annos obſequiis, quina aureorum ſeu thalerorum Germanicorum milia jubebas mihi dari. Pecuniam poſt menſes duos paratam fore idem *Holmius* tunc promittebat. Nunc negat de pecunia iſta mihi perſolvenda quicquam in mandatis a te ſibi datum: auctorque mihi fuit, ut argumenti hujus literas ad te ipſam darem. Audeo igitur ad eaſdem preces iterum confugere, quas toties ſine ſucceſſu apud te profudi: Non quod effecturas illas multum exiſtimem, etſi invidioſae non ſunt, ſed ne mihi deſim. Poſt fortunas enim turbatiſſimas, poſt attritas ac diſſipatas facultates, facilis verborum eſt jactura. Peto igitur, Auguſta, ſupplicoque ſubmiſſus, ut ſi de tota pecuniae ſumma, quam Diploma tuum largitur, nihil videtur ſperandum, ea ſaltem pars ne detrahatur, quam ex meis facultatibus profudi in Italia, eamque ut mihi reddat, *Holmio* quamprimum injungas. Habet is quidem nomenclatorem a te ſibi datum illorum omnium, quibus ſatisfaciendum ſit ex terrarum tuarum proventu: ſed ex illo numero excluſus ſum, in quem tamen [1] & Cytharoedos & alios minimi pretii homunciones admiſſos intelligo. In ipſos Cytharoedos dicam nihil aſpere: ſcio enim illos oblectandis animis & fallendo tempori non parum conferre: ſed aeternitatis inſtrumenta non ſunt. Cum celebritate nominis tui miſere agatur, Auguſta, ſi ab iis ſit augenda, qui nec in alios victurum nomen conferre poſſunt, nec in ſe ipſos. Hos tamen ſucceſſores nacti ſunt eruditi in aula tua, hos liberalitas & munificentia tua nunc fovet, nobis plorare juſſis. Sed priſtinum literarum & ingeniorum cultum rurſus inſtaurandum mox fore in tuo comitatu auguror. Liberius haec fortaſſe quam par erat. Sed hoc deſperationis ingenium eſt, ut nihil metuat. Novi praeterea Philoſopiae ſemper male conveniſſe cum aſſentatione. Mitto hîc verſus meos jam ante tibi viſos, ſed auctiores nunc nonnihil. In quibus ſi minus videor probare conſilium tuum de privata vita, cogites velim, quanti mihi conſtet. Vale, Auguſta, & fidem, quam illibatam tibi inter pauciſſimos olim praeſtiti, nunc quoque devotam tibi crede. Holmiae CIↃIↃCLIV.

1 Vide Epiſt. CCLXXVI. Tom. III. Sylloges pag. 329. ad *Grenovium*.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA DCLXXXVII.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Auguſtae.

Romam.

NUNcius diebus proxime elapſis longe nobis optatiſſimus advenit, Auguſta, qui alieniſſima anni tempeſtate, & minime omnium oportuna per Alpinas nives feliciter te luctatam aſſeverabat. Nimirum frueris nunc deſiderato illo toties ſplendoris antiqui conſpectu, & majeſtatis Romanae necdum obliteratam magnitudinem ex operoſa ruinarum congerie metiris atque admiraris. Faxit Deus Opt. Max. parem itineris ſucceſſum experiare ad Belgas aliquando noſtros reditura. Annus jam eſt, ſi recte memini, cum literas ex Suecia ad te dedi doloris ac querelarum nonnihil prae ſe ferentes, quod non eam a te rerum mearum rationem habitam agnoſcerem, quam habendam a te fore identidem juſſeras ut ſperarem. Erat autem eo liberior epiſtola, quod tibi ſoli ſcriptam manus alienas haud ſubituram arbitror. Invitus tamen intellexi poſtea curioſis multorum oculis in aula tua objectam fuiſſe: credo ab iis, qui cum male mihi vellent, tua excuſſum videre benevolentia optabant. Ad meos ante tres menſes cum ex Suecia rediiſſem, libros domi nonnullos offendi, quos mihi ſepoſuiſſe *Silvercronius* dicebatur, quod in bibliotheca tua eſſent ſuperflui. Inde ſolutionis factum eſt initium. Spem quidem fecerat non una epiſtola idem *Silvercronius* fore, ut quicquid mihi tecum reſtaret ratiuncularum, ante tuam ad Italos profectionem expungeretur. Caeterum is, quantum video, ſuam fidem eſt fruſtratus. Quapropter poſt iteratas toties preces ſupplex te denuo obteſtor, Domina, ne, qua polles apud *Silvercronium* auctoritate, trahi ac differri negotium iſtud diutius patiare. Totos enim menſes quinos mihi lucta pertinax eſt cum morbo moleſtiſſimo, cujus eventus cum futurus anceps videatur, facultatibus meis conſultum omnino cupiam. Quamquam enim pulchrum ac glorioſum mihi duco, nullo cum emolumento, multa cum rerum mearum jactura tibi ſtuduiſſe, nolim nihilominus, Auguſta, heredes mei ut aliquando conquerantur, tuis me auſpiciis decoxiſſe. Vale, & ſi aeternitatem nominis tui, rem profecto pulcherrimam, ut debes, amas, noli eos averſari aut inſuper habere, qui iſtam in te gloriam magno cum labore ſunt conati derivare. CIↃIↃCLV.

EPISTOLA DCLXXXVIII.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Auguſtae.

Hamburgum.

INcredibili mehercules laetitia perfuſus fui, Domina, perlatis ad me nuper admodum a *Langermanno* nunciis, qui non indicarent ſolummodo, Hamburgum ex Italia te advenisſe, verum etiam poſt temporum ac locorum intervalla necdum te mei oblitam eſſe teſtarentur. Circumſtabat quippe ac premebat me conſcientia jejunorum tenuiumque officiorum, quae tibi hactenus praeſtitiſſem, nec ſinebat me aſſurgere ad fiduciam aut ſpem tantae felicitatis. Nunc vero, quando prb caetera tua incomparabili benignitate fit, ut hominem nullis meritis tibi conciliatum, auguſto tuo patrocinio fovere pergas, audeo quamcumque operam tibi offerre, obteſtarique genium divinae tuae clementiae, ne graveris voluntatem illam, quam luculentam ſane ac promptiſſimam rebus tuis promovendis pridem conſecravi, tentare tandem aliquando atque experiri, meque mandatis tuis, quibus nihil optabilius perferri ad me poſſit, beare. Pluribus infirmas obſequii vires apud te non oſtentabo, ne inane per ſe officium multo vanae jactationis ornatu extenuetur. Flagrantiſſimum hoc deſiderium bene de te merendi coram tibi teſtaturus eram, ſi res id meae ferrent, ferent tamen ut auguror aliquando, ſi autumni hujus quod reliquum eſt apud Hamburgenſes exegeris. Vale, Auguſta, meque omni cultu ac obſervantia tibi mancipatum crede. CIↃIↃCLXI.

EPISTOLA DCLXXXIX.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Auguſtae.

NIhil ſolidae voluptatis eſſe in humanis rebus, Domina, nunquam magis ſum expertus, quam nuper admodum, cum in via praeter exſpectationem mihi occurrebas. Quamvis enim laetius haud quicquam optatiuſque conſpectu tuo offerri mihi poterat, fortunae tamen meae te diſcedente graviter ſuccenſebam, fateor, quae felicitatem tantam, tam fluxam, tamque non diuturnam, mihi praeſtaret. Alieno certe jure, ac herilibus mandatis, quae alio me avocabant, niſi obnoxius atque aſtrictus fuiſſem, dubium non eſt, quin te comitaturus fuerim, non Helmaeſtadium ſolummodo aut Elſingburgum, quo volebam uſque, ſed ad antipodas quoque hominum extremos, ſi poſtulares aut patereris. Augebat praeterea atque accumulabat maerorem meum, quod benigniſſime me exceptum viderem, eamque experirer in te comitatem, quae mentes etiam ferreas mollire poſſet & frangere, nedum me, quem vel minima bene-

beneficia traherent facillime, ac expugnarent. Ab illo tempore cum nulla cura cogitationes meas aeque exerceat, quam ſtudium deſideriumque bene de te merendi, in eo tamen contemplatu, quo animum identidem occupare ac demulcere ſoleo, vix mihi ipſi ulla ex parte ſatisfaciam, niſi mandata tua ſpem fiduciamque pleniorem mihi addant fore, ut hunc votorum ſcopum aliquando contingam, teque inſigni aliquo argumento de obſervantia mea certiorem, quam feci hactenus, faciam. *Meibomium*, uti juſſeras, per literas tentavi de cura bibliothecae tuae ſuſcipienda, quid reſcripturus ſit, avide expecto, nec reſponſum ejus ignorari te patiar. Caeterum, Princeps Auguſta, cum *Silvercronius* jam tuis verbis ſaepenumero mihi ſignificaverit, te pro caetera clementia tua, tibi ipſi ultro memoriam identidem refricare earum ratiunculārum, quae ſubducendae etiamnum reſtent ſuper expenſis, quas in itinere Italico atque alibi feceram tuae clientelae ante ſeptennium & quod excurrit innexus, nihilque magis in votis tibi eſſe, quam ut hoc nomine quamprimum, mihi ſatisfieret: audeo te nunc obſecrare, Domina, ut aut in Oeſalia Alandiave inſulis, aut alibi per ditiones tuas tantum agrorum aſſignare mihi jubeas, quantum ſummae debiti reſpondeat, idque ad certum ſolummodo tempus, dum nexus iſte parata pecunia commodius expediri poſſit. Hoc enim & facili negotio fieri a te poſſe, ſi velis, perſuadent mihi homines rerum tuarum haud ignari, idque ego ſi impetravero beneficium, quod aliorum precibus frequenter indulſiſti, mancipatum tibi hunc hominem perpetuo fore dubitare noli. Rempublicam quod ſpectat, Suecos tuos cum Moſchis in gratiam rediiſſe, paciſque conditionibus utrimque jam ſubſcriptum eſſe, nuncio. Ovidius meus, ſi necdum ad te perlatus eſt, mox *Langermanni* opera perferetur. Vale. Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXI. a. d. XVI. Junii.

EPISTOLA DCXC.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Auguſtae.

OBſequii mei rationem ſic ſatis tardo pede proceſſiſſe invitus agnoſco, dum indicem operum paternorum, cujus copiam tibi fieri volebas, ab *Iſaaco Voſſio* nunc abſente, aut alibi occupato nequicquam multo tempore exſpecto. Operum jam publice proſtantium Catalogum vix tandem hic mitto, ineditorum mittam propediem, ſimulatque & illum fuero nactus, quem ſperari quamprimum juſſit *Voſſius*. Negavit ille mihi verbis ſeriis ſeſe ullas a Majeſtate veſtra ſuper ea re litteras accepiſſe, officio neutiquam defuturus ſi accepiſſet. Mitto & indicem, Domina, ſcriptorum a Janſeniſtis nuper, publici juris factorum, quibus alia complura, quantum audio, propediem accedent. Debebam mehercules operoſa nunc uti oratione, ac gratiis agendis multum inſudare, ſic a Majeſtate tua nuper Hamburgi exceptus, ut comius benigniuſ-

que haudquaquam poſſem. Sed nec verba mihi ſunt promta, quae beneficentiae tantae ſatis reſpondeant, & tu demereri tuos mavis, quam ob merita laudari. Caeterum res meas, quas diſcedens Majeſtati veſtrae commendavi, rurſus nunc, ſi fas eſt, commendo. Iis, Domina, ſi quocunque modo proſpexeris, & me immane quantum beabis, & ſimul efficies, ut os obſtruatur illis, qui amorem literarum in te refrixiſſe vulgo jactitant. Viam facile invenero, qua illae ſine incommodo tuo promoveantur, dum ipſam te ita cupere manifeſtum ac compertum ſit mihi.

EPISTOLA DCXCI.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Auguſtae.

QUanquam mandati tui ſat memor, Princeps Auguſta, rarius tamen ad te ſcribo, quod adventum in hanc civitatem meum aeſtivae feriae mox excepere, per quas fit, ut procerum magna parte negotiis privatis intenta, aut rus identidem excurrente, res aulicae vel jaceant omnino ac proferantur ſub hoc tempus, vel lentius aſſueto procedant, unde ego potiſſimum epiſtolis meis argumentum fore promendum ſperaveram. Meurum ad Naſonem obſervationum primitias Auguſto nomini tuo necdum auſus ſum dedicare, quod rudes plane & impolitae ſint, ac curam majorem a ſecunda manu unice requirant. Harum tamen qualiumcunque exemplar ut ad te perferret, quod ſic velle te cognoviſſem, *Langermannum* nuper rogavi. Qua in re illum meis precibus gratificaturum confido, ſimulatque codicem tibi deſtinatum ex Batavia noſtra a typographo acceperit. Caeterum Claudianum typis majoribus cum nunc adornent *Elzevirii*, in eo ſum, ut quae ad ingenioſiſſimum poëtam tuis auſpiciis olim annotarem, recenſeam, atque auctiora proferam in lucem, mox aliis quoque primi ordinis poëtis, ſi otium concedetur, manum admoturus. *Tanaquillum Fabrum* Salmurienſem, virum eleganter ſane eruditum, e vivis exceſſiſſe nuper admodum *Gronovius* ad me perſcribit. Idem Stephanum Byzantium Holſtenianis commentariis illuſtratum ad ſe perferri vehementer exoptat, ut doctiſſimus atque utiliſſimus labor tuo beneficio publici juris fiat. A *Meibomio* quod miror, nihil etiamnum reſponſi accepi, quare fit, ut ſuſpicer literas ad illum meas parum diligenter curatas eſſe. Deus Opt. Max. Domina, te diutiſſime, ac in te rem litterariam, incolumes velit. Vale. Dabam Holmiae Suecorum Anno CIↃIↃCLXI. a. d. X. Auguſti.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA DCXCII.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Alexandrae.

SI toties te venerentur ac conveniant meae litterae, Domina, quoties deſiderium flagrantiſſimum ad officia ſcriptionis me compellit, nullus omnino ad vos ex hac civitate contendet tabellarius, qui epiſtolas a me tibi non ferat. At vero cum neque dignitatis tuae ſit ad otioſas plebejorum hominum allocutiones reſpondere, neque frontis meae, ut alibi occupatam frequenter interpellem, ſuſſlamino, quantum, poſſum hanc tui compellandi immoderatam cupidinem, meque intra tacitae obſervantiae ac religionis mutae limites quodammodo coërceo. Huc accedit, quod de negotiis publicis nihil fere nunc occurrit nuntiandum, cum ad pacis concordiaeque ſcopum dirigantur unice Senatus Regii conſilia, poſtquam armorum taedia fatigatis diutino bello mentibus obrepſere. Attritum videlicet exhauſtumque aerarium nobis haec fecit otia, quorum ne nullus ad me fructus redundare videatur, ſcriptores antiquos evolvo nonnunquam & familiares mihi reddo: in quibus ſeſe nuper admodum mihi offerebant L. Appulei Metamorphoſes, ſcriptum meherculés & ingenioſum comprimis, & multam cum urbanitatem, tum eruditionem prae ſe ferens. Indignatus igitur pulcherrimum opus infinitis propemodum naevis adhuc conſpurcari, loca depravata non pauca inter legendum caſtigare ſum conatus, nec ſine ſucceſſu, ut mihi videbar. Nam quod ſcriptorem hunc vulgo inter ſemibarbaros ac minime Latinos reponunt, in eo quam ſint injurii, facile perviderim, ſi membranas hujus operis vetuſtas ac fidas aliunde detur indagare. Ex iis enim, niſi ſpes me fallit, liquido appareat, alieno illum ore, non ſuo, ut plurimum balbutire ac incondite ſonqui. Nam ut omne, quod in illo peccarunt interpolatores, ſolius ingenii ope ac fiducia poſſit corrigi, fruſtra ſperetur. Eſt autem hic ipſe Apulejus curae tam operoſae in captanda verborum proprietate, inque vocibus ex ultima antiquitate depromendis, ut nimiae potius eruditionis ſtudio, quam inſcitia ſermonis Latini peccare poſſit videri. De membranis melioris notae ſi ſpes ab amicis Gallis, Italiſve fiet, manum medicam ſcriptori peſſime affecto ſum admoturus. Atque haec de L. Apulejo. Caeterum, Domina, rogatus eſt nuper a me *Silvercronius*, ut imaginem tuam mihi abs te impetraret, quam *Johannes Holmius* jam olim ultro non ſemel me ſperare juſſiſſet, idque tuo nomine, cum ne ambire quidem eam ſuſtinebam. Recta ad te iviſſe poteram, qua nihil indulgentius eſſe aut exorabilius jampridem habeo compertum; niſi quod infirmitatis propriae mihi conſcius, preces meas adeo inefficaces eſſe noveram, ac voti conſequendi rudes, ut cum repulſa haud raro conflictentur, tunc quoque cum iniquum nihil aut invidioſum poſtulare ſe opinantur. Vale, Princeps Auguſta, meque clientium tuorum numero accenſere perge. Holmiae Suecorum Anno CIↃIↃCLXI. a. d. 1. Novemb.

EPISTOLA DCXCIII.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Alexandrae.

FAcis profecto, Domina, pro caetera Auguſtae indolis tuae magnanimitate, quae pietatem longe flagrantiſſimam, qua te ſemper proſecutus ſum, obliterari aut ſeneſcere haudquaquam ſinis in tuis cogitationibus. Id cum abunde coram ſub aeſtatem proximam teſtata es, quando me in ipſo itinere tibi fortuito occurrentem, plurimis benignitatis tuae argumentis cumulatum dimiſiſti, tum nuper denuo per litteras interpretes luculenter ſignificaſti, facta praeter haec ſpe, futurum, ut quod debere te mihi nummorum voluiſti ipſa, mox perſolveretur. Potes quippe meminiſſe, chirographum ultro ad me juſſu tuo perlatum eſſe, nihil minus flagitantem, funeſto illo & luctuoſo clientibus tuis tempore, quo regno te abdicabas, cum in ſolo maerore curas omnes defixiſſem, ac tota ſeſe ſollicitudo mea hîc unice occuparet, caeterorum negligens, & privati emolumenti prorſus ſecura. Hunc ego nuncium, clementiae tuae teſtem luculentum, ante paucos dies mihi redditum, quanquam diffiteri non poſſum, acceptum omnino atque jucundum mihi fuiſſe, ſic tamen de me ſentias & ſtatuas rogo, ut perſuadeas tibi, nihil in rerum natura eſſe, quod vel tantilla voluptate me poſſit perfundere, ſi cum tuis commodis non ſit conjunctum. Horum potiſſimam rationem cum habuerim ſemper, omnique ea lucro ac privatae utilitati praetulerim, nunc quoque in eodem propoſito perſiſtendum mihi duco, nec unquam tam diſſimilis evadam mei, ut impudenter atque odioſe flagitando tibi extorqueam, meaeque importunitati acceptum referre enitar, quod indulgentiae tuae jam debere incepi. Nullam igitur procraſtinationem aut nimiam aut longam a me cenſeri exiſtima, quam rebus tuis conduxiſſe intellexero. Illud unicum enixe a te peto, Domina, quando ad exemplum ſolis ſiderumque ac aetheris tui, divinae liberalitatis & munificentiae radiis atque inexhauſto illo imbre clientes tuos promiſcue, ingratos etiam ac indignos, irrigaſti & foviſti, mei poſtremo loco meminiſſe ne faſtidias aut graveris. Sacratiſſima interim imagino tua, quod munus deſtinaſſe te mihi teſtaris, non poteſt non plurimae voluptati eſſe, cum in illa impoſterum te abſentem ſim veneraturus, quam rerum mearum columen ac tutelare numen obſervavi ſuſpexique hactenus. In Virgilium commentaria immenſae molis complura circumferuntur, nec ullus ex antiquitate omni ſcriptor ingenia noſtrorum temporum tam multa occupavit aut exercuit. Poëmata ejus tamen qui ad priſtinum nitorem revocare tentavit haud fuit, praeter unum *Pierium Valerianum*. Is ante annos hoſce cxxx. collatis hanc in rem vetuſtis exemplaribus ſat multis, Maronem caſtigare aggreſſus eſt, nec tamen eo cum ſucceſſu, ut non plurimum alienae curae reliquerit. Ex Mediceo codice omnium, quotquot ullibi exſtare opinor, vetuſtiſſimo, jam obſervavi multa, unde ſpes ſuborta

orta est, ex aliis hinc inde exemplaribus plura animadverti posse, in Vaticana bibliotheca perquam multos Virgilii codices recordor me vidisse. Sed quatuor praecipuae vetustatis, literis Romanis, quas Capitales vulgus appellat, exaratos, quos operae pretium foret accurate evolvi. Vellem profecto res meas id ferre, nam & alienis oculis hîc minimum fido, & mihi, cum Romae essem, alibi occupato iis uti non vacavit. Sed & Apulejus est dignissimus, quem castigatiorem publice legamus: cum vix scriptor alius plus leporis atque urbanitatis cum tanta eruditione conjungat. Duos ejus codices in Medicea bibliotheca exstare memini, quorum ope editionem suam potissimum concinnavit *Elmenhorstius*, caeteris omnibus meliorem, nec tamen optimam, cum parum diligenter membranis illis sit usus. Veterrimum exemplar in Vaticana servari *Jacobi Sirmondi* viri doctissimi ad Sidonium Apollinarem notae me docuerunt, ex quo plurimis locis hic ipse Apulejus corrigi atque emendatior prodire possit. Sed de hisce quisquiliis audebo te fortassis interpellare, Domina, cum urbi aeternae redderis. Comes *Nicolaus Brahe* qualem se praestiterit in legatione Anglica latere te non potest, quam nihil horum solet praeterire. Tantae nobilitatis tamque splendidorum natalium viro tantum sordis adhaerere mirantur atque indignantur omnes. Hinc proceres Sueci expensarum rationes ab illo sese exacturos esse minantur, cum persuasum habeant vix quartam annumeratae pecuniae partem ab illo erogatam esse: hinc Magnae Brittanniae Rex satisfieri sibi postulat ob navem classis suae praetoriam minus reverenter habitam, sed intercedent, ut opinor, pro illo Patruus & Socer, hominemque minime malum ex hisce angustiis expedire conabuntur. Versus, quos nativitati Delphini Gallici nuper dederam, a *Langermanno* tibi exhibitos esse, a quo id officii postularam, auguror. Deum Opt. Max. toto animo veneror, ut te, Princeps Augusta, diutissime incolumem conservet. Holmiae Suecorum Anno CIↃIↃCLXII. XIV. Januarii.

EPISTOLA DCXCIV.

NICOLAUS HEINSIUS

Christinae Alexandrae.

QUod ex publicis rumoribus percepi nuper admodum, Domina, nutare tibi valetudinem, id animum moerentem graviter sane mihi affecit. Auguror tamen medicorum cura timori huic nostro jam consultum esse, teque integris, & instauratis viribus non frui solide tantummodo, sed saeculo fruituram toto imposterum. Negotia publica quod spectat, jacent illa hîc terrarum interrupta jampridem per diuturnam procerum absentiam, qui post res prolatas ut denuo conveniant, vix ante Martias Kalendas opinor fore, quanquam in diem proximi mensis decimum convocatus jam sit senatus. Legatio Brittannica Comiti *Nicolao Brahe* parum prospere, si quid video, succesſit.

Sub

Sub primum quippe ejus in insulam appulsum, collisi inter sese Regum potentissimorum Oratores,

Et socer atque gener, ferro concurrere jussi,

Orbem terrarum universum hactenus attentum tenuere, quanquam videri possunt haec ejus culpa non contigisse. Utinam longe plura non essent ab adversariis, quos in procerum Suecorum numero non paucos nunc habet, majori in illum jure congesta, qui criminantur legationis amplissimae splendorem omnem intempestivis sordibus unice ab illo conspurcatum. Nummos, quos sustinendae pro publica dignitate huic provinciae ex regio aerario acceperit, in privatam utilitatem conversos, Euclionem Plautinum pro Oratore Regio Brittannis ostentatum, haec ab illo jam fieri ea aetate, quae prodige rem administrare soleat: quid futurum, si senescat? Comitatem praeterea ac tesserae hospitalis religionem procul habitas: ex aula discessisse, etiam iis insalutatis, in quorum aede benigniter fuerit receptus, & ad quos deverterit. Regem ipsum in navem, qua ille sit advectus, bis terve excipi & admitti gestientem, valetudinis adversae excusatione, longe admodum quaesita, rejectum ac repulsum. Denique confecta legatione ad suos jam redeuntem, temerario prorsus consilio, classis regiae navem praetoriam irreverenter & contemptim praevectum esse. Ne *Tottii* quidem exemplo aut aemulatione ad saniora potuisse impelli, qui sub idem tempus impositam sibi publicam personam plurima cum laude sustinuerit in aula Gallica, egregieque ac splendide ornarit. Interesse regis ac regni, ut expensarum rationes ab illo flagitentur. Nullo enim jure attriti bellis continuis aerarii spolium ferri, tanquam praemium rei perperam gestae, ab eo, qui publicae rei nihil indulserit, privatae omnia. Haec passim & ubique clam palamque invito mihi ac nolenti audienda sunt. Nec minus fremere Britanni. Rex ipse contumeliosius se habitum quiritari, ac velle, ut illata sibi ignominia per Suecos expietur. Quid decreturi sint in hanc rem proceres vestri, ubi convenerint, intelligemus, nisi quod recepta jam nunc apud plerosque invaluit opinio, operam ab iis dandam fore, ut placatos quampridem Britannos experiantur. Horum nil abs te ignorari certus sum, Domina, sed quaerendum scriptionis argumentum fuit, cum impetrare a me haud possem, ut officium protraheretur. Juvenis infelicissimi multum profecto me miseret, nisi quod patruum socerumque pro illo interposituros esse auctoritatem, quia plurimum possunt, non dubito, atque ita fore, ut omni periculo subducatur. Sacratissimam imaginem tuam, quam sperare nuper jussus sum, impatienter expecto. Vale, Princeps Augusta. Holmiae Suecorum Anno CIↃIↃCLXII. a. d. XXVIII. Januar. Juliani.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA DCXCV.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Alexandrae.

Helmiam.

DElicias & lepores aulae Sueciae incomparabiles *Ebbam Sparre*, quam benevolentia tua ſingulari non immerentem foviſti, morbus diuturnus vivis ſubduxit nudius quintus, Domina. Et ne quid indigni ſpectaculi non ſecum traheret tam funeſtus dies, certiſſimam fundi Livonici calamitatem Oratores a Ruſſia quatuor advexit, uberrimo barbariae comitatu ſtipatos. Splendida (fatendum enim) magnificaque praeter ſolitum pompa pervehebantur civitatem advenientes. Crederes ſpolia Suecico nomini detracta ab illis oſtentari. Magnus regni Cancellarius totos tres menſes ab urbe jam abeſt, nec exploratum ſat habetur, quando rure huc ſit rediturus: ceſſantibus interim ac feriari juſſis negotiis magnam partem publicis. Voſſianus, ut ad privata deſcendam, de ſeptuaginta interpretibus, deque mundi aetate commentarius jam ad te perlatus eſt, niſi fallor augurii, Domina. Ex quo ſub aeſtatem praeteriti anni fortuna congreſſus tui mihi obtigit, non defuerunt illi admonitiones meae tuis conceptae verbis, tuam prae ſe ferentes auctoritatem, quibus hortabar, ut in eo ſtudiorum campo ſeſe exerceret, quem feliciter ſibi jampridem aperuiſſet, Graecaeque ac Romanae antiquitati illuſtrandis incumberet, unde plus laudis gloriaeque, invidiae minus eſſet expectandum. Catullum, Martialem, Ptolemaeum, quos dudum promiſiſſet, alioſque ſcriptores aut hactenus in publico non viſos, aut editos mendoſe, luci committeret, a ſpinis vepribuſque Theologicis manum contineret. Hanc tuam eſſe ſententiam, hanc caeterorum omnium, qui aeſtimationi ejus bene cuperent, & rei literariae impenſe faverent. Sed nihil apud contumacem promovi: credo, quod judicio meo diffiſus, hoc ipſum ex te, Domina, maluerit audire. Et ſane tanti erat, hunc fabrum tractaſſe non fabrilia, ut argumentum tibi daret tam elegantis tamque ingenioſae epiſtolae, ex qua quae ad rem unice facerent, nonnulla ad me perſcripſit *Silvercronius*. Virgilio manum jam admovere coepi, uſus, inter alios codices minime contemnendos, exemplari Mediceo, quo vetuſtius ſinceriuſque nullum in bibliothecis Europaeis exſtare opinor. Sed neceſſarium omnino eſt, ut aliae etiam membranae divini poëtae a me conſulantur, ſi famam hiſce conatibus faventem experiri cupio. Lutetiae Pariſiorum novam editionem familiarum *Fulvii Urſini* Romanarum parari audio, cui trecenta & plura numiſmata ſunt acceſſura de novo, quae doctiſſimum *Urſinum* fugerant. Multum contulit huic operi ornando *Petrus Seguinus*, vir horum ſtudiorum atque adeo antiquariae & gnarus imprimis & amans plurimum, redemptis in hos uſus a *Franciſco Gottofredo* equite Romano nummis compluribus, qui in Urſiniana editione deſiderabantur. Quod monendum duxi, ne *Gottefredus* id genus theſauros ſuos, quos luculentos poſſidet, pro non libatis integriſque tibi divendat. Latent alicubi

in ſcriniis meis indiculi illorum numiſmatum, quae rarioris notae apud illum ſervabantur, cum ante novennium tuis auſpiciis Romam me contuliſſem. *Gronovius* in ſupputanda vetere pecunia tantum non aſſiduus eſt, ac ſpem facit mox fore, ut ſuos de Seſtertiis commentarios longe auctiores publico tradat. Non minorem vir ille egregius voluptatem capit, dum vectigales ſibi facit cenſibuſque ſuis adſcribit immenſos Romani imperii atque opulentae Graeciae reditus, & uſui publico dinumeratos munifice impertit, quam in opibus ſuis recondendis capiebat olim Plautinus Euclio. A plebe tamen impetrari non poteſt, ut divitem eſſe aut opibus affluentem *Gronovium* credant, ſed tanquam conſtitutum in re tenui & anguſtiae familiari objectum, alienis theſauris ſeſe oblectantem ſine cavillo non ferunt. Ego autem, Domina, cum tantas facultates in nuda eruditione collatas eſſe agnoſcam, non poſſum non gaudere in ſinu, & parentibus bene precari, per quos cautum ac proſpectum eſt, ne vitam agerem litterarum prorſus expertem, atque inter luculentas divitias egerem, Tantali exemplo. Quam tamen Philoſophiam apud debitores meos prudenter diſſimulo: apud te profiteri paulo confidentius eam audeo; ſed hac lege ac conditione, ut ne quid damnoſam mihi eſſe patiaris. Vale, Princeps Auguſta. Holmiae Succorum CIↃIↃCLXII. a. d. XXI. Martii.

EPISTOLA DCXCVI.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Alexandrae.

Romam.

INcredibili mehercules voluptate me perfudit nuncius, Domina, in hanc civitatem diebus proximis perlatus de tuo in Italiam reditu. Quem optatiſſimum itineris ex voto a te confecti ſucceſſum non poſſum non plurimum mihi gratulari, cum inde ad ſtudia quoque mea incrementi atque ornatus nonnihil redundaturum eſſe confidam. Meminiſti quippe injecta forte, cum coram proxime te venerabar, mentione, ut fit, editionis Virgilianae, quam a me adornari tum ſignificabam, nec improbaſſe te iſtum propoſitum; promiſiſſe inſuper, quicquid veterum membranarum poſſideres Maroniana ſcripta complectentium, ejus copiam mihi a te faciendam eſſe, ubi primum in aeternam urbem rediiſſes: qua pollicitatione nil acceptius mihi jucundiuſque potuit obtingere. Nam quamquam codices Maronis complures, & in iis duos treſve ſatis vetuſtos evolvi, ſuperſunt tamen loca non pauca, quae negotium mihi faceſſunt, & e quibus expediri me poſſe vix ſpes eſt, niſi & plura & meliora exemplaria conſulenda dentur, quorum ope praeſidioque fretus quicquid reſiduum eſt mendorum penitus eradam. Obſtringo religioſe ac ſancte fidem, quicquid ſuppeditaris, ad te confeſtim rediturum eſſe, nec quicquam inde a me flagitari, praeter ſolos in tempus breviſſimum uſus. Poenitet profecto, Domina, ut quod maxime, non perſcrutatum me fuiſſe principis poëtae Vaticana exemplaria, tria praeſertum ejus bibliothecae caeteris vetuſtiora, quae lit-

litteris Romanis uncialibus, quas vulgo capitales vocamus, illic exarata obſervavi, plurimamque aetatem prae ſe ferentia, quorum duo in ipſius Pontificiae Bibliothecae ſcriniis aſſervantur, integrum alterum, alterum Bucolica ſolummodo & Georgica, ſi ſatis memini, complexum: tertium ex Palatinatu inter ſpolia complura librariae ſuppellectilis advecta. Accuratam certe Maronis editionem vel ſolis ex hiſce exemplaribus concinnari poſſe vix eſt dubium, ſed multa ſedulitate atque animi contentione opus eſt, ut non diſcrepantia vocum ſolummodo, ſed litterarum quoque omnis accurate annotetur. Nullibi utilius operam collocaſſe poteram, cum Romae ante decennium morabar, ſed alia, & quidem minoris momenti, ab hac cura tunc me avocabant ac diſtrahebant. ipſam editionem vere proximo confectam fore auguror. Miraberis, Domina, in ſcriptore omnium manibus trito totque commentariis illuſtrato, tam multa etiamnum ſupereſſe caſtiganda. Sed interpretes in id incubuiſſe potius videntur, ut mentem Maronis indagarent, quam ut ipſa ejus verba nobis exhiberent, & ſuo ore loquentem, non alieno, nobis ſiſterent. Rempublicam quod ſpectat, eſt ea loco ſatis tranquillo. *Robertum Douglaſſium* nuper amiſimus, virum ſane cordatum, & rei militaris in paucis peritum. Ablegabuntur hinc brevi Viennam Auſtriorum *Palbitskius*, in Galliam *Levenſchildius*, *Martini Auguſtini* filius, in Daniam *Guſtavus Liliekronius*, in Poloniam atque Luſitaniam fratrum par *Tongeliorum*, atque hi omnes Reſidentium titulo aucti, *Canuto Kurckio* legatione apud Dominos meos functuro. Cum pompa funebris exequiis *Laurentii Kagge* deſtinata nuper in publicum eſſet proceſſura, contentiones exortae ſunt inter duas foeminas Principes, alteram duci *Adolpho*, alteram Cancellario nuptam, cum utraque proximum a Regina locum ſibi deberi aſſeverarent: Regina tamen litem hanc judicavit ſecundum Cancellarii uxorem, altera multum indignante atque exequiis ſeſe ſubducente. Cum toto jam novennio *Silvercronius* profiteatur in mandatis a te ſibi datum eſſe, ut veteris debiti rationes nobiſcum ſubducat, ipſumque debitum expungat, nec quicquam tamen hujus rei apud illum promoveatur, opinor ac perſuaſum habeo, niſi tu diſſentis, Domina, longe conſultius rebus meis fore, ut cura negotii hujus *Severino Baatio* demandetur. Neſcio an plus praeſidii in illo mihi futurum ſit, ſed certus ſum hominem, qui tardior difficiliorque ad demerendos amicos ſit, hoc *Silvercronio* alium me nuſquam inventurum eſſe. Viri ingenium longo uſu abunde exploratum habeo. Opibus, quas luculentas poſſidet, ſic utitur, ut pauperrimum credas. Cumque omni propemodum earum uſu ſibi interdicat, in novas facultates tamen conquirendas tantum non aſſiduas curas occupat & cogitationes. Habet praeterea, ſi quid illi credimus, quod ſibi ſororibuſque ſuis apud te conſulat, quibus deſideriis niſi ſatisfactum ſit, de nobis cogitaturum non eſt quod ſperem. Nunc etiam ut fidem ſuam quodammodo erigat, atque inſtauret, quam ob irrita toties promiſſa jacere apud nos atque amiſſam penitus eſſe non neſcit, ex lapicidinis neſcio quibus Oleandicis prae ſe fert, id pecuniae nullo negotio confici poſſe, quod expungendo debito ſit ſatis, atque ea ſe in re jam totum eſſe; ſed ludit ille & jocatur in re ſeria,

dum nos poſt longam ſolvendi nexus expectationem ad metalla condamner. Olim cum me ſex ſeptemve vicariatibus Bremenſibus donaſſes, ultro is idem negotium omne in ſe recipiebat de diplomatibus donationis quamprimum obtinendis: credidi homini pro ſimplicitate mea, & qui Ubſalia Holmiam te ſecutus eſſe poteram ad conficiendum negotium, noſtro illi fortunas meas permiſi. At ille eoſdem Vicariatus non tantum ab *Appelmanno* auferri paſſus eſt, cujus amicitiam ſibi utiliorem fore praevidebat, ſed ita ſe proripuit tunc ex hiſce oris, ne monito quidem me, negotium id praeter ſpem meam ceſſiſſe, aut ulla reddita ratione, per quam compulſus eſſet, cauſſam confidenter ſuſceptam turpiter deſerere: nuper etiam, cum ſignificaſſem me donatum eſſe imagine tua, quam *Langermanno* tradi eapropter juſſiſſes, quod is ipſe *Langermannus* Viennam Auſtriorum inopina profectione diſceſſiſſet ſub ipſum fere donationis tempus, ſubvereri me, ne imagine optatiſſima fraudarer, reſpondet illi per literas ſic, ut plane ſecurum eſſe me juberet: cogitare enim ſe jam nunc recta ad te Hamburgum, meamque rem illic unicae ſibi curae fore, de debito etiam expungendo multa magnifica pollicitus. Reverſus jampridem Hamburgo litteras quidem ad me dedit, ſed plane jejunas, & in quibus de debito ſolvendo ſic loquatur, ut frigidius nunquam antehac, de imagine tua ne loquatur quidem, tanquam ſatis ſit promiſiſſe. Plura ejus argumenti poteram ſubtexere, quae non permittunt, ut quicquam mihi promittam magni ab homine, qui in rebus tantillis apud te, Principem longe indulgentiſſimam, toties me ſic fruſtratur, meamque opinionem cum ſententia Voſſiana prorſus conſpirare in hac re video.

Nullas habet ſpes Troja, ſi tales habet.

Quapropter ſupplex te rogo, Domina, ut negotium iſtud ſeriis verbis illi, quem dixi, *Severino Baatio* digneris commendare. Quod ſi feceris, ſum certus, non defore inter proceres hujuſce regni, & quidem praecipuae auctoritatis viros, qui illum ad ſolutionem praeſtandam porro ſunt hortaturi, atque impulſuri. Mitto eam in rem exemplar chirographi tui, unde de ſumma ipſa pecuniae, quam ſperare juſſiſti, conſtare tibi poſſit. Rem non prorſus iniquam ſi a te impetravero, efficies, ut & unicam rerum mearum patronam agnituru, & coram etiam fortaſſe gratias ſim acturus pro accepto beneficio. Audeo rem paulo fervidius urgere, quod maximo meo malo expertus ſum, aetatem illic terrarum a me agi, ubi rationes antiquae facile obſoleſcant, ac nullo loco habeantur. Amitam regis, Dominam Marchionem Badenſem ſupremum obiiſſe diem, nudius tertius intelleximus. Vale, Princeps Auguſta, & fac quaeſo, ne ſcriptionis argumentum longe ingratiſſimum, toties jam repetitum, impoſterum mihi denuo ſit repetendum. Holmiae. Maj. CIↃIↃCLXII.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA DCXCVII.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Alexandrae.

Romam.

IN tabellariorum fide ac diligentia ſi quod praeſidium fuit, Domina, una cum meis literis dedicationem Principis poëtarum accepiſſe jampridem debuiſti. Auguror etiam preces meas a te, quanquam curis longe gravioribus immane quantum diſtracta, non omnino rejectas eſſe, de impetrando ad breve tempus uſu membranarum Maronis veterum, quae in bibliotheca tua inſtructiſſima nec contemnendas poſſides, quaſque pro caetera benignitate ſperare me ultro, ſi meminiſti, jubebas, cum proxime in via tibi occurrebam. Non debebam, fateor, hiſce quiſquiliis ac nugis occupationes tuas ſacras interpellare, ſed cum ex comitatu tuo familiaribuſque aulicis neminem cognorim, qui haec ſtudia aut promoveat aut intelligat, recta ad te ipſam irrumpo, Domina, confidenter ſane, ſed tamen fretus incomparabili indulgentia illa, qua conatus literarios omnes jam olim fovere ac complecti non gravabaris. De Republica, quod nuntiare poſſim, aut quod tua ſcire interſit, nil nunc quidem in promptu. *Guſtavum Adolphum Sckytte*, *Benedicti* ex fratre nepotem, & *Guſtavum Draecke*, tuae ante ante annos hoſce ſeptem aulae, ſi quid recordor, adſcriptum potes noviſſe. Hi collecta famulorum & clientium manu, ac inſtructa clam navi piratica, Hollandicam onerariam in mari Balthico armati inermem invaſerunt atque expilarunt, nautis ad unum omnibus trucidatis, immanem in modum, ne quis atroci facto ſupereſſet nuncius: re tamen propalata *Sckytius* in vincula conjectus eſt, cum quinque aliis comitatus ſui praedonibus. *Draeckius* reliquique latrocinii hujus conſortes an evaſerint haud ſcio, nondum ſane protracti ſunt e latibulis. Captorum capiti miſere metuo. Vale, Domina, meque, ut hactenus, tuis accenſere, ſi mereor, perge. Holmiae Succorum CIↃIↃCLXII. XXIX. Novemb. Gregor.

EPISTOLA DCXCVIII.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Alexandrae.

Romam.

LUculenti mehercules maximique beneficii apud me loco eſt, Domina, quod bibliothecae meae tam benigniter proſpectum voluiſti. Ea enim jam nunc in tuto collocata, caeteris ſarcinis, quod longe ſint expeditiores, facili negotio, cum uſus poſtulabit, ipſe conſulam. In eventu litis minimum periculi eſt, te praeſertim mihi tam propitia ac favente: ut ſecurus & mente inconcuſſa excepturus ſum, quicquid illic fortuna de me decernet. Novam quippe peregrinationem animo jampridem volvo: cum e re mea nequaquam ſit, ut

hic terrarum conſeneſcam, ubi nihil eſt, quod ad litterarum ſtudia percolenda excitare me poſſit. Hoc quippe oneris fortuna, utcumque blandiens, ſi mihi imponet, peſſime equidem de rebus meis merebitur. Quapropter, Domina, cum de ſede mutanda aut hoc aut proximo anno conſilium mihi jam quodammodo ſit fixum ac ratum, unum id ceteris beneficiis adjiciatur a te velim, ut quartam quintamve partem illius ſummae, quam ultro debere mihi voluiſti, quotannis per aerario tuo praefectos perſolvi cures, donec omne debitum, quod quina ſcutatorum vix excedit millia, ſit perſolutum. *id enim* ſine ullo rerum tuarum detrimento aut incommodo poſſe fieri plane *confido*. *Silvercronius* certe pergit aſſeverare, non defuturum ſeſe ſolutionis partibus, ubi eas ſibi a te demandari intelliget. Praeter Virgilianos codices jam ante a me inſpectos, bis octoni nunc inter manus mihi ſunt ab amicis, hinc inde ex Belgio Galliaque, ac Germania ad me miſſi. Sed vix duo treſve in tanto numero, quos vetuſtas commendet. Nam quamquam animadverto recentis notae exemplaria nonnunquam ſatis caſtigata atque ex antiquiſſimis eſſe deſcripta, ea res tamen & anceps eſt plerumque, & rarius contingit. Quapropter *tuos codices* avebam perluſtrare, Domina, quos nec paucos numero, & veteres ac praeſtantes admodum in ſcriniis bibliothecae tuae aſſervari minime ignoro. Interim typographos impellam, ac hortabor, ut manum operi inchoato admovere pergant. Plura enim ſubſidia ſi nunc mihi expectanda non ſunt, curis ſecundis poterit ſuppleri, quod prioribus eſt defuturum. Vale, Princeps Auguſta, & mihi, quod facis, porro patrocinare. Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXIII. X. Maji. Gregor.

EPISTOLA DCXCIX.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Alexandrae.

Romam.

PErveniſſe noſter Virgilius ad te, Domina, una cum iteratae editionis Claudiano jampridem debebat, ſi iſtas cogitationes avocamenta curae gravioris ac publicae rei minus frequenter interpellarent, per quae non licet mihi eſſe meo & hujus ſtudii, quo, ſi eſſem meus, caperer maxime ac delectarer. Perferetur tamen utrimque ad te volumen ſub aeſtatem proximam, ut confido; quod iis operae typographicae manum admovere coeperint jampridem. Addam & his munuſculis poëmata fortaſſis mea a bibliopolis ſaepe flagitata, ac curis prioribus longe caſtigatius auctiuſque mox in publicum proditura: in quibus Auguſtum tuum nomen paginam mihi faciet utramque: cum in te obſervanda aegre mihi ipſi ſoleam ſatisfacere. De transferendo hinc lare ſub menſem Majum quod poſtremis meis conſilium agitabam, perſiſto etiamnum in hoc ipſo propoſito & ſic quidem, ut promiſſos libellos coram a me exhiberi poſſe ac offerri ſperarem confideremque, ſi rebus meis ac mandatae ſolutioni proſpexiſſet in tantum *Silvercronius*, quantum ab auctoritate tua, qua id

id juſſiſſe dicebaris, videbatur eſſe exſpectandum. Sed cum in eo negotio parum aut nihil a me promoveatur, facile intelligo, mihi rem eſſe cum hominibus illiteratis, quique ignorent, fomenta illa ornandis ac promovendis bonis artibus a te olim in medium collata, non minori ornamento gloriaeque tibi fuiſſe, quam triumphos omnes, quos & frequentes & luculentos ex hoſte potentiſſimo egiſti, dum regnabas, Domina. Horum, inquam, hominum ſocordiae refertur acceptum, quod cum nemo prorſus hac tempeſtate inter viros faeminaſque tui ordinis ac loci Principes exiſtat, qui ſolida literarum cognitione tecum ulla ex parte poſſit contendere, inveniantur tamen, qui eximio earundem literarum amore (quam virtutem tibi propriam ac peculiarem diu fuiſſe ſcimus, nec aemulorum ſtudiis obnoxiam) te non aequare ſolummodo geſtiant, ſed etiam poſt ſe relinquere, quantum in ipſis eſt, enitantur. Ita fiet tandem, niſi avertat Deus, ut famae tantis impenſis acquiſitae ſplendor in te obſcuretur ac deficiat paulatim, utque exemplum rei longe pulcherrimae acceptura ſis ab aliis impoſterum, quod prima omnium aliis ipſa maximo cum ſaeculi gratulantis applauſu dediſti. Regis Galliarum Chriſtianiſſimi certe inuſitata nuper benignitas ac munificentia enituit, qua me alioſque, quibus nihil debebat, eſt complexus. In bonam igitur partem interpreteris rogo, Princeps Auguſta, quod liberius paullo expoſtulavi cum iis, qui ſic res tuas agunt, ut nihil agant minus. Nam ipſam te quod ſpectat, abunde exploratum habeo, tam alte bonis artibus pectus tibi eſſe excultum, ut iis non poſſis non patrocinari ac favere, etiamſi nolis. Publicam eruditionis promovendae cauſſam ago, non privatam. In meam enim commendationem quicquid proferri poſſet, jam poſtremis meis ſum praefatus, quando te obſecravi quidem, ut utilitati meae conſultum ires, ſed ſic tamen, ne vel minimum ea cum incommodo tuo conjungeretur. Habeo videlicet perſuaſum, ut credam, periturum mihi eſſe omnino tuum beneficium, ſi invitae extorqueatur. Vale, Princeps Auguſta, & mihi, ut hactenus, favere perge. Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXIII. a. d. v. Decembr. Gregor.

EPISTOLA DCC.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Alexandrae.

Romam.

PRodierunt nuper denuo in lucem, quae ad Claudianum annotabam olim, ſed multa ea nunc auctiora. Prodibunt & propediem Poëmata mea, magno nunc poſt editionem primam incremento ornata. Horum voluminum cum alterum Auguſto tuo Nomini ſit dedicatum, in altero paginam utramque facias, & hoc & illud in manus tuas perferri quamprimum velim: Quod pars mihi magna ſit voluptatis obſervantiam meam cultumque conſtantem a te perſpici. Sed cum rumor jampridem apud nos ſpargat, de deſerenda Roma te cogitare, quid potiſſimum itineris hiſce libellis ſit inſiſtendum, ut conſpectu

tuo

tuo fruantur, & votorum compotes fiant equidem ignoro. Rumor certe ſi conſtare ſibi pergit, Domina, quod unice cupio, ſpes haud deeſt, mox fore, ut libelli coram a me tuis oculis exhibeantur. Sed metuo vehementer, ut felicitate tanta me cumulatum videam, utque fruar hoc immortali gaudio: adeo in magnis rebus famae non tuto creditur. Mittentur igitur Romam libelli, niſi alio mittendos praeſcribis. Quanquam nec res tua omnino videtur ferre, ut aut patriae te ſiſtas, aut proprius certe, quam nunc ſit, admoveas, ac viciniorem te reddas. Cauſas operoſius ſubtexerem, ni haberem perſuaſum, plane jam nunc eſſe te perdoctam ab *Appelmanno* ac caeteris tuorum de iis, quae nuper admodum hîc ſunt geſta. Fateor, Princeps Auguſta, proximis comitiis ordines regni deſideriis tuis per omnia haudquaquam gratificatos eſſe, ſed duriora his videri poſſent expectanda, ſi abeſſe pergis, & dubito jampridem an virtutes tuas Roma ſatis capiat. Sed tu, quod tibi facto opus ſit, omnium optime videbis. Rerum novarum quod nunciare poſſim, nihil nunc occurrit, niſi puerum diebus proximis principi Palatino *Adolpho Johanni* eſſe prognatum. Vale, Domina, & ſi quid mihi concredis, omitte mirari beatae fumum & opes ſtrepitumque Romae. Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXIV. a. d. x. Septemb. Virgilio manum extremam jam impoſuiſſem, niſi quod ab amicis vetuſtorum nonnihil exemplarium de novo juſſus ſum ſperare. Hiberna tamen tempeſtate telam omnem detexi poſſe confido.

EPISTOLA DCCI.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Alexandrae.

Romam.

NUtare jampridem rumorem, nec ſat conſtare ſibi cum videam, qui de Roma deſerenda deque repetendo paterno lare te cogitare ſedulam ſeriamque, nuncios per hunc ſeptentrionem ſpargebat, non ita nuper, in mandatis *Langermanno* proxime dedi, per *Texeram* ut tentaret diligenter, ſi quid opportunitatis praeſto eſſet, qua Claudianus meus itinere terreſtri in aeternam urbem ad te perferri tuto poſſet, & celeriter. Hominem mei peramantem huic tantillo officio nequaquam eſſe defuturum augurari equidem licet. Opinor quippe compertum abunde tibi, Princeps Auguſta, ex iis litteris, *quas* ſeptembri menſe exarabam, Claudianum publico rurſus a me commiſſum eſſe, forma ut majore, ſic typis non minus nitidis atque elegantibus, quam ante annos complures in lucem prodibat, uti etiamnum potes meminiſſe. Commendant praeter haec editionem novam annotata mea partem alteram nunc auctiora: de poëmatis meis lentum omnino frigidumque eſt negotium, ut lucem ea haudquaquam viſura eſſe appareat ante proximam aeſtatem. Ego interim miſſionem hujus muneris, quo nunc fungor, urgere ac flagitare non deſino apud illos, quibus ſacramentum dixi; cum otio & Muſis tandem aliquando rediturus in gratiam, ſi licebit. Ne deſiderii tamen hujus hactenus fiam compos,

Digitized by Google

pos, impetremque id quod peto, in cauſſa ſunt potiſſimum difficilia haec tempora, & bellum quod foederatorum Belgarum publicae rei a Brittannis denuo ut atrox, ſic inſigniter injurium atque iniquum intentatur, magno conatu. Confido nihilominus ante Kalendas Apriles pedem hinc terrarum a me moveri poſſe. Quod ſi fit, bibliothecam meam tuorum nonnemini ſum concreditu-rus, ne aut privatis praeda obtingat, aut aliis periculis exponatur, quibus eam eventus litis privatae, ni ſit proſper ac ſecundus, objecerit haud difficulter. Hoc emigrationis conſilium ut foveam conſtanter magna me perpellit a bonis artibus per hoſce terrarum tractus ſolitudo, magna frivolarum occupationum moles, quae ab omni Muſarum contubernio me excludit. Obduraſſem tamen adverſus haec incommoda animum illuſtribus exemplis, ſi praeſentiae tuae bono, Domina, frui obtigiſſet. Nunc aulam in aula, regiam in regia nequicquam quaero ac circumſpicio, priſtinae felicitatis nimio plus memor. Quod reliquum eſt, deum Optimum Maximum ex intimo cordis penetrali veneror, ut & annum hunc inſtantem, & ſaeculi praeſentis quod reſtat, inoffenſo penitus pede & ſucceſſu per omnia fortunato decurras, quod ſi fit, Auguſta Princeps, mecum quoque optime arbitrabor agi, quicumque tandem caſus res meas & fortunas eſt manſurus. Vale, Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXIV. a. d. XXXI. Decembr. Gregor.

EPISTOLA DCCII.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Alexandrae.

Romam.

INfrequentius jampridem rariuſque, fateor, quam pietatis in te meae ratio poſtulabat, Majeſtatem tuam per litteras ſum veneratus, quod itineri Suecico te accingi, alios ex aliis nuncios toto jam biennio tantum non continuos aſſeverare intelligebam. Quae tamen exſpectatio immane quantum nos hactenus fruſtratur ac ludit. Veniebat quidem nuper admodum in hanc urbem ex numero familiarium tuorum *Adamius*, qui id ipſum ſperare nos juberet. Sed cum in eo is ſit, ut tibi tuaeque familiae libertatem ſolidam paciſcatur divini cultus, idque ſecundum ritus Romanos, rem non tantum plurima conjunctam cum difficultate, ſed conclamatam propemodum, ab illo urgeri, minimum abeſt, quin certo perſuadear ut credam. Non quod proceres Sueci cultu omni divino, qualem toto jam decennio profiteris, prorſus interdictum tibi cupiant, poſſe enim eas ceremonias, tui unius uſus, clam abs te admitti, dum ſacrificulus huic rei conſtituendus nec gente ſit Italus, & veſte ſaeculari, quam vocant, induatur, quoties prodibit in publicum. Sed quod cum Latina natione curiaque Romana rem ſibi eſſe nequaquam volunt, cum id nomen, ut qui maxime averſentur, ac inviſum habeant; Italoſque non alia de cauſſa in comitatu tuo futuros opinentur, quam ut arcana regni hujus explorent, plebemque ad res novas moliendas cohortentur. Unde & fit, ut cenſeant rem ſerio abs te non

agi, quae per hominem Italum, & quidem curiae Romanae non unas ob cauſſas mancipatum, negotii quicquid hujus eſt expediri volueris. Sed & qui rebus tuis optimum in modum hîc terrarum ſtudent, arbitrantur tua non parum intereſſe, ut benevolentiam civium tuorum quam arctiſſime tibi concilies, ſi inter illos aetatem ſis actura, cui rei moram haud dubiam certiſſimamque obicem fore Italos, familiaribus tuis adſciſcendos. Ego autem, Domina, cui conſiliorum tuorum compertum eſt prorſus nihil, ſed qui obſervantia tamen integerrima ſanctiſſimaque quicquid ad utilitatem tuam commodumque poteſt referri, foveo, in rem tuam nonnihil hîc poſſe exoptem ardenter, idque eo magis, quod te praeſentem in hoc ſeptentrione tuo venerari praecipuis jampridem habeo in votis. Facit profecto in tua deſideria tuumque in propoſitum *Adamus*, quicquid ab homine fido induſtrioque ſedulitatis accuratae exſpectari potuit. Sed an indolem hujus aulae habeat plane perſpectam, dubitari merito fas eſt, praeſertim cum de promiſſis ac verbis officioſis nonnullorum magnatum optime mihi viſus ſit ſentire, quos in comperto eſt longe diverſa ſentire ab *iis*, quae apud illum prae ſe ferunt. Gentem Italicam *multis beneficiis mihi* eſſe cognitam, maximique, ut par eſt, a me fieri, haud te latet, Princeps Auguſta: ut quae nunc a me proferuntur ab omni ſimultate odioque aliena ſint habenda. Plura hujus argumenti ſubtexerem, ni metus juſtiſſimus ſuboriretur, ne videri arguique poſſem negotiis haud meis me praeter ordinem immiſcuiſſe. Ad meas igitur res ut aliquando deveniam, annus cum dimidio nunc agitur, quod diſceſſum ex hoc terrarum tractu prece continua a Foederatorum Belgarum patribus efflagito. Taedet quippe ſedem tanto jam tempore a me figi illic gentium, quas inter & populares meos ſimultates bello Danico exortae erudeſcunt magis ac magis de die in diem, cum alia omnia ante hoc quadriennium huc adventans de ſopiendis controverſiis mihi promiſiſſem: hinc operam meam rei publicae inutilem atque infructuoſam eſſe facile intelligas. Agitantur quidem apud nos jamdudum conſilia de tevocando poſtliminio, atque inſtauranda utrimque veteri illa animorum concordia, eamque in rem orator extra ordinem a foederatis Belgis nuper huc miſſus eſt. Sed metuo ne ſtudia gentis hujus Britannicas partes tam tenaciter jam ſint amplexa, ut noſtris foederibus vix reliquus ſit locus, niſi Deus adſit e machina, & conſilia haec a Gallis ocius turbentur. Urgenti mihi conſtanter diſceſſum a patriae patribus eſt reſponſum, rebus id ſuis nequaquam expedire, praeſertim ingruente a Britannis bello atrociſſimo. Quod ſi jurgium omne inter Suecos & noſtros ante Kalendas Januarias proximas non amovetur, hyemem hanc in ſeptentrione hoc ſupremam mihi fore ſum certus. Fortaſſis & ante tempeſtatem hibernam vaſa a me colligentur. Bibliotheca in patriam tuto transferri haudquaquam poteſt, cum alias ob cauſſas, tum quod a piratis maria aſſidue infeſtantur. Lubeca igitur erit proxima, praeſertim ſi *Texera* curam eam haud gravabitur, quam *Silvercronio* ante hoc biennium demandaras. Ejuſdem *Texeras* opera exemplar Claudiani mei in Auguſtas manus jam pridem perveniſſe confido. Eſt enim per neſcio quos id miſſum ab illo Romam, cum *Appelmannus* ad te con-

ten-

tendens equis citatis id onus a se esset amolitus. Si aberravit in via liber, aliud exemplar, Domina, tuis usibus, a me parabitur, una cum poëmatum libello, qui maxima jam ex parte typis est descriptus. Quod reliquum est, Deum Opt. Maximum totis animi sensibus veneror, ut te diu superstitem & incolumem velit. Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXV. a. d. XXV. August. Gregor.

EPISTOLA DCCIII.

NICOLAUS HEINSIUS

Christinae Alexandrae.

Hamburgum.

LOnge jucundissimus profecto gratissimusque mihi accidit de adventu in Germaniam tuo nuntius; atque totum me perfudit voluptate, ut majori non possit. Nec defuissem hactenus debitae apud te gratulationi, nisi rumor constantissimus asseverasset mox fore, ut post datos quieti corporis apud Hamburgenses dies admodum paucos, recta confestim ad septentrionem hunc tuum viam molireris. Qua spe atque exspectatione etsi necdum plane dejectus, vix tempero tamen mihi ab officio salutationis, ut si quid in rem Augustam te absente conferri ab hoc homine, sive id fit hic terrarum, sive alibi, potest, certa sis, mandati tui majestatem ab alio nemine religiosius atque sanctius observandam atque custodiendam fore. Propensissimum hoc & minime fucatum pietatis in te meae studium simulationi locum haudquaquam relinquit, unde fit interdum, ut apertius liberiusque, quam fortasse par sit, remota omni circuitionum ambage, me diffundam, Domina, ac consilia non consultus audacter depromam, dum verba apud te facio. Tale quid non ita nuper obveniebat, dum de deferenda Roma sententiam meam haud tego: cui libertati atque confidentiae ut pro cetera ingenti tui bonitate ne quid succenseas, per augustum Regiae clementiae Genium, tot argumentis perspectum mihi toties ac cognitum, te veneror atque obtestor. Claudianum meum, annus jam atque alter aguntur, cum ad te misi. Nunc quod mittatur munusculi nil est in promtu, praeter poëmata mea recens juris publici facta. Quae tamen a me ipso accipies, si propediem huc es ventura; sin Hamburgi substitura per autumnum, *Langermannus* curabit, ut eorum tibi fiat copia. Inter praesentissimas spississimasque publicae rei turbas versanti neque id opus exasciari satis potuit, nec de aliis cogitare datur lucubrationibus, quae caeteroquin lucem apud me praestolabantur jam pridem. Vale, Domina, & me benevolentiae Regalis aura dignari ac fovere in posterum perge. Holmiae Suecorum CIↃIↃCLXVI. pridie Kalend. Sextil. Gregor.

Digitized by Google

EPISTOLA DCCIV.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Alexandrae.

AUguſtum Majeſtatis tuae genium incredibili quadam perfuſum comitate etſi jam ante propitium ſaepe numero expertus, equidem nuper admodum ſum vehementer admiratus. Non enim contenta facundum in modum laudibus efferre quotidiana illa officia, quae *D. Isbrandius* in *D. Adamium* aeſtate proxime decurſa conferebat, me quoque gloriae hujus in partem vocare voluiſti. Modica ille, tenuia ego cum revera praeſtiterimus, praeſtitiſſemus haud dubie majora uterque, ſi illic terrarum aetas ageretur a nobis, ubi gratia & auctoritate plus polleremus. Conflictati quippe cum temporum difficillimorum anguſtiis, aliiſque incommodis compluribus objecti, nil in medium valuimus conferre, praeter umbram exilem ſummae *illius obſervantiae, quam* majeſtati veſtrae, ceu tributum debemus, quotquot aeternitati virtutis atque gloriae per poſteros iturae rite diximus ſacramentum. Haudquaquam minora, quam ego, in rem majeſtatis tuae vult *D. Isbrandius*, & poteſt majora, a cujus ſingulari ac eximio candore nil non polliceri & ſperare mihi poſſe videor. Nec tamen exploratum ſatis habeo, quidnam & a quo oblatum ſit, quod oblique deſignas, Domina. Id tamen ſcio ſtudium noſtrum, quod tibi conſecravimus, nullis menſurae anguſtiis, nullo termino includi aut circumſcribi. Si explicatius paullo mecum agere non eris dedignata, quod velim, quicquid occulendae rei concreditur mihi, & ſumma ſilentii religione involvam, uti par eſt, ne admoto quidem in conſortium *D. Isbrandio*, aliis multo minus, & pari fortaſſis obſequii ac induſtriae fide indagare potero, quod rebus tuis ſit conducturum. Diſceſſum propediem cum ad ſuos meditetur is ipſe *D. Isbrandius*, etſi ſuſceptae legationis irritus, hoc uno tamen me felicior habendus, quod Majeſtatem veſtram in via ante exitum anni hujus venerabitur, quo votis omnibus jampridem adſpirat. Me quod attinet, quando pro ſumma benignitate tua clientis antiqui res ad te ſpectare, Domina, arbitraris, quanto tempore hîc terrarum porro ſim ſubſtitutus haud ſcio. re tamen publica juxta ac privata parum procedentibus ex ſententia noſtra, vix futurum eſt, ut *illic* conſeneſcam, ubi otium literarium ac animi tranquillitatem, tanto opere Philoſophicis praeceptis convenientem nequicquam ſpero. Holmiae Suecorum. Anno CIↃIↃCLXVI. a. d. Octob. Gregor. IX.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA DCCV.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Alexandrae.

MErita jampridem gratiarum actione defungi apud Majeſtatem tuam equidem debebam, pro nupero ejus ingenti beneficio, cum proſpici ac ſubveniri rebus meis opportune admodum pro inſigni tua clementia volueris. Nec defuiſſem partibus hic meis, niſi interveniſſet contumacem in modum valetudo adverſa, meque a propoſito hactenus avocaſſet. Dum inter haſce jactor anguſtias, libenter intellexi factam mihi vix tandem copiam atque facultatem, quam fruſtra ſaepenumero flagitaram Patriae adeundae, a foederati Belgii proceribus. In eo igitur nunc ſum, ut viae quamprimum me permittam veneraturus, ut auguror, Majeſtatem veſtram propediem coram atque hoc etiam nomine, quantum in me erit, feſtinaturus. Cum haec tanta felicitas longe pluris a me fiat, quam natalis ſoli conſpectus. Quod reliquum eſt, Deum Opt. Max. toto animo veneror, ut Majeſtati veſtrae & hunc & proxime ſubſecuturos complures annos fluere feliciſſime ſinat. Holmiae Sueeorum CIↃIↃCLXVII. a. d. VIII. Januar. Gregor.

EPISTOLA DCCVI.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Alexandrae.

Remem.

EX quo in hanc aulam ſum regreſſus, anno proxime decurſo, nihil prius habui aut antiquius, quam res meas promovere illius commendationis beneficio, quam pro ſingulari clementia ad praefectum reditibus tuis adminiſtrandis mihi perferendam concredebas, cum Hamburgi in tranſcurſu Majeſtatem veſtram venerabar praeſens. Sed effici aut nihil omnino, aut certe perparum hactenus potuit hoc in negotio. Nunc vero cum compertum habeam, non ſine ſucceſſu in eo occupari *D. Guſtavum Kurck*, Regni Suecici Senatorem, ut illos, Domina, qui in aere ſunt tuo, debitores, ad expediendum hoc ex nexu nomen tuum invitet aut conſtringat, atque haſce potiſſimum ob cauſas, ditionis tuae tractum omnem circumeat mira ſedulitate & induſtria, nec vim pecuniae contemnendam hinc inde jam coegiſſe dicatur, prece ſupplici Majeſtatem tuam enixiſſime convenio, atque obſecro, det in mandatis jam nominato *D. Guſtavo Kurck* ut illo ex aere quamprimum ſatisfieri mihi curet. Id enim ſi abs te impetraro, pariturum mandato regio Illuſtrem virum confidamus eſt neceſſe. Nam & frater ejus *D. Canutus* rebus meis favet impenſe, & Rex Rutgerſiani debiti ſolutionem jam nunc ſuis injunxit, quo mihi ani-

mus addatur ad cauſſae ſuae jus omne apud Moſchos, ad quos a Foederati Belgii Patribus ablegor, pro virili tuendum. Habes exemplum, Domina, longe nobiliſſimum, quod aemuleris ac ſequaris, habes occaſionem, qua me demerearis totum, penitus tibi addicas, praeſentiſſimam, & qua irritum in modum elapſa nullam in poſterum aeque opportunam detur nobis ſperare. Poteram commendatitias ad inſtitutum hoc ornandum facili negotio abs Rege nunc obtinuiſſe, quiſcum preces hae noſtrae tunc Majeſtati ſiſterentur. Sed ipſam temet plus velle rebus meis promovendis collatum, quam aliunde poſſit ſperari, ſum mehercules certiſſimus. Commendatus per te, Domina, tuae aequitatis tuaeque clementiae, in quibus patrocinii ſpes tota (utinam non vana!) nobis eſt ſita, rem ex voto confectam mox habebo, cui unicum a mora & procraſtinatione periculum incumbit. Collectam quippe ex debitis, quae jam deſignavi, pecuniam majori ex parte aliis jam ceſſiſſe audio. Quibus cum egregie beneficam tete praeſtes, permitte, quaeſo, ut & ego auſim benignitatis tantae genium utcumque mihi propitium augurari, quem pro ingenii mei mediocritate & captu, ceu numen praeſentiſſimum adoravi, atque adorabo ſemper. Stephanum Byzantium *Holſtenii*, ni conditionem aſpernaris, Princeps Auguſta, *Elzevirius* typis ſuis, cum per te licebit, juris publici faciendum offert, ac ſpondet. Ego quod in me eſt, ſecunda quaevis Auguſto capiti precatus, faciam ſupplicationis finem, hoc in omine, Sereniſſima ac potentiſſima Princeps. Holmiae Suecorum IV. Kalendas Sextilis CIↃIↃCLXIX.

EPISTOLA DCCVII.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Alexandrae.

Romam.

INvitus fateor, ut qui maxime, ſed ſic tamen dura atque imperioſa neceſſitatis adductus lege, quae plerumque tranſverſos nos abripit, utcumque vi tota refragantes, Majeſtatem nunc tuam tertium repetitis precibus humillimum proſtratus in modum convenio. Vota, ut auguror, melioribus ſuſceppturus tandem auſpiciis, quam adhuc a me factum eſt. Summa igitur in hoc ſupplicationis conſiſtit, ne quid gravius ducas, aut a curis tuis omnino alienum, Princeps Auguſta, Domino *Guſtavo Kurkio*, in mandatis quamprimum dare, ut quae toties ſperare ſum juſſus, perſolvantur aliquando, poſt irritos & ſupervacuos tot annorum decurſus. Ita nimirum fiet, ne dejectus animo omni ac fractus ad bonarum artium cultum propagandum accedam, cui ego innocentiſſimo ſtudiorum generi aetatis proſtrema ac vitae hujuſce, quod mihi pauxillum reliquum eſt, dedicandum deſtinaſſe, atque hinc per valetudinem publicis occupationibus minus munuſque reſpondentem, quodammodo impelli non ſemel jam ante ſum profeſſus. Quod ſi non dedigneris tecum reputare, Domina, quantum intercapedinis decurrat jam ab illo tempore, quo regnum floren-

florentissimum abdicasti, plus aequo non esse festinatam spem nostram praecipitemque, tute omnium optime ultro agnoscis, nisi si aequitatem tuam parum habeo perspectam. Ad haec si vacabit tibi meminisse, quoties & quam sollemnibus verborum modo arctissimo, promissi tui sacrosancti religio me tibi teneat jamdudum adstrictum, hinc quoque plurimum fiduciae rebus meis debere suboriri non difficulter intelliges. Cum Reges prae ceteris mortalium hanc a Deo optimo maximo laudem mutuentur quodammodo, propriumque sibi vindicent; ac coelo quam proxime jungantur ea potissimum gloria, ut nihil omnino polliceantur, quod praestari solitum atque exhiberi, oraculi in vicem, non oporteat. Atque ego sic existimo, actum omnino ac conclamatum de divino cultu in terris fore, si quam in deo indulgentiam desideremus, contumaciusque abnuentem votis nostris, praesertim haud improbis aut invidiosis, experiamur. Non pauca mehercules in causam meam conferri huc possent, ac deberent quoque: ac primo quidem, quanto ego pietatis ardore instinctus utilitatem tuam semper meis posthabuerim commodis: quam profusus, Princeps maxima, fuerim in laudibus tuis decantandis, sic ut tuorum nemo haud umquam magis: ut florem aetatis ferme omnem, certe praecipuam, tuis devotam imperiis mihimet ipsi meisque in Patria stabiliendis fortunis interceperim atque iverim ereptum, dum tibi uni me totum trado: quam parum praemiorum abs te tulerim, quam parce flagitarim. Haec inquam, atque hisce haud dissimilia plura tibi me conciliasse quam proxime, ac res meas e tuo nexu jamdudum expediviſse poterant, si quid vel minimae mihi facundiae foret in promtu. Sed quidquid fuit, in occultos gemitus, timidumque penetrale pectoris carpentes morsu atrocissimo & lacerantes, est conversum, quos utinam caperet, atque ob oculos poneret haec charta! Videres profecto tui monumenta, Princeps Augusta, sed in quibus temet ipsam non agnoscere: illam, inquam Christinam, patrocinio Musarum praesentissimo atque incomparabili adeo olim in universa rerum natura conspectam, adeo eminentem. Fac igitur rem Majestate tua longe omnium dignissimam. Sin minus, liceat mihi saltem intercedere apud te, pro dignitate urbis illius, in qua nemo pedem fixit hactenus, quin ex literarum amante, fieret earumdem multo amantissimus; ut quidquid tuus ille genius, tam benignus olim, tam exporrectus, mihi non adjudicabit, id urbis aeternae genio me debere integrum relinquatur. Holmiae Suecorum III. Maji. CIↃIↃCLXXI.

EPISTOLA DCCVIII.

NICOLAUS HEINSIUS

Christinae Alexandrae.

Romam.

Fluctuasse me animo immane quantum aliquamdiu fateor, silentione pergerem involvere spes infelicissimas, an tuam ego Majestatem denuo interpellandam mihi proponerem, ante nostram ex Suecana aula emigrationem, toties

ties re eadem fine ſucceſſu tentata: cujus tam inſignitae fatorum injuriae, tantique infortunii neceſſe mihi eſt ac erit nimium meminiſſe, dum inter mortales numerabor. Nam ſive nil omnino precum iſtarum, quas chartae conſignatas ter quaterve, ex Ruthenis redux, iteraram, in Auguſtas deveniſſet manus, par eventus nunc quoque rebus meis videbatur metuendus, ſive uſas obſequente fortuna, atque in optatum portum Sacratiſſimi, quo deſtinabantur, conſpectus perlatas conſtaret, quo tandem ego fretus praeſidio, qua munitus fiducia pollicerer mihi aut praeſagirem meliora, poſt repulſam tam evidentem? Revocabat tamen ab hac me cogitatione identidem, ac nubem inauſpicatam huic animo detergebat jucunda oppido temporis anteacti memoria, quo ſupplicationibus noſtris ac votis aura longe mitior benigniorque aſpirabat in Lare Auguſto, ubi perſpici atque explorari contigiſſet in paucis, ſi gloriari apud te licet, Domina, exporrectam illam mirificum in modum obviamque Majeſtatis tuae indulgentiam, pari cum aequitate conjunctam, ac ſplendidiſſimo ſui fulgore omnium animos perſtringentem jamdudum: atque propter quam longiſſime habendas eſſe cauſſas, per quas fieret, ut perpetuo occludendum precibus ſubmiſſis Regiae bonitatis penetrale ſacroſanctum fore nequicquam ominarer. Neque enim eo impudentiae importunitatiſve me prolapſum credas umquam, ut quicquid ſupereſſet debiti, id ego omne, nullo temporis intercedente ſpatio, confeſtim eſſe expungendum contenderem odioſe flagitaremque: ſed vero integrum a me Majeſtati veſtrae relictum omnino, ut ne quid ex iſto aere plus minuſve annumeraretur annuum mihi, quam commodis tuis expedire cenſeres atque arbitrareris ipſa: nec ſubverendum mehercules, ut meo me indicio proderem ac manifeſtarem, aut rei ſucceſſum inter illos ambitioſius jactarem, voto jam potitus, ſi qui fortaſſis ſupereſſent reliqui ex creditoribus temporum meorum antiquioribus. Atque idcirco ſum auſus, Domina, negotium hoc integrare denuo, compellatione nec immodeſta, nec improbis votis adhibitis, ſed totum me clementiſſimo Majeſtatis Veſtrae arbitrio permittens: nilque differendum hujuſce rei mea ſupinitate opinatus, quod valetudo ſenectam maturet mihi ante diem, ac tantum non praecipitaret accelerato decurſu. Habeo autem perſuaſiſſimum, Auguſta, ut credam meae non magis utilitati id dari, quam tuis laudibus, ſi enitar non abire ex hac vita, niſi ſubductis tecum rationibus jam ante: unde fiat, ut invidiae minimum mea ex morte ad te ſit redundaturum, dum nec inimici exprobrant ac laetantur, tanto tempore ad aures ſurdas cantillatum noſtris Muſis, nec amici ingemiſcunt, ac complorant. Obtulit mihi, dum in aula verſabar Suecica, operam comiter ſuam non ſemel *Guſtavus Kurckius*, aſſeveravitque inveniri abs ſeſe viam poſſe gratificandi mihi haudquaquam difficilem, ſi juſſiſſes. Sine mandato enim tuo confieri nil poſſe. Teſtati ſunt & alii ex Procerum numero ſe cauſae meae favere, &, ſi vellem, non defuturam mihi Regis interceſſionem. Malebam autem maloque per *Kurckium* rem omnem confici, quam per alios quoſcunque. Quid enim? an proſternar ſupplex ad pedes illorum, illos in optima cauſa pretio immani nundinabor ac conciliabo mihi, quos in comitatu tuo habes, Auguſta, aut

in

in clientela, ut gratioſos apud te, ita bonarum artium expertes? a quibus proinde ſperare non poſſum, ut patrocinentur mihi, niſi ad hoc ipſum redimantur. Sim enim rerum omnium imperitus ipſe, ſi ab litterarum rudibus viris gratuitae quid benignitatis exſpectem. Apud alios Reges, artium bonarum cognitione minus inſtructos, obdurarem adverſus hanc injuriam animum, ſi cum iis mihi res eſſet: apud te, Principem longe litteratiſſimam, Domina, litterarum amantibus praeſidium ab illiteratis petendum, id vero conjunctum ſit, non dicam cum meo, ſed cum extremo ipſarum pudore, ultimaque cum contumelia: quibus hoc praerogativae antiquitus debetur, ut ab omni dedecorum emptione pretioſa praeſtentur immunes. Nec video qua fronte gratiam ſim captaturus hominum novorum, ut mihi veteri clienti apud te adſint: cui uni omnia mea me debere nec nolim ego, & ſit aequitati conſentaneum. Si exhortationibus pro me agendum foret aut exemplorum auctoritate, offerebat ſeſe Rex Chriſtianiſſimus, nec deerant Principes alii, qui quamquam aetate noſtra litterarum ſtudia leviter delibarunt ipſi, in iis tamen provehendis atque ornandis nulli parcunt impenſae. Nec parum eſt, quod illis privatim a me debeatur. Quibus ut tu prima praeviſti ad hanc tantam gloriam, nominiſque comparandam immortalitatem, ſic unice cavendum tibi intelligis, ne tuiſmet te exemplis ſuperaſſe hi gloriari aliquando poſſint, aut amore artium bonarum poſt ſe reliquiſſe, quam eruditionis intellectu ac Muſarum cognitione haudquaquam aſſequantur. Quod ſi talem te praeſtiteris mihi, quales tui ordinis, Auguſta, non unos experior, quorum laudibus tamen commodiſque nihil ſtudii aut publice aut privatim a me hactenus eſt datum, benigniſſime me haberi opinabor ac indulgentiſſime ab illa, quam ego cultu plus quam humano unam prae caeteris ſemper ſum veneratus, ac veneraturus in poſterum. Vale, Princeps Auguſta. Hagae Comitum Anno CIↃIↃCLXXII. Kalendas Aprilis Gregor.

EPISTOLA DCCIX.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Alexandrae.

Romam.

CUM e propinquis meis *Conradus Ruyſchius*, praeſtanti apud Batavos loco oriundus, excitatus ſtudio peregrinationis Romam contenderet, ratus ſum non eſſe negligendam mihi tam opportunam occaſionem, qua Majeſtatem veſtram liceret pro mea pietate humillimum in modum venerari. Invitabat me praeterea ad hoc officium novus imminentis anni decurſus, quem propediem ſumus auſpicaturi, utinam omni ex parte Majeſtati veſtrae tam ſalutarem ac fortunatum, quam votis meis praeſumitur ac ſpondetur. Neque enim coërceret me tenuitas mea, utcunque conſtitutum inter minimos cultores tantae Principis, quo minus pro ſalute atque incolumitate Sacratiſſimi capitis Deum Opt. Max. freqentiſſimus auſim convenire. Cu-

jus religionis nexu ut teneri me plurimis de causis perpulchre intelligo, mancipatus obstrictusque jam olim Regiae benignitati praecipuum in modum, ita beneficii accepti perparcus sum ostentator, quod nec rebus adsequi, nec aequare verbis integrum sit mihi. Ita fit, Princeps Augusta, ut cum conferre nil omnino possim ad haec sacra pro rei dignitate, solo litem silentio, & honore sancto tuae Majestatis defixus obstupescam. Evidentius argumentum vix est, ut a me proferri queat, unde fiat manifestum, esse me & fore sempiterna submissae mentis devotione omni mancipio devinctum. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXIV. XII. Decemb.

EPISTOLA DCCX.

NICOLAUS HEINSIUS

Christinae Alexandrae.

Romam.

PRinceps Maxima. Res meas saepe numero Majestati tuae commendavi absens, temporumque horum statum vere calamitosum, ac duram necessitatis legem, quae me circumstaret, per litteras sum testatus: Eram nunc & in eo, ut memet ipse conferrem Romam, promoturum rem eandem coram Majestate tua pro virili, ne quid intentatum viderer reliquisse. Sed habita valetudinis per maximas itineris longinqui & hiberni difficultates dejectae ratione, judicarunt Medici, vix fore, ut vivus eluctarer. Misi igitur sororis meae filium hac de causa, ut is operam hic mihi praestaret vicariam ac succenturiaretur. Quem si Majestas Vestra supplicem non rejecerit, omne votorum punctum videbor tulisse. Hagae Comitum CIↃIↃCLXXV. XXVIII. Novemb.

EPISTOLA DCCXI.

NICOLAUS HEINSIUS

Christinae Alexandrae.

Romam.

DOmina. Cum anni decurrentis exitum propediem simus consecuturi, pietatis meae ratio videbatur flagitare quodammodo, ne imminentis anni auspicia Majestati tuae adfulgerent sine meis apprecationibus. Quapropter Deum Opt. Max. toto animi ardore supplex veneror, ut votis publicis clementer subscribat, teque incolumem ac valentem diutissime conservet nobis, rebusque prosperis ac laetis omni ex parte cumulatam abunde ut velit. Nulla annorum lege divinum numen circumscribimus, nullo aetatis termino metimur aut includimus vota nostra. Tantum ut pro meritis virtutibusque extendat annos Majestati tuae annumeretque, Deo supplicamus. Id enim si obtinetur, quin immortalem terram sit possessura nulli du-

dubitamus. Vale, Princeps maxima, & tuorum illa pietate fruere aeternum. Hagae CIↃIↃCLXXV. 18. Decemb.

EPISTOLA DCCXII.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Alexandrae.

Romam.

SIgnificavit mihi ſororis meae filius, quem in urbem non ita nuper miſeram, clementer omnino benigniterque, ſic ut magis haud potuerit, ſeſe a Majeſtate veſtra fuiſſe exceptum. Quae quam grato animo a me agnoſcantur, re ipſa, ſi detur opportunitas, quam verbis, teſtari aliquando malim. Nihil certe majori voluptate me perfuderit, quam ſi obſequia mea humillimamque obſervantiam Majeſtati veſtrae hic terrarum, ubi nunc ſedem fixi, detur approbare. Caeterum quod idem ſororis meae filius teſtatum mihi faciat, ſive maligna curioſitate quorumdam, ſive fortuna conatibus ſuis meiſque obnitente, ne illas quidem litteras, quibus ego anni incuntis auſpicium pro mea pietate veſtrae Majeſtati fortunatum proxime apprecabar, inviolatas ac illaeſas permanſiſſe, priuſquam traderentur, facile agnovi, rebus adverſis me ſolennem in modum conſtanter premi. Quapropter juſtum eſt, relicta urbe, quanta poterit fieri acceleratione, ad nos referre pedem. Quod ut cum bona Majeſtatis veſtrae venia ab illo fore perficiendum ſpero, ita teſtor, nihil apud me eſſe aut prius aut antiquius illo cultu, quem Majeſtati veſtrae ſemel dedicavi. Hagae CIↃIↃCXXVI. XIX. Februar.

EPISTOLA DCCXIII.

NICOLAUS HEINSIUS

Chriſtinae Alexandrae.

Romam.

JAM pridem ex urbe ad nos reverſus ſororis meae filius *Robertus Goeſius* verbis ampliſſimis apud meos ſuoſque omnes praedicavit, quam comiter quamque benignum in modum a Majeſtate veſtra non ſemel exceptus eſſet: quo honore nihil majus equidem ambitioſiuſque ſperari potuit a nobis. Illud unum me invito nuntiabat, litteras meas, quibus pro caetera pietate exortum novi anni auſpicatum Majeſtati tuae eram apprecatus, jamjam regiis manibus ex mandato meo offerendas, aulicorum nonnemini ſic exigenti ſe exhibuiſſe, quo faciliorem acceſſum impetraret. ab illo autem litteras eaſdem non ſine obteſtatione ſua ac indignatione reſignatas ac perlectas fuiſſe, dum titulos fronti litterarum non rite adſcriptos cauſatur, quaſi Majeſtas tua tot tantiſque animi dotibus conſpecta non extuliſſet ſeſe ſupra univerſum laudis ac titulorum nomen. Sed neque ex illo ullis ſeſe artibus ad regium conſpectum potuiſſe admitti, niſi religioſe pollicitus, de reſignatis litteris mentionem ſeſe

nullam facturum apud Majestatem vestram: quod unum potuerit, de re tota se apud aulicorum complures esse conquestum. Ipsam vero epistolam secum ad me retulit, narrationis suae testem. Ita annus atque alter effluxerunt, dum tacitus mecum expostulo identidem de hac fortunae inter alias iniquitate. Quapropter imperato mihi post id silentio obdurarem nunc quoque adversus haec tam improspera animum; nisi supervenions nuper admodum, idque praeter spem omnem, Majestatis vestrae epistola, latum mihi aperiret campum rescribendi, simulque agendi causam meam coram judice omnium moderatissima, de cujus aequitate plurimum mihi promitto, quamquam falsae narrationis malis artibus aures ejus tentatas intelligo perquam invitus. Nec vero defuissem tanto tempore rescribendi partibus, nisi Hagam Comitum missa Majestatis tuae epistola, cum alibi locorum essem quaerendus, neglecta aliquamdiu ac dilata illic temere jacuisset. Accessit altera dilatae scriptionis causa valetudo, quae extremum vitae meae curriculum in ipsam metam offendentem continuo impulsu adfligit gravissimum in modum. Sed ad rem ipsam deveniatur praestat. Hunc igitur, qui confidenter satis in aulam *Majestatis tuae nuper* obrepsit, nunquam ego pro legitimo filio agnovi: nec poteram sane, nisi oblitus mei matrem quoque ejus, omnium quotquot sol vidit unquam, faeminarum propudiosissimam, pro uxore agnoscerem. In eo quoque fecit haud levem mihi injuriam, cum gratia mea ac adfectu fraudatum se fingit, quod ejurato religionis, cui innutritus erat, sacramento ad Romana castra transierit: cum sancte tester, nihil omnino ejus rei vel per dubios rumores mihi compertum fuisse, nisi jam perlata hujus negotii nuntia Majestatis tuae epistola. Quin aestate proxima quicquid alimenti a me debebatur, jam Lutetia digressus accepit. Quare, qui Majestati vestrae non erubuit tam impudenter hic dare verba, quam in reliquis non sit credendum, quae haud dubie non pauca praeter hoc comminiscitur, facile, ut opinor, apparet. Sed de matre nonnihil praemittendum est, priusquam ad hunc bonum virum deveniamus. Damnatus sum fateor, ut eam ducerem uxorem. Sed absens damnatus, & quidem propter rempublicam absens, cum frustra saepenumero petiissem, ut domum reverti mihi liceret, ad causam meam agendam, quando parum proficiebant tot testes mea ex parte prolati, qui adversariam meam uno omnes ore impudicitiae convincebant. Haec prima judicis iniquitas fuit. Deinde quod omnis matrimonii imaginarii histriomia in vici Hagiensis curia a pagano Magistratu peracta est, procuratore adversariae meae partes sustinente, inaudito apud nos facinore, cum in ecclesia id fieri debuisset. In cujus acta cum referendum curassem, me invito cum maxime ac nolente hos ludos dari, Theologi Hagani, ut prudentes viros decebat, judici ad ecclesiam maritales caeremonias remittenti negaverunt, se sine consensu meo quicquam fore facturos, cum auctoritate juris divini prohiberi se asseverarent. Requiri enim mutuum in matrimoniis assensum, tam divinis quam humanis legibus. Jam a civili aut saeculari Magistratu matrimoniale sacramentum administrari, quam a caeremoniis Romanis aversum sit, una omnium optime intelligit

ligit Majeſtas veſtra. Certe facti fine exemplo violenti novitas omnium apud nos indignationem concitavit, cujus & ipſum judicem pudere coepit, ex quo prolatae ſunt a me epiſtolae complures, quas interceperam, per hanc Venerem exaratae ad Adonidem e ſuis nonneminem, adeo obſcenae ac ſpurcae, ut juſtiſſimum lupanari cuivis ruborem incutiant. Adeo enim moris antiqui non fuit immemor haec Penelope, poſt pertractum in partes ſuas judicem, ac hominem plurimis flagitiis homicidiiſque coopertum, qui alias inter caedes Baronem Gallum adoleſcentulum adhuc & fere puerum obtruncarit Hagae Comitum, in domum ſuam ſinumque abdiderit: ac tandem in Sueciam e Batavia noſtra abduxerit. Gallum is ſe gente falſo ferebat, ac *Johannem de la Baſtide* vocitari, cum patriam haberet Dantiſcum, ac nomen illi eſt *Chriſtiano Bertſmanno*. Hunc maritum eſſe ſuum prae ſe tulit toto itinere, Patrem quoque ſuum hunc appellavit noſter. Convenientiſſimum nempe maternae pudicitiae fuit, ut filio pater inter latrones eſſet quaerendus & qui, ne matris libidini obſtaret, in aliud ſe noctu conclave dormitum recepit, relictis in uno eodemque cubiculo duobus amantibus. De his aliiſque, cum per indubitata rerum teſtimonia judici conſtitit, de diſſolvendo matrimonio operam ſuam mihi obtulerunt, ſed quod urgerem ego ſententiam, omnem tanquam inique latam, eſſe abrogandam, id ſine certiſſima ſua ignominia fieri haud poſſe contendentes, rem hactenus tenuere ſuſpenſam. Nunc de filio. Hic cum materni dedecoris jam a teneris domeſticus fuiſſet ſpectator, ad ejus ingenium ſeſe prorſus ex illo accommodavit. Liceat mihi apud Majeſtatem tuam diſſimulare, quae illi adhuc incomperta ſunt: & quae mihi tantum maeroris attulerunt, ut ab omni mortalium conſortio maluerim ſubduci, meque in hunc angulum humanis congreſſibus ferme inacceſſum recipere, quam tot ac tanta, tam indigna noſtro nomine de illo alia ex aliis, quae narrabantur, audire. Evenit ergo ante hoc biennium, quod eventurum diu praevidimus, ut dum nocturnis graſſationibus ex ſolito indulget, obvium hominem inermem armatus ipſe obtruncarit. Adeo curae illi fuit numeris omnibus ſe dignum praeſtare latrone illo, quem parentem in itinere Succico adſciverat. Habebat tum duos comites, fateor. Sed qui atrocis facti invidiam omnem edito in vulgum libello prolatiſque teſtibus a ſe amoliuntur, atque in illum unum convertunt, etiam ex ipſius liquida confeſſione. Profugus itaque ac proſcriptus deſperatoque in patria reditu, cum in aula Gallicana fortunis ſuis praeſidium nonnihil apud illuſtriſſimum *Colbertum* alioſque, qui hominem, qualis eſſet, intelligebant, nequicquam quaeſiviſſet, id reliquum rebus ſuis unum habuit, ut Majeſtatis tuae benevolentiam captaret. Caeterum latrocinii hujus, ob quod praecipue mihi privatim inviſus eſt, & merito, adeo poenitentia non ducitur, ut poſt perpetratum id facinus mihi per litteras parricidium interminari ſit auſus, niſi matrem ſuam nutriam ac ſuſtentem, quod judex, quem in caeteris iniquiſſimum ſum expertus, mihi non eſt auſus oneris imponere. Quid quod ultimis adhuc litteris in urbe exaratis pari confidentia minatur, niſi ſubminiſtrentur ſibi a me porro ad victum neceſſaria, ſe curaturum, ne quod aeris mei apud

Majeſtatem tuam reſtat, unquam perſolvatur. Si per latrocinia & vitam in caeteris tam nefariam, ad veram rerum divinarum cognitionem pervenitur, caecutire me non poenitet. Caeterum, cum fiſcus, qui illum proſcripſit, manum non ita nuper injecerit alimentis, quae eum in uſum a me praeſtari ſolebant, publicae auctoritati quî me exhibere poſſim inobſequentem, quae eſt aequitas Majeſtatis veſtrae, ſatis reor apparere. Habes cauſas, Domina, niſi mihi blandior, ſufficientes, cur pro filio legitimo hunc mali corvi, quod ajunt, malum ovum non agnoſcam, habet enim, quod non matri tantum ſuae, ſed ſibimet quoque ipſi ſe debere hîc intelligat. Vidiſti pro me ſtantes Eccleſiae Belgicae, vidiſti ſtantes Romanae, cum jure univerſo gentium ac publici moris, leges. Si culpae nihil admiſiſſet, quî ad aram Regiae Clementiae confugit? Ego autem in caeteris, quae ſalva exiſtimatione mea confieri poterunt, ſemper oſtendam, nihil eſſe in univerſa rerum natura magis devotum, addictumque tibi, & de quo ſtatuere certiorem in modum pro arbitrio poſſis, quam, Princeps Auguſta, de Majeſtati tuae omni nexu mancipato. Vianae Decemb. CIↃIↃCLXXIX.



NICO-

Digitized by Google

NICOLAUS HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Hagam.

Has epistolas paucas, inter abjectas schedas nuper repertas, hic subjicere placuit: eas lector ad suum locum referre poterit. Haec inserenda est tom. III. pag. 50. post Epist. XLV.

HEros clarissime. Ut videas quami curae mihi sint res tuae, *Sebragius* hodie mihi adfuit, qui cum de fasciculo Norimbergensi mentionem fecisset, miratus sum nondum tibi redditum esse. Statim itaque D. *Tatium* accessi, is ad *Elzevirios* me ablegavit, quibus tradidisse se affirmabat. Custodem Bibliopolii eo ipso momento conveni. Is respondit, *Bonaventuram* hodie mane Hagam profectum esse, nec dubitare, quin una secum ad vos transtulisset. Nunc itaque moneo, apud ipsos inquiras, tarditatem enim eorum in ejusmodi rebus curandis probe nosti. De nobili Gallo iterum ne obliviscaris rogo, Nam brevi proficiscetur. De loco Ovidiano judicium tuum expecto. Alter, isti quem adjunxeram, satis firmus est, nihilque in eo mutandum; quod ante, commentatorum ineptiis deceptus, suspicatus eram. Nunc, cum locum ipsum accuratius perlego, praecipitantiam meam accusare cogor, qui loco ne quidem inspecto, aliorum somniis fidem adhibui. In Persiano loco adhuc persevero; cui & haec adjungo. Sat. 6. statim ab initio,

Mox juvenes agitare jocos, & pollice honesto
Egregios lusisse senes — — —

MSSus optimae notae habet,

Egregius lusisse senex.

Paulo post,

Curvus ob id minui senio, aut caenare sine unctis,
Et signum in vapida naso tetigisse lagena

MSSus hunc interserit versum;

Caenare sine unctis
Doctus, & ad calicem vigilanti stertere naso,
Et signum &c.

quem versum alibi me legisse memini, ut fortassis ex commentariis in textum translatus sit. Plura non possum; nugari enim debemus. *Boxhornius* vehementer aegrotat, laborat eo morbo, quem nos vocamus, *Rootjonck*. De *Fabricio*, quae *Pilius* attulit, gratissima fuerunt. Leidae CIↃIↃCXXXVIII. 18. Maji.

EPI-

Digitized by Google

NICOLAUS HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Hagam.

Inferenda p. 64. poſt Ep. LIX.

SCripſeram hodie luculentas ad te; ſed quae *Andreae* noſtri ſecuritas eſt, nautam jam profectum fruſtra quaeſivit. Interea *Caſauboni* Epiſtolae comparent. Quare illis alteras has addo, ſed breviores eas ſeraque ſcriptas veſpera. Pro epiſtolis *Caſauboni* quantum tibi debeam, quot ſunt quotque fuere mortalium venuſtiſſime, dici non poteſt. Et quia dici non poteſt, praeſtat facere, quam nihil dicere. Gratum interim me futurum ſpondeo. Faſciculum hunc quamprimum fieri poterit ad D. de *Thienboven* curabis, meque commendabis. Formulas non addo, ne te hominem fori conſultum docere videar. Epiſtolas *Caſauboni* primo impetu devorabo; hodie mihi vix videre licuit, ea fuit parentis mei curioſitas. de humanitate domini *Riveti* quidvis ſibi pollicetur, & fortaſſe nimis magna. Sed hoc inter nos. Interim immortales ago tibi gratias, qui in tantum me beaſti, acturus plures, ubi reapſe id licuerit. Verbis enim meis nolo quicquam tribuas. Domino de *Thienboven* an grata fuerit opera mea fac ſciam. Doleo certe hunc tam exiguum faſciculum tam magno a nobis emptum pretio. D. *Merano* hunc Catalogum Leidenſis Bibliothecae trades, & me. Haec ſcribebam multa veſpera, praeclare ſatis ab amicis exceptus. Vale Raptiſſime. CIↃIↃCXXVI. XVII. Oct.

NICOLAUS HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Inferenda poſt Epiſt. LXIII. pag. 70.

HEros amiciſſime. Hactenus impatienter tuas expecto, fruſtra tamen. Parce quaeſo odioſus eſſe, niſi enecare mortalem hunc tibi viſum. Nunc cum aliud ad manus non eſſet, orationem hanc manibus *Petri Cunaei*, hominis, dum vixit, tui amantiſſimi conſecratam, mittimus. *Fabricius* noſter gemitus ſuos adjunxit, ut vides. Herois noſtri, ſcis quem putem, Lacrymae ex ſecunda nunc prodiere editione. Primam ſi habes, inter theſauros tuos reponatur. Eam enim pro genuina amicus noſter agnoſcit. *Caeli induperator* & *Jupiter Infernalis* a theologorum ſupercilio miſerrime vapularunt. Ita ut quicquid hoc eſſet nugarum, totum delere fuerit coactus, niſi primum inter Crocodili Lacrymas, quas *Voetius*, niſi fallor, nuper edidit, locum vindicare ſibi maluiſſet. Veniet poſt annos fortaſſis centum Antiquarius aliquis, qui Epigramma hoc Ennio vel Andronico vindicabit. Et profecto audivi magno cum applauſu a *Delmanborſtio* fuiſſe id approbatum. Malim tacere potuiſſet, he-

heros diſertus. Sed ne ego quoque illo carere morbo me confiteor. De reliquis judicium tuum expecto. *Fabricii* noſtri divina Poëmatia jam, ſcio, accepiſti; hoc demum eſt non nugari, tam Latina, tam polita omnia. Gratulor mihi immortalitatem, quam contraxi indubitatam amici noſtri praeconio. Poſteritatis tamen me miſeret, cui tam feſtive impoſuit. Nunc reſtat, ut & mea in lucem proferantur, ſi bona fide cum illis actum non nolim. Et tamen fieri hoc poſſet, quoniam ſic placet amicis meis. Illis quicquid erit nugarum exponam. *Cabeliavius* ante diem aut alterum ſcripſit mihi *Barthium* jampridem obiiſſe. *Stratenus* noſter in Zelandia nunc eſt. Vale, Heros maxime, & brevi tuas videamus aut te. Leidae CIↃIↃCXXXVIII. XXIX. Decemb. Parens meus enixe rogat literas has per ancillam veſtram cures ad Thalaſſiarcham perferendas.

NICOLAUS HEINSIUS

J. Fr. Gronovio.

Hagam.

vid. Epiſt. LXVII. cui videtur reſpondere.

PRO divino munere tuo, quid reponam nunc tibi, aut quas acturus ſim gratias, ita me venuſtas tua & venus ament, totus neſcio. Patere itaque relligione vel tacita incomparabiles virtutes tuas adorare. Hoc affirmare poſſum a diebus jam tribus nullum inſpexiſſe me librum, ita veneres tuae me ceperunt. Laudare amicos ſcis quam non poſſim. Neque certe iſtas minutias inexhauſta illa tua rerum atque literarum admittat cognitio. Si quid foetui tuo nonnulli detraxerint, invidiae totum hoc debebis, cui exponendus fuit is, quem tu tot beatum dotibus prodire voluiſti. Ad ſingulas, vel minimas obſervationes tuas haereo, & inde mihi diſco, quum nihil adhuc ſciam. Panegyricum tibi nunc ſi pararem, poſſem ſcio, ita totus undiquaquam numine tuo ac genio afflatus ſum. Sed o frater, frater, quid ego nunc te laudem? ſatis certo ſcio: nunquam ita magnifice quicquam dicam, id virtus quin ſuperet tua. Itaque hanc rem me habere praeter alios praecipuam arbitror, fratrem homini nemini eſſe primarum artium magis Principem. Emendationes in Ovidium omnes divinae ſunt. Ut nunc demum videam, multa praetermiſiſſe me fide optima, quae obſervari maxime merebantur. Plures vellem addidiſſes. Nonnullae ſunt, in quibus uterque concurrimus, earum unam pulcherrimam, & in qua vel inprimis mihi placerem, ſi pateris, tibi invideo. Epiſt. XV. 113. *Poſtquam ſe dolor invenit.* Dii boni, quid venuſtius? Hauſeram eam ex duobus chartaceis, tuo & Scriveriano, totumque illi caput promiſeram. Primo verſu tamen omiſeras, forte quod tanti non eſſet, legendum *lingua palato*, quomodo meliores Codd. ſane τὸ *verba* Gloſſam ſapit. Deinde recte ob-

ſervas *ruptis comis* eſſe legendum. Id verbi reſtituimus etiam pos epiſtolae Ariadnes

Protinus adductis ſonuerunt pectora palmis,
Utque erat è ſomno turbida, rupta coma eſt.

Sic enim Berſmanni ora, quod ille non intellexit. *Scriptii* excerpta expecto, inde conferam me ad emendationem Epiſtolarum, & libellum inde conficiam, cenſurae tuae offerendum. In iis potius, quam in Plaude vellem feſtinaret. Gratias ipſi ages pro iſto labore, & me viciſſim totum illi devovebis. *Boxhornius* ne exemplaria noſtra videat, quod ſerio mones, fruſtra fuiſti. Qui enim latere illum potuit, quod non ignorabat *Comelinus*, is illi hoc ſuggeſſit. Itaque cum amicus noſter compoſito, ut fit, vultu conſuluiſſet me de meo exemplari, eidem reſpondi unum idemque cum ſuo eſſe. ibi ille me accuſare, noſtramque teſtari amicitiam, qui in rebus tam parvi immo nullius momenti, tam ſplendide ipſi mentitus eſſem: tonuiſſe ſub terra putes. Parens meus, qui Hagam profectus hodie eſt, coram haud dubie aget gratias. *Fabricium* cum vobis in Hollandica fuiſſe aula jam praeſenſeram, tam ſplendide in me ſtomachatus eſt. Profecto nollem verba mea apud amiciſſimum caput tam male eſſes interpretatus. Κορυλίων ille, quiſquis eſt, innocentiſſimum pecus, dignus eſt, qui Priapo immoletur. Falleris tu, ſi cornutum tantum eſſe putas, etiam auritus eſt. Et hoc vos non neſcitis. Videor enim videre mihi, quam miſere hominem excipiatis, totum oſtrea eſſe dicas. Sed quid hoc vult ſibi, quod κεφαλόποδας illos veſtrates toties oggeratis nobis. Solis putatis eſſe delicias illas vobis? etiam hîc dii ſunt. Puellas ſane Leidenſes habuere quod opponerent. Rogate quaeſo hominem, ipſe non negabit. Cogitaveram ad vos, ſed impediit hoc repentina Nobiliſſimi juvenis *Henrici Ploeſi* mors, quem in Galliis occubuiſſe haud dubie intellexeris. Ea male nunc me habet. Utinam vos ipſi parentaretis, ſaltem non recuſabit hoc *Fabricius*, nec dubita quin patri hoc graciſſimum futurum ſit. Interim facite vos videam. Etiam hîc oſtrea, etiam Rhenanum eſt. vale. Januar. CIↃIↃCXXXIX.

NICOLAUS HEINSIUS

N. N.

Hagam.

Credo eſſe ſcriptam ad Iſaac. Voſſium, ſed non erat adſcriptum nomen.

CLariſſime utque Amiciſſime vir. Inſignis injuria, qua ab *Elzeviriis* adfectum me indignor, ut ad te confugiam, nunc facit. Poëmatum meorum edi-

editionem *Johannes* affinis tuus in se receperat, antequam anno proxime elapso pedem e patria moverem. Manum etiam operi admovit postea, & supremam quin imponeret, parum abfuit. Miratus interim ego editionis moram, quae tot jam traheretur mensibus, intelligo, monitum typographum eo in libello nonnulla occurrere, quae *Salmasium* tangant, detrectare susceptam provinciam. Qui certe nuncius, ne quid dissimulem, bilem acerrime mihi movit. Quot & quanta beneficia Parenti meo debeant *Elzevirii*, tu omnium nosti optime: quorum tamen memoriae, quae constantius inhaere illis debuerat, adeo ratio nulla habita est, ut reveriti non sint, famosos *Salmasii* libellos, quibus existimationi ejusdem mei Parentis, *Goesique* nostri ac meae palam insultaret homo scelestus, procudere. Nec semel iterumque hoc tantum, sed frequentissime. cumque injuriam hanc non dissimularemus, id responsi tulimus, typographos se ac lucri studiosos esse, literarum etiam imperitos, rationem proinde ab ipsis non exigendam eorum, quae in lucem proferrent. Si quid contra *Salmasium* moliremur, edituros etiam id se libentissime. Nunc quam ingenuos se in negotio meo profiteantur videamus. Characterem in poëmatis meis hominis maledici dedi, quem *Alastorem* appello. *Salmasii* nomen nusquam expressi, & ut expressissem maxime, mirum id videri nemini deberet, qui perspectas habeat, quas cum illo exercemus, simultates. Non multis antequam e patria discederem diebus (ne veteres injurias nunc tangam) epistolam suam praelegi mihi jussit, in qua non modo uxoris suae existimationem a me proscissam in aula Suecica impudentissimo mendacio adfirmare audet, sed nebulonem etiam ac impostorem me vocat, multisque me ac patrem conviciis excipit, magnum denique malum nobis solens minetur. An ad haec tacerem ego! Quid quaeso aliud id fuisset, quam conviciis illis subscribere, & mendacium ejus approbare? Primo itaque adfirmavi illi, qui jussas mihi literas impurissimi Sycophantae exhibuit, nullam in accusatione ista meam culpam esse. Promisi etiam & curavi minas istas me praeventurum. Quid? quod assiduis postea amicorum admonitionibus ex Suecia certior sum factus, dira illum multa non moliri tantummodo in me, sed parata jam habere. Poteram itaque apud bonos omnes videri existimationis meae, quae tot telis impeteretur, prodigus, si insultus hominis stolidissime ferocis non conarer amoliri: praesertim cum vindictae materia & occasio nequaquam mihi desit. Sciant itaque & intelligant *Elzevirii* ex te rogo, quam bene voluerim ac consuluerim illis hactenus, tam male me consulturum impostorum, si cunctatione ista sua ab adversario me praeveniri patiantur. Adeo non desunt illis inimici, ut facili negotio inventurus sim, quem contra eos fovere possim. *Goesio* interim nostro in mandatis dedi, ut alium typographum poëmatis meis edendis quaereret, si *Elzevirios* ad aequiora non posset pertrahere. Spero precibus illum meis accessurum. Mihi enim certum est ac penitus fixum vita prius privari, quam existimatione. Adversarius vero, quod fortunis in Suecia meis magnum minari malum pergit, perridiculum se praebet. Cum enim praesens in aula illa omnem lapidem tam apud Reginam, quam apud alios moverit, ut male mihi

esset, omnesque eo cogitationes tum converterit irrito successu; quam ab absente nihil mihi nunc sit metuendum, facile intelligis. Fingamus tamen a stultissimis minis illis periculum esse, existimationem fortunis praetulisse tanto longe pulchrius arbitrabor, quam fortunas existimationi. Vertat denique se in omnes formas, nunquam effecerit, ne ego freneticum ejus sinciput helleboro non detergeam. Vale, vir Clarissime, & festinationi ignosce. Romae Anno X xv. Martii. CIↃIↃCLII.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON 1893

IN-

INDEX.
EORUM QUI EPISTOLAS SCRIPSERUNT.

Literae a. b. c. d. e. Tomos designant.

A.

ABengochea, *Dominic*, Lipsio. b. 114
Aersenius, *Francisc.*, Lipsio. 560
Allatius, *Leo*, Nic. Heinsio. e. 436
Alnpeckius, *Joh.*, Lipsio. b. 69
Andreas, Episcopus Wratislavienſis, Lipsio. 613
Anslaer, *Guil*, Nic. Blancardo. b. 642
Anonymi, Corn. Walthero & Gregor. Cassandro b. 236
——— Isac. Casaubono. b. 446
——— N. N. b. 481
Arcerius, *Johan.*, Lipsio. 449
Argensola, *Lupert. Leonard*, Lipsio. b. 112
Arnoldus, *Christoph.*, Nic. Heinsio. e. 342
Aurelius Lessignienſis, *Julianus*, Hadriano Mario b. 231

B.

BAngius, *Thom.*, Dan. Heinsio. b. 458
Barclajus, *Guilel.*, Lipsio. b. 25
Baronius, *Caesar.*, Lipsio. b. 58
——— *Joan.*, Moreto b. 185
Bartholinus, *Thom.*, Nic. Heinsio. b. 815
Baudius, *Domin.*, Lipsio. b. 254
Beffa Nigrinus, *Anton.*, Lipsio. b. 71
Bellarminus, *Robert.*, Lipsio. b. 57
Bencius, *Francisc.*, Lipsio. b. 6
Berchemius, *Hieron.*, Lipsio. 626
Berckelius, *Abrah.*, Nic. Blancardo. b. 651
Bertius, *Petrus*, Lipsio. 578
Bosius, *Jo. And.*, Nic. Heinsio. e. 209
Bibran, *Abrah.*, Lipsio. b. 144
Bircovius, *Fabianus*, Lipsio. b. 15
Blancardus, *Nic.*, Abr. Berckelio. b. 653
——— Davidi Gifferio. b. 663
——— J. F. Gronovio. b. 631
——— Isaac. Grutero. b. 639
——— Jongstallo b. 649
——— Jac. Lydio b. 644
——— Th. Munckero b. 656
——— Salmasio. b. 621
Blotius, *Hugo*, Lipsio. 423
Bochartus, *Samuel.*, N. Heinsio. e. 707
Bollandus, *Joan.*, Nic. Heinsio. b. 777, 784
Boetzelarius Baro, *Gedeon*, Lipsio. 604
Boisotus, *Joh.*, Lipsio. 659
Bonciarius, *M. Anton.*, Lipsio. 654
——— ——— Velsero. b. 186
Bongarsius, *Jacob*, Lipsio. 50
Boretius Chanlieu, *Jacob*, Jos. Scaligero. b. 368
Bosius, *Simeon*, Jos. Scaligero. b. 308
Boschius, *Joh.*, Nic. Heinsio. b. 828
Brantius, *Johannes*, Lipsio. 94
Brederodius, *Pet.*, Lipsio. 587
Brunonius vel Bruningius, *Christ.*, Lipsio. b. 4
——— ——— Rosweido. b. 187
Buclandus, *Rutal*, Lipsio. b. 184
Burchius, *Lambertus*, Lipsio. 494
Buillaldus, *Ism.*, Nic. Heinsio. e. 586
Busbequius, *Augerius*, Lipsio. 213
Buxtorfius, *Joh.*, Jos. Scaligero. b. 362
——— Dan. Heinsio. b. 416
Buyckius, *Nic.*, Lipsio. 612
Buytewechius. *Gerard.*, Lipsio. 681
Bynaeus, *Anton*, Nic. Heinsio. b. 825

C.

CAlvinus, *Joh.*, Phil. Melanchthoni b. 229
Camerarius, *Joach.*, Lipsio. 2
——— *Ludovicus*, Dan. Heinsio. b. 460
Campius, *Jacob.*, Lipsio. 554
Canterus, *Theod.*, Lipsio. 590
Carondeletus, *Jacob.*, Lipsio. 467
Carrion, *Ludov.*, Plantino, *Christophoro*, 9
Carpzovius, *Fred. Bened.*, Nic. Heinsio. e. 273
Casaubonus, *Isaac.*, Lipsio. 365
Casalius, *Joh.*, Lipsio. 126, 450
Chifletius, *Joan.*, Lipsio. 726
Chioccus, *Andr.*, Lipsio. b. 122
Christina Augusta, Regina Sueciae, *Nic. Heinsio.*, e. 750
Christianus, *Q. Sept. Flor.*, Jano Douſae b. 312
Christmannus, *Jacob*, Jos. Scaligero. b. 318
Chytraeus, *Nathan*, Lipsio. 490
Claverius, *Stephan*, Jos. Scaligero. b. 346
Clusius, *Carolus*, Lipsio. 311
Coccius, *Joh.*, Nic. Heinsio. b. 809
Cobelius, *Philippus*, Anonymo. b. 224
Colinus, *Joan.*, Nic. Heinsio. b. 805
Colvius, *Andr.*, Dan. Heinsio. b. 461

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON 1893

Digitized by Google

Colvius. Cl. Salmaſio. b. 617
Correa, *Emman*, Lipſio. b. 62
Columbus, *Joh.*, Nic. Heinſio. c. 163
Covarruvias Leiva, *Anton*, Jano Douſa. 91
——— Lipſio 92
Covarruvias, *Anton*, Lipſio. 444
Crato a Craftheim, *Joh.*, Lipſio. 235
Cripius ſecundus, *Gulielm.*, Lipſio. 750
Cueillyacus, *Jacob*, Lipſio. 755
Cuyckius, *Henr.*, Lipſio 589
Cuperus, *Gisb.*, Nic. Heinſio. b. 665
Cyrillus Lucaris, Lipſio. b. 67

D.

DAmman a Biſterveld, *Hadrian*, Lipſio. 453
Daumius, *Chriſt.*, Nic. Heinſio. c. 210
Dauſquejus, *Claud*, Lipſio. b. 148
Deckerius, *Johan.*, Lipſio. b. 168
Delly, *Janus*, Nic. Heinſio. b. 799
Delrius, *Martin. Anton.*, Lipſio. 501
Diemenus, *Gaſpar*, Lipſio. b. 181
Dieſt, *Henricus*, Dan. Heinſio. b. 459
La Doderie, Lipſio. b. 142
Donellus, *Hugo*, Lipſio. 304
Donius, *Joh. Bapt.*, Dan. Heinſio. b. 470
Douza, *Janus*, Lipſio. 219
——— *Janus fil.*, Lipſio. 226
——— *Franciſc.*, Lipſio. 233
Dreſſerus, *Matth.*, Lipſio. 304
Ducaeus, *Fronto*, Lipſio. 645
Dudithius, *Andr.* Lipſio. 215
Dumay, *Paulus*, Joſ. Scaligero. b. 367

E.

ELlingerus, *Andreas*, Lipſio. 4
Elmenhorſtius, *Enoch.*, Joſ. Scaligero. b. 345
Erneſtus, Elector Colonienſis, Lipſio. 671
Erpenius, *Joh.*, Nic. Blancardo. b. 625
Eſychius, *Joan.*, Lipſio. 711

F.

FAber, *Huppertus*, Lipſio. 656
Fabricius, *Vinc.*, Nic. Heinſio. c. 787
Fabrottus, *Car. An.*, Nic. Heinſio. c. 582
Falconerius, *Octav.*, Nic. Heinſio. c. 473
Falconius Auratus, *Simon*, Joſ. Scaligero. b. 312
Falkenburgius, *Gerard*, Lipſio. 6
Ferrerius, *Hieron.*, Lipſio. b. 64
Fienus, *Thom.*, Lipſio. b. 79
Franckenberg, *Reinold*, Dan. Heinſio. b. 469
Freherus, *Marq.*, Lipſio. 417
Frencelius de Pridenthal, *Salomon*, Lipſio. 732
Friſchlinus, *Nicod.*, Lipſio. 303

G.

GEntilis, *Scipio*, Lipſio. b. 30
Gerdes, *Joach.*, Dan. Heinſio. b. 461
Geſnerus, *Conrad.*, Georg. Caſſandro. b. 256
Gevartius, *Caſp.*, Nic. Heinſio. b. 762
Giſanius, *Hubert*, Lipſio. 339
——— Joſeph. Scaligero. b. 309
Giffenius, *David*, Nic. Blancardo. b. 658
Gillius, *Petrus*, ad amicum. b. 232
Gillot, *Jac.*, Joſ. Scaligero. b. 369
Giſelinus, *Victor*, Lipſio. 153
Goldaſtus, *Melch.*, Lipſio. 153
Gothofredus, *Dionyſ*, Lipſio. 387
Graevius, *J. G.*, Nic. Heinſio d. 1
Groenewegius, *Mihael*, Lipſio. b. 179
Gronovius, *Jacob.*, Nic. Heinſio. c. 551
Gronovius, *J. F.*, Cl. Salmaſio, b. 522. & ſeq.
——— Nic. Blancardo. b. 625
——— Nic. Heinſio. c. 1. & ſeq.
——— Jan. Bodechero Banningio. c. 8.
——— Th. Reineſio. c. 207
Gronovius, *Laur. Theod.*, Nic. Heinſio. c. 547
Groſlotius Liſlaeus, *Hieron.*, Lipſio. 348
Grotius, *Hugo*, Geverh. Elmenhorſtio. b. 440
——— Caſp. Gevartio. b. 448
——— Danieli Heinſio. b. 383
——— Joh. Hemelario. b. 443
——— Lipſio. 342. b. 63
——— Jano Rutgerſio. b. 380
——— And. Schotto. b. 441
Gruterus, *Janus*, Lipſio. 267
——— Caſp. Barthio. b. 377
——— Joh. Meurſio. b. 379
Guaſtavinus, *Julius*, Lipſio. 759
Guilielmius, *Janus*, Lipſio. 177
Gutenſtein, *Leonard*, Joſ. Scaligero. b. 345

H.

HAnniel, *Ignat.*, Joſ. Scaligero. b. 371
Hanſenius, *Joh. Bapt.*, Lipſio. b. 75
Harge, *Splentirus ab*, Hadr. Mario. b. 222
Hartius, *Otho*, Lipſio. 367
Heinſius, *Daniel*, Elmenhorſtio, b. 445
——— N. N. b. 45. 471
——— Polyandro, *Johanni*, b. 454
——— Scoto eidem. b. 454
Heinſius, *Nicolaus*, Apollini *Chriſtiano*, c. 343
——— Borbario, *Samuli*, c. 798
——— Boſchio, *Johanni*, b. 819
——— Bourdelotio, *Petro*, c. 788

Hein-

Heinſius, *Nic.*, Byneca, *Antonio*, b. 826
——— Carpovio, *Fred. Bened.*, c. 275
——— Chriſtinae, Reginae Sueciae c. 734
——— Coccio, *Johanni*, b. 810
——— Colino, *Johanni*, b. 806
——— Columbo, *Johanni*, c. 164
——— Cupero, *Gisberto*, b. 666
——— Daumio, *Chriſtiano*, c. 212
——— Fabricio, *Vincentio*, c. 288
——— Falconerio, *Octavio*, c. 474
——— Falconerio, *Paulo*, c. 577
——— Gevartio, *Caſpari*, b. 763
——— Graevio, *Joan. Georg.*, d. 28
——— Gronovio, *Jacobo*, c. 552
——— Gronovio, *Johan. Frid.*, c. 24. c. 807
——— Gronovio, *Laur. Theod.*, c. 548
——— Huetio, *Petr. Dan.*, c. 740
——— Joly, *Claudio*, c. 721
——— Mare, *Philiberto de la*, c. 685
——— Mareſio, *Rolando*, c. 605
——— Medonio, *Bernard.*, c. 618
——— Meibomio, *Marco*, b. 821
——— Munckero, *Philipp.*, c. 422
——— Munckero, *Thomae*, c. 348
——— Papenbrochio, *Daniel.* b. 787
——— Perizonio, *Jacobo*, d. 736
——— Petito, *Petro*, c. 723
——— Phorbaeo, *Joanni*, b. 819
——— Reineſio, *Thomae*, c. 187
——— Rhodio, *Johann.*, c. 466
——— Rondinino, *Natali*, c. 467
——— Rottendorffio, *Burc.*, c. 166
——— Rubenio, *Alberti*, b. 755
——— Scheffero, *Johanni*, c. 2
——— Schelio, *Radb. Herm.*, b. 739
——— Seguino, *Petro*, c. 715
——— Sligtenhorſtio, *Arnol.*, c. 755
——— Spanhemio, *Ezechiel*, c. 808
——— Tennulio, *Samueli*, b. 805
——— Thevenoto, *Melchiſed.*, c. 720
——— Valeſio, *Hadriano*, c. 700
——— Valeſio, *Henrico*, c. 698
——— Vlitio, *Jano*, c. 755
——— Vorſtio, *Adolfo*, b. 793
——— Voſſio, *Iſaaco*, c. 558. c. 810
——— Wallio, *Hadriano*, c. 856
——— Wallio, *Jacobo*, b. 784
ab Helbach, *Frider.* Lipſio. 661
Hemelarius, *Joh.*, Lipſio. 563
Henninius, *Henr. Chriſt.*, Nic. Blancardo. b. 663
Henſchenius, *Godefr.*, Nic. Heinſio. b. 773
Heraldus, *Deſiderius*, Nic. Heinſio. c. 585.
Hildesheim, *Franc.*, Lipſio 438
Hoeſchelius, *David*, Joſ. Scaligero. b. 353
Hogerſius, *Theoph.*, Nic. Heinſio. b. 823
Hojus, *Andr.*, Lipſio. 662
Holſtenius, *Lucas*, Nic. Heinſio. c. 429
Hopperus, *Joach.*, Corn. Walterio, & G. Caſſando. b. 238
——— Ant. Schoonhovio. b. 239
——— Joh. Birchmanno. b. 240
——— N. N. Cognato. b. 240
Huetius, *Petr. Dan.*, Nic. Heinſio. c. 733

I.

JOly, *Claud.*, Nic. Heinſio. c. 720
Jungermannus, *Gothof.* Salmaſio, b. 483
Junius, *Franciſc.*, Lipſio. 407

K.

KLockius, *Matthaeus*, Lipſio. 389
Knobelſtorf, *Euſtath.*, Georg. Caſſandro. b. 300

L.

LAbbaeus, *Phil.*, Joſ. Scaligero. b. 350
Lampſonius, *Dominic.*, Lipſio. 431
Lantinus, *Joh. Baptiſt.*, Nic. Heinſio. c. 639
Lernutius, *Janus*, Lipſio. 16
Lindenbrugius, *Frid.*, Lipſio. 741
——— Joſ. Scaligero. b. 346
Lingelsheimius, *Georg. Mich.*, Joſ. Scaligero. b. 359
Lipſius Aldrobando, *Cynthio*, Cardinali. b. 81
——— Ameyde, *Arnold. ab*, b. 120
——— Arſenio, *Cornelio*, 457
——— ——— *Franciſco*, 561
——— Ayalae, *Philip.*, b. 35
——— Barbiano, *Veſtrio*, b. 176
——— Barclajo, *Guill.*, b. 27
——— Baudio, *Dominico*, 255
——— Bencio, *Franciſco*, 66, 82
——— Berchemio, *Herm.*, 626
——— Bernartio, *Johanni*, 702
——— Bertio, *Petro*, 280
——— Blyenburgio, *Hadriano*. 454
——— Bongarſio, *Jacobo*, 50
——— Brederodio, *Petr.*, 587
——— Bredio, *Henr.*, 589
——— Breugelio, *Guilel.*, 718

Lip-

Lipſius Brantio, *Joanni*. 645
——— Brouwero, *Chriſtoph.*, 586
——— Burchio, *Lamberto*, 494
——— ——— *Joanni*, 500
——— Buſio, *Paulo*, 124
——— Buytewechio, *Gerardo*, 680
——— Cantero *Theodoro*, 593
——— Carondoleto, *Jacob.*, 470
——— Caſaubono, *Iſaaco*, 368
——— Caſelio, *Johanni.*, 125
——— Cluſio Carolo. 317.
——— Colvio, *Petro*, 212
——— Coornhertio, *Theodoro*, 180
——— Covarruviae, *Antonio*, 91
——— Cratoni a Craftheim. 235
——— Crojo, *Carolo*, Duci Arſchotano. b. 106
——— Cujacio, *Jacobo*, 213
——— Curatoribus Academiae Batavae 555, 557
——— Danaeo, *Lamberto*, 87
——— Daſſonvillaeo, *Guilelm.*, b. 3
——— Delrio, *Martino Antonio*, 504
——— Douzae, *Jano*, 217
——— Dudithio, *Andr.*, 214
——— Dutckio, *Francis*, 562
——— Egmondo, *Petro*, 52
——— Egmondo Nieuwenburgio, 253
——— Elmenhorſtio, *Everh.*, b. 121
——— Everhardi, *Emberto*, 613
——— Fardin, *Petro du*, b. 31
——— Florentio, *Nicolao*, 154
——— Groſlotio Leſlaeo, *Hieron.*, 346
——— Hanſenio, *Joh. Bapt.*, b. 74
——— Hario, *Florent.*, b. 172
——— Heremitae, *Dan.*, b. 121
——— Ingelio, *Regnero*, 632
——— Giſanio, *Huberto*, 340
——— Giſelino, *Victori*, 150
——— Grutero, *Jano*, 277
——— Guilielmio, *Jano*, 177
——— Guaſtavinio, *Julio*, 760
——— Harlaeo, *Chriſtophoro*, 710
——— Hartio, *Othoni*, 166
——— Hauteno, *Johanni*, 82, 87
——— Hayo, *Joh.*, 751
——— Hemelario, *Joanni*, 565
——— Hojo, *Andreae*, 665
——— Humaerollio, *Nic. Librae*, 585
——— Lampſonio, *Dominico*, 128
Lipſius Leeuwio, *Theodoro*, 27
——— Lernutio, *Jano*, 8, 27
——— Lindenbrugio, *Friderico*, 742
——— Livinejo, *Johanni*, 641
——— Lydio, *Martino*, 48, 49
——— Manareo, *Olivario*, b. 160
——— Marchantio, *Jacobo*, 757
——— Mareſcotto, *Agoſilao*, 729
——— Marnixio Aldegondio. 155
——— Meliſſo, *Paulo*, 331
——— Metello, *Joanni Matalio*, 58
——— Mercuriali, *Hieron.*, 261
——— Micaultio, *Nic.*, b. 41
——— Modio, *Franciſc.*, 108
——— Monavio, *Jacob.*, 425
——— Morello, *Federico*, 420
——— Moreto, *Balthas.*, 737
——— ——— *Michaeli*, 749
——— Moro, *Flaminio*, 678
——— Nanfio, *Franciſco*, 673
——— Orano, *Joanni*, 570
——— ——— *Petro* 73
——— Ordinibus Brabantiae. b. 47
——— Ortelio, *Abrahamo*, 157
——— Oudarto, *Nicol.*, 281
——— Pantino, *Petro*, 446
——— Plantino, *Chriſtophoro*, 258
——— Pollioni, *Hermanno*, 115
——— ——— *Everardo*, 115
——— Prunio, *Cornelio*, 149
——— Puteano, *Erycio*, b. 84
——— Raphelengio, *Franciſco*, 186
——— ——— *Franciſco Fil.*, 200
——— ——— *Juſto*, 211
——— Ratloni, *Alexandro*, 127
——— Richardoto, *Joani*, 730
——— Romano, *Adrian.*, 669
——— Roberti, *Romulco*, 736
——— Rubenio, *Phil.*, b. 103
——— Sacco, *Joh. Bapt.*, b. 11
——— a Sancto victore. 719
——— Sandelino, *Ger.*, 744
——— Sargelſio, *J.*, 659
——— Schondoncho, *Aegidio*, b. 44
——— Schoppio, *Gaſp.*, b. 52
——— Schotto, *Andreae*, 55, 104
——— Scribanio, *Carolo*, b. 166.
——— Serario, *Nicolao*, 608
——— Solrano Comiti, *Philippo*, 761
——— Swertio, *Franciſco*, 674

Va-

Lipſius Tholotio, *Adamo*, 600
——— Torrentio, *Lavino*, 474
——— Varicio, *Jacobo*, 713
——— Velſero, *Marco*, 714
——— Viviano, *Joani*, 457
——— Villerio, *Franciſc.*, b. 170
——— Viringo, *Joan.*, b. 165
——— Uweno, *Henrico*, 674
——— Wiltio, *Henrico*, 122
——— Wingio, *Anton*, b. 17
——— Wouwero, *Joh.*, b. 45
——— Yvarae Stephano. 723
——— Xandrino, *Clementi*, b. 175
Livinejus, *Johan.*, Lipſio. 632
Lydius, *Joh.*, Paullo Merulae. b. 376

M.

MAccius Durantianus, *Sebaſt.*, Lipſio. b. 159
Manutius, *Paul.*, Joanni Cratoni b. 383
Marchantius, *Jacob.*, Lipſio. 755
Mare, *Philibertus de la*, Nic. Heinſio. e. 677
Maſius, *Andr.*, Georg. Caſſandro. b. 184
Medonius, *Bern.*, Nic. Heinſio. e. 607
Meibomius, *Marc.*, Nic. Heinſio. b. 817
Meliſſus, *Paullus*, Lipſio. 329
Mendozius, *Nunus*, Lipſio. b. 177
Mercerus, *Joſias*, Lipſio. 307
Mercurialis, *Hieron.*, Lipſio. 261
Metellus, *Jo. Matalius*, Lipſio. 60
——— Georg. Caſſandro. b. 288
Meuſchius, *Theobaldus*, Joſ. Scaligero. b. 357
Meurier, vel Maulpergher, *Philibert*, Lipſio. b. 82
Meurſius, *Johannes*, Lipſio. b. 35
Modius, *Franc*, Lipſio. 106
Molineus, *Joh.*, Georg. Caſſandro. b. 245
——— *Petrus*, Joſ. Scaligero. b. 343
Monavius, *Jacob.*, Lipſio. 424
Montanus, *Arias*, Lipſio. 666
Montius, *Hieron.*, Hadr. Mario. b. 216
Morellus, *Frid.*, Lipſio. 419
——— *Frid.*, Joſ. Scaligero. b. 315
Moretus, *Balth.*, Lipſio. 738. b. 167
Morus, *Flaminius*, Lipſio. 676
Munckerus Philipp. Nic. Heinſio. e. 423
Munckerus, Thom., *Nic.* Blancardo, b. 657
——— Nic. Heinſio. e. 348
Murellius, *Joh.*, Georg. Caſſandro. b. 302

N.

NAnſius, *Franciſcus*, Lipſio. 671
Naſſavius comes, *Wilh. Ludov.*, Lipſio. 450
Nicolaus Nicolai Hadriano Mario. b. 205

O.

ORanus, *Petrus*, Lipſio. 575
Oricellarius, *Bernardus*, Cataneo Diacetio, *Roberto*, b. 197
——— Acciaiolo, *Roberto*, b. 200
Ortelius, *Abrah.*, Lipſio. 162
Oudartus, *Nicol.*, Lipſio. 278
Oultremannus, *Henr.*, Lipſio. 693

P.

PAlacotus, *Gabriel*, Lipſio. 736
Pallandus, *Petrus*, Lipſio. 451
Pantinus, *Petr.*, Lipſio. 443
Papenbrochius, *Dan.*, Nic. Heinſio. b. 785
Patinus, *Guido*, Nic. Heinſio. e. 578
Paullus V Papa Lipſio. b. 175
Peckius, *Petrus*, Lipſio. b. 91
Perizonius, *Jacob.*, Nic. Heinſio. d. 714
Petitus, *Petr.*, Nic. Heinſio. e. 722
Phorbaeus, *Joh.*, Nic. Heinſio. b. 830
Pezelius, *Chriſtoph.*, Lipſio. 305
Pflug, *Julius*, Mentero. b. 202
Pichena, *Curtius*, Lipſio. b. 138
Pierſſenaeus, *Jiermeias*, Lipſio. b. 129
Pigafetta, *Philip.*, Lipſio. b. 60
Pighius, *Steph.*, Lipſio. 1
Pipinus, *Joh.*, Mizialdo, *Joh.*, b. 235
Piſtorius, *Joh.*, Franc. Raphelengio. b. 342
Plantinus, *Chriſtoph.*, Lipſio. 260
Pollio, *Ever.*, Lipſio. 120
Poſſevinus, *Anton*, Lipſio. b. 45
Poſſinus, *Petr.*, Nic. Heinſio. e. 689
Poſthius, *Joan.*, Lipſio. 105
Puteanus, *Erycius*, Lipſio. b. 81

Q.

QUevedo, *Franciſc.*, Lipſio. b. 162

R.

RAderus, *Matthaeus*, Lipſio. b. 33
Raphelengius. *Franciſc.*, Lipſio. 184
——— *Franciſc. fil.*, Lipſio. 200
——— *Juſtus*, Lipſio. 211
Reineccius, *Reinerus*, Lipſio. 266
Reineſius, *Thom.*, Nic. Heinſio. e. 190
Reſcius, *Staniſla.*, Lipſio. 651
Reuſnerus, *Nicol.*, Lipſio. 422
Rhediger, a Striſa, *Nicol.*, Lipſio. b. 37
Rhodius, *Joan.*, Nic. Heinſio. e. 442
Rigaltius, *Nic.*, Lipſio. 674
Richardotus, *Joan.*, Lipſio. 729
Rimainus, *Joan.*, Lipſio. 619

Rittershusius, *Henric.*, Lipsio. 764
——— Jos. Scaligero. b. 325
——— Casp. Barthio. b. 377
Romanus, *Adrianus*, Lipsio. 671
Rondininius, *Natal.*, Nic. Heinsio. c. 468
Roswcidus, *Heribert*, Lipsio. b. 140
Rottendorffius, *Bern.*, Nic. Heinsio. c. 263
Rubenius, *Alb.*, Nic. Heinsio. b. 749
Rubenius, *Phil.*, Lipsio, b. 105
Rulaeus, *Ewald.*, Nic. Heinsio. b. 815

S.

SAccus, *Joh. Bapt.*, Lipsio, b. 8.
Salinerius, *Julius*, Lipsio. b. 126
Sandelin, *Gerard.*, Lipsio. 743
Sarravia, *Adrian.*, Lipsio. 363
Sarmento de Mendoza, *Emman*, Lipsio. b. 57
Sarravius, *Claud.*, Nic. Heinsio. c. 583
Saxo, *Joh.*, Corn. Gualtero. b. 142
Scaliger, *Joseph.*, Lipsio. 237
Scheidlerus, *Robert.*, Lipsio. b. 172
Schefferus, *Joh.*, Nic. Heinsio. c. 1.
Schelius, *Rad. Hor.*, N. Heinsio. b. 736
Schondonchus, *Aegid.*, Lipsio. b. 41
Schoockius, *Martin.*, Heinsio, *Dan.*, b. 463
Schoppius, *Caspar.*, Lipsio. 648
Schottus, *Andr.*, Lipsio. 96
——— P. Scriverio. b. 378
Scriverius, *Petr.*, Lipsio. b. 127
Seguinus, *Petr.*, N. Heinsio. c. 714
Segaetus, *Thom.*, Lipsio. 751
Seldenus, *Joh.*, Cl. Salmasio. b. 619
Septalius, *Lud.*, Lipsio. b. 68
Serarius, *Nic.*, Lipsio. 605
Sforzia, *Franc.*, Cardinalis, Lipsio. b. 39
Sirmondus, *Jacob.*, Lipsio. 632
Slichtenhorstius, *Arnoldus*, Nic. Heinsio. c. 774
Sommalius, *Henr.*, Lipsio. b. 182
Spanhemius, *Ezech.*, Nic. Heinsio. c. 807
Spanochius, *Angel.*, Lipsio. 724
Stanihurstius, *Richard*, Lipsio. 600
Steenberg, *Joh. Bapt. van*, Nic. Heinsio. b. 773
Stuckius, *Joan.*, Lipsio. 492
Sylburgius, *Frid.*, Lipsio. 345
——— Jos. Scaligero. b. 316
Sweertius, *Franc.*, Lipsio. 618

T.

TAssis, *Anton. de*, Joanni Metallo, b. 293
Taubmannus, *Frid.*, Lipsio. b. 73
Taubmannus, Jos. Scaligero. b. 338
Tennulius, *Sam.*, Nic. Heinsio. b. 796
Thevenot, *Melchised.*, Nic. Heinsio. c. 727
Thuanus, *Jac. Aug.*, Lipsio. 404
Titius, *Robert.*, N. N. b. 314
Toelemanus, *Simon*, Lipsio. 602
Torrentius, *Laurinus*, Lipsio. 475
Tregianus, *Francisc.*, Lipsio. b. 133

V.

VAlerius, *Cornel.*, Joach. Hoppero. b. 253
Valesius, *Henric.*, Nic. Heinsio. c. 692
——— *Hadr.*, Nic. Heinsio. c. 699
Varic, *Jacob. a*, Lipsio. 712
a Sancto Victore, *Franc.*, Lipsio. 723
Villerius, *Dionys.*, Lipsio. b. 77
——— *Franc.*, Lipsio. b. 170
Vivianus, *Joh.*, Lipsio. 455
Vlitius, *Jan.*, Dan. Heinsio. b. 481
——— Nic. Heinsio. c. 693
Voetius, *Gisb.*, Dan. Heinsio. b. 468
Vorspulius, *Petrus*, Lipsio. 641
Vorstius, *Adolf.*, Nic. Heinsio. b. 789
Vossius, *J. Gerard.*, Jac. Wittio. b. 622
——— *Isaac.*, Nic. Heinsio. c. 556
——— *Gerard.* Nic. Heinsio. c. 692
Vriendtius, *Maxim.*, Lipsio. b. 90
Vulcanius, *Bonav.*, Lipsio. 556
Uwenus, *Henr.*, Lipsio. 673

W.

WAllius, *Jacob.*, Nic. Heinsio. b. 778
——— *Hadrianus*, Nic. Heinsio. c. 855
Wacherius a Wackenfels, *Joh. Matth.*, Lipsio. 594
Wevelinchovius, *Joh.*, Cl. Salmasio. b. 623
Waltherus, *Cornel.*, Friderico Electori Colonienſi. b. 293
Wilach, *Peregrinus*, Georg. Cassandro. b. 295
Withakerus, *Guilel.*, Lipsio. 252
Wittendellus, *Petrus*, Lipsio. 624

X.

XImenius, *Petrus*, Georg. Cassandro. b. 257
——— *Corn.*, Walthero. b. 281

Z.

ZErotinus Baro, *Carolus*, Lipsio. 336
Zoppius, *Melch.*, Lipsio. 668
Zuichemius, *Viglius*, Joach. Hoppero. b. 254

INDEX II.
VIRORUM CLARORUM ET ILLUSTRIUM.

A.

ABengochea, *Dominicus*, b. 113, 123
Acidalius, *Valens*, 430, 436, 437, 438
Acropolis Marchio. d. 279
Aemilius, *Anton*, c. 266
——— *Georgius*, b. 25. b.
Aerſenius, *Franciſcus*, 169. b. 471
Aicardus, *Paulus*, b 66
Alanus Cardinalis. b. 133
Albinus, *Proſper*, c. 718
Aldobrandinus, *Petrus*, b. 54
Aldegondius Marnixius, *Philipp.*, 155. & ſeq. 272, 692
Aldrovandus. 670
Alenſonius Dux. 15
Alers. 70
Alibaſter, *Guillelmus*, 232
Allatius, *Leo.*, c. 82. 96, 163, 168, 173, 176, 197, 231, 237, 566, 820, 813, 826, d. 83. e. 118, 435. 529, 530, 531, 539, 541
Allinga. d. 257
Almondius. 151
Alſarius, *Vincentius*, c. 777
Altingius, *Henricus*, b. 524
——— *Jacobus*, d 612
Alvares, *Gabriel*, b. 113
Amaſeus, *Pompilius*, 317
Amerbachius. 116, 123
Amerongiae Dominus. d. 129
Amerongius. 383
Ancanterus. 341
Anchemant, Dominus a Marca, *Reinerius*, 22
Andlo, *Petr.*, d. 257
Andre. b 728
Angelocrator, *Daniel*, b. 156
Angelonus, *Franciſcus*, c. 461, 710, 720
Angelus, Clericus ad D. Laurentii. c. 163
Anhaltinus Princeps, *Chriſtianus*, 441
Anſchema. b. 37
Antonius, *Nicol*, c. 510
Antonius, Rex Portugalliae. 56
Aproſius Ventimiglia, vel Intimelius, *Joh. Angelicus*, &c. 164, 165, 167, 173, 174, 175, 181, 184, 190, 192, 194, 201, 219
Apollonius. b. 632
Appelmannus. c. 788
Appelbomius. c. 515, 516, 639
Arcerius. c. 325
Argenſola, *Lupert. Leonard.*, b. 122, 115
Argenterius. c. 461
Archontorus, *Petr.*, c. 265
Armagniacus Cardinalis. b. 235
Arminius, *Jacobus*, b. 380, 428
Arnoldus, *Chriſtophorus*, c. 275, 414, 416, e. 254, 336, 336
Arnulphus Aurelianenſis. c. 265
Aſſendelfius, *Guillelm.*, 47. b. 179
Aſſonvillanus 469, 489
Athenius. *Guillel.*, 265
Auberius. c 601
Aubrius, *Joh.*, 427
Audejantius, *Hubertus*, b. 81
Augurellus. 143
Auguſtinus, *Anton*, 102
Auratus, *Joh*, b. 60, 378
Aurelius, *Julianus*, b. 231
——— Suevus. b. 220
Axelius. c. 136
Axenius. d. 448
Ayala, *Balthaſar*, b. 35
Ayſma, *Poppo*, b. 439
d'Azevedo, *Diegus*, 134
Azzolinus Cardinalis. c. 511

B.

BAckerus. c. 258
Backhuſius. 111, 112
Baerſdorfius. c. 207
Bagnanius, *Bartholom.*, c. 554
Baiffius. c. 127
Balaſidiatus, *Stephanus*, 612
Balduinus, *Franciſcus*, 112, 114. b. 226, 241, 255, 263
Baluſius. c. 318, 320, 323, 326
Balzacius. c. 296, 266, 302, 331. e. 580, 734
Bangius, *Thomas*, c. 456
Bannerius, *Guſtavus Adolfus*, c. 742
Barclajus, *dux navalis Anglor*, c. 95
——— *Guillelm.*, 235, 625. b. 25

Barberinus, *Franciſcus*, Cardinalis. c. 96, 176, 294, 295, 312, 394, 816, 820. e. 473, 475, 711, 749
Barelayus, *Joannes*, b. 25
Bariſonius. e. 443, 444
Barlaeus, *Caſpar*, c. 168, 568, 570, 574, 705, 715. d. 460
——— *Lambertus*, 6. c. 352
Barlouw, *Thomas*, c. 819
Burenius, *Caeſar*, 606, 738, 739, c. 50, 76, 134
Barrovius. d. 177
Bartaſſius, *Guil. Salluſtius*, c. 359
Barthius, *Caſpar*, b. 756, 763, 764, c. 148, 200, 236, 241, 256, 258, 266, 312, 320, 385, 415, 451, 514, 602, 727, 731, 735, 756, 763, 764, d. 17, 19, 23, 25, 26, 33. e. 328
Bartholinus, *Caſpar*, b. 341. c. 167, 183. d. 459, 482
Barthyan, Ungarus. 316
Barvicius, *Johannes*, 431, 432, 595
Baſtingius. 198, 682, 686
Batzonius, *Goſuinus*, 542
Baudius, *Dominic.*, 89, 405, 541. b. 181, 380, 381, 389, 395, 399, 400, 406, 407, 408, 412, 414, 415, 416, 418, 420, 422, 423, 428. c. 221. d. 74
Becharius, *Auguſtinus*, c. 1618
Beek a Leopoliſtad., *Hieronymus*, 423
Beckius, Pictor. c. 601, 631, 639, 643
Becillus, *Caeſar*, c. 439
Beemannus, *Joh. Chriſtoph.*, d. 482. e. 241
Beffa Nigrinus, *Antonius*, b. 72
Behotius, *Adrianus*, c. 163
Beiſius. 207
Belivraeus. 373
Bellarminus. 79, 98, 537
Bellifortius dux. c. 95
Bellonius. 316
Bellonus. e. 742
Bencius, *Franciſcis*, 57, 58, 66, 100, 101, 533, 650, 680
Benedicti Werteloo, *Georg.*, 408
Berchemius, *Hieronym.*, 105, 107, 289, 626
Berckelius, *Abrah.*, c. 539. d. 387, 390. e. 153, 154, 156, 158, 223, 358, 463, 476, 496, 584, 585, 752
Berettus, *Mutius*, e. 143, 368, 369
Berlicomius, *Andreas*, c. 582
Bernardus, *Eduard.*, d. 177
Bernartius. 169, 283, 287, 290, 541, 644. c. 142
Berneccerus, *Matthias*, b. 554. c. 53, 92
Berſaeus. b. 32
Berſmannus, *Georg.*, c. 371
Bertius, *Petrus*, 86, 198, 435, 578, 600, 682, 686, 687, 693, 695, 696, 763. b. not. 402, 446
Berzewitzii fratres. 554
Betzius. b. 214
Beverlandus, *Adrian.*, d. 597, 598, 623, 626
Bevilaqua, Cardinalis. b. 187
Beuningius, *Conradus*, c. 380, 384, 639, 643, 646, 659, 666, 687. d. 23, 258. e. 153
Beyma. 685
Beza, *Theodor.*, 90. b. 213, 241, 257, 292, 263. b. 398, 479
Bibranus, *Abrah.*, 277, 379. b. 190, 350
Budellius, Bibliopola. c. 511
Bieſius. 1
Bigotius, *Emericus*, b. 725. c. 413, 454, 819, 820, 835, 887. d. 34, 39, 44, 48, 57, 58. e. 19, 49, 55, 66, 105, 125, 184, 274, 276, 327, 672
Billainius. d. 574
Billejus. 547, 548
Bulli, *de*, c. 601
Billius, *Jacobus*, 649
Binetus. c. 87
Biſius, *Herman.*, 339
Biſterfeldius. c. 273, 276
Bizarus, *Petrus*, 258
Blankardus, *Everardus*, 45
——— *Nicol.*, c. 209
Blauwius. c. 647
Blondellus, *David.*, c. 263, 295, 570, 575, 602, 605, 643
Blonquius. b. 417, 421, 422, 425, 430
Blotius, *Hugo*, 423
du Bloys. 23
Blumius. 831, 833
Bleyenburgius. c. 207, 209, 887. d. 182, 190, 195
Bocalinus, *Traja*, c. 64
Bochartius, *Samuel*, c. 214, 222, 266, 282, 302, 313, 572, 581, 602, 615, 637. & ſeq. 646, 651, 658, 662, 664, 666, 669, 814. d. 54
Bodecherus. 753. c. 42, 43, 49, 71, 796
Bodenius, *Matth.*, 642
Bodinus, *Joh.*, 30. b. 369
Bodius, *Gisbert.*, c. 444

Bocalinus, *Traian.*, c. 64
Boeclerus, *Joh. Henr.*, c. 228, 242, 245, 248, 254, 269, 286, 359, 390. d. 15, 91, 139, 147, 583
Boeſſius Salvagnius, *Dionyſius*, c. 201, 475, 476. e. 683
Boherius, *Joh.*, c. 835. d. 66. e. 678, 680, 684
Boineburgius. c. 847, 849, 850, 851. d. 138, 139, 154, 160
Boiſſardus, *Janus Jacob.*, 324, 649
Boiſſizius. b. 351
Boiſſotus, *Joh.*, 196. b. 32
Bojus, *Cornelius*, c. 76, 78, 198, 207, 208, 210, 226, 700, 705, 719, 746, 791, 806, 856, 875
Bollandus, *Johan.*, b. 781. e. 266, 267
Bollius. 34, 90, 613
Bonamicus, *Lazarus*, b. 203
Bonciarius, *M. Anton.*, 81, 82, 654. b. 125
Boncompagnius, Cardinalis. c. 581. e. 744, 747, 748
Bongarſius, *Jacobus*, 213. b. 359, 361, 496
Bontius. b. 428
Boonen, *Ingelbertus*, 483
Bort, *Cornelius*, b. 431
Borbonius Cardinalis. 63
Borchius b. 672, 682, 684, 715. d. 260, 667, 669
Borckius, *Adrianus*, b. 318
Borelius, *Johan.*, b. 415, 416
Borellus. c. 825
Borgheſius, *Joach.*, c. 225
Bornius, *Henricus*, c. 458, 465, 471, 737, 746, 748, 750, 752, 754, 759, 770, 771, 868, 889
Borremanſius, *Ant.*, e. 286
Borromaeus, Cardinalis. 486. b. 88
Boſchius, *Joh.*, e. 161
Boſius, *Jo. And.*, c. 854. d. 31, 69, 76, 270, 274, 275, 311. e. 65, 85, 116, 117, 128, 245, 248, 251, 565, 566, 567
Boſwellus. b. 589. c. 49
Botzelarius, *Gideon*, 156, 605
Bourdelotus, *Petrus*, Medicus Chriſtinae. c. 313, 317, 320, 630, 634, 630, 638, 659, 651, 659, 664, 666, 668, 673, 677, e. 636, 710, 711
Boxhornius, *Henricus*, 588
——— *M. Suerius*, b. 535, 549, 567, 571, 575, 583, 584, 586. c. 48, 49, 83, 89, 106, 113, 114, 126, 142, 173, 186, 189, 206, 209, 222, 259, 303, 329, 379, 493, 568, 572, 677, 589, 594, 752, 795. d. 386
Braccianus dux. e. 746, 751
Brachius, *Petrus*, 645
Brahe, *Tycho*, b. 339
——— *Nicolaus*, c. 783
——— *Barthol.*, 441
——— *Laurentius*, 188
Branden, *Nicol. vanden*, 660. b. 32
Bras, *Marchio de*, c. 364, 365
Brederodius. 317, 337, 366, 387, 578, 581, 588
Bredius, *Henricus*, 191, 227, 590
Breugelius. 169, 174, 260, 281
——— Filius. 665
Briennius Comes. c. 474. e. 720
Brioſius, *Jacob. Mor*, e. 695
Briſſonius, *Barnab.*, 55, 179, 460, 581
Brobergius. e. 145
Brouchtonus. b. 491, 494, 514
Brouckhuſius, *Janus*, d. 503, 504, 557, 613, 616
Brucaeus, *Henricus*, 126, 267, 268
Brummerus, *Andreas*, c. 514. d. 71, 73, 80. e. 57, 112, 129, 377
Brullarus Praeſes. b. 28
Brunnerus, *Martinus*, c. 535, 538, 689, 691. d. 71. e. 57, 107, 131, 177, 668. e. 501, 517
Bruno, *Henr.*, e. 600, 696, 701, 703, 705, 710, 718, 719, 734, 763, 766, 767, 875
Brunus, *Johannes*, d. 381, 385
——— *Antonius*, e. 683
Brunonius, ſive Bruningius, *Chriſtian*, b. 6, 187
Bruſtonus, *Matthaeus*, c. 882
Brutus, *Michael*, 109, 342
Buchananus, *Georg.*, b. 451
Buchnerus, *Auguſtus*, c. 493. d. 9. e. 232, 290, 313
Bucretius. 436
Buillaldus, *Iſmael*, c. 161, 174, 220, 266, 286, 359, 393, 422, 445, 566, 568, 718. d. 251
Bullionius. d. 120
Burchius Praeſes. 470
Burgundus, *Nicol.*, b. 443. c. 137
Burgus, *Franciſcus*, 678
——— *Petr. Baptiſt.*, c. 215. e 436
Burmannus, *Franciſc.*, d. 311, 312, 313, 330, 627
Buſaeus, *Johan.*, 72
Busbequius, *Augerius*, 1, 26, 179, 460

Buſchius, *Gabrius*, b. 10
Buſius, *Paulus*, 12, 13, 46, 84, 124, 217, 221, 223, 277, 344, 363
Butewechius, *Ger.*, b. 178
Buxtorfius, *Joh.*, 456. c. 164. e. 627
Buyckius, *Nic.*, 613
Buzelinus. 539
Bye. b. 417
Bynaeus, *Anton.*, d. 395

C.

CAbeljavius. c. 46
Cajetanus, *Daniel*, e. 193
Calixtus, *Georg.*, e. 278
Calviſius, *Sethus*, b. 469
Camerarius, *Joach.*, 108. b. 73
——— *Joach. fil.*, 765
Camers, *Joh.*, b. 641
Cammius. 272
Campanius. c. 576
Campanus. b. 288
——— *Joan. Anton*, e. 156
Campius, *Jacob*, Decanus Bonnenſis. 112, 114, 457
Cangius, *Car. du Frene*, d. 567. e. 325
Cantſius e. 539
Cannobbius, *Alexander*, b. 126
Cant, *Florentius*, d. 169
Canterus, *Guilelm.*, 5, 6
——— *Theodorus*, 191
Canteri. 579, 581
Canterorum Familia, 591
Cantoclarus. c. 816
Capellanus, *Joh.*, c. 495, 500, 523, 525, 535, 806, 814, 815, 835, 875. d. 239, 240, 241, 328, 331. e. 118, 189, 192, 719
Capoſerreus, *Guilelmus*, c. 402, 403. d. 23, 44
Capacius, *Jul. Caeſar*, c. 204, 206
Capatorta, *Paullus*, e. 742
Caponius Cardinalis. e. 744
Capponius. c. 825. e. 754
Caranta a Miranda, *Batthol.*, 134
Carcarius. d. 305
Cardanus, *Hieron.*, b. 375. c. 866
Cardonus, *Daniel*, b. 787
Caroius, *Philippus*, d. 11
Carondoletus. 131, 144, 467
Carpenterius. c. 717
Carpzovius, *Frid. Bened.*, d. 400, 401
Carrion, *Ludovicus*, d. 13, 14, 49, 56, 95, 96, 108, 109, 110, 111, 113, 114, 152, 154, 179, 212, 238, 242, 486, 526, 537. c. 147
Carterius. c. 660, 661
Carteſius, *Renatus*, b. 465, 467, 468
Carus, *Hannibal*, e. 719
Caſalius e. 204
Caſanova. e. 612, 615, 622
Caſaubonus, *Iſaacus*, 257, 384, 407, 546, 553, 581, 640, 641, 697. b. 28, 77, 144, 173, 354, 361, 369, 429, 438, 446, 521. c. 97. e. 208.
Caſaubonus, *Jacobus*, c. 579
Caſaubonus, *Mericus*, c. 82, 197, 436. d. 21, 54, 78, 91
Caſelius, *Johannes*, 125, 268. d. 59
Caſſander, *Georgius*, 137. b. 240. & ſeq. 281, 283, 293
Caſſandus, *vel* Chaſſannus, c. 651, 653, 654, 656, 660
Caſſius, *Chriſtianus*, d. 55, 56
Caſtalio, *Joſeph.*, b. 49
Caſtanaeus. 3. 4. b. 309
Caſtellanus Epiſcopus Matiſconenſis. b. 235
Caſtellio. b. 413
Catzius, *Jacobus*, b. 455. c. 741, 744, 746, 761
Cavalcantes, *Andreas*, 9. c. 671, 825
Cavallerius. c. 193
Caucius. 142
Cauchii. 79
Cauchius, *Joh.*, b. 255 d. 49
Cecconius, *Alexander*, c. 753, 761
Cellarius, *Chriſtopher.*, e. 182
Cellenſis, *Petrus*, e. 140
Celſius, *Magnus*, e. 145, 177
Chambrejus. e. 723
Champagnius Baro. 34
Chapuzellus. c. 453
Chaſſeus. 686
Chavanius, *Jacob. Aug.*, e. 676
Checus, *Johannes*, e. 45
Chevenhyllerus. b. 55
Chifletius. b. 749, 761. c. 102
——— *Claudius*, 719
——— Junior. c. 823, 829
Chifletiorum Gens. 726
Chimentellius, *Valerius*, c. 193, 321, 825, 826, 833. d. 53, 66. e. 67, 218
Chioccus, *Andreas*, b. 122.
Chiſius, *Fabius*, Cardinalis c. 493, 791
Cholinus. 340

Cho-

Digitized by Google

Christenius, *Johan.*, b. 604, 628. c. 28, 214, 298
Christmannus, *Jacobus*, 159, 194, 331, 415, 426
Chrysostomus Pater. c. 566, 570
Chytraeus, *David.*, 268, 270, 271
Ciofanus, *Herculis*, c. 416. c. 433, 435
Clarius, *Daniel*, c. 890
Clarius, *Johannes*, b. 78
Claverius, *Stephanus*, b. 347. c. 263
Clavius, *Christophorus*, 101, 694. b. 125
Clementius, *Anton.*, c. 358
Clingerus. b. 728
Cloppenburgius, *Joh.* b. 469
Clusius, *Carolus*, 163, 191, 193, 328, 464, 585, 625, 680
Cobelius, *Arnoldus*, b. 211, 225
——— *Philippus*, b. 224
Coccejus, *Johan.*, b. 643. d. 86
Coccius, *Johannes*, b. 638. c. 512, 549. d. 91
——— *Timan.*, 734
Cochelet, *Anastasius*, b. 361
Codrus Urceus. d. 10
Colbertus. c. 525
Colinus, *Johannes*, c. 887
a Collibus, *Hippolytus*, b. 166, 370, 414, 420, 429
Colomesius, *Paulus*, d. 614
Coltellinus. c. 825
Colvius, *Andreas*, b. 625
——— *Antonius*, 17
——— *Petrus*, 17, 100, 150, 193, 212, 318, 319, 332, 347, 360, 362, 372, 672
Columbus, *Johannes*, d. 292, 502. c. 163
Columna, *Astanius*, b. 174
——— *Pompejus*. c. 758
Comenius, *Joh. Amos*, b. 625
Commelinus, *Franciscus*, c. 555
Commirius, *Joh.*, d. 188
Conrardus, *Valent*, c. 626
Conringius, *Hermannus*, c. 242, 580, 811
Constantius, *Fulvius*, b. 179
Contarenus. c. 164, 167
Contilius, *Lucas*, b. 126
Contius, *Antonius*, 766
Coornhertius, *Theodorus*, 131, 180, 221, 538, 541, 543. b. 18, 94
Corbinellius. 646
Cornarius, *Janus*, 760
Corputius, *Jacobus*, b. 379
Corputius, *Johannes*, b. 291
Correus, *Thomas*, 677, 678. b. 724. b. 62
Correa, *Emmanuel*, b. 62
Corselius. b. 91
Cosmus Mediceus, Dux Etruriae. d. 62
Costaeus. 679. b. 123
Costerus, *Franciscus*, 81, 540
——— *Bernardus*, d. 201
Cotton, *Johannes*, c. 406. 411
Covarruvias, *Antonius*, 95, 102, 158, 442, 443, 607
Cracovius, *Georgius*, b.
Crajus. 1
Cramosius. c. 690
Craffus, *Nicolaus*, c. 668, 825. c. 744
——— *Petrus*, b. 13
Crato a Craftheim, *Johannes*, 236, 316
Creygthon, c. 823
Cripius, *Guilelmus*, 126, 751
Critius, *Andreas*, c. 801, 802
Crivitzius. c. 366
Crojus, *Johannes*, c. 96. c. 688
Crommomius. c. 718, 730, 737, 740, 762. d. 387, 395
Cruceus, *Emer.*, b. 593, 598, 599. c. 30, 84, 96
Crucius, *Dionysius*, c. 273, 275
Crugerus, *Petrus*, b. 469
Crusius. d. 478
Crusius, *Martinus*, 303
Cujacius, *Jacobus*, 55, 151, 179, 212, 238, 358, 372, 417, 457, 579, 591. b. 60
Cujacii filia. 359
Conradus, *Joh. Henricus*, c. 292
Cunaeus, *Petrus*, b. 436. c. 32, 34, 69, 815. c. 282, 449
Cuperus, *Gisbertus*, d. 63, 73, 159, 182, 218, 305, 331, 533, 745. c. 159, 160, 184, 223, 334
Curtius, *Jacobus*, Vicecancellarius. 427, 594
——— ejus frater. 470
Cuyckius, *Henricus*, 79, 283, 284, 285, 524, 526, 588, 666
Cyrillus Lucaris. b. 68

D.

DAlechampius, *Jacobus*, 97, 627. b. 369
Dalius, *Nicol.*, 28
Dallaeus, *Joh.*, b. 800
Damantius. b. 81

Danaeus, *Lambertus*, 31, 45, 55, 88
Daniel, *Petrus*, 405, 406
Dathenus, *Petrus*, 34
Datus, *Carolus*, b. 671, 689, 693. c. 193, 294, 573, 574, 576, 806, 816, 820, 826, 827. d. 409. e. 577, 578, 753, 757, 758
Daumius, *Chriſtianus*, c. 416. d. 38, 39, 42, 44, 47. e. 269
Dauſquejus, *Claudius*, 104. d. 43
Deckerius, *Johannes*, 550, 700. b. 169
Deechbroot, *Laurentius*, b. 42
Delmanhorſtius, *Henricus*, b. 406, 437
Denaiſius, *Petrus*, b. 359
Delrius, *Joannes*, 513
——— *Martinus Antonius*, 74, 105, 223, 247, 251, 380, 405, 555, 682, 700
Diacetius, *Franciſcus*, Cataneus. b. 200
Dialogiſta. c. 101, 103, 106
Diemerbroeckius, *Isbrandus*, d. 306, 308
Dies, *Eduardus*, 218
Dieſt, *Henricus a*, c. 292, 358
Diffenbachius Baro. 472
Dnius. c. 460, 461
Dodoneus, *Rembertus*, 236
——— *Remberti fil*, 315
Doletus, *Stephanus*, b. 215
Domannus, *Joh.*, 162, 231, 429, 436, 459, 496, 532, 537, 538, 543, 702
Donellus, *Hugo*, 31, 45, 57, 88, 119, 124, 218, 271, 278, 317, 338, 347, 365
Domus, *Joh. Baptiſta*, c. 163, 167, 172, 173, 174, 175, 177, 182, 187, 190, 193, 258, 567, 573, 574, 579. e. 583, 587
Dorpius. 686
Douza, *Janus*, b. 9, 14, 26, 41, 46, 59, 152, 153, 178, 217, 256, 258, 270, 329, 453, 468, b. 340, 388, 392
Douzae filii. 24
Douza, *Janus filius*, 24, 224, 698. b. 15
——— *Georgius*, 25, 227, 329, 700. b. 71
——— *Franciſcus*. 590. b. 28
——— *Stephanus*. b. 379
——— *Theodoricus*. 224
Drakius, *Franciſcus*, 39, 671, 748
Dreſſelerus. 260
Dreſſerus, *Matthaeus* 64
Droward, *Ambroſius*, b. 351
Druſius, *Johan.*, b. 163
Dubois, *Engelbertus*, b. 13
Ducaeus, *Fronto*, c. 335
Duchet, *Bartholemaeus*, 564
Dudithius, *Andreas*, 158, 215, 235, 312, 424, 732 b. 38
Dullardus. 526
Durerus. c. 643
Duretus. b. 60
Durrius, *Joh. Cunr.*, e. 301
Dyckius, *Andreas*, 104
——— Graphiarius. 644
Dyckveldius, Wede. d. 10, 54, 58, 75, 76, 79

E.

EArlius. c. 766
Echtius, *Johannes*, b. 256, 266, 271, 274, 279, 290
Eglishemius. b. 451
Egmondus, *Petrus*, 69, 151, 179, 213, 214, 442
Elichmannus, *Johannes*, b. 598. c. 84. e. 449
Ellebodius, *Nicaſius*, 312
Ellingerus, *Andreas*, 2, 4, 5, 105
Elmenhorſtius, *Ever.*, e. 780
Elzevirii, *Ludovici*, negligentia. e. 248
Elzeviriorum avaritia. c. 70, 82. d. 90. e. 811
Embertus, *Everardus*, 583, 613
Emius, *Cornelius vander*, 225
Emmeneſſius, *Jacobus*, d. 566, 567, 573
l' Empereur, *Conſtantinus*, b. 620, 661. e. 97
Engelbertus. b. 787
Epigrammatarius Gandenſis. 27
Eraſmus, *Deſiderius*, 137, 575. e. 270
Eraſmi Epigramma. 143
Erdodius, *Thomas*, 621
Eremita, *Daniel*, b. 122
Erneſtus, Colonienſis Elector. 576
Erpenius. *Johannes*, b. 621. e. 231, 233, 589
Erythaeus, five Roſſus. e. 193, 574
Eſſenius, *Andr.*, d. 493
Eſſexius d. 705
Eſychius, *Joh.*, 272, 305, 711
Everhardi, *Cornelius*, c. 95
Everardi, *Nicolaus*, b. 208
Eyckius, *Jacobus*, b. 765
Eyndius. 581

F.

FAber, *Hubertus*, 642, 657
——— *Nicolaus*, 103, 406, 445, 646, 650
——— *Petrus*, 179, 212, 213, 475, 574, 598, 627, 664, 665

Fa-

Digitized by Google

Faber, *Tanaquillus*, b. 739. 740. 741. c. 414. 418. 420. 422. 457. 462. 465. 467. 468. 474. 770. 810. 814. 834. 847. 858. 859. 861. 864. d. 63. 73. 91. 139. e. 294. 509. 663. 780
Fabricius, *Henricus*, b. 462
——— *Ludovicus*, c. 444. 808. 813. 826. d. 146. 245
——— *Vincentius*, b. 527. 536. 544. 574. 575. 584. 588. c. 22. 24. 30. 43. 44. 52. 59. 66. 70. 75. 81. 95. 112. 118. 121. 147. 176. 179. 180. 249. 346. 379. 408. 458. 728. d. 54
Fabrottus, *Car. Annibal.*, c. 162. 178. 183. 279
Facius, *Bartholomaeus*, b. 631
Fagelius, *Casp.*, d. 456. 458. 688
Fagelii fratres. d. 261
Falckenburg. c. 819
Falconerius, *Octavius*, b. 671. c. 492. 537. 545. 811. 826. 834. 841. 851. 852. d. 141. e. 121. 577
——— Paulus. d. 61
la Farina, *Martinus*, e. 526
Farnesius, *Henricus*, b. 89
Faucerius. 309
Fauchetus, *Claudius*, 418
Favoritus, *Augustinus*, c. 826. e. 500
Fayus, *Antonius*, 418
Febonius, *Mutius*, e. 433
Feithius, *Everardus*, e. 249
Ferarius. 527
Fermatus. e. 614. 626. 627. 649. 651
Ferrarius, *Bernardinus*, e. 464. 577
Ferrarius, *Octavius*, b. 603. 695. 709. c. 113. 114. 121. 127. 129 164. 167. 173. 194. 258. 263. 277. 288. 599. 601. 607. 615. 681. 806. 816. 825. d. 270. 330. e. 542. 735. 742
Ferronius, *Franciscus*, e. 539
Fienus, *Thomas*, b. 81
Figrelius, *Edmondus*, alias Gripenhelmius. b. 794. c. 464. 471. 475. 515. d. 75. 79
Figheroa, *Gursias*, 552. 667
Findekelder, *Ch. Daniel*, c. 800. 801. 803
Fisherus. c. 743
Flaccus Illyricus. b. 237. e. 253. 255
Flaminius, *M. Anton.*, d. 319
Flerontinus, *Franciscus*, 487. 524. 510. 552
Florens, *Q. Septimius Christianus*, 230. 231. 372. 419. 647. 664. b. 315. 323
Florentius, *Nicolaus*, 129
Foresius, *Johannes*, c. 599. 606. 620. e. 741
Forgatzius, *Michael*, 610
——— *Emericus*, 621
——— *Simon*, 622
Fornelius, *Laurentius*, c. 58. 59. 164. 177
——— *Jonas*, c. 58. 177
Fornerius, *Guilielmus*, 179
Forstnerus. c. 219
Fortis, *Jodocus*, b. 99
Fracastorius, *Hieronymus*, b. 711
Frambrottus. e. 458. 459
Franckensteinius. c. 326
Francius, *Petrus*, c. 514. d. 158. 248. 483. 484. 701. d. 158. 248
Frederus, *Nathanael*, d. 104
Freherus, *Marquardus*, 64. 331. 715
Freimonius Vicecancellarius. 327. 735
Freinshemius, *Johannes*, b. 607. c. 53. 101. 225. 228. 243. 245. 248. 269. 274. 276. 283. 284. 286. 608. 620. 816. d. 23. 67. e. 665
Frencelius de Fridenthal, *Salomon*, 732
Fresnius. c. 644. 646. 651. 673
Friquetus, *Johannes*, c. 831. d. 53. 54. e. 683
Frischlinus, *Nicodemus*, 303
Frisius. e. 90
——— *Henricus*, e. 299
——— *Nicolaus*, b. 610
Fruterius, *Lucas*, 7. 14
Fuchsius, *Leonardus*, 760
Fuggerus. b. 80
——— *Joannes Jacobus*, b. 222
Furstenbergii. e. 168
Furstenbergius, *Ferdinandus*, b. 783. c. 378. 476. 500. 820. 844. 859. 860. 877. 888. d. 68. e. 134. 269. 478
Furstenbergius Doctor. b. 267. 290

G.

GAbianus, *Paullus*, e. 192
Gaddius, *Jacobus*, c. 174. 175. 181. 187. 194. 566. 825. d. 431
Gail, *Andreas*, b. 241
Gaille. b. 42
Galeus, *Thomas*, e. 321
Galilaeus Galilaei. c. 96
Galius. c. 673. 746
Gallus, *Carolus*, 189. 223
Gardie, *Magnus Gabriel de la*, c. 248
Gardinerius, *Stephanus*, b. 285
Gaslendus, *Petrus*, b. 631.
Gatakerus. d. 7
aGauda, *Johannes*, b. 189

Gaudentius, *Paganinus*, c. 96, 163, 167, 172, 173, 180, 187, 217, 381, 875
Gaulminus. c. 170, 283, 604, 628, 708. e. 738
Geicrus. d. 679
Genebrardus. b. 363
Gentilis, *Scipio*, 581, 764. b. 332
Gentius. c. 383
Georgius, *Franciſcus*, b. 10
Geregius Medicus. 136
Gernandus, *Johannes*, b. 391, 396, 496
Gerſtorfius, *Joachimus*, b. 462
Geſnerus, *Conradus*, 760
Gevartius, *Caſpar*, b. 539, 761. c. 30, 37, 135, 137, 138, 139, 140, 243, 263, 264, 267, 369, 381, 388, 415, 853. d. 32, 35, 46, 481. e. 92, 93
Gifanius, *Obertus*, 6. 45, 49, 212, 317, 764. b. 231
Gifanii filius. c. 810, 814
Gillius, *Petrus*, 60. b. 233
Gioli. b. 43
Gipſon. b. 658
Giraldus, *Joan. Baptiſta*, b. 106
Giſelinus, *Victor*, 8, 9, 12, 13, 14, 26, 150, 627. d. 49. e. 268
Glandorpius, *Johannes*, 266
Glareanus, *Henricus*, 10
Glorioſus, *Camillus*, c. 566
Godellus, Epiſcopus Graffenſis. e. 708
Goes, *Damianus*, b. 222
Goeſius, *Wilhelmus*, c. 218, 306. e. 297, 303
Goeſii. c. 887
Goethals, *Franciſcus*, b. 247, 252
Goldaſtus, *Melchior*, 433. b. 166, 359. c. 169, 585
Golius, *Jacobus*, 363. b. 455, 792, 793. c. 409, 449, 465. e. 601, 604, 651, 654, 665, 666
——— *Petrus*, 563
——— *Theodorus*, 563
Gottefredus, *Franciſcus*, c. 810, 813. e. 714, 744, 746, 785
Goltzius, *Hubertus*, 135, 649. b. 182
Gomarus, *Franciſcus*, b. 380, 467, 478. e. 85
Gonaea, *Maria*, 736. c. 106, 113
Goſpaeanus. b. 28
Gothofredus, *Dionyſius*, 276, 366, 418, 579, 581, 585
——— *Jacobus*, b. 692. c. 100, 303, 812
Grabius, *Joſephus*, 306
Graderius, *Annibal*, c. 264
Gradius, *Stephanus*, b. 703. c. 816. d. 460, 603
Graevius, *Johannes Georgius*, b. 838, 739, 741, 762. c. 365, 366, 368, 370, 378, 373, 377, 404, 413, 465, 498, 676, 847, 849, 887. e. 111, 115. d. 5. e. 15, 18, 27, 28, 29, 40, 49, 51, 57, 59, 60, 70, 76, 78, 86, 91, 140, 144, 146, 153, 157, 161, 168, 174, 178, 206, 207, 208, 258, 259, 489, 490
Grantvellius, Legatus Caeſaris. b. 223
Granvellanus Cardinalis. b. 241
Grafwinkelius, *Theodorus*, b. 526, 527, 567, 569. c. 31, 33, 42, 55, 109, 268, 271, 274, 285, 606, 607, 621, 703, 859
Gratianus, *Hieronym.*, c. 825. e. 754
Gravius. 578
——— Theologus, 287, 626
——— *Henricus*, b. 50
Grenirius. c. 613
Grenteſmenſilius Palmerius. V. Palmerius
Gretzerus. b. 74
Greve. e. 325
Griatius. 442
Grieffenfeldius, d. 416
Griepenhelmius, Vid. Figrelius
Grimanus, *Zacharias*, e. 755
Grinradius, *Otho*, 317, 332
Groesbeek. 584
Gronovius, *Joh. Fridericus*, b. 791. c. 572, 593, 671, 701, 704, 719, 728, 729, 738, 787, 788, 806, 816, 818, 822, 887. d. 10, 15, 38, 46, 52, 86. e. 68, 83, 137, 218, 551, 647
——— *Jacobus*, b. 696. c. 487, 491. d. 41, 107, 220, 223, 239, 240, 243, 373, 384, 464, 472. e. 122, 150, 155, 157, 220, 223, 325, 327
——— *Theod. Laurentius*, b. 656
Groſlaeus Leſlaeus, *Hieronym*, 307, 330, 346
Groſſus, *Januarius*, c. 566
Grotius, *Cornelius*, 342, 682. b. 589
——— *Janus*, 151, 222, 343. b. 63
——— *Hugo*, b. 462, 523, 526. c. 33, 41, 86, 166, 793, 822, 813. d. 82, 128, 387. e. 449
——— *Guilielmus*, c. 33, 41, 45, 221
——— *Petrus*, c. 207, 210, 383, 709, 746, 748, 810, 817, 824, 831, 836, 836, 887. d. 82, 446, 447, 453, 456, 457, 459, 465, 468, 470. e. 123, 127
Gruterus, *Janus*, 163, 228, 267, 269, 271, 273, 274, 342, 541, 679, 585. b. 49, 167, 377, 435, 540, 641. c 2, 295, 493, 617. d. 55
Gruterus, *Iſaacus*, c. 887. e. 131
Grynaeus. 306

Digitized by Google

Gryphus, *Bartholomæus*, 31, 33, 126
Gryphius, *Johannes*, b. 376
Gualdus, *Franciſcus*, c. 810
Guarinus, *Baptiſta*, b. 159
Guaſtavinius, *Julius*, 760
Gudius, *Marquardus*, c. 398, 445, 474, 484, 496, 503, 509, 514, 519, 770, 809, 820, 835, 838, 843, 848, 867, 887. d. 33, 43, 46, 48, 59, 62, 68, 73, 77, 316, 406, 526, 534, 562, 585. e. 7, 18, 52, 200, 218, 225. 509, 478, 553, 659
Guerterius, *Franciſcus*, 100
Guichius Comes. d. 53, 56, 117
Gujetus. c. 353, 361
Guilielmus, *Janus*, 13, 49, 151, 152, 178, 212, 628
Guilielmi, *Joannes*, 691
Guillandinus, *Melchior*, 250
Guilleterus. d. 596
Gujonii. e. 681
Guldinus, *Paullus*, b. 464
Guteſtein, *Leonhardus a*, b. 50

H.

HAcr, *Paullus ter*, c. 258, 287
—— *Florentius vander*, b. 173
Hagius, *Cornelius*, c. 100
Hagmejerus, *Joachimus*, b. 570. e. 67, 70, 76, 81, 788
Halen, *Hermannus van*, b. 718
Hallerus. 340, 342
Hamelmannus, *Hermannus*, 436
Hanſſenius, *Joſ. Baptiſta*, 611. b. 75. d. 390
Hardy. e. 512
Harduinus. b. 90
Harenius. e. 135, 136
Harlaeus, *Chriſtophorus*, 256
Hartgerus, *Hanotus*, 60
Hartius, *Otho*, 166, 173, 282, 288, 291, 292, 293, 295, 681, 693
Hauchinus. 182
Hautenus, *Janus*, 16, 41, 42, 83, 219, 220, 221, 224, 286, 362, 582, 683, 685, 698, 696
Hayus, *Johannes*, 751
Heidanus, *Abrahamus*, c. 219, 272, 276, 759. d. 416, 564. e. 282
Heilerſichius. b. 566. c. 57, 65, 207, 209, 269, 270
Heilius, *Wolfgangus*, 5
Heinſius, *Daniel*, b. 334, 337, 338, 636, 446, 777, 780. c. 20, 40, 83, 86, 91, 92, 758, 759, 761, e. 637, 638, 755, 756, 767, 768, 768, 770
Heinſius, *Nicolaus*, b. 470, 482, 536, 544, 545. d. 24, 38, 60, 61, 63, 65, 83, 84, 85, 87, 726. e. 267
Heinzelius. 492
Hekelius. e. 333
Helbach, *Wendelinus ab*, 662
Helmannus. b. 277
Helmichius. 194
Hemelarius, *Johannes*, 563. b. 43, 443. c. 137. e. 715, 716
Henrici IV. Converſio. 62, 63
Henſchenius, *Gothofredus*, 67, 85, 786, 787, 789
Heraldus, *Deſiderius*, b. 357. c. 176, 178, 183, 184, 223, 245. d. 32
Herbinius. e. 124
Heribertus. c. 457
Hericurtius, *Julianus*, e. 674
Heſpelius, *Guilielmus*, 188, 190, 191, 193, 693
Heſſelius, *Johannes*, b. 252, 261
Heſychii editio. e. 115, 346
Hevelius. e. 85, 92, 93, 94, 99, 602
Heurnius. 117, 189, 191, 196, 625
Heuſſenius, *Hugo Franciſcus*, d. 137
Heuterus, *Pontus*, 740
Higuera. 444
Hildenſemius. 330
Hilleprandus, *Johannes*, 738
Hillus, *Guilielmi*, c. 321
Hofferus, *Rochus*, c. 775, 776
Hoffmannus, *Caſpar*, c. 219
Hoffmannus c. 182
Hogelandus, *Theobaldus*, 315, 326
Hogerſius, *Theophilus*, b. 667, 682. c. 467, 471. d. 41, 50, 67, 119, 261, 410, 412
Hohenlous Comes. 45
Hojus, *Andreas*, 662. b. 148
Holmannus, *Johannes*, 55, 89, 90
Holmius. c. 299, 418, 638, 661, 674. e. 779, 781
Holſtenius, *Lucas*, b. 785, c. 82, 96, 163, 168, 174, 175, 176, 177, 179, 180, 181, 184, 186, 195, 207, 264, 269, 274, 283, 288, 289, 299, 350, 405, 412, 451, 454, 466, 566, 568, 572, 474, 577, 620, 639, 655, 718, 816, 817, 820, 823. d. 126. e. 479, 480, 487, 533, 696, 743, 746
Hondemannus, *Conradus*, c. 206
Honertius, *Rochus*, 578

Honertius Senator. c. 28, 44
Hoornſchuckius. c. 235
Hopperus, *Joach.*, b. 253
Hopperus. b. 285
Hornejus. d. 59
Hornius, *Georg.*, c. 206, 512. d. 86, 91
Horſtius. b. 273, 278
Hortenſius. c. 84
Hoſchius, *Sidronius*, b. 779, 783. c. 734
Hoſpitalius, *Mich.*, b. 60
Hoſtus, *Matthaeus*, c. 122, 125, 200
Hotomannus, *Antonius*, b. 370
—— *Franciſcus*, 116, 123
—— *filius*, 309, 362
Hovius. 147. b. 142
Huberus, *Ulricus*, 46
Huetius, *Daniel*, c. 835. d. 41, 44, 75, 90, 604. e. 112, 322, 490
Hugenius, *Chriſtianus*, c. 447, 861, 868, 870, 878. d. 181. e. 602, 603
—— *Conſtantinus*, c. 869, 878, 879
—— *Ludovicus*, c. 865, 868, 869
Hugo, *Hermannus*, e. 56
Hulſemannus. c. 416
Hulſius, *Antonius*, c. 479, 762, 865. d. 400
Hulſtius. e. 45
Hungerus. 340, 342
Hunnaeus, *Auguſtus*, b. 247, 249
Huylenbroeckius. b. 773, 774, 775

I.

Jacobeus. d. 482
Jamotius, *Fridericus*, 663, 664, 666. b. 43
Jannigius. c. 207, 209
Janninius. b. 403, 419, 420, 423, 425
Jardinius. c. 82, 697, 708, 717
Idiaquez, *Joannes*, 667
Jeremias Conſtantinopolitanus. d. 69
Illyricus, *vide*, Flaccus.
Imperatus, *Ferrantes*, c. 134
Ingolius, *Franciſcus*, c. 438
Intimehus, *vid.*, Aproſius.
Johannaeus, *Michael.*, b. 458
Jonas, *Ingramus*, c. 771
Jonſonius Bibliopola. d. 15
Jordanus Calaber de Naturâ equorum. c. 436
Joſſentius, *Johannes*, b. 322
Iebrandus. c. 516, 806, 884
Iſembardus. 62, 64
Iſendornius. b. 628
Iſſanſus. b. 39
Jungermannus, *Gothofredus*, b. 383, 390
Junius, *Balduinus*, 290
—— *Franciſcus*, 193, 223, 274, 581, 585. b. 49, 475, 483, 586, 685, 618
—— *Franciſcus fil.* c. 82, 286, 769. d. 223, 226, 306, 308, 311, 324, 510, 516. e. 397, 515
—— *Franciſcus*, c. 238, 240, 241, 245, 246
—— *Hadrianus*, Rector Gymnaſii, Amſtelodamenſis. c. 492
—— Rector Gymnaſii Leidenſis 86
—— *Patritius*, b. 593, 594, 597. c. 73, 80, 81, 82, 268, 643, 748, 819
—— contubernalis Graevii. c. 479, 483, 490
Juretus. e. 328, 335
Juſtellus, *Chriſtophorus*, c. 87, 220, 628, 795. d. 617
Juvius. 574

K.

Keckius, *Johannes Chriſtianus*, c. 269, 605, 618
Kellerus. d. 79
Kernerus. c. 45
Kinſchotius, *Caſpar*, c. 173, 176, 179, 180, 185, 207, 209, 210, 214, 230, 244, 697, 699, 701, 703, 705, 707, 709, 719, 726, 728, 855, 858, 869, 870, 883, 890
Kinſchotius Senator. d. 268
Kircherus, *Athanaſius*, Obit. 669. c. 176, 828. e. 466, 467, 664
—— *Conradus*, b. 357
Kirchmannus, *Johannes*, b. 374, 375
Klock, *Matthaeus*, 342
Knotteri. b. 622
Konigius. e. 91, 219
Krachtius, *Gerardus*, 64
Kuchlinus, Rector Gymnaſii Trajectini ad Moſam. c. 157
Kuchlinus, *Joannes*, 191, 198, 584
Kurchius, *Guſtavus*, e. 550
Kurtz a Sentfftenau, ſive Curtius, *Jacobus*, Vicicancellarius. 320, 326

L.

Labbeus, *Philippus*, c. 225, 229
Lactius, *Johanes*, b. 352, 620. c. 111, 219
Lagius, *Matthaeus*, c. 415. d. 25, 26, 33
Lagé ſive, Lagenus. c. 658, 663, 671, 673
Lagerloff, *Petrus*, c. 171
La Matta. b. 53
Lambecius, *Petrus*, c. 173, 184, 194, 196, 207, 286, 478, 568, 572. d. 41. e. 432

Lam-

Lambinus, *Dionyſius*, 338. b. 60, 307
Lamertius. d. 40
Lampſonius, *Dominicus*, 118, 190, 223, 228, 318, 319, 468, 480, 485. b. 261, 162, 265
Lampugnanus, *Pompejus*, 245, 250, 276, 447. b. 14, 84
Lanchornius, *Daniel*, d. 269
Landmannus, d. 256, 313
Langermannus, *Laurentius*, b. 607. c. 144
Langermannus, *Lucas*, b. 610, c. 236, 258, 279, 280, 283, 286, 290, 304, 314, 327, 331, 333, 334, 341, 356, 384, 423, 475, 476, 488, 541, 625, 626, 627, 808, 809, 827. e. 7, 203, 217, 221, 460, 740, 746, 760, 761
Langevoith, *Georgius*, e. 234
Langius, *Carolus*, 148. b. 306
——— *Joſephus*, b. 34
Langius c. 871. e. 460
Langlaeus, c. 282
Languetus, *Hubertus*, d. 580. e. 682
Lannius, *Jacobus*, c. 115, 118
Lantinius, *Joh. Bapt.*, c. 835, 840, 684
Lantius, *Ludovicus*, 728
Latinus Latinius. 75, 76
Lavaterus. 91
Lavinius, *Wenceſlaus*, 330
Launoy, *Rolandus*, 131, 144
Launoius. 95
Launoius. e. 601
Laurentius, *Bartholomaeus*, b. 113
Laurinus, *Marcus*, 315
Lectius. 374
Leemputtius, *Adamus*, 123, 193, 319, 574, 578, 605. b. 5
Leerſius. e. 143
Leffinus. c. 825
Leibnitius. 596
Leiencronius, *Johannes*, c. 483, 496
Leoninus, *Elbertus*, 468
——— *Quirinus*, 341
Lernutius, *Janus*, 13, 16, 21, 151, 152, 627
Leſſius, *Leonardus*, 577. b. 779
Levincius, *Livinus*, 111, 128, 478
Levita, *Elias*, b. 363
Leuwius, *Franciſcus*, b. 559
——— *Theodorus*, 28, 235
Leunclavius. 429
Lewius vel Levius. c. 39, 41
Licheus Marchio. c. 554, 555
Licetus, *Fortunius*, c. 96, 191, 777, 622. e. 449, 451, 748, 749, 762
Leekerkius. 20
Liesfeldius. 173
Ligorius, *Pyrrhus*, c. 258, 577, 615, 633. e. 204, 405, 133, 280, 739, 764
Ligorida, *Paiſius*, d. 25, 85, 89
Limogius. c. 446
Lindanus. b. 273, 278
Linde, *Laurentius*, e. 101
Linden, *Johannes Antenides vander*, c. 505. e. 461
Lindenbrogius. 695, 735. c. 73, 101, 163, 164, 506, 581, 791
Lingelsheimus, *Georg. Michael*, 276. b. 359, 490, 496
Lippius, *Laurentius*, b. 326
Lipſius, *Juſtus*, b. 360, 405. c. 717, 864. d. 11, 498. e. 605, 606, 607
Lipſius, *Martinus*, 96
Liſetus. b. 302
Livineus, *Johannes*, c. 291, 293. e. 266
Liung, *Petrus Ericus*, e. 177
Loccenius, *Johannes*, c. 228, 242, 247, 248. e. 657
Loenius. b. 628. e. 356
Loo, *Petrus*, b. 295
Loredanus. c. 167, 190, 192, 198. e. 154, 156, 200, 202, 287, 288, 289, 825
Lotichius, *Petrus*, d. 41, 140, 149, 154
Lucas. 190, 191
Ludolfus, *Jobus*, e. 274, 277
Lundius. c. 584
Luydius. b. 496
Luxemburgius dux. d. 120
Luzzagi, *Alexander*, 754
Lycopolita, *Alexander*, c. 84
Lydius, *Johannes*, e. 270
——— *Martinus*, 481, 490, 494. b. 476

M.

MAcarius, *Joannes*, b. 50
Macedo, *Antonius*, e. 744
Maccius, *Sebaſtianus*. b. 158, 186
Magliabeekius, *Antonius*, b. 693. c. 555, 825. d. 91, 317
Madrucius Cardinalis. b. 51
Maeſtertius. c. 389, 667
Maeſtro, *Ferdinandus del*, e. 671, 825
Maetellanus Cancellarius Scotiae. c. 453

Maevius. c. 267
Magallottus, *Laurentius*, c. 825, 853. d. 61, 84. e. 157, 322, 525
Mager. e. 540
Magius, *Hieronymus*, 314
Magnanus, *Emmanuel*, e. 623
Mahomet ben Iſaac. e. 554, 557
Majus, *Thomas*, e. 752, 757
Malineus, *Carolus*, Senator Antverpienſis. c. 162
Mallardus. b. 302
Mallincrotius. c. 216, 218, 225, 244, 292, 294. 870. d. 14, 20, 24, e. 24
Malvaſia. c. 677
Manardus, *Oliverius*, c. 489
Manilia. d. 62, 63
Manlius, *Chriſtoforus*, c. 59
Manmakerus, *Hadrianus*, b. 347, 425. c. 165. d. 163
Mantellus Medicus. c. 223
Manutius, *Paullus*, b. 116, 323
Maranus, *Jacobus*, e. 673
Marca, *Petrus de*, c. 324, 330
Marchantius, *Franciſcus*, 170, 545, 758, 759. b. 90
Marcilius, *Theodorus*, 179, 212, 377. b. 27
Mare, *Philibertus de la*, c. 835, 840. e. 677. 591
Mareſchaldus. b. 353
Mareſius, *Rolandus*, c. 282, 331, 705
——— *Samuel*, b. 461. c. 430. d. 174, 257
Mariana, *Johannes*, 99
Marianus, *Andreas*, e. 542
Mariottus. c. 578
Maripetrus, *Fredericus*, c. 192, 194
Marneus. e. 670
Marnius, *Claudius*, b. 521.
Marshamus. d. 177
Marſollerius. e. 270
Martellus, *Petrus Antonius*, c. 753
Marucellus. c. 825
Maſius, *Andreas*, 279, 283. b. 280
Maſſonius, *Papirius*, 579
Matalius, *Johannes Metellus*, 58, 603. b. 268, 269, 270, 271, 279
Mathiſius. c. 494
Mauritius, *Ericus*, b. 145, 154
Mauſſacus, *Philippus*, c. 96
Mazarinus. e. 595, 615, 633, 634
Mediceus Princeps, *Coſmus*, d. 51, 63
Mediceus Princeps, *Leopoldus*, c. 825. e. 759, 760
Medonius, *Bernardus*, c. 449. e. 659, 645
Meer, *vander*, d. 463, 464
Megalopolitanus dux, *Guſtavus Adolfus*, e. 758
Meibomius, *Marcus*, c. 328, 455, 600, 650, 654. 660. d. 72, 73, 77, 88, 270, 301, 535, 616, 618, e. 208, 233, 235, 239, 242, 466, 467, 533, 779
Melchior, *Georgius*, d. 100
Meliſſus, *Paullus*, 227, 230, 275, 317, 425. 429. 592, 628
Mellaeus. 126, 191, 450
Mellinus vel Millinus, *Benedictus*, c. 823. e. 516, 530, 532, 538, 540. d. 83
Memmius. 55, 179. c. 249, 563. d. 611
Menabenius, *Apollonius*, 315
Menagius, *Aegidius*, c. 864, 178, 239, 265, 279, 283, 446, 563, 596, 626. d. 48 e. 84, 276, 280, 601, 700, 701, 705, 734, 765
Menardus. e. 479
——— *Claudius*, c. 90, 160, 700
——— *Joannes*, c. 90
Mendoſa, *Nunnez*, b. 62
Menetrerius. e. 675
Meninius, *Jodocus*, 188, 166, 681, 686, 693
Mentelius. b. 796. c. 285. c. 74
Mercator, *Gerardus*, b. 284
Mercerus, *Joſias*, 179, 227, 359, 407. b. 28, 344
Mercerus. e. 316
Mercurialis, *Hieronymus*, 86, 579, 624, 625. b 123, 139
Mermannus. b. 79
Merſennus. c. 700
Merula, *Paullus*, 191, 192, 194, 258, 274, 695. b. 375, 401. c. 258
Meſſenius. c. 289
Metkerckius, *Adolf*, 16, 17, 90, 153 460
Meurſius, *Johannes*, b. 394, 428, 792. d. 38. e. 291
Meyerus, *Leo*, b. 129
Meyſterus, *Joachimus*, 306
Mezlerus, *Michael*, c. 251
Michaeli, *Johannes*, 322, 323, 642, 656
Michaelius, *Petrus*, c. 289
Micaultius, *Nicolaus*, 658, 659. b. 11, 48
Milander, *Johannes*, b. 407
Mileterius, c. 572
Milettus, *Vitus*, 595, 623
Miltonus. c. 259, 270, 276, 286, 397, 595, 596, 600, 603, 618, 621, 643, 662, 669, 742. e. 713

Mi-

Minos, *Claudius*, c. 227
Minutius de Minutiis. 131, 146
Miraeus, *Johannes*, 551
Mirandula, *Picus*, d. 452
Modius, *Franciscus*, 10, 106, 110, 314, 340, 341, 381, 663, 664, 665. c. 147, 488. d. 71
Moerentorfius, *Johannes*, 267, 180
Moleschotius. d. 447
Molinet, *Claudius du*, c. 324
Molineus, *Johannes*, b. 246
Molinus, *Dominicus*, c. 679, 681, 682
Mollerus. 90
Mollius. c. 719. d. 23
Mombritius, *Boninus*, 593
Monachius, le Moyne, *Stephanus*, d. 174, 429, 438, 439, 570, 589. c. 165, 236, 239
Monavius, *Jacobus*, 159, 163, 164, 266, 320, 424, 585, 594. b. 38
Monelia, *Paulus*, 263, 759. b. 75
Monelius. c. 539
Monmorantius. b. 31
Monmorius, *Petrus*, c. 806. c. 592, 593
Monmuthius Dux. d. 567
Monschalius, Archiepiscopus Tolosae. c. 619
Montanus, sive Montagne, *Michael*, 33, 628, 644, 735, 851
Montanus, *Arias*, 443, 445. b. 117
Montacutius, *Richardus*, b. 351
Montius, *Hieronymus*, b. 217
Montozerius Dux. c. 165, 178, 274, 279, 616, 835, 875. d. 45, 47, 48, 51
Moraeus, *Paulus*, b. 27
Morantius, *Thomas*, 381, 421
Morelfius, *Henricus*, d. 42, 44, 46
Morellus, *Fridericus*, 379, 646. b. 848, 502
Moretus, *Balthasar*, b. 763. c. 137
——— *Johannes*, 126, 671
Moreti Filius. 535
Morhofius, *Daniel*, d. 55, 56. c. 129
Morillonius. b. 288
Morisottus. c. 679
Morlanus, *Bartholomaeus*, b. 113
Moronus, *Carolus*, c. 175, 476, 810. c. 478, 479, 498, 500
——— *Josephus*, c. 439
Morsius, *Joachimus*, c. 24
Mortius, *Johannes*, b. 620
Morus, *Alexander*, b. 748, c. 200, 295, 303, 305, 307, 311, 313, 323, 364, 365, 369, 380, 386, 388, 643, 647, 649, 651, 658, 662, 665, 748. c. 48
Morus, *Flaminius*, 668, 670, 676
Moschus, *Franciscus*, 665, 666
Mothe Vajerius. c. 601
Moucheron. c. 186
Mulenius, *Johannes*, b. 458
Mulingius, *Johanes Adolfus*, c. 234
Mullerus. c. 65
Munckerus, *Thomas*, b. 38. d. 380, 387, 398. c. 159, 160, 252, 319, 428
Munnosius, *Hieronymus*, b. 116
Murdisonius. b. 393
Muretus. 56, 69, 654. b. 116, 124, 453
Muscambronius. c. 747, 748
Mutius Berettus Placentinus. c. 368, 369
Mylius Praeses. 29
Mylius, *Abrahamus*, 753
Mylius, *Arnoldus*, 61, 138, 142, 190, 312, 603
Mylius, *Cornelius*, b. 387, 393, 401, 408, 429, 436

N.

NAni. c. 164
Nanfius, *Franciscus*, 16, 188, 189, 190, 191, 664, 741
Nardinius. c. 810, 829. c. 498, 504, 508, 516
Nardius. c. 188
Naudeus, *Gabriel*, c. 96, 161, 164, 171, 279, 321, 640, 643, 644, 646, 648, 651, 680. c. 579
Nedercasselius, *Joannes*, Episcopus. d. 137, 138
Neostadius. 28. b. 388, 391, 392, 395
Neuhusius. c. 265
Nicephorus Melissenus. 570
Nicius, *Janus*, 96
Nicolaorum gens. b. 217
Nicollinus Marchio. 825
Niegesserius. b. 10
Nieveltius Advocatus. 49
Nigrivola. 1.
Nigronius Lucanus. 667
Nilandius. c. 225, 228
Noghera, *Vicentius*, c. 560, 617, 619, 636, 658. c. 745, 746, 748, 750, 756, 759
Nonius Ludovicus. c. 137
Noodtius, *Gerardus*, d. 649
Noomsius, *Guilielmus*, c. 558
North, *Johannes*, c. 321
Noritzius. 45

Ob-

O.

OBrechtus, *Ulricus*, d. 147, 325. e. 313, 316
Occo, *Adolfus*, 753. c. 818
Ochinus, *Bernardinus*, b. 230
Oddus, *Gisbertus*, b. 54
Odeſchalcius Papa. d. 459
Ogerius. b. 43
Oiſelius, *Antonius*, c. 720, 721
Olearius. c. 586
Olivarius, *Seraphinus*, 81
Omalius. 137
Ommerius. c. 759, 775, 776, 887
Oppemius. 549
Oranus. 131, 140, 342, 691, 671
——— *Petrus*, 139, 143, 147
Oricellarii. b. 199
Orionis Etymologicum. c. 506, 526
Ortelius, *Abrahamus*, 424, 429
Ottingerus. b. 211
Otto. b. 277
Oudartus, *Nic.*, 173, 175, 360, 292, 515, 519, 703
Oultremannus, *Henricis*, 694

P.

PAchicellus. c. 853
Paicecus. 667
Paciottus, *Felix*, b. 159
Pallavicinus. c. 823
Palmerius Grenteſmenilius. c. 524, 529, 810, 815. d. 49. e. 106, 513
Palmerius, *Jacobus*, 48, 451
Palmirenus, *Laurentus*, b. 116
Paludanus, *Bernardus*, 190, 223
Pamelius. 10, 663
Pantiatichus, *Laurentius*, b. 671. c. 843. d. 452, 453, 460, 462. e. 542, 577, 578
Pantinus, *Petrus*, 94, 96, 77, 97, 103, 442, 527, 726. b. 13, 42
Papius, *Andreas*, 95
Pareus, *Daniel*, b. 522
——— *Philippus*, b. 628. c. 186, 202, 493
Parrhaſius, *Janus*, c. 180, 561
Paſchalius. d. 8
Paſſeratius, *Janus*, 10, 179. e. 660
Paſtorius. c. 800, 805. d. 320
Patinus, *Carolus*, c. 827, 830, 841, 843, 860. d. 482. e. 717
——— *Guido*, c. 279. d. 139
Paullinus, *Bernardinus*, b. 48, 53
Pavo. 267
Pauwius. 202. b. 455
Pearſonius. d. 54, 95
Peckius, *Petrus*, 691
Peifferus. 64
Petraredius. b. 473. e. 51, 52, 66, 160, 161, 166, 167, 170, 370. e. 603
Peireſcius. e. 343
Pelargus. e. 237
Peliſſonius. d. 129. e. 661
Pembrockius comes. 66
Pendaſius. 679
Peregrinus, *Camillus*, c. 566, 623. e. 430, 542
Peres, *Marcus*, b. 279
Pereſius, *Ludovicus*, 666
Perizonius, *Anton.*, d. 441
Perizonius, *Jacobus*, b. 679, 682, 696, 697, 719, 723, 725. d. 304, 436. 503, 504, 557, 570, 571, 617, 624, 645, 651, 629, 720, 721, 729, 747, 753, 754, 766, 819, 825, 826, 827. e. 327, 329, 330
Perrottus. c. 572
Perſius. b. 87
Petavius, *Alexander*, c. 159, 160, 161, 165, 166, 167, 168, 563, 700
——— *Dionyſius*, b. 469, 589. c. 815, 828, 874. e. 334, 703
Petitus Architectus. e. 593
Petitius, *Thomas*, 457, 458, 466, 467
Petitus, *Petrus*, b. 711. c. 867
——— *Samuel*, c. 46, 69
Petrejus. c. 743, 795
Petruccius. c. 816, 817, 825
Pezelius, *Chriſtophorus*, 305
Pezzenius. b. 54
Pflug., *Julius*, b. 240, 266
Philippius. c. 767
Philomathus. e. 265
Phorbaeus. d. 597, 608. e. 402
Phynanus, *Franciſcus*, 482
Picardus. b. 302
Picartus, *Mich.*, d. 2. 3
Pierius Valerianus, *Johannes*, b. 793. e. 272
Pigafetta, *Philip.*, b. 84, 62, 74. c. 20
Pighius, *Albertus*, b. 230
Pighius, *Stephanus*, b. 288. d. 756
Pignorius, *Laurentius*, c. 200
Pilius. c. 36, 38, 41, 46, 56, 75, 205, 206, 209
Pincaeus, *Renold.*, 420. b. 315
Pincier, *Ludovicus*, c. 274
Pindemontis Marchio. d. 715

Pine-

Digitized by Google

Pinedo, *Johannes*, 553
Pinedo, *Thomas*, d. 78
Pinellus, *Joh. Baptiſta*, c. 6
Pinellus, *Ant. Vincentius*, 250, 261, 321, 322, b. 68. c. 199
Piſo, *Guilielmus*, c. 362, 887
Piſtorius, *Johannes*, b. 343
Pithoeus, *Franciſcus*, b. 28, 60. c. 792
——— *Petrus*, 10, 11, 174, 406, 646, 648
Planta, *Franciſcus*, c. 76, 196, 207, 208, 214, 226, 479. 692, 704, 719, 806, 865
Plantinus, *Chriſtophorus*, 5, 107, 124, 128, 130, 177, 666
Plempius, *Johannes*, c. 137, 574
Plettenbergius, *Theod. Chriſtianus*, d. 154
Ploſius. c. 791
Politianus. 638. b. 76. c. 258
Pollinus, *Alexander*, c. 820, 828. d. 412. e. 554
Pollio, *Everardus*, 115, 272, b. 5
Polus Cardinalis, 139
—— *Laurentius*, b. 87
Polyander, *Johannes*, 373
Pomponius, *Arnoldus*, c. 884. d. 118
——— *Dandillus*, c. 526
Pona. e. 455, 461
Pontacus, *Arnoldus*, 248
Pontanus, *Johannes*, b. 34
——— *Jovianus*, b. 200. d. 233
——— *Iſaacus*, b. 523
Portaeus. 421
Portum, *Jacobus ad*, b. 362
Poſſevinus, *Antonius*, 676
Poſſinus, *Petrus*, b. 769. c. 96, 192, 194, 280, 823, 834. e. 498, 748
Poſthius, *Johannes*, 107, 108, 274, 422
Praetorius, *Johannes*, b. 335
Priamus, *Janus*, b. 56
Priceus, *Johannes*, c. 654, 662, 669, 816. e. 239, 290
Prochnicius. b. 178, 178
Pruchnitky, *Andreas*, 610
Prunius. 145, 157, 318, 489
Puffendorfius. d. 608, 312. e. 290
Pulmannus. 10. c. 141
Puteanus, *Pozzo*, ſive *a Puteo*, *Caſſianus*, c. 176, 195, 217, 258, 272, 284, 288, 291, 296, 298, 305, 306, 369, 378, 575, 582. e. 133, 507
Puteanus, *Carolus Antonius*, c. 820, 824
Puteanus, *Chriſtopherus*, c. 792. e. 104
——— *Claudius*, 193, 653. c. 282, 559
——— *Jacobus*, c. 299. e. 591
——— *Petrus*, e. 619, 705
——— *Erycius*, b. 11, 12, 15, 68. c. 135, 137, 165
Puteani fratres. c. 84, 162, 167, 170, 178, 183, 194, 280, 700. e. 433
Putſchius, *Helias*, c. 277

Q.

Quernu, *Andreas a*, e. 601
Quevedo, *Franciſcus*, 552. b. 163
Quinctius, *Fridericus*, b. 10, 85
Quirinius Licentiatus. 341

R.

Raevardus. 212
Rainerius. e. 257, 295
Ramirezius. 552
Ramus, *Petrus*, 368. b. 60
Ranchinus. e. 675, 647, 648, 653
Rantzovius. 143, 229, 270, 271. b. 73
Raphelengius, *Chriſtophorus*, 71, 209, 324
——— *Chriſtophorus filius*, 711, 496
——— *Franciſcus*, 648. b. 326
——— *Juſtus*, b. 48
Rappoltus. d. 431, 435, 482. e. 278
Raſarius, *Joh. Baptiſta*, b. 116
Ratallerus. 39, 41, 107. b. 215
Ratio, *Alexander*, 127
Ravenſpergerus. b. 440
Raveſteinus, *Jodocus*, Tiletanus. b. 247, 249 261
Ravius, *Chriſtianus*, c. 242, 590, 741. e. 145
Redi, *Franciſcus*, c. 825. e. 67, 123
Reineſius, *Thomas*, c. 128, 131, 200, 256, 258, 267, 290, 291, 295, 310, 312, 315, 317, 602, 806, 834. d. 18, 31, 53, 148, 248, 258. 755. e. 313, 226, 273
Reinhartus, *Samuel*, 441
Reinſius. c. 164, 166, 170
Rellacus. e. 620
Renaldinus, *Carolus*, e. 603
Renerius. e. 581
Renſius. b. 216, 219
Reſander. c. 267, 280, 590, 618, 624, 626
Reſcius, *Staniſlaus*, 76, 78, 82, 651. b. 76
Reva, *Petrus de*, 621
Revelaſcus, *Caſpar*, 483

Rhedigerus, *Nicolaus*, 435, 436, 594
——— *Thomas*, 6. b. 38
Rhedius, d. 618
Rhenanus, *Beatus*, 10
Rhetius, *Cornelius*, b. 239
Rhodius, *Johannes*, c. 96, 164, 165, 167, 173, 191, 194, 219, 258, 278, 399, 506. b. 606. c. 497, 704
Rhodomannus. 438
Richardotus. 22, 167, 281, 292, 489, 516, 571, b. 33
——— *Junior*. 176
——— *Franciscus*, b. 289
——— *Petrus*, b. 78
Richardus Marchio. c. 754
Richardus, *Johannes*, c. 270
Richerius, *Edmundus*, 329
Richius, *Daniel*, b. 71
Richterus. c. 100, 707
Riccobonus, *Antonius*, 250
Rigaltius, *Nicolaus*, 259, 280, 418, 602.
Rimerius, *Vincentius*, c. 193
Riquartus. c. 82
Rittershusius, *Conradus*, b. 49. 167, 372. d. 10. e. 125
Rittershusii pater. b. 332
Riverius Medicus. c. 317
Rivetus, *Andr.*, b. 565. c. 220, 698, 700, 701, 735
Rivinus, *Andreas*, c. 256, 258, 613. e. 226, 227, 219, 224
Rivius, 302
Robortellus. b. 116
Rodolphus. 109
——— Cantor Caesaris. b. 209
Roggers, *Joachimus*, b. 64
Rogiers. 142
Roillardus. b. 173
Romanus, *Adrianus*, 194, 321, 536, 607, 669, 682
Romerus. c. 574
Rondeletus. 153
Rondininius, *Natalis*, c. 378, 820, 859. e. 511
Ronsardus. b. 315
Rosenbach, *Philippus Wolfius*, 457
Rosenhan. e. 265, 267
Rossen, *Valerianus Sigismundus*, c. 725
Roswerdus, *Heribertus*, 664, 665
Rotallerus, vid. *Ratallerus*.
Rotarius. 458
Rottendorffius, *Bernard*, c. 216, 218, 221, 225, 237, 244, 256, 265, 268, 290, 304, 320, 387, 389, 490, 499, 500. d. 15
Rubenius, *Albertus*, b. 769. c. 137, 140, 243, 245, 258, 270, 274, 275, 282, 344, 369, 371, 372, 376, 684, 863. d. 5, 20, 22, 26, 28, 29, 45, 46. e. 96, 716
——— *Philippus*, 176, 631. b. 16, 25, 53, 56, 88, 162, 176, 749, 780, 770, 772
Ruccellajus. b. 199. c. 825
Rudbeckius. e. 72, 75, 76, 83, 98
Rudingerus, *Efromus*, 3
Rufus, *Christophorus*, b. 314
Rulaeus, *Ewaldus*, b. 733. d. 243
Ruisius. 442
Ruischius, *Conradus*, c. 571, 572, 573, 574
Rumpfius, *Constantius*, b. 698, 701, 559, 569. d. 277. e. 155, 156. e. 180, 183, 185
de Rupe. 420
Rupertus. e. 95
Rusius, *Albertus*, c. 512
Ruspigliosus. e. 521, 528, 530
Rusius. c. 207. 210, 496, 750, 752, 754, 759, 762
Rutgersius, *Janus*, b. 715. c. 87, 93, 795, 815. d. 21, 712, 755, 767, 769, 770
Ruverius, *Franciscus Maria*, b. 591
Ruyterus Thalassiarcha. d. 196, 276. e. 99, 316, 317, 733
Ruzinus. e. 742
Ryckius, *Theodorus*, b. 669. d. 107, 276, 277, 315, 322, 323, 336, 338, 528. e. 133, 223, 541
Ryswyckius, *Renerius*, 168, 170

S.

Sacchettus, *Julius*, c. 473, 475
Saccus, *Joh. Baptista*, b. 68, 85, 89
Sadeel, *Antonius*, 372
Sadlerus, *Joannes*, 135
Sadoletus, *Jacobus*, b. 230
Sagittarius, *Caspar*, d. 140
Sala, *Jos. Ant. Gonsales de*, c. 271
Salanus, *Petrus*, e. 17
Salmasius, *Claudius*, b. 465, 466, 467, 468, 478, 482, 704, 789, 794. c. 85, 124, 125, 160, 176, 178, 183, 203, 204, 209, 213, 218, 219, 223, 239, 244, 245, 247, 252, 258, 259, 267, 270, 274, 283, 284, 286, 288, 291, 295, 297, 299, 307, 313, 323, 329, 494, 427, 592, 606, 621, 634, 661, 666, 697, 698, 704, 710, 721, 741,

741, 812, 840, 874. d. 253, 239, 757. e. 438, 441. 442, 685, 599, 600, 582, 585, 586, 709, 711
Salmaſii uxor. c. 598, 608
Salvagnius v. Boeſſius.
Salviatus Dux. e. 695, 754, 757. 761
Samarthanus, *Scævola*, 218
Samblancatus. e. 615, 627, 628
Sambucus, *Johannes*, 1, 319. b. 284
Sanctamantius. c. 632
Sanctius, *Franciſcus*, 667. b. 59, 115. c. 498
Sandelinus. 204, 205, 688, 690, 697, 698
Sangeorgius. b. 106
Sangius. 607, 609
Santandreanus, *Johannes*, 647
Santinius. e. 566, 567
Sarravia, *Adrianus*, 45, 364, 610
Sarravius, *Claudius*, c. 158, 159, 160, 161, 166, 168, 183, 207, 250, 259, 263, 264, 286, 286, 575, 614, 617, 698, 700, 737, 792, 791, 795. d. 10. e. 639, 581, 700, 737
Saſſenus, *Andreas*, 287, 293
Saubertus. c. 30
Savillus. 407. b. 354
Saxonius, *Johannes*, b. 242
Scala, *Bartholomæus*, d. 482
Scaliger, *Joſephus*, 19, 49, 55, 56, 61, 75, 87, 109, 121, 160, 179, 190, 191, 192, 194, 195, 196, 198, 212, 204, 208, 213, 219, 255, 257, 314, 319, 331, 372, 405, 406, 411, 418, 465, 539, 546, 598, 625, 626, 647, 650, 671, 680, 682, 686, 690, 691, 693, 694, 997, 698, 699, 700, 701, 717, 741, 744, 745. b. 36, 60, 125, 307, 322, 323, 418, 427, 469, 471, 506, 709. c. 34, 73, 134, 221, 223, 258, 620, 815. d. 49, 50, 87. e. 155, 425
Scaliger, *Julius Cæſar*, 26, 359, 646, 650. b. 60
——— *Sylvius*, 359
Scepperus, *Iſaacus*, c. 834
Schazzius. c. 503. d. 58, 59, 64, 391, 292, 448. e. 654
Schefferus, *Johannes*, b. 668, 701. c. 241, 258, 327, 415, 497, 502, 506, 514, 518, 573, 539, 541, 689, 770, 823, 828, 829, 832, 832. d. 38, 39, 44, 47, 48, 50, 60, 67, 75, 77, 324, 325, 330, 407, 601. e. 170, 227, 163, 164, 176, 177
Schegkius. 342
Schelius, *Radb. Hermannus*, b. 612, 715. c. 211, 212, 216, 228, 229, 234, 243, 249, 263, 281, 284, 347, 382, 391, 480, 612, 860. d. 22, 35, 36, 37, 38, 39, 40, 41, 47, 50
Schertlingius. c. 787, 789, 790, 791
Schetlingius. 732
Schmilinus. 735
Schilterus, *Johannes*, d. 484, 485
Schioppius, *Caſpar*, 764, 765, 766. b. 104, 105, 412, 418. b. 49, 327, 331, 335, 338, 361, 362. c. 96, 165, 217, 219, 573, 574, 710, 817, e. 413
Schnabelius. d. 615, 642
Schobingerus, *Tobias*, c. 175, 200
Schonerus, *Lazarus*, b. 120
Schoockius, *Martinus*, b. 487, 580. c. 99, 112, 463, 503. d. 69
Schoonhovius, *Johannes*, 671. b. 238
Schotanus, *Chriſtianus*, c. 412
Schotenus. c. 603
Schottus, *Andreas*, 93, 157, 158, 159, 441, 446, 537, 715. b. 33, 118, 354. c. 209, 221, 223, 294
Schottus Senator. c. 28
Schragius, *Joh. Adamus*, b. 607. c. 52, 68, 101
Schſevelius. c. 874
Schultingius, *Johannes*, b. 638. d. 46, 48, 50
Schubartus. e. 313
Schuurmanna, *Anna Maria*, c. 601. d. 88
Scondoncus. 663
Scotus, *Jul. Clemens*, c. 762
Scribanius, *Carolus*, 245, 249, 251, 384, 553, 628, 700
Scriverius, *Petrus*, b. 406, 414, 438, 453, 536, 538, 543, 549, 567, 571, 790, 791. c. 35, 209, 582, 586, 587, 591
Sefeldius, *Georgius*, c. 770
Segethus, *Thomas*, 751
Seguerius. 381. c. 192
——— *Hieronymus*, 421
Seguinus, *Petrus*, c. 834. d. 87. e. 785
Seienus. d. 565
Seldenus, *Johannes*, c. 70, 73, 80, 81, 543, 742, 744
Semperius, *Andreas*, b. 116
Sengeberus. c. 95, 162, 700, 701, 703
Sentlebius, e. 218, 220, 227
Septalius, *Ludovicus*, b. 12, 69, 84 89
Serarius, *Nicolaus*, 250, 606, 670. b. 363

Serlius. 157
Servinus Advocatus Regius. b. 344
Servius, *Petrus*, c. 175, 176, 193, 269, 574
Severolus Abbas. b. 671
Sexagius. 155
Seyſtius, *Nicolaus*, 388, 436
Sfondratus. c. 564. e. 445, 544
Sfortia Cardinalis. 104
Sidnejus, *Philippus*, 218, 277, 311
Sienauwskii, *Procopius*, 610
Signejus, *Jobus*, 622
——— *Nicolaus*, 622
Sigonius, *Carolus*, b. 116. e. 125
Silerius. 373
Slingelandius. c. 383, 395, 395, 887
Slingelandius, *Franciſcus*, c. 137
Silva, *Johannes*, 93
Silvercroonius, *Joh. Philippus*, 117
Simo Simonides. b. 71. d. 410
Simon, *Theodorus*, b. 371
Simon. e. 329
Sincliticus, *Alexander*, e. 454
Sirletus. 58
Sirmondus, *Jacobus*, c. 287, 572, 596, 827. e. 219, 224, 703
Sixius, *Johannes*, c. 496, 617, 767
Sixtinus. b. 525. c. 238, 240, 258, 267. 295, 577
Sixtinus, *Suffridus*, c. 28, 40
Skenaeus. 453
Slupetius. 582
Sluſius, *Franc.*, d. 83, 87. e. 118, 530, 531
Smetius, *Henricus*, 274, 315, 412
——— *Johannes*, ſive Smithus. b. 524, 526, 527. c. 191, 201, 269, 271, 575. d. 12
Smith, *Thomas*, d. 270
Solicovius, *Demetrius*, b. 65
Sommalius, *Henricus*, b. 182
Soplingius, *Godofredus*, e. 115
Sorbierius. e. 601
Spagnetus. c. 452
Spangenbergius, *Cyriacus*, 662. c. 545. e. 544, 546, 554, 575
Spanochius. 679
Spanhemius, *Ezechiel*, c. 474, 860. e. 478, 486, 490, 495, 719
——— *Fridericus*, b. 457. c. 232, 233, 215, 217, 220, 581, 841. d. 465, 465, 469. d. 61, 74, 77, 81, 94, 538, 603, 667. e. 214, 289, 295, 397, 302, 391, 557, 683, 644, 687, 688
Spehnerus. d. 151
Spencerus. d. 270
Spiegelius, *H. L.*, 633
Spinoſa, *Benedictus*, d. 475
Spiringius. 184
——— c. 267, 639, 643
Sponius, *Carolus*, d. 554, 579. e. 331
Stanlejus, *Thomas*, 512
Stapletonius. 302, 488, 608, 609. b. 48
Stanihurſtius, *Richardus*, 93, 602
Starrenberg, *Richardus Baro a*, 320
Statilius, *Marinus*, d. 229. d. 1. e. 296, 530
Statius, *Achilles*, d. 468, 396
Steenbergius, *Joh. Baptiſta*, b. 774, c. 887. d. 74, 77, 454, 458
Stenemola, *Rumoldus*, b. 239
Stephanius. c. 593, 864
Stephanus, *Henricus*, 25, 101, 110, 179, 438, 473, 609, 638, 640, 642, 670, 708, 734, 737. b. 326, 515. c. 864
Stewartus, *Petrus*, 340
Stewechius. 591
Stolzenbergius Baro de Kalenberg, *Paullus*, d. 66
Stopius, *Nicolaus*, 628
Strada, *Famianus*, c. 172. e. 580
Strangius. e. 142
Stratenus. c. 3, 76
Stratius, *Johannes*, b. 238
Strauchius. d. 209, 210
Strevelshock. c. 393
Strochelius. d. 225
Strotius, *Carolus*, b. 527
Strozza, *Carolus*, e. 754
Strozzus, *Ludovicus*, c. 825
Stryckius. d. 456, 460, 462, 468
Stuckius, *Johannes*, 91, 546
Sturleſonius. c. 124
Sturmius. 339
Suberinus, *Johannes*, 455
Succa, *Laevinus*, 59, 62
Suerius, *Philippus*, 589
Suffridus, *Petrus*, 58, 61, 66
Surita, *Hieronymus*, c. 553
Surius. 593. b. 148
Suſius, *Daniel*, 536
—— *Jacobus*, 232, 247, 306, 536
Sylburgius, *Fridericus*, 270, 735
Sylvius Aeneas. e. 314
—— del Boe. d. 151

Digitized by Google

Sylvius, *Lambertus*, d. 101
Sypeſteinius. d. 588
Syrenius, *Julius*, d. 469
Swartius, *Euſtathius*, b. 515. c. 71, 73, 186, 169
Swartzmajerus. 735

T.

TAbaſſius, *Jo. Anton*, c. 433
Tarquetus. 261
Taurellus, *Jacobus*, b. 289
Tegnagelius, *Georgius*, b. 143
Tellitzonus, *Franciſcus*, b. 135
Templius. 185
Templius. d. 705
Tennulius, *Samuel*, c. 413, 422, 448. d. 782, c. 153, 223, 543
Terharius, *Paullus*, c. 479
Terrentius. b. 372, 375
Tertius, *Laurentius*, 754
Thevenotius, *Melchizedecus*, c. 535, 537, 546, 551, 552, 853. d. 77, 81, 87, 249
Thienius. d. 86
Thomas Montalbanenſis. c. 614
Thomaſſinus. c. 192
Thomaſius. c. 224, 341
Thomſon, *Georgius*, 618
——— *Richardus*, 232. b. 344, 351. c. 2
Thorius, *Raphael.*, b. 438
Thourinius, *Georgius*, 131, 144, 146, 147
Thriverius, *Hieremias*, 739
Thuanus, *Jac. Auguſtus*, 229, 379, 553, 561, 562, 651, 672. b. 27, 48, 438. c. 369, 385, 771, 817, 820, c. 595, 591, 603, c. 715
Thulerius. c. 766
Thyſius, *Antonius*, c. 345, 413, 512, 765, 746, 758, 796
——— *Jacobus*, 423
Thyſiorum familia. 423
Tiarda, *Eitzen*, b. 398
Tilius. b. 237
Tinnius. 673
Tintius Abbas. c. 612
Titius. c. 75
—— *Robertus*, 75, 186, 250, 716. b. 87
Tollemannus Pomeranus. 61, 604
Tollius. c. 221
——— *Cornelius*, b. 629. c. 254, 255, 263, 266, 292, 600, 610. d. 34, 96
——— *Jacobus*, c. 266, 492, 542, 890. d. 34, 36, 37, 39, 42, 162, 169, 172, 484, 485, 494, 570. e. 53
Tolotius, *Adamus*, 582
Tomaſinus, *Philippus*, c. 369, 385, 771, 817, 810. d. 8. e. 452, 454, 464, 588
Tonares, *Simon*, 667
Toricellus, *Euangeliſta*, c. 193. e. 597
Torrentius, *Laevinus*, 10, 96, 128, 129, 130, 159, 179, 260, 279, 282, 468, 580, 572, 591
Tottius. c. 799. e. 784
Tregianus, *Franciſcus*, 294
Treſchius. d. 738
Tremolius Dux. c. 671
Triglandius. d. 798
Triſtanus Sanctamantius. b. 761
Triſtanus. c. 139, 818. e. 692
Trompius. e. 95
Trottius, *Camillus*, b. 10
Trutius, *Antonius*, Lyranus. 58, 193, 942
Tryſt, *Antonius*, Epiſcopus Gandenſis. b. 631
Tuldenus. c. 137
Tulpius. c. 700
Tuningius. 191, 231. b. 325, 324, 395, 415, 417, 427
Turnebus, *Adrianus*, b. 60. d. 10, 12
——— *Stephanus*, b. 27
Turnerus. 340
Turrianus, *Raimundus*, b. 53
Tutinus, *Camillus*, c. 566. e. 430
Twiſdenus. c. 687

V.

VAlentia, *Petrus*, 667
Valerianus, *Pierius*, c. 782
Valckenarius. d. 61, 200, 201, 250, 255, 351, 405
Valerius. c. 137
——— *Flaminius*, b. 126
——— Cardinalis. b. 124
——— *Hadrianus*, c. 259, 266. e. 57. 701
——— *Henricus*, c. 277, 282, 563. 602, 607, 615, 626, 649. d. 81, 431, 433, 435, 617. e. 97 e. 101, 321, 238, 502, 695, 701
Valle, *Horatius de*, b. 49
Vallenſis, ſive de Vallibus, *Hieronymus*, c. 249, 250
Valtrinus. 101, 104
Vandeville, *Petrus*, 183. b. 123, 259, 262, 274, 275

Varchi, *Benedictus*, b. 315
Varicius. 713, 747
Vaſerus, *Caſpar*, 492
Vaſſovius, *Johannes*, b. 778
Vaſques, *Michael*, 552
Vatierus. c. 649, 654
Vavaſſor, *Franciſcus*, b. 800. d. 90, 652
Veen, *Simon van*, 686
Vegetii de Mulomedina MSS. c. 449, 450
Velaſquius. b. 87, 105
Velaſtegius. 723
Velſerus. 164, 753, 648, 354, 355. c. 322, 329, 344. 345
Velſius. b. 237
Velthuſius, *Lambertus*, d. 206, 207, 208, 209, 212, 213, 215, 215, 257, 657
Venius, *Cornelius*, 124, 131
——— *Otho*, 124, 131, 626, 618. b. 94, 414
——— *Petrus*, b. 87. 686, 687
Vergerius, *Paulus*, b. 631
Verjus. c. 852
Vernuleus. c. 137
Veſlingius. c. 167, 173, 177, 222, 229
——— *Joh. Mauricius*, c. 237
Vezzanus. c. 193
Viarius. c. 743
Vicecomes, *Joannes Maria*, c. 564
Vicomercatus. b. 61
Victorius, *Petrus*, Petri Pronepos. c. 96
Vieta, *Elias*, c. 431, 449
Vigius, *Carolus*, 718
Viglius Suichemius. b. 255
Villerius. 468
——— *Dionyſius*, 41. b. 76
——— *Franciſcus*, b. 170, 181
Vincentius, *Petrus*, c. 744
——— *Philippus*, c. 159, 279
Vintimilia. 288
Virdungus, *Michael*, b. 333. c. 30, 32
Vivianus. 157, 455, 526
——— *Carolus*, c. 126, 388
Vizzanius, *Aeneas*, 670. b. 123
Vlitius, *Janus*, b. 709. c. 57, 142, 174, 181, 182, 185, 187, 188, 200, 267, 268, 462, 478, 492, 524, 526, 593, 601, 855, 864, 878, 881. d. 43. e. 154, 92, 93
Voetius, *Gisbertus*, b. 465, 566. c. 290
——— *Johannes*, d. 462, 463. 465, 640
Voitius. 274
Vondelius, *Juſtus*, b. 791
Voogdius. 221
Vorſpulius, *Petrus*, 641
Vorſtius. b. 590
Vorſtius, *Adolfus*, 76, 183, 503, 505
——— *Conradus*, b. 435, 446
——— *Johannes*, d. 109, 132, 140, 147, 149, 160. c. 146
Voſſius, *Gerardus Johannes*, b. 440. c. 693
——— *Gerardus*, c. 42. d. 83, 94
——— *Dionyſius*, c. 95
——— *Johannes*, b. 623
——— *Iſaacus*, b. 686, 744, 746, 789. c. 40. 97, 142, 166, 170, 198, 206, 207, 208, 210, 214, 220, 221, 228, 241, 244, 248, 250, 256, 266, 289, 291, 292, 295, 297, 298, 300, 301, 302, 307, 311, 324, 329, 338, 339, 354, 365, 367, 392, 399, 401, 463, 466, 474, 461, 503, 504, 506, 509, 524, 681, 682, 730, 767, 770, 859, 870. d. 32, 35, 46, 102, 103, 178, 247, 258, 282, 322, 325, 528, 574, 575, 611. e. 13, 25, 56, 29. 153, 461. 289, 599, 666. b. 30, 634, 697. 698
——— *Franciſcus*, b. 546
Vredius, *Olivarius*, b. 648
Urbanus VIII. c. 711
Uſſerius, *Jacobus*, c. 198
Urſinus, *Fulvius*, 70, 75, 76, 592, 637. b. 39, 49. c. 777
Urſinus Virginius. b. 79
Vuiela, *Chriſtianus de*, b. 123
Utenhovus, *Carolus*, 60, 61, 62, 64, 603
Uytenbogardus. c. 676
Vulcanius, *Bonaventura*, 188, 329, 362, 447. 672, 693, 697, 741, 743. b. 254, 326, 343, 353, 395. c. 223
Vulcanius, *Petrus*, b. 254

W.

WAcherus Wachenſels, *Joh. Matth.*, 427, 430, 438, 439, 624. b. 48
Wagenſeelius. d. 339. c. 274, 342
Walaeus. c. 82, 217. e. 448
Waldechius Comes. d. 322
Wallius, *Jacobus*, b. 785. c. 857, 859. d. 31
Walle, *Hadrianus vander*, c. 205, 207, 696, 697, 704, 706, 718, 718, 728, 730, 806. d. 43. e. 270

Wal-

Walravius. 29
Wamesius. b. 91
Warnerus, *Laevinus*, b. 657
Wasserbachius, *Ernestus Casimirus*, 436
Wastelius, *Ludovicus*, b. 774
Wechius. 274
Weedius. Vid. Dyckveldius.
Wehers, *Johan. Adam.*, c. 182
Weems a Voerda. b. 92
Weitzius, *Johannes*, b. 511. c. 219
Werckhovius. 579, 58
Werdenburgius, *Cornelius*, 423
Wesembecius, *Matth.*, 274, 435. b. 290
Wevelinchovius. c. 749
Weymannus. c. 837, 858
Wezius, b. 286, 287
Wicelius. 58, 137. b. 263, 271
Wicquefortius, *Joachimus*, c. 559, 560, 564, 587, 624, 693
Wilag, *Peregrinus*, b. 295
Wilthemius. 678. b. 786
Wiltius, *Henricus*, 69, 70, 118, 120, 122, 202, 272. b. 5
Wincelius. vid. Wicelius
Wingius, *Philippus*, 533, b. 7
Wingius, *Hieronymus*, b. 7
Winterfonius. d. 69
Wintwodus. b. 435
Witt, *Johannes de*, d. 115, 116. 124, 217
Withakerus. 253, 608
Witte, *Nicolaus*, b. 794
Witrendellus, *Petrus*, 261, 262
Wittenius. c. 777
Witze, consul Amstelodamensis. c. 887. d. 38
Wolfius, *Hieronymus*, b. 462
Wolowiczius. 717
Wolzogius. d. 178
Wouwerius, *Joannes*, Antverpiensis. b. 179, 189
Wouwerius, *Joannes*, Hamburgensis. b. 28, 121, 345, 348, 356, 446, 556. c. 37, 506. d. 9
Wouwius Eques. c. 588
Wullenius. c. 257, 274, 607, 610, 613, 630, 631, 677. 682
Wurtzius. b. 740

X.

Xandrinus, *Johannes Clemens*, b. 174
Ximenius, *Petrus*, 60, 61, 62, 129. & seq. 130. b. 253, 257. & seq.

Y.

Yvarra, *Stephanus*, 723, 725

Z.

Zanden, *Nicolaus vander*, 468
Zerotinus Baro. 330, 338
Zeubelius. b. 253
Zeveldius. c. 587
Zinzerlingus. c. 248, 364
Zoesius, *Thomas*, 12, 125, 217, 233, 342, 670
Zuylichemius. c. 699, 701, 769, 184, 185, c. 49
Zylius, *Otho*, b. 783

FINIS.

IN-

Digitized by Google

INDEX III.
RERUM ET VERBORUM.

A.

A & Ω. a. 609.
Ab pro *Poſt*. d. 802
Abdias de vitis Apoſtolorum. c. 247
Abducere a ſtudiis. d. 349
Academia in aula Suecica erecta. c. 658
——— Bredana. c. 709
——— Harderovicena. c. 186. 188
——— Leidenſis Batava, a. 188, 194, 198, 203, 612, 681, 685, 687. c. 217, 530, 757, 769
——— Lovanienſis. b. 408, 409. a. 487, 488, 612
Academiarum in Hiſpania ſtatus. a. 553
Academici Otioſi Neapoli. c. 566
de Academiis Catholicis edictum Batavorum. a. 39, 46, 64, 613, 683
Accentus in particulis. a. 331
Achates Tiberianus. b. 770
Achilles, *Achillas*, & *Achilleus*, d. 121, 124, 126
——— Tatius auctior vulgato. b. 489
Acre telum. d. 96
Actor teli. d. 58
Acuta crux. a. 634
Ad ſtellas facere. c. 388
Addere gradum. c. 501
Addicere. d. 643
Adfligere pro infligere. d. 707
Adjectiva in *idus*. c. 272
Adolfus Joannes, frater Caroli Guſtavi. c. 803
Adſentiendi formula. d. 2
Adſciſci in Coloniam. c. 486
Adſtrictus. d. 232
Advocatio. c. 349
Advocatoris munus apud Venetos. c. 288
Aeger, cum Genitivo. d. 352
Aegyptius Deus. b. 718
Aegyptiorum Lingua vetus. b. 478
Aeliani opus ineditum. c. 17
Aemulari pro imitari. d. 173
Aeneae errores. d. 802, 803
Aequicus, ab *Aequis*, c. 107
Aequus, pro Aequali. d. 132
Aera militaria. a. 612
Aere & libra. b. 547
Ardenburgi Obſidio. d. 121, 122
Aether, ultima brevi. c. 884
Aetis, c. 201, 202
Age porro. d. 198
Agnomina. d. 767, 678
Agrippina, Germanni uxor. d. 130, 135
——— Neronis mater. d. 130
Alaſtor. c. 663, 669, 870
Albategnius. b. 335
Albertus Auſtriacus Cardinalis. a. 103
——— ejus nuptiae cum Iſabella. a. 548
Album amicorum. b. 644
Aleppo. b. 234
Alexander Lycopolita. b. 733
Alexandrinum Muſeum. b. 78
Alexias, Annae Comnenae. c. 175, 179, 182, 185, 191. & ſeq. 291, 575, 741
Algere. c. 219
Algeriana expeditio, b. 107
Aliquis & Alius confuſa. d. 788
Altaria & aras. b. 714. & ſeq.
Altor & auctor. d. 289
Amberlandia. b. 244
Ambianum oppreſſa. a. 174
Ambo pro ambos. d. 121, 124
Ambrones. b. 243
Ambroſiana Bibliotheca, b. 15, 85. c. 165, 199, 564, 571, 578
Amersfortii obſidio. d. 115
Amiſia. c. 53
Amphitheatrum honoris Bonarſcii. a. 384, 386, 553. b. 173, 360
Amphitheatrum Burdegalenſe. b. 186
Amphitheatra reliqua. b. 147
Anabaptiſtae. b. 295. & ſeq.
Anacreon auctior vulgato. c. 411
Ancyranum Marmor. a. 313
Anfridus Epiſcopus Ultrajectinus. b. 141
Angli. a. 139. c. 639
Anglicanae puellae hiſtoria rara. b. 136
Anglorum imperium in Belgas. a. 278
——— inhumanitas in exteros. b. 594
——— luxus. a. 38
Anglicum bellum. c. 746
Annus Judaicus. b. 365
Ante diem. b. 561. & ſeq.

Anthologia MSS. b. 490
Antichriſtus. c. 705
Antiptoſis. c. 212
Antiquarius an fuerit Lipſius. a. 164
Antoninus Liberalis Munkeri. b. 655
Antonius Muſa. b. 724
Antonius Rex Portugalliae. a. 259, 747
Antverpiae datum templum Catholicis. a. 30
Antverpienſium Jeſuitarum MSS. b. 773
Antverpienſium convivia. b. 42
Apellas Judaeus. b. 465
Apicii Codex MS. c. 566
Apologia pro Eraſmo. c. 870, 871
Apollo atrox. b. 140
Apottolis donum linguarum datum. b. 463
Appiani Alex. Anecdota. d. 69
Apronia Gens. e. 193
Apuleji codices & editiones. a. 362
——— editio Elmenhorſtii. e. 783
Aquae Grani. a. 187. c. 136
Aquilae Romanae quales. b. 151
Arabes Medici. a. 440
Arabicae voces literis Hebraicis. b. 318
Arabici Characteres. b. 353
Aradius Rufinus. b. 728, 732, 787, 788
Araufionenſis Wilhelmi I. caedes. a. 186, 244
Arbuſtum & Arbutum. e. 120
Arctica, *pro*, Arctoa. c. 477
Aretias inſula. e. 353
Argyripa. c. 489
Aries Heilbronnenſis. b. 192
Ariſtotelis Paraphraſtes. b. 401
——— Politica. d. 2
Arminii & Gomari colloquium. b. 416
Arnobii editio. c. 139
Arohii Comitis evaſio e carcere. a. 751
Arquites. c. 769.
Arrianus. e. 60
Arriani Diſſertationes ſunt Epicteti. a. 127
Arſchotani Ducis uxor Hagae mortua. a. 329
Artorius Medicus. b. 705
Arundeliana Bibliotheca. c. 62
Aruſianus Meſſus. c. 184, 569, 579
ſub Aſcia dedicare. a. 61
Aſconius Pedianus. a. 61
Aſia minor. b. 232
Aſini in tutela Veſtae. d. 256
Architrenius. e. 226
Aſſyriorum & Babyloniorum Chronologia. b. 168
Aſterii & Aſtyrii. b. 728, 730, 787, 788. c. 193. & ſeq.
At pro ad. d. 237
Atellana. d. 136
Atheiſmus in aula Chriſtinae. c. 338
Athenaeus Caſauboni. a. 374
Atlantis Blauviani deſcriptiones ſunt Jac. Tollii. d. 34
Atrox, pro animoſo. d. 130
Attalus d. 773, 775
Attica dicta κεφαλαια. d. 254
Avaritia bibliopolarum. b. 630. c. 27, 70, 161, 169, 260, 268, 525, 533
Auctor libelli de ſomniis c. 9, 13
Auctor & altor. d. 289
Audere d. 772
Audiens dicto alicui, non alicujus. c. 151. & ſeqq.
Auguſtinus de civitate Dei MSS. Scriverianus. b. 617
Augere pro generare. d. 294
Avitus Sirmondi. e. 223, 226
Aulicorum animus erga ſtudia. a. 470
de Aurelio Victore judicium. a. 28
Auſtriacorum potentiam vaticinatus Lipſius. a. 60
Auſtriacae familiae imagines Pragâ tranſlatae in Sueciam. c. 602
Axenus. c. 402
Azymus in S. Coena. b. 459

B.

B & v. commutatae. e. 366
Babaecali. c. 518
Babyloniorum & Aſſyriorum Chronologia. b. 168
Bacchanalia. c. 704
Bacchus latuit apud Thetin. e. 199
Balſamum. e. 716. & ſeq.
Barbaroſſa Mytilenus. b. 212
Bardevicum. b. 244
Barlaamus de primatu Papae. b. 494, 496
Baronii Monarchia Siciliae. b. 174, 185
Barthii Claudianus. c. 731
Baſilea. a. 117
Batavi Poetae. c. 112, 114, 199
Batavorum edictum de Academiis Catholicis. a. 39, 46, 56, 613, 683
——— foedus cum Elizabetha. a. 259
——— libertas in ſcribendo. b. 338
——— ——— Mores. a. 209

Batavorum navigatio in ſeptentrionem. a. 209. b. 109
——— ——— in orbem novum. a. 684
——— de pace cum Anglis & Hiſpania tractatio. a. 299
——— res militares laudatae. b. 106
——— Status miſer. a. 39, 46
——— Victoria ad Caput bonae ſpei. a. 301
Batavis jusjurandum injunctum. a. 150
——— Ruſticitas exprobata ab Heinſio. c. 726, 728
Batta. c. 374
Bavarica aula. b. 79
Baubari. c. 409
Belgium a Gallis occupatum. d. 113. & ſeqq.
Bellaciorum familia. c. 767
Bellum Anglicum. c. 746
——— Bremenſe. c. 333
——— civile in Gallia. c. 284
——— inter Genevenſes & Sabaudum. a. 492
——— Maurorum. b. 177
Bentivolius. a. 621, 628
Berengarii vita carmine ſcripta. c. 704
de Bernartii Statio judicium. a. 708
Biblia Iſlandica. c. 770
Bibliorum Belgicorum errata. c. 759
Bibliopolarum avaritia. b. 630. c. 27, 70, 161, 169, 260, 268, 525, 533
Bibliotheca Ambroſiana. b. 15, 85. c. 165, 199, 564, 571, 571
——— Altempſiana. c. 627, 616
——— Arundeliana. b. 81
——— Bongarſiana. c. 200, 506, 812, 815, 818
——— Bremenſis. c. 585
——— Cantabrigienſis. b. 351
——— Chriſtinae Reginae Bruxellam devecta. c. 679
——— Colonienſis. d. 15
——— Corvini. c. 886
——— Erphurtenſis. d. 19, 26, 33
——— Goldaſti. c. 569
——— Holſatiae Ducis. c. 506, 582, 585
——— Luneburgenſis Ducis. c. 587
——— Mazariniana. c. 597
——— Memmiana, quam emere voluit Chriſtina. c. 161, 257. 259, 600
——— Meurſenſis cujuſdam. d. 13.
Bibliotheca Oxonienſis. b. 351
——— Petaviana empta a Chriſtina. a. 162, 168, 259, 267, 591, 604
Bibliotheca Tholoſani Archiepiſcopi. c. 620
——— Sangallenſis. c. 200
——— Urbineuſis. c. 396, 566
——— Voſſiana ceſſit Chriſtinae. c. 221, 223, 675
——— Wouwerii. c. 506
Bibliothecae Angliae. c. 81
——— Florentinae. c. 96, 163, 171, 565
——— Francofurtenſis & vicinarum urbium. d. 142
——— Italicae. c. 163
——— Neapolitanae. c. 180, 181, 566
——— Pariſienſes. c. 563
——— Romanae. c. 289, 561
——— Venetae. c. 190, 575
Bibliothecarii rudes. c. 575
Bielke, *Steno*, c. 805
Bigas ſtatuere. a. 458
Biria. b. 243
Bivilles. c. 369
Blanckardi plagium. b. 649
Blitho Sulpicius. a. 342
Bodecheri MS. ceſſerunt Heinſio. c. 71
Boecleri Terentius. c. 359
Boëtia in Thracia. d. 730
Bohemiae Principis Philippi facinus. c. 703
Bona opera. b. 252
Bongarſiana bibliotheca. c. 200, 812, 815, 818
Bonna capta. a. 34
Bononiae laus. a. 677, 724
——— ſtatus. c. 571
Boyus, ſatyris proſciſſus. c. 719
Brabantiae ordines. a. 644, 645
Brain le Chaſteau capta ab Hiſpania. a. 572
Bredanae Academiae initia. c. 709
Bremenſe bellum. c. 333
Bremenſia MSS. donata Reginae. c. 244
Brevis & longa vocalis coalescentes. b. 212.
Bucca, Bucca, quot ſunt hic? ludus. c. 375.
Buchingami ducis ſtatuae. c. 588
Burdegalenſe Amphitheatrum. b. 190
Burchii, *Lamberti vander*, Hiſtoria Sabaudiae. c. 499

C.

CAdaliſtae. b. 733
Cadere, de fragore & tonitru. c. 82
Caduceatores. b. 643

Digitized by Google

de Caesare, *Julio*, judicium. b. 201
Calicis usus in Eucharistia. b. 294
—— permissus Clivensibus. b. 291
Camerarii, *Joachimi*, epistolae ineditae. b. 460
Campani. d. 136
Canis, pro catena ferrea. d. 101
Cannea sagitta. b. 153
Canonicis Ultrajectinis interdicta administratio reipublicae. a. 496
Cantabrigiensis Bibliotheca. b. 351
Cantus Germanorum & Gallorum. c. 152
—— euntium in praelia. d. 164
Capite tecto an aperto cibum ceperint Romani. a. 495
Capitonis Fonteji nummus. a. 447
Capsarius. d. 194, 197
Carmen & crimen confusa. d. 4
Carondeletorum familia. a. 467
Carolus Magnus de imaginibus. b. 256
—— V. a. 725
Caroli I. Angliae Regis caedes. c. 211
—— II. Inauguratio. c. 767
Carolus Gustavus Sueciae Rex. c. 803
Carpere oscula. d. 303
Cartesiana Philosophia. b. 463
Caryophyllatae. c. 649
Casauboni Adversaria. a. 385
—— Athenaeus. a. 375
—— Persius. a. 381
—— Polybius. a. 375, 385, 386
—— de Satyrica Poësi a. 385
Castus, de Sacerdote. b. 669
Castigo. c. 2
Cateja. b. 155, 157
Catholici impetrant templum Antverpiae. a. 30
Catomis objurgare. d. 477, 478, 480
Cathedrae. b. 645
Catholica religio. a. 711
Catholicon. c. 538
Catulus, catena ferrea. d. 101
Celsi Rhetorica. c. 623, 632
Cenotaphia Pisana. b. 134
Centonarius. c. 376
Cestrosphendona. c. 1
Cestus. b. 2
Chemici libri. c. 585
Chemiae studium. a. 146, 148
Chirothecae. b. 709
Chilodovaeus idem qui Ludovicus. a. 240
Christina, *Augusta, & Alexandra*, b. 763, 765, 769, 789, 793. c. 114, 216, 227, 233, 240, 241, 246, 350, 338, 352, 455, 474, 506, 510, 527, 616, 626, 629, 633, 637, 658, 678, 679, 681. & seqq. 757, 759. e. 695, 699, 700, 709, 712, 772, 773, 774
Christinae humanitas in N. Heinsium. c. 770
Chronica Idaci, Georgii Episcopi, Marcellini & Prosperi. b. 347, 349
—— Judaica. b. 366
Chronologia Assyriorum & Babyloniorum. b 168
Chronologica. b. 373
Chrysostomus de Circo. a. 648
Chrytraei, *Nath.*, portismata in Ciceronis Epistolas ad Atticum. a. 491
Ciceronianus Erasmi. b. 202
Ciceronis consolatio supposititia. a. 238
Ciconia, sannae genus. c. 5
Cinnami Historia. c. 620
Citharoedus Italus. c. 657
Civitas pro gente, republ. d. 673
Clamor regii sanguinis Al. Mori. c. 646, 746
Claudianus Barthii. c. 731
—— Chymicus. e. 436
Clerici, *Joh.*, turpis error. c. 706
Clientes, Clientae. c. 216, 218
Clusius, *Carolus*, Leidam invitatus. a. 314
—— non benigne ibi habitus. a. 326
Coctus pro maturo. d. 462
Codini codex plenior edito. b. 568
Coemptionales senes. c.
Coena sine Azymo. b. 458
Cognatio. d. 768, 774
Cognomina. d. 759, 760, 763, 764
Colere arva, an recte dicatur. d. 227
Collegium Leidae conditum. a. 188, 194, 198
—— Lovanii Jesuitis condidit Torretius. c. 487
Colloquium Possiacum. b. 259
Colonia. b. 243
—— Equestris. a. 458. 587
—— Patricia. a. 458, 586
—— ad Spream. b. 244
—— Trevirorum. a. 586
Colorati. a. 235
Columellae codex MSS. c. 162
Comes Mursensis. a. 269
Comitis Egmondani filius. a. 744
Comestabuli Gubernator Mediolani. b. 8. 13
Committere facta, ludos, judicia. e. 392

Communicatio & confirmatio in Euchariſtia. b. 250
Communio ſub una ſpecie. b. 251
Concilium Tridentinum. b. 369
Concionatorum licentia. c. 704
Condaeus Princeps. c. 284
CONOB. & TROBS. in nummis. c. 372
Conſolatio Ciceronis falſa. a. 238
Conſpiratio in Jacobum, Angliae R. a. 295, 302
——— in Magiſtratus Leidenſes. a. 45, 364
Conſtrati currus. e. 114
Contentus cum Genitiv. d. 96
Contingere, pro illinere. b. 525
Conventus doctorum Romae. b. 216
——— Lunaeburgenſis. a. 269
Convivium deorum in Suecia. c. 664
Convivia Antverpenſium. b. 42
——— Hamburgenſium. c. 798
Coquere, pro torrere. d. 463
Cora, pro cura in MSS. d. 149
Corytus. e. 101
Cornua pro genis. e. 370, 374
Corona capi. a 464
Coronatio Imperatoris. a. 2
Corripere, pro accuſare, deferre. d. 143, 155, 162
Corruptor. d. 151, 721
Cortracenſis clades. c. 360
Corvini Bibliotheca. c. 880
Corvus oracula dabat. b. 730
Coſmae Indopleuſtae Typographia. c. 652
Craſſae paludes. d. 285
Coſſus Conſul. b. 382
Credere diligentiae, bonitati. c. 246, 250
Covini. d. 435, 441. e. 114
Creta. d. 707
Crimen & carmen confuſa. d. 4
Critica ſtudia. a. 113. c. 3, 16, 34
Critici. a. 199
——— Londinenſes Sacri. c. 406, 407
Crotalia. d. 470
Cruſii & Friſchlini rixae Grammaticales. a. 303
Crux Chriſti, & Salmaſii ſententia. c. 721
Crucis forma. a. 649
——— Supplicii modus. a. 661
——— Signum. a. 643
de Cruce Scriptores. a. 445
Cumulare in gregem. d. 253
Cura pro regimine. d. 368, 769. e. 780
—— pro amore. d. 149
Curatores Academiae Batavae. c. 757
Currus ſtrati & conſtrati. e. 114
Curtii aetas. b. 626
de Curtio judicium. a. 626
Cybele. d. 792
Cycladum mel. c. 507
Cygnus. c. 108
Cymbaliſtria. d. 412

D.

DAmaſceni, *Joh.*, homiliae. d. 444
Dani legatione a Batavis invitantur. a. 681, 713
—— Iniquiores Batavis. a. 170
Daniae Rex. a. 299
Damas & Dama. c. 376
Daſypus. e. 351
Daventriae peſtilentia. c. 351
Daventrienſis Gymnaſii ſtatus. b. 628
Daventrienſes ſtudioſi ludos ſcenicos agentes. c. 292
Davidis de Pomis Lexicon. b. 363, 366
Davidica Medicina. b. 45
Dedicare ſub aſcia. a. 61
Dedicationes ad captanda munera. c. 511
——— Germanorum. a. 270
Deducere. b. 704
Defendere aliquid alicui. d. 301
Defixio magica. b. 705
Degenerare. d. 774
——— cum quarto caſu. d. 299
Deliberare, pro delibrare. a. 53
Deliniri, pro incantari. d. 705
—— pro illecebris capi. d. 745
Delrio in Thuanum ſcripſit. a. 551
—— periculoſa ejus navigatio. a. 543
Demetrianae. a. 618
Demetrius Phalerius & Phalereus. c. 89
Demiſſis labris. e. 412
Dena nox, pro decima. b. 211
Depenſare. d. 783
Depilare. e. 375
Dequeri. c. 392
Διαβολίαι. a. 638
Dialectici Graeci. b. 202
Dicaearchus de Graecia. b. 310
Dicta, pro facetiis. e. 29
Dictata Lipſii in Anglia vulgata. a. 193
Dictator Romanus. b. 383

Didy-

Digitized by Google

Didymus de Plantis inedituſ c. 162
Differre & disjicere per valles. c. 167
Dimittere militare verbum. d. 716
Dipthongus in voce Graeca brevis. c. 530
Diſcinctus, pro legibus ſoluto. d. 344
Diſciplina Eccleſiaſtica. a. 82
Diſcrimen ſapientis & plebis. a. 705
Disjicere per valles. c. 167
Diſtendere. b. 212
Diſtinctiones novi teſtamenti. b. 459
Ditmarus Reineccii. a 266
Diu, ultima communis. b. 212
Diva Hallenſis, & Sichemenſis &. b. 142, 177, 182, 184, 359, 361
Dividi, obſcaeno ſenſu. c. 375
Divitas, pro divinitas. a. 609
Divona & Doveo. b. 190
Docti viri an in Germania. a. 267
Doctores Leidae creandi modus. a. 188
Doesburgi ad Iſalam obſidio. d. 115, 116
Domeſticus Jupiter. b. 666
Domiſeda. d. 605
Domus luxuriae. d. 364, 366. e. 23
—— pro proximis, familia. d. 808
Dordracena Synodus. b. 452
Donare aliquem alicui. c. 420, 421
Dores. d. 638
Doreſſai caedes. c. 213, 215
Dorſtadium. b. 244
Draco Satanas dictus. a. 246
Duaci peſtilentia. a. 20
Dux de imperatore Romano. d. 738
Duisburgi deſcriptio. d. 17
Duo, pro duos. c. 888. d. 121, 124

E.

E & I. confuſae. e. 89
—— pro I. in nummis. c. 196
Ebo numen Neapolitanorum. b. 708
Ebuſus. d. 461, 462
Eccleſiae corruptus ſtatus. b. 447
Eccleſiaſtica diſciplina. a. 82
Edictum Ordinum Batavorum de Academiis Catholicis. a. 39, 46, 64, 613, 683
Editiones cum notis variorum. b. 633. c. 243
Effigies, pro umbra. b. 669
Effluere active. e. 406
Ego vero, pro immo. e. 382
Elatus metaphorice. d. 372, 374
Elector Palatinus vinum donat Nic. Heinſio & Iſaaco Voſſio. c. 809
Electoris Palatini & Lotharinguae Ducis controverſia. c. 836. & ſeq.
Elephas. a. 60
Elizabeta Angliae Regina. a. 751
—— foedus facit cum Batavis. a. 259
Ellipſis verbi contrarium ſignificantis. d. 704
de Eloquentiae ruina. c. 605. & ſeqq.
Elzeviriorum ſordes. b. 630
Emanare active. c. 406
Emancare. c. 189
Emereri, pro mereri. d. 408
Empedocles. b. 735
Empedoclea Sphaera. b. 315
Enitescere. d. 794
Eo & & confuſa. d. 372
Epicis Poetis ſententiae datae a monachis. c. 193
Epictetus auctor diſſertationum ſub Arriani nomine. a. 127
—— ejus Enchiridion. b. 362, 472
Epigrammata in Papam. c. 708
Ἐπικόνιον, ſupercilium. d. 359
Epiſtola Lipſii de pace & induciis. a. 207, 652
Epiſtolae amicorum an publicandae. b. 76
—— Wouwerii contra Elmenhorſtium. c. 60
Epona. d. 255, 256
Equeſtris Colonia. a. 458
—— fortuna. a. 222
Eraſmi Ciceronianus. b. 202
—— effigies Roterodami ſtatuta. a. 185
—— Juvenilia. b. 376
pro Eraſmo Apologia. c. 870, 871
Erigere toros. d. 427, 433
Erinnae carmen. a. 232
Erneſtus Auſtriacus. a. 470, 713
Erphordia. d. 17
Erphordienſis bibliotheca MSS. d. 17, 26
Error. d. 745
Eſt, omiſſum ſaepe. d. 771. 772
Et & eo confuſa. d. 372
— pro etiam. d. 372
Eteſiae. d. 709
Ethices ſtudia. b. 3
Etymologiae ſtudia. c. 771
Exterior comes. b. 719, 723, 724
Euangelium Matthaei. b. 643
Euchariſtia. b. 250
Eucherii Gloſſarium. c. 557
Eugraphius Terentii Scholiaſtes. b. 348
Eugubinae tabulae. b. 289
Eumenes. d. 773, 775

Euſebius Scaligeri. c. 620
——— Codex MSS. Chronici. a. 243
Euthalius de vita Pauli. e. 234
Exemplum, pro fabula. d. 585
——— pro ſupplicio. e. 41
Exigere. d. 433
——— alicui poenas, pro perſolvere. d. 722
Expeditio Algerina. b. 107
Expergere. d. 316
Exſpectare & ſpectare. b. 529
Expugnare, pro expellere. d. 569
Exſilium leniter ferendum. b. 442
Exta ſecta. d. 297
Ἐφωνης. b. 710

F.

F & P. permutatae. d. 334
Fabarii pro incantatoribus. e. 369
Facies loci, ſinus &c. d. 351
Facere Poëta dicitur, qui alios facientes inducit. e. 394
——— culinare verbum. e. 396, 420
——— pro dicere. e. 420
Factiones in Ttanſiſalania. c. 335, 337
Fallax Aequor, fallaces epulae. d. 295
Farneſianus Theſaurus. e. 826
Farneſii Ducis Parmenſis mors. a. 285
Fata obſtant. d. 373
Fax Hiſtorica Lipſii. a. 148
Feneſtras in nova domo amici donant Lipſio. a. 488
Ferrario, *Octavio*, torquis cum nummo a Chriſtina data. c. 601, 617, 623
Feſſus ſenio, de re inanimata. d. 103
Feſtina & fortuna confuſa. d. 351
Fictus, pro fixus. c. 39
Ficus condiendi ratio. d. 462
Figere. b 553
—— roſtro. e. 83
Fila puellae praeparabant. d. 541
Filia pro alumna. d. 148
Fingere, pro affingere. d. 210
Flaminius an Flamininus. a. 460
Flammaris. c. 7
Flegyas. e. 369
Florentinae bibliothecae. c. 565
Flores ſerendi modus. a. 325
Foenus & Uſura. b. 576
Fontanus comes. a. 730
Fortuna & feſtina confuſa. d. 352
——— equeſtris an ſequeſtris. a. 229
Franciae ſtatus. a. 62
Francofurti non grati peregrini. a. 316
Frigus & gelu extraordinarum. c. 703
Friſchlini & Cruſii controverſiae Grammaticales. a. 303
Friſii nundinationis munerum rei. b. 727
Frugia, pro Phrygia dea. b. 714
Frugifer ſol. b. 713
Fucus & Succus. c. 225
Fulgentii codex MSS. c. 696
Fumus, pro caligine. d. 425
——— pro vaporibus. d. 425
Funus, pro pompa funebri. d. 536, 539
Furca, unde vorck. a. 163
Furca traducti nocentes. d. 101

G.

GAbalus, unde Galg. a. 163
Gaeſum. a. 155
Gale, *Joh. van*, *vincit Anglos navali praelio*. c. 314
Galeae cum criſtis. a. 152
Gallia & Lutetia. c. 792
Galliae Regis munificentia in eruditos. c. 523, 806
Gallorum cantus. a. 152
——— Poëmata colligere & edere voluit Lernutius. a. 8
Gallinaceum lac. e. 376
Gallus Gallinaceus Penthiacus. e. 381
Gaufridus vel Gaufredus de vino Salvo Anglus e. 243
Garizim & Hebal. a. 285, 287
Gaſſion. c. 698
Gaſtrum. e. 354
Gelrica Hiſtoria Slichtenhorſtii. c. 776
Geneſius Scriptor Byzantinus, e. 346
Genitiva nomina. d. 806
Genitivus de motu ad locum. e. 400
Genevenſes inter & Sabaudum bellum ve. 492
Gennadius, T, recenſitor Martialis. b. 523
Gens pro familia. d. 808
Genus pro liberis. d. 303, 304
—— pro fabularum genere. e. 29
—— pro genere humano. d. 585
Georgii Epiſcopi Chronologia. b. 347, 349
Germania placebat Lipſio. a. 669
Germani canunt facta illuſtria. a. 152
——— Dedicationes ſcribere ſolent. a. 270
——— Negligunt humanitatis ſtudia. a. 126
Γεῖσα oppoſita Saxoſis. d. 262

Gliſcit regnare. d. 103
Gloria de gl' incogniti. c. 190
Gloſſae in MSS. c. 73
——— Iſidori. c. 558
Gloſſarium Eucherii. c. 557
——— Macri. c. 55, 78
——— Jo. Monachi. b. 347
——— H. Stephani. a. 587
Glycae annales. a. 444
Goldaſti Bibliotheca. c. 568
Gomari & Arminii colloquium. b. 417
Graecae Linguae ſtudium. b. 329
Graecis de ſtudiis judicium Lipſii. a. 376
Grammaticales lites inter Cruſium & Friſchlinum. a. 303
Granatenſi de bello Poëma. c. 642
Gratio adſcriptum halieuticon. c. 695
Grati, pro Graji in MSS. d. 254
Gravia capta. a. 38
Gravis, pro incommodo, oneroſo. d. 289
—— pro aegro. d. 349, 355
Grotii carcer & exſilium. b. 441. & ſeq.
—— liber de veritate Religionis. b. 441
Gujeti Terentius. c. 359
Guilielmus I. Arauſionenſis. a. 30, 214
——— II. c. 248, 704, 724, 731
——— III. in Academia Leidenſi operam dat ſtudiis. c. 769
——— a Tranſiſalanis creatur praefectus. c. 758
Gymnaſium Daventrienſe. b. 628
——— Mediolanenſe. b. 85

H.

Habere, pro regere. d. 553
—— & obire confuſa. d. 221
Hackii avaritia & ſordes. d. 533
Haereſes de ſectis Philoſophorum. d. 234, 236
Halieutica adſcripta Gratio. c. 695
——— Spuria. a. 442
Hallenſis diva. b. 142, 177, 181, 184, 359, 361
Hamavehae matronae in lapidibus. a. 451. 457
Hambeck. a. 452
Hamburgenſium convivia. c. 798
Harderovicena Academia. c. 286, 288
Harpocrates. d. 495
Harpocratiani. b. 711, 712, 714
Harpocrationis editio. b. 651. & ſeq. c. 701
Harpyiae. c. 350, 352, 533
Hartii, Othonis, filius. a. 577
Hebal & Garizim. b. 285, 287
Heidelberga, Myrtetum, & unde dicta. a. 274, 330
Heilbronnenſis aries. b. 192
Dan. Heinſii & Salmaſii inimicitiae. b. 472, 479. c. 85
——— infirmitas memoriae. c. 758, 759
——— mors. c. 335. 340
Heliodorus auctior vulgato. b. 487
Helleniſtica lingua. b. 464, 473, 478
Henrici III. Regis Galliarum caedes. a. 412
Henricus Julius Brunsvicenſis. a. 733, 735
Heronis Strategica. a. 94
Hiantia lumina. d. 155
Hieremia Patriarcha. c. 399
Hieroſolymitanum templum. b. 640. c. 169
Hilaria. b. 718
Hirundines. c. 93
Hiſpanicae Academiae. a. 553
Hiſpaniae ſtatus, in literis, re militari &c. b. 113, 114. c. 553
Hiſpanorum inertia. a. 448
Hiſtoriae Auguſtae a Sylburgio editae. a. 344, 349
——— MSS. in bibliothecis. c. 639, 641, 644, 648
Hiſtoricum ſtudium. a. 4
Hoc, pro huc. d. 92
Hojum capta. a. 573, 576, 687
Hollandorum ſtudia literarum lapſa. c. 211, 216, 246
Holmiae incendium. c. 650
Holſatiae Ducis bibliotheca. c. 508, 581, 583
Homerus deus. b. 668
Homeri laus. a. 672, 675
——— Scholiaſtes Voſſianus. c. 421, 424
Honorus. d. 479
Hoogſtratia occupata a. 295
Hortator in puppi. c. 54
Hoſta, pro honeſta in MSS. d. 163
Huetii demonſtratio Euangelica. c. 730
Hugenii habuere codices Lipſianos. c. 372, 375, 377
Hugenotae. b. 264
Hulſta obſeſſa & capta. c. 698, 699
in Hungaria geſta. a. 621. b. 39
Hyacinthus. c. 131
Hyele dictae Velia. c. 491
Hyſopus. c. 721

I.

Jacobus I. a. 302, 751. b. 44, 110
Jactare. d. 264
Jacturae. b. 609
Iare pro hiare in MSS. d. 155
Icaria. b. 731
Idaci Chronicon. b. 357, 348
in *Idus* nomina adjectiva. c. 272
Jesuitae. a. 147, 245, 250. b. 774, 779. c. 170
——— mittunt adolescentes in Angliam. b. 43
——— e Gallia ejecti. a. 652
——— vexant Lovanienses. a. 488
Jesuitarum odium in Scaligerum. a. 700
——— Antverpiensium MSS. b. 773
Jesuitis collegium Lovanii condidit Torrentius. a. 487
Ignorantia cujusdam Anonymi. a. 269
Iletum, pro ilicetum. c. 139, 142
Illudere. d. 77
Imagines an Romani sub regibus habuerint a. 53
——— Austriacae familiae Pragâ translatae in Sueciam. c. 612
——— Mortuorum in pompa funebri. d. 221, 222
Imaginum cultus. b. 253
Imaginis jus. d. 636, 641, 642
Imitatio veterum scriptorum. b. 200
Immaturus, Sc. imperio. d. 368
Immittere habenas. d. 344
Immunes veterani. d. 381
Immunis mali. d. 388
Immunitas ab excubiis in Academia Batavia. a. 681
Impalationis supplicium. a. 484
Impatiens irae. c. 112, 114
Impellere. d. 372
Impraesentiarum. c. 53
Imus olympus. d. 522
Inachus. d. 42
Incedere sua motu. b. 607
Incendium Holmiae. c. 659
Incentor. c. 466
Incitatus, pro vehementi. d. 365
Index in Ovidium. c. 101
India major & minor. b. 680
Infantes abluti & fasciis involuti. b. 727
Inferre salutem. c. 469
Infertores. c. 405
Infligere securim. d. 707
Influere active. c. 406
Infulae. d. 175
Ingenia Paedagogica. b. 451
Inhibere remos. b. 557
Inimicitiae inter D. Heinsium & Salmasium. b. 472, 479. c. 81
——— inter Salmasium & Isaac. Vossium. c. 637. & seq. 653
Inscriptio Graeca. b. 363
Inscriptiones veteres. c. 258, 294. d. 97. d. 203, 204, 206, 565, 566
——— missae Reinesio. c. 291
——— Smetii crematae in ejus aedibus. b. 49
Insidere arena. d. 559
Institutio mala istius temporis. a. 719
Intranscripti. a. 458
Invidere. d. 211, 214, 217
Invitare somnos. d. 424
Ire, *pro mori*. e. 380
Is in accusativo plurali pro *eos*. d. 59
Isabellae Austriacae & Alberti nuptiae. a. 548
——— superstitio. a. 296
Islandica biblia. c. 770
Italia efforta. a. 107
Italicae Bibliothecae. c. 163
Italica peregrinatio. c. 717
Jubarum stemma. b. 145
Jubere cum quarto casu. e. 406
Judaei invenerunt machinas. b. 156
——— Poloni. b. 70
Judaeorum annus. b. 365
——— Chronica. b. 366
——— & Lacedemoniorum cognatio. a. 611
Judicare verbum medicum. b. 686
Judicium, pro facultate judicandi an Latine dicatur. c. 267, 262
Judicium de Aurelio victore. a. 28
——— de Caesare, Curtio, Livio, Sallustio & Tacito. b. 201, 202
——— de Kinschotii Poëmatibus. c. 885
——— de Machiavello. b. 4
——— de Ovidio. c. 714
——— de Statio Bernartii. a. 708
Julia lex. d. 428
——— Julia templa, rostra. c. 365
Junii, *Fran.*, Manilius. a. 411
Julii Africani [illegible] a. 93
Junctus, pro proximo. d. 571
Juno sospita. a. 459
Jupiter Domesticus. b. 666
——— Syrius. a. 459

Jus magiſtratuum in Sacra. b. 435
Juvenalem promiſit Hadr. Valeſius. 701
Juvenes. d. 800

K.

KAgge, *Laurentius*, c. 809
Kalendarium ante Ovidii Faſtos. c. 714
Kalendaria Muſulmannorum, Perſarum & Syrorum Chriſtianorum. c. 589
Κεφάλαια Julii Africani. a. 93
Kinſchotii, *Caſp.*, poemata. c. 885
Kinſchotius a Gallis Quinxiotius dictus. c. 809

L.

L & R. confuſae. c. 132
Labris demiſſis. c. 412
Lac Gallinaceum. c. 376
Lacedaemoniorum & Judaeorum cognatio. a. 611
Lacerari corpore. d. 478
Lactari amore. d. 250
Laetus. d. 745
—— de arboribus. d. 641
Laminae in Magicis. b. 705
Lampſonii filius. a. 577
Lances. c. 402
Laneus, pro invalido. d. 327
Lapis mirandae naturae & rarus. b. 235
Laſſus de rebus inanimatis. d. 105
Late tenere. b. 708
Laticlavia tunica, d. 642
Latini civitate donati. c. 265
Leidae Academia. vid. Academia.
—— collegium inſtitutum. a. 188, 194, 198, 203
—— conſpiratio in Magiſtratus. a. 45, 364
—— peſtilentia. b. 455
Legatio Batavorum in Daniam. c. 681, 688, 713, 744, 745
—— in Scotiam. a. 681
Legatorum mos in viſitando. c. 831
Lentus. d. 745
Leo in ſpectaculis exhibitus. c. 248
Leodium & Leodicum. 239, 574, 577. c. 136. c. 136
Leodienſes quales. c. 520
—— tumultuantes ob religionem. b. 275
Lepores. c. 93
Lernutius Gallorum poëmata colligere & edere voluit. a. 23
Lethra. b. 243
Letous, pro Latous c. 477
Lex Julia. d. 426
—— Mallia. b. 695
—— XII. Tabularum. a. 336
Lexicon Davidis de Pomis. b. 363, 366
Liberalitas Regis Gallorum in eruditos. c. 523, 806
Libelli famoſi in Gallos. c. 291
—— in Lipſium. a. 247, 248, 255, 257
Libertas Belgarum in ſcribendo. b. 338
Librare corpus in alis d. 732
Libri Chriſtinae dati Heinſio & Voſſio. c. 681. & ſeq.
—— Chymici. c. 585
—— Sibyllini. a. 246
Libra & aere minus. b. 547
Ligorii, *Pyrrhi*, opus Antiquitatum. c. 679
Lima, pro raſorio vel pectine. c. 132
Lineae veſtes. a. 561
Lingua Helleniſtica. b. 464, 473, 478
Linguae Latinae pronuntiatio. a. 330
—— Graecae ſtudium. b. 329
—— vernaculae ſtudium. c. 760, 761
Linguarum donum Apoſtolis datum. b. 463
Liquor. d. 233
Literae editae ſub nomine Lipſii. a. 55
Livii editiones. c. 156, 168
de Livio judicium. b. 201
Locare. c. 52
Lorica. b. 157
Lorus, pro lorum. 395, 396
Lotharingii Ducis & Electoris Palatini controverſiae. c. 836. & ſeqq.
Lotus & totus confuſa. d. 424
Lovanii deſcriptio & laus. a. 435. c. 135
—— ſtatus, & lapſa ſtudia. a. 168, 283, 288
Lovanienſis ager vexatus a rebellibus. a. 298
—— Academia. a. 487, 488, 612. b. 408, 409
Lovanienſium de Academia Batava cenſura. a. 612
Lubrica & ludicra confuſa. d. 329
Lucani editiones. c. 811
—— laus. b. 437
—— Codices MS. c. 808, 809, 811, 816, 822
Lucius perſonatus auctor. c. 702
Ludi ſcenici a ſtudioſis Daventrienſibus acti. 681. c. 292
Ludovicus & Chlodovaeus idem. a. 240
Lumina premere dicitur Leo. d. 359
Luneburgenſis Ducis bibliotheca. c. 587

Luneburgenſis conventus. a. 269
Lupara concremata Lutetiae. b. 798
Luſitani Lipſio faventes. b. 3
Lutetia. c. 792
Luxuriae domus. d. 364, 366. e. 23
Lydius, *Joh.*, de Faſtis Romanis voluit ſcribere. c. 176, 177

M.

Macedo, ſecunda ſyllaba longa. c. 489
Maceria. b. 456
Machiavellus. a. 4
Machinae antiquae reliquae. b. 9, 10
——— inventae a Judaeis. b. 156
Macri Gloſſarium. c. 558
Magica defixio, & lamina & rhombus. b. 705, 706
Magiſtratuum jus in ſacra. b. 435
Magnes. c. 39
Malela, *Johannes*, c. 244
Mala multa dicere. e. 198
Male commiſſa gratia. d. 422
Μαλία, & *ἀπὸ Μαλίας*, c. 55
Mallia lex. b. 695
Mancipii jus. b. 549
Manethon MS. & a Voſſio deſcriptus. c. 303, 652
Mangana. b. 156
Manicare. a. 609
Manilius Junii. a. 411
——— MS. Suſii. b. 306
——— Scaligeri. a. 242
Manipuli pro centuriis. c. 14
Manibus elatis milites ducibus promittebunt operam. d. 439, 440
Maniciolum. c. 370
Manubiae. d. 776, 782, 783, 784, 787
Manuſcripti codices Jeſuitarum Antverpienſium. b. 773
——— Virgilii. c. 746
——— Lucani. c. 808, 809, 811, 815, 822
——— Martialis. c. 563, 565
Manuſcriptorum notae. a. 7
Maria virgo. b. 184
Marcellini Chronicon. b. 349
Martialis Raderi. b. 32
——— Schrevelii. d. 31
——— recenſitus a Gennadio. b. 523
——— Codices MSS. c. 563, 565
Maſſa, pro Chao. d. 457
Maſſiliae deſcriptio. b. 197
Matres, pro nutricibus. d. 148
Matthias Auſtriacus. b. 362
Maturum onus. c. 12
Maturus & immaturus, imperio ſcilicet. d. 368
Mauricius, ſecunda ſyllaba brevi. c. 363
Mauritius Naſſovius. a. 169, 206, 681, 688, 744, 745
Maurorum bellum. b. 177
Maximilianus Imperator. b. 304
Mazarini Bibliotheca. c. 597
Medicea Familia. c. 532
Medici veteres & Arabes. a. 440
Medicina Davidica. b. 45
Mediolanenſis Bibliotheca & Gymnaſium. b. 85
Mel Cycladum. c. 507
Meleager Epigrammatum ſcriptor. b. 535
Meles fluvius. b. 671
Memmia *Bibliotheca*. c. 161, 257, 259, 600
Meracus. b. 541
Mercerus, *Joſias*, probat Lipſii abitum ex Batavia. a. 310
Mercurius Dux. b. 344
Meſſala Corvinus. d. 805, 809, 812
Meſſalinus. d. 801, 803, 804, 806
Metaphyſica invexit noxias quaeſtiones. b. 448
Metelli. d. 813
Methodus ſtudendi & exerpendi. a. 689
——— ſtudendi Politico viro. b. 3
Meurſii poſtuma. c. 475, 537, 770. d. 75, 79
Mica. d. 692
Militaris res ad veterum imitationem inſtituta. a. 744, 745
——— rei Belgarum laudator. b. 106
Milites elatis Manibus ducibus obſequium promittebant. d. 439, 440
Minervae vota a ſperantibus magnam fortunam. d. 198
Minus libra & aere. b. 547
Minutius Felix. b. 445
Miracula. b. 182
——— divae Sichemenſis. b. 187
Mittere, pro emittere. d. 333
Mobilis & nobilis confuſa. d. 432, 434
Moderatus Nypſus, *Junius*, c. 568
Modii Epiſtolica & notae in Silium. a. 107
Moeris Atticiſta. c. 691
Mollia rura, gleboſa & terrena. d. 282
Molorchus. c. 114
Monachi Johannis Gloſſarium. b. 347
Monaſterienſis Obſidio. b. 737

Monaſterienſis pax. c. 727
Monitus deorum, d. 445
——— praeſignificationes. d. 241
Montes Hannoniae obſeſſi. a. 1
Monumenta Paderbornenſia. b. 673
Morboſus, pro pathico. e. 375
Moreti Codices MS. c. 588
Mori Clamor regii ſanguinis. c. 648, 746
Moſchopulus. c. 690, 691. e. 209
Μυῶλαι ἀφ' ἱππας. b. 729
Mulcere vulnera. 641
Mulieroſus. e. 371
Multa mala dicere. d. 198
Munckeri Antoninus Liberalis. b. 655
Munera, pro oneribus. d. 408
Munus, pro feris in ſpectaculo exhibitis. b. 113
Mures ſalaces, unde pro pueris delicatis. e. 372, 374
Mureti Seneca. b. 124
Muſeum Alexandrinum. b. 78
Mutare habenas. d. 344

N.

NAevuli dicti inſulae. a. 673
Navarrae rex. a. 360
Naufragare. e. 413
Navigatio Batavorum in novum orbem. a. 689
——— in Septentrionem. a. 208
Navis obſcaeno ſenſu. e. 375
Neapolitanae bibliothecae. c. 180, 181, 566
Neapolitanus tumultus. c. 187
Neceſſitas peccandi. a. 182
Nehalennia dea. b. 653. c. 259
Nemeſiani de aucupio MSS. Codex. c. 706
Νικήφορος. b. 648
Neomagum. d. 115, 116, 117, 120, 121
Nervia. d. 725
Nexi & mancipii jus. b. 549
Niger tamquam corvus. e. 420
Nigra nomina in Epiſtolis Lipſii, id eſt non Catholicorum. a. 538
Nilus de primatu Papae. a. 694. b. 494, 496
Nobilis & mobilis confuſa. d. 432, 434
Nomen agelli, pro ipſo agro. d. 331
——— nudum. d. 387
Nomen eſt Daſio. c. 488
——— pro ſolo nomine. d. 539. & ſeqq.
Nomina propria. d. 755, 756, 759, 760, 763
——— & honores baſibus ſtatuarum inſcripti. d. 768
Noribergenſis peſtilentia. b. 522
Notae manuſcriptorum. a. 7
—— Senecae & Tyronis. b. 128, 343
Novatores. c. 702
Nudum nomen. d. 387
Numerus ſeptenarius pro multiplici. b. 153
Nubes pro volatu. d. 450
Nummi fictitii. c. 570
——— & pecunia fuilla antiqua. c. 744
——— Veteres conſulis Meurſenſis. d. 18
Nummus Capitonis Fonteji. a. 447
——— Veſpaſiani. e. 716, 717
Nypſus, *Jun. Moderatus*, c. 568
Nyſaei campi. d. 282

O.

O pro au, ut copo, caupo &c. a. 411
Obire & habere confuſa. d. 221
Obnoxius & tener. d. 607
Obſtant Fata. d. 373
Obtinere praeſidio loca. d. 380
Occultare ſe itineribus. d. 212
S. Odiliae vita. c. 66
Oldenburgum. b. 243
Olympus imus. d. 522
Omnia eſſe alicui. b. 711
Omnis Herois. c. 247
—— & communis confuſa. d. 163
Onus maturum. e. 12
Opera bona. b. 252
Opinio pro fama. c. 185
Oppianus Rittershuſii. a. 765. b. 325
Opus piſtorium. e. 396
Ora frenis continere. d. 42
Orae. b. 521
Ordo, pro ſenatu. d. 383
Oracula Sibyllina. a. 479
Oratio Lipſii de duplici concordia. a. 435
Oricellariorum familia. b. 199
Oſtenda obſeſſa. b. 107
Otioſi Academici Neapolitani. c. 566
Otium & otiari, pro ruſticari. d. 349
Ovidii index. c. 201
—— de eo judicium. c. 714
—— editio Heinſiana. d. 30
—— nummus. e. 716

Oxonienſis bibliotheca. b. 351
Ὄχθος. a. 635

P.

PAcare montes. c. 118
Paciſci. d. 770
Pacti conventi. b. 609

Digitized by Google

Paedagogica ingenia. b. 451
Παιδιαὶ Stratonis. c. 400
Pangere, idem quod figere. d. 236
Panis Ἐπιούσιος. b. 618
Panne, *Petri*, supplicium. a. 42
Pannoniae res. a. 62, 65
Papa femina. c. 578
Papistae an possint esse membra Academiae. a. 682
Paraphrasis Aristotelis. b. 402
Paratus. d. 231
Parisiorum laus. c. 87, 88, 90
Parisinae Bibliothecae. c. 563
Parmensis Ducis mors. a. 285
Parra. c. 373
Parricidae regis Galliae. a. 406
in Parvo, pro in parva re. d. 372
Pascha, quo Christus cruci adfixus est. b. 469
Pasquillus. b. 223
Patricia colonia. a. 258, 586
Patricii. a. 389
Paullinus de vita Martini. c. 339
Pax cum Britannis & Hispanis. a. 299
— an induciae praestent Belgis. a. 207, 692, 719, 720, 761
— Monasteriensis. c. 722
Pecunia fusilis. c. 744
Pedestres copiae. c. 152, 154
Pedibus assentiri. d. 2
Pellacia. d. 332
Pellibus texta scuta. b. 151
Penates. b. 731, 733. c. 475. e. 192
Pendere in alis. d. 303
Penthiacus Gallus Gallinaceus. c. 381
Peragi. c. 542
Peregrinatio Italica. c. 717
Pergula. d. 42. 243
Permittere, pro remittere. b. 612
Perpense audire. d. 579
Persicae & Belgicae linguae affinitas. a. 185
Persarum continentia. d. 121
——— Kalendaria. c. 589
Persius Casauboni. a. 384
Pestilentia Daventriae. c. 351
——— Duaci a. 20
——— Leidensis. c. 530
——— Noribergae. b. 522
Petaviana bibliotheca. c. 259, 207, 591, 604
Petri Apostoli supplicium. a. 661
Petronii fragmentum. c. 497, 504, 508, 537, 805, 823, 865. d. 91
Πεζέταιροι. b. 636
Phaedri editio. d. 15
——— Schefferi. d. 39. 44
Phaemon. c. 740
Phaenomena. c. 50, 51, 52
Phalerius & Phalereus Demetrius. c. 89
Philippi Bohemiae Principis facinus. c. 709
Philippus. d. 795
Philosophia Cartesiana. b. 469
——— Rami. a. 368
Phineae aves, Harpyiae. c. 350
Photius a Schotto editus. a. 715
Pictura. d. 437
Pigri somni. d. 427
Pilum. a. 639
Pisana cenotaphia. b. 139
——— Marmora. a. 264, 265
Pisander Larandensis. b. 702, 703
Pistorium opus. c. 396
Pitulus. c. 53
Pituita. d. 344
Plagium Blanckardi. b. 649
Plangi pro plangere. c. 172
Plebeji & sapientis discrimen. a. 705
Plurimus cum genitivo. d. 541
Pietas. d. 771
Plus decem millia. d. 781
Poëta de bello Granatensi. c. 642
——— quidam parum Latinus. c. 122
Poëtae Batavi. c. 112, 114, 199
Poëtas Gallos colligere voluit Lernutius. a. 23
Πολεῖν, pro coquere. c. 396, 420
Politices studium. b. 3
Pollionum familia. a. 115
Poloni Judaei. b. 20
Polybius Casauboni. a. 375, 383, 385
Polybii libri novem integri. d. 69
Polycrates Graecus scriptor. c. 399. & seq.
Ponere, pro in foenere ponere. d. 461
Porrigo quid proprie sit. d. 295
Possiacum colloquium. b. 259
Πομπὸς, de mari. e. 402
Praelium in Anglia navale, per van Gale. c. 313
——— ad Iverium. a. 309
Praenomina. d. 756, 558. & seq. 769
Praesagium mortis. b. 333
Praesens, pro efficaci. d. 582
Praxis judiciaria. a. 120.

Preces ſanctorum pro nobis. b. 252
Premit lumina Leo. d. 359
Preſſus pro humili. d. 372, 374
Princeps an tardus eſſe debeat. a. 725
Prior & propior confuſa. d. 741
Procancellarius Poloniae. c. 664
Procopii editio. b. 354, 355
Prodigia in coelo viſa. a. 613
Proferre in theatrum. e. 89
Profeſſus, pro manifeſto. d. 284, 286
προγαγεῖδια. b. 709
Pronuntiatio Linguae Latinae. a. 330
Propior & prior confuſa. d. 741
Proſperi Chronicon. b. 349
Proſpicere ex edito in humilem locum. e. 82
Prudentii editio. a. 640
——— laus c. 889
Pſalterium ex verſione Saxonica. a. 222
Ptolemaeus collatus cum MSS. c. 639
Publica pro vectigalibus agris. d. 403, 408
Pulla veſtis. a. 235
Puncta Hebraica b. 363, 365
in Puppi ſtabat hortator. e. 54
Putare, pro judicare. e. 33

Q.

QUA, pro quouſque. e 388
Quam, an conjungat ſimiles caſus. a. 308
Quantum milvi volant. e. 385, 395
Quaſi, pro fere. d. 786
Querelae de ſtudiis lapſis. b. 430
Quidam, de ignoto. d. 778, 779
Quinctiliani editio. c. 498, 410

R.

R & L. confuſae. c. 132
Rabirius. d. 739
Raderi Martialis. b. 33
Rami Philoſophia. a. 368
Rapere fugam. e. 170
Rarus. d. 233
Raſcupolis. d. 821
Rectores civitatium in Belgio. a. 712
Reges conſilia popularia abhorrere debent. a. 171
Regis Galliae liberalitas in eruditos. c. 523, 806
Regulus aviculus. b. 313
Reineccii Ditmarus. a. 266
Reineſio miſſae inſcriptiones. c. 291
Remi. d. 33
Repraeſentare conſilium. b. 627
Reſpopſare in deteriorem patrem. d. 287
Rex Navarrae. a. 360
——— Sacrorum. a. 246
——— Suecorum. a. 626
Rhombus. b. 707
Rhutaria. b. 155
Richardotus in judicium tractus. a. 298
Ripa. b. 245
Rittershuſii Oppianus. a. 765. b. 315
Rodere de muribus. e. 386
Romae conventus doctorum. b. 719
Romanae bibliothecae. c. 284, 561
Roſenburg Baro. c. 273, 276, 278
Roskilda. b. 243
Ruere pro tonare. e. 12
Runa. c. 708
Rumpere curſus. e. 169
Rus verum. d. 689
Ruſticitas Batavis exprobrata a Nic. Heinſio. c. 726, 728
Rutae in folium conjicere. e. 231
Rutgerſianum debitum. e. 698, 757, 767

S.

S pro X. d. 233
S. finitio vocum, ſcara pro eſcara, Spania pro Hiſpania &c. 417
Sabaudi & Genevenſium bellum. a. 492
Sabbatum δευτερόπρωτον. b. 357, 358
Sabinae triſtes. d. 236
Sabini epiſtolae. b. 686
Sacerdotia ampla. a. 53
Sacerrimi viri. c. 107
Sacoma. a. 338
Sacrorum rex. a. 248
Sagittaria ars. b. 157
Salluſtianum fragmentum. c. 620. e. 708
Salzburgi MS. quae ſunt. c. 316
Salamis vera. b. 555
de Salluſtio judicium. b. 201
Salviati Dux donat MS. libros Chriſtinae. c. 312
Salmaſius alaſtor. c. 663, 663
Salmaſii familia. c. 641
——— furtum. c. 656
——— inſcientia Linguae Graecae. c. 617
——— laus. b. 361
——— liber de annis Climactericis. b. 620
——— de foenore trapezitio. b. 617
——— de caede Regis Angliae. b. 741
——— & Heinſii inimicitiae. b. 472, 479. c. 81

Salmaſii & Iſaaci Voſſii inimicitiae. c. 637. & ſeq. 653
——— vocatio Leidam. b. 624
Saluber media brevi. b. 204
Salubritas poſt peſtilentiam. c. 530
Sambuca. a. 239
Sanctorum preces pro nobis. b. 252
Sangallenſis Bibliotheca. c. 200
Sanguen. b. 718
Sardanapalus. a. 285
Satanas, draco. a. 246
Satira. b. 551. d. 423, 424, 426, 428. 430, 432, 437
Satira Menippea. a. 59
Saturnalia in Boyum & Plantam. c. 729
Satyrica Poëſis per Caſaubonum. a. 385
Scabri dentes. d. 24
Scaligeri Euſebius. c. 620
——— familia. a. 250
——— Manilius. a. 242
——— Poſtuma. b. 430
——— Notae in Caeſarem. c. 288
——— Vocatio Leidam. a. 191. b. 322
Scaligerorum inſignia inſerta Domui Saxonicae. b. 342
in Scaligerum odia Jeſuitarum. a. 700
Scaligeriana. d. 49
Schenckii caſtellum expugnatum. d. 115, 116
Scholiaſtes Homeri Voſſianus. b. 421, 424
——— quo uſus Victorius. d. 59
——— Simmiae. c. 656
Schotti notae in Senecae controverſias. a. 97, 99, 102
—— Photius. a. 715
Schutter, a Schytis dictus. b. 157
Sciſcere, pro pronuntiare ſententiam. c. 102
Sciuri. c. 93
Scolopax. c. 350, 352
Scripta ſuppoſititia. b. 121
Scriverii filii. c. 809
Scuta pellibus texta. b. 151
Securus cum genitivo. d. 745
——— pro tuto. d. 746
Sedere. d. 703
Sedes piorum & impiorum. d. 226
Sedetum & Sudetum. a. 239
Seliquaſtra. b. 645
Σημεῖα. d. 409
Seneca Mureti. b. 124
Senecae controverſiae. Schotti. a. 97, 99, 102
Senecae & Tyronis notae. b. 128, 343
Senſus pro animo. c. 33
Septenarius numerus pro multiplici. b. 153
Sequeſtris aut equeſtris fortuna. a. 229
Sequi, pro obſequi. d. 125
Servitus, ultima brevi. c. 752, 756
Sexti Empyrici ſcripta. b. 121
Sforcia, *Ludovicus*, a. 724
Siberia. d. 88
Sibyllina oracula. b. 479. c. 246
Sica Tragica. b. 42
Sichemenſis Diva. vid. Diva.
——— tumultus. a. 172
Siciliae Monarchia Baronii. a. 738. b. 174, 185
Sidonii. d. 329
Sigillum Hollandiae ſurreptum. a. 746
——— muliebre. a. 462
Sigiſmundi Poloni nuptiae cum Auſtriaca. a. 428
Sileſiae ſtatus. a. 599
Simmiae Scholiaſtes. c. 656
Sincfala. b. 245
Siſenna. c. 120
Σκληρίζειν. a. 485
Sleſvicum. b. 243
Sligtenhorſtii Hiſtoria Gelrica. c. 776
Smetianus Theſaurus. a. 315
Smetii inſcriptiones crematae. b. 49
Socrates fuit calvus. c. 291
Socratius fons. d. 349
Solvere maſſam. d. 457
Sophiſtica. b. 447
Sortiri. d. 217
Soſpita Juno. a. 459
Spadani fontes duo. a. 142
Spanhemii, *Ez.*, panegyris ad Chriſtinam. c. 807
Species, pro dignitate. d. 182
Specioſus. d. 773
Spectare & exſpectare. b. 529
Spectrum poſt Salmaſii mortem. c. 326, 329
Spes de liberis. d. 245
Sphaera Empedoclea. c. 315
Sponſae e ſinu matrum raptae. d. 227
Stagnare. b. 552.
Statius Poëta quis fuerit. c. 17
—— Surculus dictus. c. 17
Statii codices. c. 142, 167, 168
Statuae Ducis Buckinghami. c. 588.
Stephanus de Urbibus MSS. c. 639
H. Stephani Gloſſarium. a. 583
Sterilis domus. d. 227

Stoi-

Stoici. a. 703, 715
Stola. d. 731
Stomachus & Stomachari. d. 136
Stratonis [illegible]. c. 412
Strati currus & conſtrati. c. 114
Strictus, pro avaro. d. 232, 236
Striculus, puſio. d. 239
Struthiocameli. c. 507
Studia Graeca. a. 376
—— Hiſtoriae. b. 4
—— Linguae Vernaculae. c. 760, 761
—— literarum in Hollandia lapſa. c. 211, 216, 246
—— Politices. c. 3
Styli praecepta. b. 453
Subſidere cum quarto caſu. d. 289
Succedere cum quarto caſu. d. 288
Succinum. c. 93
Succentor. c. 461, 466
Succus & fucus. c. 225
Sudare cum quarto caſu. d. 187
Sudor ſanguineus in Chriſto. b. 659
Suecorum Rex. a. 626
Sulpitius Blitho. a. 342
Summoto incedere. b. 607
Suppedaneum in Cruce. b. 647
Surculus dictus Statius. c. 17
Suſii Codex MS. Manilii. b. 306
Sylburgii Hiſtoriae Auguſtae ſcriptores. a. 344, 345
Symmachi codex. c. 158
Syrius Jupiter. a. 459

T.

TAcitus quot libros ſcripſerit. a. 295
Taciti codex Bambergenſis. a. 107
de Tacito judicia. a. 294
Talenti modus. a. 544
Talmud. b. 367
Taurica urbs in Media. a. 233
Telum metaphorice. d. 96
Tempus, pro rebus eo tempore actis. d. 557
Tempore, tempori. d. 227
Templum Hierosolymitanum. c. 169. b. 640
Tendere fila, pro torquere. d. 326
Tener & obnoxius idem notat. d. 607
Tenere late. b. 708
Tenedos. c. 419
Teneri pueri. d. 549
Tenſa. a. 635
Terentius Boecleri & Gujeti. c. 359
Terrena, campeſtria plana, oppoſita montanis, ſaxoſis. d. 282
Teſta ex rubente terra. d. 251
Teſtamenti novi diſtinctiones. b. 459
Thamiſis una nocte ter aeſtuavit. c. 767
Themiſta. b. 308
Themiſtocles. d. 821
Theocritus cum MS. collatus. c. 594
Theodulfus. c. 219, 222, 224, 226, 240, 245
Theologi. b. 618, 746. c. 764
Theophanus. a. 444
Theſaurum, neutro genere. c. 231
Thraces, pro beſtiariis. c. 373
Thuanus a Delrio petitus. a. 551
Thuani Hiſtoria. a. 379, 404
Tituli in pectoribus damnatorum. d. 103
Toga Romana. b. 582, 621
Τοξάριον. b. 312
Tolli rebus laetis. d. 359
Toloſani Archiepiſcopi bibliotheca. c. 620
Tormentis excuſſae faces. &c. d. 163, 164
Torquis a Chriſtina donata Ferrario. c. 601, 617
Torta, pro tormenta in MSS. d. 163
Torus & vir permutata. d. 299
Tragoedorum veſtis. b. 709
Trahere dicuntur vota & preces aliquem. d. 448
Tranſiſalania in factiones divis. c. 315, 317
Tranſire, pro tranſiri. d. 353
Trevirorum colonia. a. 586
Tribunal Academiae Batavae. a. 198
Tridentinum conſilium. b. 257, 369
Trifax telum. b. 155
Trifolium. c. 362
Triſtis, pro ſevero. d. 737, 235, 236, 238, 144
TROBS in nummis. c. 372
Troglodites avicula. b. 313
Trompii Victoria. c. 60
Truncus de vimine, & plantis. c. 92
Trux pro, torvo. d. 739
Tumultus Neapolitanus. c. 187
——— Sichemenſis. a. 172
Tunica laticlavia. d. 642
Turbare. c. 426
——— Saturam. b. 551
Turbo. c. 1
Turcae in Hungaria. a. 323. b. 39
Tutus locus. d. 749
Tyrannis avicula. b. 313

Digitized by Google

V.

V & B. permutatae. c. 1661
Vadari. d. 170
Vaenire cum dativo. c. 34
Vallum b. 156
—— pili. d. 290, 292
Vectis Insula. b. 696
Vegetius MS. b. 7
Velamenta. d. 175
Velia dicta Hyele. c. 491
Venerarius. c. 406
Venetiarum Urbs c. 189
Venetae bibliothecae. c. 190, 575, 577
Venetorum Advocator. c. 288
Verberare catomis. d. 478, 479, 481
Verdugii Victoria. a. 571
Vergiliae. d. 195
Vernaculi. d. 335
Vernaculae linguae studium. c. 760, 761
Vernile. d. 334
Vero, pro etiam. c. 405
Versio LXX. interpretum. a. 239
Versus, in meridiem &c. c. 419
Vertere, pro versare. d. 149
Verum rus. d. 689
Veruti. a. 239
Vesta. a. 27. d. 155
Vestae asini in tutela. d. 256
Vestis linea. a. 561
—— pulla. a. 253
—— Tragoedorum. b. 709
Vestium cura. d. 540
Viatores cantabant. c. 381
Vicarii Ultrajectini. d. 137
Victoria Batavorum ad caput Bonae spei. a. 301
Vicinales. d. 707
Villomarus. b. 339
Vineae. b. 154
Vinum ab Electore Palatino datum Heinsio & Vossio. c. 809
Vir & torus confusa. d. 299
Virgilii codices MS. c. 476
Viridia & viridaria. c. 31, 82, 88
Vis pro potentia. d. 163
Visio Rustico oblata. b. 300
Vitilitigantes. d. 317
Vitis aurea in templo Hierosolymitano. b. 640
Vleisch unde dicta. b. 155
Ulixes, Ulixus & Ulixeus. d. 121, 124, 126
Umbilicus. b. 152
Ultrajecti status & res A. 1672. d. 113. & seq. 168, 177, 182, 186, 203. & seq. 213, 216, 218, 235, 255. & seqq.
Vocare, in vaticiniis. b. 711
Vocalis brevis & longa in unum contracta. b. 212
Volcanalia. c. 701
Volvere bellum. d. 162
Voluntas hominis. a. 181, 182
Volusianus Messus. c. 181
Vorck a furca. a. 163
Vorstii, *Conradi*, vocatio Leidam. b. 435
Vossii, *Joh. Ger.*, mors. c. 580
Vossiana Bibliotheca data Christinae. c. 221, 222. c. 675
Vota, de liberis. d. 245
Urbes ad mare Balthicum quae perierunt. b. 243
Urbinensis Bibliotheca. c. 396, 566
Usura. b. 282, 546, 576
Vulgus, de canibus. d. 289
Vulpeculae. c. 93
Uxor an ducenda. a. 29, 30

W.

WAlachria Zelandiae insula. b. 647
Weisbergus captus. b. 242
Wineta. b. 142
Wisboia. b. 242
Wouweril Bibliotheca. c. 506
——— Epistolae contra Elmenhorstium. c. 68
Wrangelius. d. 805

Z.

ZElandi collegium instituere volunt. a. 200
—— offerunt praefecturam Arausionensi. c. 647
Zulichemiana Bibliotheca Epistolas Lipsii & aliorum servabat. d. 21
Zutphania capta. a. 142. d. 116

FINIS.

IN-

Digitized by Google

INDEX IV.
AUCTORUM ILLUSTRATORUM ET EMENDATORUM.

A.

Aeschyli fragmentum. b. 491
Afranius d. 706
Albinovanus. b. 676
Alcinous. b 407
Aldhelmus de virginitate. b. 596
Ammianus Marcellinus. d. 383, 807. e. 196, 706
Anacreon. e. 409
Antoninus Liberalis. e. 355
Apicius c. 379, 380, 383
Appianus. 637, 640
Apulejus. 303, 673 b. 51, 156, 528, 529, 531, 565 c. 461. d. 214, 215, 220, 225, 250, 253, 329, 635. e b. 381, 406, 411
Ariſtophanes. d. 359
Ariſtoteles de Animalibus. e. 351
Arnobius. b. 140, 163, 529, 712, 714. d. 155 240, 319, 331, 334, 337. e. 410
Arrianus. b. 635, 638
Auctor belli Alexandrini. d 788
—— belli Africani. c. 379
—— de Phoenice. c. 507. 514
—— Dialogi de Claris oratoribus. d. 226, 804
—— de ſomniis & prodigiis. c. 8, 31
Avienus. c. 273, 276. d. 46
Auguſtinus. b. 500 d. 555
Auſonius. b. 571. c. 37, 38, 39, 197, 541, 542, 554. d. 638, 689, 768

B.

Barlaamus. b. 459

C.

Caeſar, *Julius*, e. 6
Calpurnius. b. 528. c. 735
Capella, *Martianus*, c. 460. d. 428, 434, 436, 437. e. 378
Capitolinus. d. 234, 235
Cato. d. 317. e. 33
—— *Valerius*, b. 565
Catullus. 311. d. 143, 210, 246, 327, 527, 531, 533, 535, 585, 587, 641, 645, 676, 677, 681, 682, 683. e. 33, 212, 213, 375
Celſus. 440. e. 380
Cenſorinus b 373
Cicero. 105. 459. 631. b. 307, 309, 310, 311. 602. d. 92, 158, 170, 182, 211, 212, 214, 221, 230, 233, 234, 236, 266, 291, 331, 340, 343, 349, 353, 360, 374, 378, 488, 559, 578, 579, 586, 672, 702, 703, 704, 707, 716, 733, 738, 745, 759, 762, 764, 768, 772, 776 777, 778, 784, 786, 787, 800. e. 82, 88, 211, 225, 241, 250, 271, 375, 379, 380, 385, 394, 416
Claudianus. b 750, 751, 754 756, 760, 766, 767, 768. c. 7, 66, 177, 140 148, 162, 210, 211, 212, 214, 218, 223, 226, 229, 231, 235, 464, 466, 472, 473, 477, 734, 735. d. 182, 244, 250, 344, 349, 427, 446, 727, 746. e. 367, 352, 375
Columella. d. 295, 462. e. 381
Corippus. d. 440
Curtius. b. 626. 629, 630, 680. c. 212. d. 362, 572
Cyprianus 526

D.

Dictys Cretenſis. e. 316
Diodorus Siculus c 55
Dion Caſſius. 635, 636 d. 788
Dionyſius Halicarnaſſeus. d. 786, 787
Donatus. c. 10

E.

Ennius. d. 539
Epictetus. b. 463
Epigramma vetus. c 801, 803. e. 406
Eratoſthenes. e. 415. 416
Eumenius. b. 600
Euſtathius. d. 499
Eutecnius Sophiſta c. 661

F.

Feſtus. c. 451. d. 807. e. 397
Flaccus, *Valerius*, b. 577. 578, 748. c. 149, 411, 413, 414, 417, 419. d. 33, 96, 98, 149, 264, 335 336, 337, 346, 350, 358, 353, 355, 359, 367, 370, 371, 374, 375, 376, 425, 438, 442, 443, 444, 445, 446, 447 448, 449 450, 455, 457, 459, 460, 522, 541, 543, 544 557, 758, 759, 761. e. 54, 101, 160, 166, 167, 168, 169,

169, 170, 171, 172, 173, 174, 175, 185, 186, 187, 202, 203, 205, 216
Florus. b. 560. 522, 636, 651, 655. d. 284, 286, 287, 288, 289, 299, 374, 388, 441, 451, 509, 522, 525, 530, 540, 542, 545, 546, 547, 548, 549, 550, 551, 553, 554, 557, 558, 559, 560, 562, 564, 565, 566, 567, 568, 569, 570, 573, 575, 578, 606, 653, 656, 657, 658, 659, 660, 661, 663, 664, 665, 707, 714, 771, 773, 776, 791 801
Frontinus. b. 690. d. 580, 786, 788, 809
Fulgentius. d. 719. e. 394, 411, 418, 419

G.

GAlenus, *Johannes*, b. 313
Gellius, *Aulus*, b. 306. d. 768, 776. e. 410, 417
Germanicus. e. 548
Gloſſaria. b. 354. e. 120, 371
Gratius. c. 710, 740. d. 282, 284, 285, 286, 268, 288, 289, 292, 293, 295
Guntherus. c. 4

H.

HArpocration. b. 520, 522, 626, 651, 655
Herodianus. 638
Herodotus. b. 690. d. 512
Heſiodus. d. 24, 221. e. 402
Heſychius. 637. b. 560
Heſychius Mileſius b. 680
Hieronymus. c. 51. d. 805
Homerus. d. 359, 419
Horatius. b. 554, 557, 560, 561, 568, 570, 573. 575. d. 288, 289, 318, 360, 368, 369, 403, 422, 424, 446, 429, 432, 439, 722, 331, 755. e. 12, 13, 23, 35, 82, 373, 375, 385, 413
Hyginus. d. 716, 788. e. 253, 353, 361, 363, 371, 392, 393, 394, 395, 403, 406, 409, 413, 414, 415, 416, 418, 419

I.

INſcriptiones 312, 451, 456, 612. b. 145, 314, 514, 666, 667, 672, 729, 732. c. 294, 296. d. 412, 807
Johannes Euangeliſta. 660
Joſephus. e. 85
Iſidorus. b. 503
Iſidori Gloſſae. c. 132. e. 364, 366, 367, 368, 369, 395, 396, 397, 466, 419
Iſocrates. b. 576
Julianus. b. 717
Juſtinus. d. 284, 295, 331, 368, 369, 638, 678, 679, 689, 692, 701, 706, 709, 733 768, 701
Juvenalis. b. 543. d. 143, 151, 155, 184, 188, 193. 194, 197, 217, 295, 542, 544, 545, 721, 723, 725, 803

L.

LActantius. d. 535, 536, 537, 661, 690, 691, 692, 704, 706, 707, 730. e. 400, 261
Lampridius. d. 334
Livius. 389, 459. b. 536, 545, 606, 608, 721. c. 106, 107, 112, 113, 143, 249, 252, 263, 282. d. 2, 96, 374, 495, 540, 560, 573, 705, 738, 769, 770, 771, 772, 773, 774, 776, 777, 778, 779, 780, 781, 786, 789, 802, 803
Logarice vetus. c. 407
Longus. d. 23
Lucanus. b. 264, 716. c. 210, 212, 458, 459, 462, 465, 477, 522, 812, 815. d. 202, 244, 332, 376, 380, 430, 435, 439, 442, 445, 643, 710, 778. e. 114, 196, 173
Lucianus. b. 709
Lucilius. d. 101, 244, 428, 432
Lucretius. b. 526, 428. c. 861. d. 312, 460, 408

M.

MAchabeorum auctor. 616
Macer. e. 417
Macrobius. b. 702, 732. d. 705. e. 82, 88, 394, 411
Mamertinus. 638
Manilius. b. 378, 601. c. 68. d. 338, 365, 628, 685
Martialis. b. 227. 383. 523. c. 6, 7. 473. 479. 482. 487. 696, 697. d. 202, 203. 327. 419. 424. 426. 427. 428. 452. 642. 676. 682. 683. 684. 689. 690. 691. 692. 693. 694. 723. 808. e. 34. 82. 124. 167. 365. 366. 406. 534
Mela. b. 696. d. 350, 351, 435, 513, 741
Meleager. c. 5
Minutius Felix. d. 259, 262, 264. e. 406

N.

NEmeſianus. b. 690, 698. d. 285. e. 351
Nepos, *Cornelius*, c. 151, 153. d. 728, 749, 764. e. 5, 9, 10, 11
Nonius Marcellus. c. 120, 413
Nummi veteres. 317. 649. e. 714, 715, 716

O.

ORibaſius. d. 282
Ovidius. b. 525, 528, 540, 542, 545, 546, 547. 612, 670, 677, 678, 699. 700. 704. 705. 720. 723. 743. 745. 756. 757. 758. 759. 760. 765, 772, 797, 798, 799. c. 20, 27, 25, 42, 68,

68, 84, 92, 102, 108, 112, 115, 116, 117, 120, 128, 129, 130, 131, 137, 148, 152, 153, 162, 171, 181, 258, 261, 270, 271, 272, 273, 278, 291, 292, 293, 304, 305, 308, 309, 311, 313, 314, 317, 318, 320, 321, 323, 335, 337, 343, 351, 353, 367, 368, 370, 371, 373, 376, 377, 379, 380, 381, 382, 384, 387, 388, 389, 390, 393, 394, 395, 399, 401, 402, 413, 416, 423, 447, 460, 464, 467, 468, 472, 787, 489, 490, 507, 508, 528, 714, 715, 716, 720, 731, 773, 779, 780, 785, 863. d. 42, 58, 59, 60, 67, 83, 148, 151, 155, 173, 214, 233, 234, 236, 250, 253, 286, 297, 303, 349, 352, 355, 365, 368, 370, 371, 372, 387, 388, 389, 390, 408, 411, 415, 421, 424, 429, 432, 444, 448, 450, 427, 463, 492, 498, 517, 522, 536, 539, 541, 552, 559, 571, 577, 599, 632, 633, 634, 642, 710, 714, 716, 717, 718, 731, 732, 738, 745, 774, 793, 794, 796, 797, 804, 806, e. 8, 12, 15, 21, 26, 29, 30, 32, 33, 34, 35, 82, 83, 101, 114, 119, 121, 167, 169, 172, 173, 174, 199, 211, 212, 213, 262, 344, 350, 374, 376, 377, 380, 381, 386, 388, 393, 400, 706

P.

PAcatus. b. 728, 729. c. 28
Palladius. e. 414
Pandectae. b. 646. c. 76, 77
Paterculus, *Vellejus*, b. 724, 726, 728, 730. d. 253, 306, 367, 368, 370, 373, 374, 376, 377, 378, 380, 381, 382, 383, 388, 389, 403, 404, 408, 409, 411, 412, 414, 415, 420, 421, 422, 423, 429, 430, 433, 435. 479, 481, 484, 485, 519, 582, 637, 582, 637, 643, 737, 738, 739, 767, 770, 773, 775, 776, 777, 778, 780, 781, 783, 784, 785, 786, 789, 791. 793, 794, 794, 795, 797, 799, 818. e. 408, 419
Paulinus. d. 25, 253
Pediaſimus Scholiaſtes. c. 661
Perſius c. 51, 52. d. 298, 432, 434, 795
Petronius. 751. b. 368, 692, 694, 695, 701, 703, 707, 710, 712. c. 497, 504, 505, 520, 511, 528. d. 217, 220, 236, 237, 238, 240, 242, 245, 246, 250, 252, 253, 254, 292, 293, 295, 316, 317, 341, 342, 344, 345, 346, 347, 348, 350, 352, 405, 411, 413, 425, 427, 428, 434, 436, 437, 469, 479, 481, 482, 484, 485, 542, 725, 745, 746, 749, e. 67, 69, 70, 86, 102, 190, 201, 231, 236, 349, 350, 351, 354, 360, 361, 362, 372, 373, 374, 375, 376, 377, 378, 379, 380, 381, 382, 383, 384, 385, 386, 387, 388, 389, 395, 396, 397, 398, 399, 400, 401, 405, 406, 408, 409, 411, 412, 413, 414, 417, 420, 421, 497, 499
Phaedrus. c. 467, 469, 471, 473, 482, 491. d. 42, 44, 132, 194, 195, 198, 284, 303, 361, 363, 364, 365, 422, 429, 481, 584, 585, 426, 430, 704, 738, 789, 818. e. 8, 10, 11, 12, 13, 15, 17, 19, 20, 21, 22, 23, 25, 26, 28, 29, 30, 31, 33, 34, 40, 41, 43, 82, 83, 87, 88, 90, 102, 104, 106, 402
Pindarus. d. 225
Plato. b. 664
Plautus. 369, 370, 668. c. 494. d. 101, 211, 212, 213, 685, 705, 745, 786
Plinius. 440, 464. b. 77. c. 13, 47, 127, 131, 132, 371. d. 232, 236, 282, 327, 374, 437, 470, 783, 808, 811. e. 351, 380, 716
Plinius Junior. c. 538. d. 221, 230, 231, 235, 237, 238, 240, 335, 327, 375, 393. e. 31, 32, 227
Plutarchus. d. 595, 769, 788
Pollux. b. 484. & ſeq. 709
Polyaenus. d. 24
Polybius. 239, 636. d. 770, 787
Porphyrius in Homerum. c. 407
Priapeia. c. 42, 422. d. 2, 217, 394
Proclus. d. 596
Procopius. 443
Propertius. b. 682, 683, 684 685, 687, 692. c. 396. d. 155, 195, 202, 210, 213, 214, 217, 218, 220, 221, 222, 224, 225, 226, 229, 230, 232, 233, 234, 235, 244, 250, 295, 296, 297, 299, 300, 301, 302, 303, 306, 325, 326, 327, 334, 346, 376, 378, 428, 430, 433, 437, 441, 442, 527, 532, 533, 534, 637, 641, 648, 677, 774, 791
Prudentius. b. 785. d. 55, 236, 451, 457 e. 211

Q.

QUinctilianus. d. 578, 715. d. 349, 373, 461. e. 48

R.

RUtilius. d. 318, 381, 383, 432

S.

SAbinus. d. 708, 711
Salluſtius. b. 558. d. 2, 352, 359, 368. e. 118, 379, 383, 385, 419
Scholiaſtes Germanici. b. 36
——— Juvenalis. b. 545. e. 395, 405
Sarisburienſis, *Johannes*, d. 349. e. 6, 231
Seneca Rhetor. b. 616. d. 186. c. 69. d. 425

Seneca Philosophus. 235, 484, 634. b. 557, 588, 590, 603, 614. c. 32, 195, 221. d. 282, 374, 540, 587, 607, 684, 739, 788, 797. e. 27, 30, 82, 88, 375, 412
Seneca Tragicus. b. 382, 383, 430. c. 182, 197, 239, 240, 290, 294, 421, 422, 477, 843. d. 183, 187, 253, 461, 462, 592, 722, 771. e. 166, 350, 403, 821
Severus de Aetna. c. 74
Silius Italicus b. 667, 669. c. 149, 488, 494, 496, 497, 508, 515. d. 77, 250, 362, 435, 461, 541, 703, 704, 807. e. 8, 13, 101, 121
Solinus. d. 809
Spartianus. e. 396
Statius. 420, 707. b. 28, 29, 531, 533, 534, 537, 545, 546, 565, 583, 691, 745, 746, 747, 772. c. 1, 4, 7, 9, 14, 17, 84, 223, 481, 486, 491, 514, 522. d. 58, 101, 103, 229, 336, 417, 424, 425, 428. d. 33, 448, 450, 451, 462, 539, 546, 541, 544. e. 45, 114, 532, 533, 534, 535
Stephanus de urbibus. b. 604, 693
Strabo. d. 553
Suetonius. b. 693, 695, 721, 722. c. 62. d. 136, 138, 140, 194, 197, 121, 243, 253, 254, 255, 256, 282, 388, 403, 486, 607, 723, 756, 759, 772, 776, 780, 786, 806, 808. e. 208, 209
Sulpicia. e. 393, 394
Symmachus. d. 253, 349, 359, 365, 403
Syrus, *Publius*, b. 365

T.

TAcitus. 75, 219, 311, 348. & seq. 586, 727, 728, 750. b. 59, 139, 573, 743. c. 53, 114, 365. d. 59, 130, 132, 135, 138, 162, 163, 164, 170, 173, 174, 175, 187, 232, 256, 318, 320, 368, 422, 424, 427, 433, 486, 492, 494, 495, 496, 497, 498 505, 512, 515, 516, 517, 539, 540, 670, 671, 673, 706, 738, 739, 760, 783, 788, 794, 801, 802, 805, 808. e. 5
Terentius. d. 198, 704, 749, 781. e. 30, 33, 382, 412
Tertullianus. 246. b. 529. d. 325, 326, 327, 331, 333, 337. e. 399
Testamentum N. b. 357, 459, 604
Themistius. b. 635
Theocritus. d. 359
Theophrastus. d. 707. e. 15
Tibullus. 157. d. 349, 539, 799. e. 178, 179

V.

VAlerius Maximus. 398. c. 366. d. 762, 763, 774, 777, 778, 784, 786, 788, 793, 795, 815, 816, 777, 818, 819
Varro. b. 549. c. 3. d. 121, 281, 290, 291, 292, 762, 763, 775
Vegetius. 338
Victor, *Aurelius*, 458. e. 6.
Virgilius. b. 560, 694, 716. c. 222, 490, 498, 500, 695, 861. 863, 873, 874, 876. d. 2, 121, 122, 140, 148, 149, 155, 157, 162, 175, 211, 214, 234, 235, 238, 241, 243, 244, 245, 246, 250, 252, 253, 289, 234, 301, 316, 327, 346, 349, 365, 380, 417, 428, 452, 457, 550, 559, 582, 641, 705. 755, 799, 800, 803. e. 33, 81, 201, 222, 140, 166, 167, 178, 212, 351, 369, 385, 388, 394, 396, 399, 706
Vitruvius. 88
Ulpianus. b. 367

Digitized by Google

ERRATA In Tom. V.

Pag. 4. *lin.* 6. parietis *lege* parietes
6. *l.* 34. Simonis *leg.* Cimonis
15. *l.* 30. gens *leg* genus
21. *l.* 25. Fab. III. *leg.* Lib. III. Fab. 13.
22. *l.* 12. XLI. cap. V. *leg.* XLVII. cap 10.
l. 13. purant *leg.* putans
28. *l.* 12. auctorem *leg.* auctoris
48. *l.* 32. oſtentor *leg.* exoſculor
56. *l.* 4. licet *leg.* liceat
100. *l.* 25. ſunt *leg.* ſint
101. *l.* 25. auctoritate ſolo *leg.* auctoritati ſoleo
102. *l.* 29 ſine avena, ſine *leg.* ſive avena, ſive
110. *l.* 19. acceſſione *leg.* acceſſiones
126. *l.* 6. precantur *leg.* precamur
138. *l.* 49. literas *leg.* literis
142. *l.* 33. proferendi *leg.* proferendo
166. *l.* 13. ubi *leg.* tibi
168. *l.* 30. ſuo *leg.* ſuper
176. *l.* 28. magniſque *leg.* magnuſque
189. *l.* 16. literaturae *leg.* literatura
193. *l.* 5. de *leg.* te
198. *l.* 37. ſatio *leg.* ſatis
200. *l.* 10. ſolerat *leg.* ſoleat
207. *l.* 19. Daventriam *leg.* Lipſiam
209. *l.* 12. conexerat *leg.* correxerat
l. 16. movet *leg.* movit
220. *l.* 4. Sirmondum obſervationes *leg.* Sirmondum obſervationes meas ut
223. *l.* 17. Theodulfo *leg.* Theodulfum
226. *l.* 30. ſibi *leg.* tibi
234. *l.* 5. MDCLXXV. *leg.* MDLXXV.
240. *l.* 21. *Fabricius leg. Fabricii*
l. 21. corrupta *leg.* corrupti
258. *l.* 22. deſcribendum *leg.* deſcribendus
258. *l.* 13. codicis *leg.* codices
l. 33. Teutonicus *leg.* Teutonici
279. *l.* 34. juxta meam *leg.* tantum
282. *l.* 10. antea *leg.* aurea.
286. *l.* 25. *Borremanni leg. Borremanſii*
292. *l.* 15. defunctum *leg.* defunctus
229. *l.* 23. edendarum *leg.* edendorum
302. *l.* 19 auferre *leg.* offerre
344. *l.* 30. meis *leg.* meos
345. *l.* penult. attinet *leg.* attinent
351. *l.* 35. ac *leg.* ad
363. *l.* 29. bibliothecam *leg.* bibliotheca
385. *l.* 18. CIↃIↃCXXVII. *leg.* CIↃIↃCLXXVII.
316. *l.* 22. ſive *leg.* ſine
425. *l.* 17. Trajecti *leg.* Trajectini
436 *l.* 16. videatur *leg.* videantur
437. *l.* 3. ſuſtineat *leg.* ſuſtineant
442. *l.* ult. faceris *leg.* faceres
468. *l.* 22. Domeſticeque *leg.* domeſticaeque
471. *l.* 11. quem *leg* quae
472. *l.* 14. praeſtantiae *leg.* praeſtantium
474. *l.* 12. ingenio *leg.* ingenuo

Pag. 475. *l.* 5. bene te *leg.* bene de te
479. *l.* 13. lucrum. *leg.* luctum
482. *l.* 22. Favorinus *leg.* Favoritus
493. *l.* 1. *Flavium leg. Februm*
l. 36. eſſe *leg.* eſſet
501. *l.* 27. prae *leg.* pro
503. *l.* 16. duxit *leg.* duxi
537. *l.* ult. nobis *leg.* vobis
519. *l.* 20. Kalendas *leg.* Kalendis
524. *l.* 26. quae *leg.* quas
532. *l.* 39. adnotaram *leg.* adnotarat
533. *l.* 6. facultus *leg.* facultas
540. *l.* 2. paucos *leg.* paucos dies
562. *l.* ult. reſtabar *leg.* reſtabatur
563. *l.* 31. Stantinius *leg.* Santinius
564. *l.* 34. nimis *leg.* minus
573. *l.* 13. ſucceſſu *leg.* ſeceſſu
579. *l.* 19. ſeris *leg.* ſeriis
593. *l.* 14. profiteantur *leg.* profitentur
606. *l.* 21. inſurgeret *leg.* inſurgere
618. *l.* 31. orbatum, me ferre. Sane *leg.* orbatum me. Ferre ſane
627. *l.* 6. quaeſtu *leg.* queſtu
628. *l.* 5. principue *leg.* praecipue
636. *l.* 33. auguſtae *leg.* anguſtae
646. *l.* 6. ingenioſiſſimas *leg.* ingenioſiſſimos
661. *l.* 2. meae *leg.* mea
669. *l.* 31. geſſit *leg.* geſtit
675. *l.* 5. tolat *leg.* colat
l. 37. quae *leg.* qua
681. *l.* 28. ſcateret hoc &c. *leg.* ſcateret. Et hoc quidem eſt, quod hactenus.
l. 24. aut *leg.* ait
687. *l.* 24. aeque *leg.* aegre
700. *l.* 13. ſolem *leg.* ſoles
l. 18. fecetim *leg.* feceris
704. *l.* 10. imponeri *leg.* imponere
706. *l.* 17. fide *leg.* fidem
713. *l.* 31. Gallicum *leg.* Gallia cum
715. *l.* ult. vivo *leg.* vico
717. *l.* 9. on *leg.* ou
737. *l.* 25. cognovere *leg.* cognovero
752. *l.* 22. aulam *leg.* auram
757. *l.* 30. retulit *leg.* retuli
759. *l.* 6. judicavit *leg.* indicavit
l. 30. utilitatis *leg.* utilitati
765. *l.* 24. indicabo *leg.* judicabo
768. *l.* 4. abſenti *leg.* abſentis
776. *l.* 7. *Joannus leg. Joannes*
777. *l.* 15. arbitror *leg.* arbitrabar
780. *l.* 25. annotarem *leg.* annotaram
786. *l.* 28. iſtum *leg.* iſtud
795. *l.* 25. ingenti *leg.* ingenii
806. *l.* 34. patria *leg.* patriam
808. *l.* 4. facere *leg.* tacere

Digitized by Google

NUMERUS PLAGULARUM.

Tom. 1. continet.	97	Plagulas
2.	106	
3.	109	
4.	104	
5.	108	
Praefatio generalis.	3	
2. Figurae dimidii folii faciunt.	4	
Una parva.	1	

faciunt 532 Plagulas

Plagulae ſingulae ad chalchos ſeptem efficient ſummam	23 : 5½
pro quibus jam ſolverunt tribus vicibus ſubſcribentes	18 : –
	5 : 5½
Primae vero magnitudinis codices efficiunt ſummam	34 : 18½
pro quibus ſolutum eſt tribus vicibus	27 : –
	7 : 18½

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON 1893

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google